JO. SCHILTERI DE LIBERTATE ...

Johann Schilter, ...

Digitized by Google





Digitized by Google

37
37 A
16



IOHANNES SCHILTER.
NATUS PEGAVII A.D. XXIX. AUGUSTI
CIↃ IↃC XXXII.


LIBERTAS
ECCLESIARUM
GERMANIÆ

JO. SCHILTERI
DE
LIBERTATE ECCLESIARVM GERMANIÆ
LIBRI SEPTEM

ADJECTUS EST
DE
PRVDENTIA JVRIS CHRISTIANORVM
SIVE
DE
SOCIETATE INTER DEVM ET HOMINEM EJVSQVE JVRE ET OFFICIIS
LIBER.

ITEMQVE
De
FATIS ECCLESIARVM
S. JOANNI REVELATIS
DISSERTATIO.

JENÆ
SVMTV BIELCKIANO BIBLIOP.
EXCVSA LITTERIS NISIANIS. cIↄ Iↄc LXXXIII.

Potentiſſimo ac Sereniſſimo
Domino Domino

JOHANNI GEORGIO III

Duci Saxoniæ,

Juliæ, Cliviæ, ac Montium, S. R. Imperii
Archimareſchallo & Electori, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, & utriusque Luſatiæ,
Burggravio Magdeburgico, Principi Hennebergiæ, Comiti Marcæ, Ravensbergi, & Barbiæ, Dynaſtæ in Ravenſtein &c.

Domino meo clementiſſimo.

Sereniſſimo Domino
Domino

JOHANNI GEORGIO

Duci Saxoniæ,

Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Principi Hennebergiæ, Comiti Marcæ & Ravensberg, Dynaſtæ in Ravenſtein &c.

Domino meo clementiſſimo.



TEmplum Libertatis Eccleſiarum Germaniæ reſeraturus, non aliis auſpiciis id à me fieri religio voluit, quàm Veſtris, Sereniſſime ELECTOR, *qui rem Eccleſiarum Germaniæ repurgatæ publicam more Majorum dirigis, & Serenisſime* DVX, *quorum Majores, qui animo Ve-*

ſtro obverſantur, hanc libertatem, DEO Duce & adſtite, fortitudine ac prudentia verè heroicâ nobis inſtaurarunt, defenderunt. Obſequio præterea hoc erga Serenitates Veſtras defungi me, etiam regiminis Veſtri felicitas poſtulat, qui id efficitis, ad eorum ſtudia fovenda, qui literas amant, ut non tantum & prudentia civili & literatura inſigniori Viros excellentes inter amicos & Senatum Veſtrum cooptetis, Gersdorffios, Friſios, Wertheros, ac ſimilis nominis Semones, ſed etiam PRINCIPES JUVENTUTIS, delicias Patriæ, ſolidiori doctrina, ac divinarum humanarumque rerum cognitione dudum imbui feciſtis. Accedit porro & huic auſui commendatio quædam, non ex propriis meritis, quæ erga Sereniſſimam Domum Veſtram, ELECTOR Sereniſſime, infelici-

licitas mea impediit, non voluntas, ſed tum ex patria, Terra Veſtra Pliſnenſi, ac ſpeciatim Lipſia atque Pegavia, quarum hæc me genuit, illa educavit: tum verò ex patruis, Zacharia & Johanne, quorum illi Cancellariatum perpetuum Academiæ Lipſienſis Potentisſimus ABAVUS VESTER, huic Senioratum Conſiſtorii & Scabinatus Lipſienſis AVUS, Gloriosisſimæ memoriæ, concredidit. Quorum in rem publicam merita, etſi aliena à me reputo, hoc tamen mihi præſtent, ut non plane ignotus, Serenitatem Veſtram Electoralem accedam: imo verò cum de ſingulari bono aliquo avito gloriari liceat, jus fasque exiſtimavi, etiam ex hac cauſa devotionis meæ atque gratæ memoriæ & poſteris extare indicium. Veſtræ verò Serenitati, DUX Clementiſſime, cum ex multis

tis Gratiæ ſingularis capitibus æternum devinctus ſum, tum verò quod cõtra quemvis impetum ſub Gratia Veſtra perenni delitesco. Quare ſuſcipite, SERENISSIMI DOMINI, atque ſub Clypei Veſtri tutamine ſecurum adverſus omnis generis Sycophantas exire in publicum patimini hoc erga Sereniſſimam Domum Saxonicam æternum devotionis meæ monumentum. DEVS Vos ſervet PATRIÆ PATRES M. O. Dab. Jenæ Idib. Martiis M DC. LXXXIII.

SERENITATVM VESTRARVM

Subjectiſſimus

JO. SCHILTER.

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

I.

QVum aliarum nationum Eccleſias ſuas jure divino humanoq; partas libertates tum adverſus ſecularium Principum oppreſſiones, tum verò cõtra deſpoticum unius Epiſcopi imperium ſcriptis celebraſſe conſtet; in noſtris Germanorum Eccleſiis, quæ & re & conſilio libertatem ſuam à multis ſeculis vario marte defendunt, nemo quod ſciam repertus, qui hoc argumentum pertractare ſuſceperit. adeò ut & hac in parte verum ſit, quod de majoribus dicitur: Maluiſſe res præclarè gerere, quam geſtarum memorias conſignare. Quare cum nova patrum atque noſtrorum quoque tempo-

rum felicitas multa egregia rerum Germanicarum monumenta produxerit, indolui nobiliſſimum ac gentis noſtræ proprium, imò divinum argumentum auctore hactenus deſtitui. Augebat dolorem, quod, quum ſuperioris ſeculi initio, atque imprimis in Comitiis Noricis anni vigeſimi ſecundi Eccleſiæ Germanicæ cum Republica unanimi ac fraternâ concordia ad illam genuinam & primævam libertatem provocarent, mox callidis artibus & infelici fato tantum animorum diſſidium ortum fuerit, ut fraternus Germanorum inter ſe amor in odium internecinum degeneraſſe viſus. Id quod quam cladem & Reipublicæ & Eccleſiæ noſtræ nationis intulerit, & porrò illaturum ſit, quivis prudens ac bonus civis facilè judicare poteſt. Atque quum tota noſtra natio libertatis adeò avida ſit, mirum dicam an deplorandum, ex illius tuitione aut reparatione, tam contrarium miſerumque eventum conſequi potuiſſe. Eò magis igitur neceſſarium putabam, in harum rerum fontes atque cauſas inquirere deque ſalute nationis noſtræ diſpicere. Optarim equidem ut hi, quibus

De meliore luto finxit præcordia Titan

operam hanc præoccupaſſent, ſed donec illi ſequentur, hoc interim Catone contentus eſſe velis Lector Benivole.

II. Primum autem quod hic agendum eſſe duxi, eſt libertatis Eccleſiarum noſtrarum *hiſtoria*, ab origine conditarum per Germanias Eccleſiarum, quantum non ex vetuſtis fabulis aut recentiorum ſcriptorum traditioni-

bus

bus, ſed ex auctoribus fide dignis conſtare poteſt, petita, usque ad ſeculum præſens. Qua in re id egi, ut cujusque ſeculi coævos ſcriptores accerſerim teſtes. neque credo res hoc aliter candidiùs geri poteſt. Sicuti porrò libertatis noſtræ fundamenta ex Jure divino & humano demonſtrata, ita viciſſim ejusdem offenſas & impetitiones ſuppreſſionesque partim in regimine deſpotico introducendo, partim nova dogmata obtrudendo, partim veterem diſciplinam & mores abuſibus & ſuperſtitionibus variis corrumpendo , ſingulis temporibus notavimus, quâque prudentia, conatu eventuque libertas defenſa fuerit. Hinc altera opera fluit, quæ facto *jus* applicat, & ſingulis temporibus emergentes controverſias de hac libertate ejusque partibus illuſtriores penſiculare & ad juris divini & humani regulas exigere laborat: Admixtis quandoque quibusdam ad *civilem* libertatem magis pertinentibus, neque enim altera ab altera facilè divelli patitur, poſtquam unione Reip. cum Eccleſia utraque eundem adverſarium experta eſt. Quo referenda tractatio de origine Electorum, de officiis Palatinis in Francorum imperio, de ſede primæva Francorum, de Germaniarum diviſione, de prærogativa Imperii & Regni Germanici, de jure Imperatoris univerſali ratione aliorum Regnorum Chriſtianorum, de Imperatore Hiſpanico & Jure Imperatoris Germanici in Hiſpaniam, de jure exaugurandi Imperatoris, & alia ad Jus Publicum facientia. Tandem quod tertium ac præcipuum eſt, per ſingula

tempora oſtendenda fuit *neceſſitas* reſtaurandæ libertatis h. e. *reformationis* Eccleſiarum jam tum à tempore Caroli M. & Ludovici Pii Impp. usque ad ſuperius ſeculum: qua in re cauſæ & initia reformationis, impedimenta, remoræ, ſpecies & ſimulacra, eventus varii & progreſſus per octo ſecula exponendi fuerunt. Ex quibus neceſſitas & juſtitia ſuperioris reformationis ſole meridiano clarior effulget.

III. Denique nec omitti, ſalvâ bonâ fide, poterunt *diſcidia* ex optimâ illa intentione hinc inde orta, de quorum ſopiendorum ratione, & retinendæ libertatis mediis, quædam annexa, quæ Eccleſiæ orthodoxæ judicio ac cenſuræ devotè ſubmitto. De *univerſali* enim *redunitione* res deplorata videtur, quam aſſerentibus quibusdam etiam ex Eccleſiis Proteſtantium, ſatisfacit *Salmaſius* de Primatu Papæ, *Hulsmannus* item ac *Muſæus* aliique. Doctiſſimus quidem Hibernus, *Aug. Gibbon de Burgo, P. P. Acad. Erffurt.* candidè faſſus, Eccleſias noſtras *haud* eſſe *hæreticas*, defendit etiam *reconciliabiles* eſſe cum Romanâ, ſed innixus hypotheſi iſtâ de poteſtate *Papæ* Romani divinâ & *infallibili*, deque ſalute Chriſtianorum ad unicam Eccleſiam *Romanam* reſtricta. At hæc principia quum dudum ita fuerint expugnata & exploſa ut, niſi cavillationibus delectemur, nihil ſolidi amplius proferri poſſit, ac præterea & Civili & ſacræ libertati Nationis Germanicæ int perquam inimica: igitur ſi maximè Eccleſia Germanſica ea paſſura ſit admitti, *Reſpublica* tamen noſtra & civili-

vilis prudentiæ regula refragatur. Enimvero Reipubl. Germanicæ maximè intereſt, & ſi qua libertas Germanorum ſuperſtes eſſe debet, neceſſe eſt, ut concordia Germanorum inter Germanos firma atque ſtabilis concilietur, atque hoc jus Divinum præcepit, ut concordem & tranquillam vitam degamus cum omni pietate & hõneſtate: idem hic ſcopus Eccleſiæ, idem Reip. Hic igitur cuilibet bono civi debet eſſe præfixus, totique Nationi noſtræ, ſi ſalvi eſſe volumus, nec vicinorum jugo colla ſubmittere.

IV. Hinc variæ viæ ac rationes inquirendæ, conſiderandæ, non eâ mente, ut omnes ineantur, aut ſaltem tententur, ſed quæ tentanda, quæ ineunda accuratiori penſiculatione opus reor. Ex plaga meridionali omnis pernicies in Germaniam dudum irrepſit. igitur huc potiſſimum cura adhibenda, ut hæc via occludatur, & iſta dependentia reliqua in plenariam Germanorum libertatem mutetur: Quo fundamento ſemel poſito, non ita difficile videtur auguſtum Germanicæ Libertatis Templum ad veterem juſtam molem inſtaurare, & contra externorum impetum tueri. Quodſi verò Natio Germanica ad hanc concordiam haud reducenda, futurum videtur, ut diſſolvatur Reſpublica, & quælibet pars fracta externæ poteſtati, cum qua ſacra habet communia, ſubmittatur: quod quidem ipſum utut tandem alterâ ex parte retinendæ libertatis ſacræ remedium fuerit, certè *civilis libertas* ſummè periclitabitur; nec enim credo duos vel

tres

tres Impp. Germanorum pro religionum diverſarum numero orituros, ſicuti veterum Impp. Romanorum proſtant exempla quod primum M. Aurelius Antoninus Imp. dedit; ſecuti poſtea multi ex ſucceſſoribus etiam Chriſtianis, ac diverſæ quoque religionis; quorum quisque in provinciis ſuis ſuæ religionis defenſor, communi nomine imperium exercuit. Sed alia tum Imperii Romani ratio: alia noſtri. Quare charitas Patriæ, omnium charitates ſupergreſſa jubet quemvis civem non improbum in medium conſulere, ut ne diſſolvatur Reip. Germanicæ compages, neve diſſoluta penitus exteris exponatur partienda: Quin potius ut omni jugo externo penitus tandem utrubique excuſſo primigenia libertas & concordia reducatur: magnâ ex parte hoc jam præſtitum: reſtare partem. non eſſe impoſſibile, neque difficile, imò noviſſimis Imperii ſanctionibus *ἀκόλουθον*. Annos eſſe quingentos, quod Eccleſiæ Germaniæ per Vicarios & Legatos à latere libertate & poteſtate avitâ exutæ. non deeſſe media, non occaſionem, non adjutores, ut per omnia in integrum reſtituatur Eccleſiis libertas, Imperatori Auguſto & Imperio ſumma circa ſacra poteſtas. Difficile fuerit hæc perſvadere omnibus, non impoſſibile pluribus. Reliqua eſt *perſecutio* adhuc *magna*, ut multi graviſſimi ſacrorum myſteriorum interpretes conſentiunt; quod rei difficultatem auxerit. Sed ſi voluntas, non deerunt vires, non DEVS, non fata: perſecutionis finis lætus ac victorioſus. Si voluntas non

eſt,

eſt, ſatis nobis, dixiſſe quod in commune utile, quod pium.

V. Atque hæc ſunt ſumma capita per hos commentarios ſparſa. *Stylum* his adhibendum duxi argumento convenientem Politicum & Juridicum, quo rem ipſam vulgaribus & dilucidis verbis proponerem, non *terminis Theologorum* technicis, unde eò magis veniam πρωϑόπειρος mihi polliceor, & quod omnia in meliorem accipienda ſint partem atque ex intentione & animo dicentis æſtimanda. Ita quando *lib.* 1. *c.* 1. §. *XI.* Concilia *Oecumenica* habentur pro ſumma Eccleſiæ externæ poteſtate & capite univerſali, non mens eſt, eorum auctoritatem S. Scripturæ æquare: neque enim hoc fieri poteſt, quum S. Scriptura ſit norma illorum. Cæterum Eccleſia externa nullum habet caput univerſale viſibile, niſi Conciliorum Oecumenicorum Senatum: neque alia ſententia *Vincentii Lirinenſis* eſt, cui tantum tribuo, quantum convenit cum S. Scriptura & Fidei analogia. Similiter *cap.* 11. §. 1. dicimus liberati ab *obligatione legis*, quod ſimpliciter ita dictum, vix concedendum fuerit. Sed ſi ſequentia legantur, de qua legis ſpecie ſermo ſit, ſenſus rectus & verus apparebit, licet Theologi in Scholis ſuis aliis fortè verbis enunciare id ſoleant: à quorum terminis meritò abſtinemus. Rem ipſam autem proponimus verbis S. Scripturæ & naturæ cujusque rei non abſonis. Et quoniam his in rebus *verbis juris* ſæpe utendum eſt, quale eſt *obligationis, liberationis, acceptilationis, ſatisfactionis*; igitur

tur his inhærentes ita iis utimur, ut nativam vim ſignificandi exponamus, rei naturam magis illuſtremus, nec vocabulis abutamur. Atque hanc ipſam ob rem *Juris Prudentiam Chriſtianam* adjecimus, ut ex ejus *præfatione* apparebit, & conſ. *cap.* 3. §. 13. *& Cap. X.*

VI. Hæc generatim monenda erant. Singulorum librorum argumenta ex rubrica & ſummariis facilè apparebit: προλεγομένων loco duo cumprimis fuerunt conſtituenda, accuratior quædam expoſitio diſcriminis & convenientiæ *Reipubl.* & *Eccleſiæ*, *Imperii* & *Sacerdotii*, quibus non ritè obſervatis, non poſſumus non craſsè hallucinari. atque quum Eccleſiæ fundamentum ſit *ſocietas hominis cum DEO*, exponitur hoc ulterius in libello ſingulari *de Prudentia Juris Chriſtianorum.* Alterum, *Extra quam Eccleſiam non ſit ſalus.* His enim duabus hypotheſibus ferè tota moles ſive libertatis ſive ſervitutis Eccleſiarum vertitur. Deinde *libertas* ſacra per partes diducitur & *dijudicandi & interpretandi* S. Scripturam ex Jure Sacro Divino & humano traditur. Speciatim verò *Libertatis* ſacræ Germanicæ *fundamentum* eruitur, partim *Communio cum Eccleſia Catholica* & Apoſtolica, vera non ſimulata, cujus pars fuit Romana Theodoſii M. temporibus; partim *Imperium circa ſacra* ſummis Reip. Germanicæ poteſtatibus omni jure competens. Hæc per priora tria capita. Inde recenſentur origines & conditio Eccleſiarum in Germaniis, ante Conſtantinum Imp. ad quas etiam R*hætias* & Noricum trans Danubium rectius

referri evincitur. Occaſione Eccleſiæ Burgundicæ cis Rhenum locus Ammiani Marcellini de *Capellatio* & *Palas* expenditur. CAP. VI. Oſtenditur unitâ per *Conſtantinum* Eccleſiâ Reip. libertatem ejus auctam fuiſſe, ſalvo jure Imperatoris circa ſacra, quod per partes proponitur: ſpeciatim verò libertas Eccleſiarum in Germania Minori & auctoritas reſpectu Epiſcopi Romani ex *Concilio Arelatenſi* monſtratur, ejusque epiſtola Synodalis emaculatur. Hinc digreſſio fit de ordinibus clericorum, de Primatu Epiſcopi Romani, & Eccleſiis ipſi non ſubjectis, & *canon VI. Concilii Niceni* ſimpliciter & perſpicuè expoſitus.

VII. Lib. II. Jura Eccleſiarum ſub Regibus *Francorum* exercita traduntur, & cuique ordini, Regi, Clero atque Populo ſua vindicantur, & vivum libertatis ſacræ exemplum proponitur, expensâ controverſia de Regum excommunicatione. Libertas & independentia Eccleſiarum ſub Regno Francorum usque ad ſeculum VIII. & Zachariæ Epiſcopi atque Bonifacii ætatem, ubi revolutionem paſſa oſtenditur *cap. VI.* neceſſitate *Pallii*, ut ſymboli ſubjectionis introducta, & Vicariatu, qui etſi tum perſonalis cum Bonifacio ceſſaverit, indigitantur tamen effectus varii in præjudicium libertatis. Oſtenſis itaque gradibus,

quibus Epiſcopus Rom. ad id faſtigii ſacri adſcenderit, exauctoratio Hilderici Regis Francorum expenditur, & quod Pipinus acquiſierit ſedi Romanæ Exarchatum Italiæ & independentiam: eam tamen non diu duraſſe, ſed refutatam Carolo M. cum jure ordinandi ſedem Rom. conſtitutâ *Lege Regia* & translato Imperio in Carolum & ejus ſucceſſores, qui & in Concilio Francofurtano illo nobili cauſas Fidei rectè, ſed non ad palatum Epiſcopi Rom. decidi fecit, ut & aliam de clauſula Symboli Apoſtolici: FILIOQVE, qua occaſione de Libertate Conciliorum veteri, itemque de univerſali Imperatoris poteſtate à Regia differente *cap. XI.* diſſeritur, & Romanos homagio devinctos Imperatoribus, Pontificis ipſius perſonam à ſubjectione nondum exemtam *cap. ſeq.* probatur. Mox felicitate illorum temporum, præter *juris veteris canonici* immutationem ſubintroducto *novo* ex fictitiis Epiſcoporum priſcorum Romanorum compilato codice, etiam mores clericorum corrupti Ludovicum Pium Imp. ad *Reformationem* Cleri moverunt, ſed infelici eventu, niſi Germani Imperatorem contra ſeditioſos reſtituiſſent.

VIII. Secuta fuit Imperii partitio inter filios Ludovici, & diviſio Regni Francorum in occidentale & orientale quod ſpeciatim Regnum Germanorum

norum appellatum. Ex hac Reip. mutatione & Eccleſiæ aliquam mutationem paſſæ. De hac re *Liber III.* tractat, & exponit quæ augmenta ex hac diviſione ſumſerit potentia ſedis R. & quomodo falſa dogmata & abuſus in Eccleſias irrepſerint, imprimis de adoratione *imaginum* & *Indulgentiis* exhibitis. Nihilominus libertas à Germanis defenſa oſtenditur nondum admiſſo dogmate de infallibilitate ſedis Romanæ, de ſuperioritate ſuper concilia: de exemtione cleri à ſumma Reip. poteſtate: de voto perpetuæ virginitatis: de cœlibatu ſacerdotum: de prohibito uſu linguæ vernaculæ in ſacris. non admiſſo ab omnibus Jure novo canonico; nec Vicario Pontificio. Datâ occaſione tractatum hîc de origine & fundatione Regni Germanici & jure Statuum inde ex *conſtitutione Confluentana*, de Jure Senioratus & præcedentiæ inter Reges Germaniæ & Franciæ occidentalis, de jure ſucceſſionis inter poſteros Caroli M. à Carolo Calvo interverſo, à Carolo Craſſo recuperato; de ſtirpis Carolinæ ceſſatione & origine Sereniſſimæ domus Bavaricæ & Palatinæ; de Francorum ſede & diviſione. De jure Regum Germanorum adverſus minutos Imperatores Papales ſalvo atque integro ſervato nec pro derelicto habito.

IX. Hæc per priora quatuor capita. ſequitur

tur deinceps expoſitio felicitatis temporum Ottonianorum, cum ceſſante Regum Francorum ſtirpe, ad *Saxones* ſumma rerum per electionem Germanorum devoluta, atque utraque libertas inſtaurata fuit, cujus inter alia præcipua ſpecies, depoſitio Johannis Papæ: & Legis Regiæ à Romanis renovatio. Canon *Tibi* 33. *diſt.* 63. de jurejurando ab Ottone Papæ præſtito ſubleſtæ fidei, non totus tamen fictus ſed interpolatus eſſe oſtenditur, qvum mutuam fidelitatem invicem jurari olim non fuerit inſolens. Occaſione Concilii Auguſtani ab Ottone M. celebrati dogma *de cælibatu Clericorum* excutitur, & quod ab Eccleſiis Germaniæ non fuerit in praxin admiſſum demonſtratur, *Vdalrici* tamen Epiſcopi Auguſtani contra illud *epiſtola* ſuſpecta habetur: contra *Lutheri conjugium* defenditur quod per ſummam Imperii circa ſacra poteſtatem ab obligatione canonum pœnaque civili in Comitiis Noricis anno 1522. abſolutum. Cum porrò Otto III. Imp. ſine ſpe prolis maſculæ eſſet & novum periculum libertati ſacræ & civili ex Italia immineret, condita fuit conſtitutio, ex qua vulgo originem Collegii Electoralis repetunt. Sed penitus inquiritur in ſcopum & mentem amiſſæ hujus Legis, & digreſſio fit de vera *Electorum Origine* & numero ſeptenario, eoque ante A. B. Caroli IV. alios

ſta-

tus non excluſos fuiſſe. Exponitur quoque hac occaſione peculiaris controverſia de Electoratu inter Bohemum & Bavarum, itemque de jure exaugurandi Imperatorem, *Cap. VIII.* In ſequente peculiaris eſt obſervatio de *Inſignibus Imperialibus*, certæ figuræ redditis ex vetuſtis nummis bractealibus. Occaſione matrimonii Conradi Salici aperitur putidum fundamentum Juris Canonici novi in *computatione graduum* prohibitorum, & oſtenditur veteres Eccleſias computatione Juris Civilis uſas. Cæteroquin quum novis dogmatibus, abuſibus, & vitiis Eccleſia Occidentalis corrupta eſſet, *Reformatio* à Conrado & Leone IX. ſuſcepta, ſed renitente Româ, & relictis plurimis abuſibus recenſitis: ad gloriam tamen noſtræ gentis facit, quod probiores Pontifices ex Germania tum peti ſoliti.

X. Libro IV. exponitur hiſtoria *Henrici IV.* Imp. ſtrenui magis quàm felicis defenſoris libertatis ſacræ contra Hildebrandum & ſucceſſorem. Oſtenditur periodus quingentorum annorum quibus ſacra ſervitus crevit & decrevit. Recenſentur nova inſtituta Sedis Romanæ ad minuendam libertatem Germanorum, & quod non ſatis cautè iis occurſum; imprimis circa jus inveſtiturarum Epiſcopalium, & jurisdictionem cauſarum Eccleſiaſticarum, ſub quarum prætextu etiam in

Impp. & Reges jurisdictio prætenſa imò neſandum dictu, jus vitæ & necis, *cap. IV.* Sic tandem ab Henrico V. jus inveſtituræ ceſſum, & ſub eo totum ferè jus circa ſacra. Sed quod ſucceſſores hoc non obligentur, quippe juri divino & humano non conformi, diſſeritur, & imprimis rationes *Goffridi Vindocinenſis* refutantur, expoſitâ omni inveſtituræ ſacræ naturâ. Vnde & ſtatim de ſuppreſſa libertate queſti ſucceſſores, ſed auctoritate *Bernhardi* Abbatis Clarævallenſis repreſſi. qui tamen ex conſcientiæ ductu neceſſitatem reformandi Eccleſias & imprimis Romanam Eugenio inculcavit poſtea, & in Academiis quoque contradici Eccleſiæ Romanæ cœptum, quam libertatem hæc *juramento Doctorum* introducto abolevit.

XI. Poſtquam in ipſa ἀκμῇ conſiſteret ſumma omnium poteſtas ſedis Romanæ, magnos & graves impetus experta ab Impp. Svevis, qua de re in *libro V.* agitur latisſimè, nummusque producitur bractealis in memoriam *Erffurti* à Landgravio Thuringiæ juſſu Imperatoris occupati & mœnibus nudati, rejectâ fabulâ de conculcato pedibus Friderico. De Jure Regaliæ, de Annatis, Decimis & Advocatiis Eccleſiarum gravamina excuſſa *cap. VI.* Voſſius *de Hiſtoricis Latinis* cap. VII. & VIII. obiter emaculatur, quoad Johannis & Alberici

Mo-

Monachi ætatem. itemque de Procuratoribus & Vicariis Imperii obſervatio ex nummis, *Cap. IIX.* Tandem Bulla Aurea Friderici II. Imp. *de libertate Eccleſiaſtica*, ejusque & ſæpius repetita renovatio & verior intellectus exponitur, evinciturque non omnimodam exemtionem clericos obtinuiſſe, ſed ſalvâ ſumma poteſtate Imperii. *Cap. X.* oſtenditur ex propria Sedis confeſſione, Papam non eſſe infallibilem, & Concilio ſubeſſe.

XII. Extincta Svevorum Impp. dynaſtiâ, ſecuto *interregno*, libertas ſacra à S. R. ſuppreſſa penitus, civilis ordinum aucta, qua de re tractat liber ſextus, oſtendens mox à Ludovico Bavaro Imp. & ordinibus jus circa ſacra repetitum, & Joannis XXII de Vicariatu Papali bullam per *Auream Bullam* Caroli IV. abrogatam : relatis gravaminibus Eccleſiarum Germaniæ, de Indulgentiis, de Annatis, & Cruciata : itemque initiis Reformationis ex Gallia, Anglia & Bohemia. Atque quum tres nationes peculiares ſibi conſtituiſſent Papas, in Concilio Conſtantienſi Eccleſiæ iterum ſub unum redactæ: quod an ex re Germaniæ fuerit, diſputatur *cap. V.* Reformatio in Concilio Baſileenſi readſumta, itemque jus reformandi ordinum Imperii & ſpeciatim Sereniſſimorum Electoris & Ducum

Saxo-

Saxoniæ exemplo *VVilhelmi III.* Ducis Sax. aſſertũ, reformationisque neceſſitas oſtenſa *capp. ſeqq.*

XIII. Septimo tandem libro recenſetur Reformatio ſuperioris ſeculi per partes, & mira concordia circa eam Imperatoris & Statuum utriusque ordinis exponitur per tria priora capita, ſed mox per indicatas cauſas ſemina diſcordiæ ſparſa, unde maxima ſeges exorta, per DEI tamen ſingularem gratiam induciæ religioſæ factæ: interim verò Poteſtas Papæ in Eccleſiis Proteſtantibus penitus abrogata, idque jure factum defenditur *cap. V.* cap. ſequente inter alia prærogativa Epiſcoporum & Eccleſiarum Germaniæ præ aliis nationibus annotatur. Deinceps verò paſſim recenſentur ſpecies recuperatæ libertatis & juris circa ſacra, etiam agnoſcentibus Epiſcopis, ſed ingratiis aulæ Romanæ, quo etiam auſus Conſtitutionis *Interimiſticæ* refertur, & ſi haud receptæ: quod & ipſum libertatis Eccleſiarum ſpecimen fuit. Imprimis verò quòd finito Concilio Tridentino & promulgatis ejus decretis, tamen auctore Maximiliano II. Imp. in comitiis anni 1566. conſultatio ſuſcepta fuit de alia, eâque legitimâ viâ ineundæ concordiæ religionis, quæ quamvis prorogata eſt, eo ipſo tamen *Tridentini Concilii* autoritas rejecta, neque pro fundamento redunitionis agnita fuit: *Cap. X.* Inde

de

de diſſidiis domeſticis & *Formulæ Concordiæ* confectione diſſeritur: & cauſæ exponuntur unde tandem famoſum iſtud bellum religioſum tricennale geſtum: præcipuè *Edictum Reſtitutorium* cum gravaminibus Proteſtantium confertur, & comprobatur, per Pacificationem VVeſtphalicam auctoritatem Papæ legislatoriam prætenſam communi conſenſu, atque ad contradictionem ipſius fuiſſe abrogatam.

XIV. Capite denique ultimo quædam de ſpe metuve circa redunitionem Eccleſiarum, non in univerſum, ſed ſaltem noſtræ nationis adjecta ſunt, non eâ mente, quaſi ſacra iſta ſervitus quavis ratione denuo reducenda, quod nefas cogitatu, ſed ut etiam *reliquæ Eccleſiæ nationis Germanicæ* primævam libertatem in medio poſitam amplectentur, & diſſidia tum in ſacris quàm civilibus eò facilius tollantur atque vis unita fortior adverſus exteros conſtituatur. Sed de hac re ſuperius dictum; ut & de adjecto libello de Prudentia Juris Chriſtianorum, cui ſua conſtat præfatio. Subnexa denique diſſertatio *de Fatis Eccleſiarum Chriſtianarum* generatim ex revelatione S. Johannis, propter materiæ cognationem: In omnibus autem & ſingulis orthodoxæ Eccleſiæ judicio me ſubmitto. Hæc ſunt quæ de Libertate no-

ſtrarum Eccleſiarum ſummatim præmonere voluі: ſi quis ſpeciales Eccеſiarum *ubertates* atque jura hîc deſideret, v.g. de jure Eccleſiarum metropolitanarum, Collegiatarum, Parochialium is ſciat, ſcopum noſtrum non eſſe hîc, niſi *jus publicum Eccleſiarum* noſtrarum tractare, privatum verò illud ad *Inſtitutiones Juris Canonici* pertinere, & ad Commentationes uberiores illis fortaſſe aliquando Deo permittente adjiciendas.

Hæc Te volui, Lector benevole.

Vale.

ADDENDA.

Lib. I. cap. 2. §. 11.

CHirotoniæ & Chirotheſiæ vocabulis promiſcuè utimur, probante Cl. Salmaſio *Apparat. de Primat. Pap. pag. 178.* etſi vi vocis *chirotheſia* potius dicatur ritus conſecrationis Apoſtolicus; *chirotonia* ritus eligendi & ſuffragando approbandi extensâ dexterâ.

Cap. II. §. 9.

Edictum Claudii, quo Judæi Româ decedere juſſi, *Act. XVIII. 2.* videtur aut Chriſtianos non attinuiſſe, aut non Tib. Claudii, ſed ſucceſſoris Cl. Neronis fuiſſe. aut non perſecutionis causâ id editum, ſed neceſſitatis, premente dirâ fame Romam.

Cap. IV. §. 2.

S. Hieronymus *Epiſtola CXXXV.* reſpondet *Suniæ* & *Fretelæ* ſcribentibus ad eum ex *Getarum* & *Germaniæ oris* & petentibus aliquot locorum S. Scripturæ, in quibus verſio Latina & Græca diſſentiebant, explicationem ex fonte Hebræo. ille inter alia: *Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingva Hebraicam quæreret veritatem; & dormitantibus, imò contendentibus Græcis, ipſa Germania Spiritus S. eloquia ſcrutaretur.* Procopius *lib. 1. de bello Gothor.* refert Germanos & Arborichos ſocietatem iniiſſe & utroque Chriſtianæ fidei ſectatores fuiſſe, & non Arianiſmi.

Cap. IV. §. 10.

Zacharias in hac epiſtola conſenſum dedit in jus metropolitanum Agrippinæ conferendum: Sed Rex & Proceres prætulerunt huic Moguntiam, quanquam poſtea & Agrippina ſeu Colonia Metropolis conſtituta. *V. Lib. 2. c. 8. §. 12.*

§. 12.

Laureacenſis Eccleſia pro Metropolitana per Pannonias venditatur Lazio *de Rep. Rom. l. 12. c. 5.* Vid. Velſer. *lib. 3. Rer. Boicar. pag. 91. ſqq.*

L. 1. Cap. VII. §. 1.

Similiter in Concilio Baſileenſi plures fuerunt Præſidentes, teſte Bapt. Poggio in vita Carol. Firmani, §. 6. *Lib. 3. Miſcell. St. Baluzii p. 274.*

L. 1. C. VIII. §. 2.

Adde Guil. Beveregium Eccl. Anglic. Presbyterum in Codice canonum Eccleſiæ Primitivæ vindicato, qui tamen lib. 2. c. 11. aſſerit, Nihil inter jus divinum & Apoſtolicum intereſſe, & antiquiſſimos Patres Epiſcopalem autoritatem jure divino inſtitutam conſenſiſſe.

L. 1. C. X. §. VIII.

Claudium, ſub quo Petrus Romam veniſſe traditur, non Tib. Claudium Cæſarem, Caligulæ ſucceſſorem, ſed Claudium Domitium NERONEM, intelligendum docet St. Baluz. *ad Lactant. de mortib. perſecutor.* §. *2.*

L. 11. C. I. §. V.

De Severino & Ruperto V. Velſer. *l. 3. Rer. Boicar. p. 93. & 99. & lib. 4.*

L. 11. C. IV. §. III.

Ex eodem fonte in noſtris Eccleſiis à Clero certo-

rum

rum articulorum & confeſſionis Fidei ſubſcriptio requiritur.

C. VI. §. fi.

Conf. C. VIII. §. 12. Natalis Alexander, Sorboniſta, in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus, reprehendit Petri de Marca judicium,, tanquam veritati & Sedi Romanæ injurioſum, quod Pallii uſum, antiquam Metropolitanorum libertatem per cuniculos infregiſſe, & Synodorum Provincialium auctoritatem peſſum dediſſe, ſcripſit. Verum non merus Pallii uſus id præſtitit, nec mens ea Archiepiſcopi, ſed novus id conferendi modus & juris jur. formula.

Lib. II. c. 12. §. 24.

Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis & conſortes cauſam filiorum defenderunt contra patrem, ut legere eſt *Tom. II. oper. Agobardi*. Sed patrem ab imputationibus Epiſcoporum acriter vindicat Natalis Alexander *Select. Hiſtor. Eccleſ. capit. Volum. Poſter.*

§. XXVI.

Innocentii II. epiſtolam decretalem de obedientia Epiſcoporum Daniæ, Norvvegiæ & Svediæ Metropolitano ſuo Hamburgenſi præſtanda, anno M C XXXIII. per Lotharium II. Imp. procuratam ex Cod. MS. privilegium Hamburgenſis Eccleſiæ exhibet Goldaſtus *T. 2. Conſtitut. Imp.* Extat quoque *S. Bernhardi epiſtola CCCXIV*. ad dominum & venerabilem Eskilum, Lundenſem Archiepiſcopum, ſedis Apoſtolicæ in Dacia & Svetia Legatum, cujus corpus glorioſum in Claravalle requieſcit juxta matrem ejusdem Bernhardi.

Lib. III. c. 4. §. 15.

Add. Freheri notas ad Lupold. de Bebenb. *de jure regni. c. 3. E.* Situm ſcilicet eſt Triburium in Comitatu Cazenellenbogen ſuperiori, in terra Gerau, hodie Darmſtadienſis ditionis.

c. 5. §. 12.

Vid. H. Conring. *l. 1. de Finib. c. IX.*

c. 6. §. 4.

Ordinem procedendi intelligas ſecundum novam vel noviter tunc fictam conſtitutionem Pontificiam, qua de St. Baluz. *præfat. in Ant. Auguſtini Dialog.* §. *XIV. ſqq.*

c. 7. §. 9.

Add. St. Baluz. *Præf. in A. Auguſt.* itemque in *Notis ad Gratian. pag. 474.*

L. III. c. 8. §. 28.

Addas: vel à populo ipſo in comitiis, à quorum ſumma poteſtate ſingulorum conſcientiæ diriguntur, potius quàm à Curia Romana.

L. III. c. 10. §. 3.

Vid. Lib. VI. c. III. Conſtitution. Ludovici Bavari Imp. anno 1343.

§. 13.

Poſt verba: *civiliter efficax.* adde: ſecundum communem opinionem, quæ Canoniſtis ſatisfacere poteſt. Quanquam verius videtur, Jure Novellarum ultra ſeptimum gradum ſucceſſionem nec agnatorum amplius extendi. Qua de re ex profeſſo agitur in *Comment. ad ff. tit. Unde cognati.*

Lib. IV. c. 5. §. 33.

Eodem pertinet Jus primariarum precum. de quo Vrſpergenſis in Ottone IV. & nos inferius.

Lib. V. c. 7. fi.

Philippus hic Imp. in privilegio Monaſterii Altenburgenſis anno MCC. Norimbergæ dato, appellat ſe *Philippum Secundum, Romanorum Regem & ſemper Auguſtum.* Itemque in alio Olsnizii dato anno 1199. Sine dubio reſpectu Philippi Arabis Imp.

Lib. VI. c. 3. §. 10.

Ludovicus filius Imperatoris Anno 1350. unà cùm Gunthero Comite Svarzburgico & civitate Francofortenſi ad Oderam multisque aliis à Johanne XII. excommunicatus fuit. Diploma edidit Dn. Strykius *ad Brunnem. J. Eccleſ. l. 2. c. 19, 12.*

c. 4. §. 3.

Potentiam Turcicam Curiæ Romanæ ſocordià præcipuè auctam, conqueſtus Cardinalis Dominicus Firmanus, teſte Bapt. Poggio in ejus vita, *lib. 3. Miſcell. Baluz. pag. 282.*

c. 6. §. 1.

Io. Gerſon. Cancellarius Studii Pariſienſis, fatum veri Chriſtiani expertus, pretioſiſſimis ſcriptis (inter quæ excellunt *de Imitatione CHRISTI.*) relictis, privatus vitam finivit anno 1429. die 12. Julii.

Ad Prudent. Jur. Chriſt.

cap. IV. §. 1.

Ad priorem & univerſalem Legis Amneſtiæ partem perti-

pertinet, quod Lux Mediatoris dicitur φωτίζειν, affulgere, illuminare omnem hominem venientem in mundum. *Joh.* 1,9. Pax enim & Gratia univerſalis promulgata omnes & ſingulos attinet, adfulgetque. Sed receptio luminis deficit in iis, qui in tenebris manent. *Joh. XII. 46.* i.e. non credunt nec recipiunt amneſtias legem & Spiritus S. gratiam ſemel oblatam: adeoque lumen non habent. *Joh. VIII. 12.*

EMENDANDA.

P. 15. *lin.* 14. *circa. lin.* 24. *Sacerdotio.* p. 16, 1. *dele comma poſt:* ordine *Lin.* 14. *fines.* p. 25, 2. *dele:* decretam. p. 26, 16. *Parmen.* p. 28, 10. *Coloſſ.* p. 31. *in marg. dele:* enim. p. 33. §. 21. *lin.* 8. *Omiſſa negativa:* μὴ τὰ ἐπὶ γ. p. 34, 19. *imminutione.* p. 39, 13. *qui.* p. 41, 7. *dele comma poſt verb.* libertatem. 8. *vetuſtam.* 17. *cognita. ult. Chriſtianisſimum.* p. 42, 18. *maximi.* p. 43, 9. *metropolitanas.* p. 44, 17. *aggreſſa.* p. 51, 16. *hodie.* p. 79, 19. *Apollin.* p. 188. *ult. Et.* p. 191, 5. *venditatur.* p. 280, §. *VI. lin.* 3. *Inhærens.* p. 457. *in marg. Suppreſſus.* p. 467. *in marg. pro Ad leg. Et.* p. 509, 8. *paſſa.* p. 555. §. *ult.* fuerit *pro* fuit. p. 610. §. *XIII. lin.* 2. *maluit. lin.* 3. διαδῦναι. p. 640. §. 2. *lin.* 4. *inſtinctu.* p. 668. *lin. pen. Principum.* p. 672. *fi. haret.* p. 1040, *leg.* 1566. p. 1141. *l.* 2. *reniſa.*

De Fatis E.

p. 3. *prophetiæ.* p. 15. *marg. L. E. G.* p. 29. §. 35. *in marg. parallelismus.*

Jo. Schilteri
de
Libertate Eccleſiarum Germaniæ
Liber Primus.
Cap. I.
de
Eccleſiæ et Reipublicæ Diſcrimine et Vnione.

Summaria.

Eccleſiæ origo è ſocietate hominis cum DEO: tum ſingulari, & interna: tum compoſita & externa. Diviſionis hujus fundamentum. Eccleſiæ externæ partes eſſentiales. Ipſa pars eſt Reipubl. Vox Eccleſiæ notat genus commune ab uno. Interna eſt perfecta: externa imperfecta. Eccleſiæ oppoſitum, Societas hominis cum Satana; eaque tum interna, tum externa. Eccleſia impura, ſedes & DEI & Satanæ, Chriſti & antichriſti in uno cœtu. Extra quam Eccleſiam ſalus non eſſe dicatur. Quatenus una. Eccleſiæ & Reip. convenientia. Reipublicæ partes duæ principales, ſacra & civilis. Sacerdotium dependet ab Imperio: &

non dependet. Vnio Reip. & Eccleſiæ. Effectus unionis. Regimen Eccleſiaſticum externum. Eccleſia non eſt Respubl. nec duo Reip. capita. Poteſtatis Imperatoriæ univerſalis fundamentum.

§. I.

Eccleſiæ origo à Conſociatione hominis cum Deo

DE libertate Eccleſiæ Germanicæ, quædam in medium proferre, quum & libertatis patriæ amor & religionis Chriſtianæ non fucatus ardor nos jubeat, conveniens eſt, ut primum aliquid in univerſum tum de Eccleſia tum de Libertate Germanica dicamus. Atque dari inter DEVM O. M. & nobiliſſimam ejus creaturam, hominem, conſortium aliquod & aliam, præter civilem hominum ſocietatem, omnium gentium ſapientes judicarunt; idque tum ex altera hominis natura intellectuali, materiæ omnis experte, & proin incorruptibili ac immortali; quò illud *Tullii* pertinet *lib. 1. de legibus: Eſt igitur, quoniam nihil eſt Ratione melius, eaque & in homine & in Deo, prima hominis cum DEO RATIONIS SOCIETAS.* & quæ plura ibi egregia in hanc rem ſequuntur. Et *lib. 2. de Nat. deor.* ait: *Eſt mundus quaſi communis deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. Soli enim RATIONE utentes, jure ac lege vivunt.* tum ex fine illo & bono ulteriore, quam civilis ſocietas in hac exigua vita attingit, quodque ad partem hominis ſuperſtitem, ſolutâ corporis & animæ unione, pertinet. Qua in re idem Sapiens ad omnium gentium conſenſum provocat *l. 1. Tuſc. Quæſt. Sed ut deos eſſe natura opinamur, qualesque ſint ratione cognoſcimus; ſic permanere animos arbitramur conſenſu nationum omnium: qua in ſede maneant, qualesque ſint* (ſeparati à corpore) *ratione diſcendum eſt.* Et ad finem

nem libri: *Profectò fuit quadam vis, qua generi conſuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod cum exantlaviſſet omnes labores, tum incederet in mortis malum ſempiternum: portum potius paratum nobis & perfugium putemus.* Sicuti enim civilis ſalus non extra civilem atque hominum inter homines ſocietatem quærenda: ita nec illa ſalus quæ poſt ſeparationem naturæ in homine duplicis mortalis & immortalis, huic exſpectanda eſt, aliunde niſi ab amicitia atque ſocietate hominis cum Deo petenda. De quo denique revelatio divina Chriſtianos dubitare prorſus non ſinit. Atque hac de re alibi deſtinato conſilio.

§. II.

Id verò obſervatu dignum hic; ſicuti Civilis ſocietas coiri cernitur ex ſimplicioribus, Conjugali, Paterna aliisque: ita quoque comparatum eſt cum ſocietate hominis cum Deo. Cum enim hic ſit Natura ſpiritualis, & homo in hanc ſocietatem recipiatur, quatenus & ipſe conſtat ex natura ſpirituali, igitur ſpiritualis eſt hæc ſocietas maximè, & non corporum, ſed animorum. Atque primordia ſua illa capit inter DEUM atque homines *ſingulos.* Sanè ut inter conjuges, ut inter Parentes atque filium, ut inter herum & ſervum integra ſocietas eſt, nemine etiam accedente, ita inter DEUM Creatorem Benedictum & primum hominem perfecta erat ſocietas hæc, nec quemquam intervenire opus: ſed & ſicuti ſocietas Paterna & reliquæ ſimplices multiplicantur auctis liberis, & familia: ſic & hæc divina ſeſe per plurimos homines menteſque mortalium diffundit, ut tamen maneat adhuc una atque ſimplex & pura.

ſingulari

§. III.

Et enim quum hoc conſortium inter naturas conſi-

& interna.

ſtat ſpirituales, neceſſe eſt, ut effugiat ipſa per ſe & nativa ſuâ ſpecie oculos corporis, atque inviſibilis ſit, & interna. Confirmat id ipſe Salvator O. M. οὐκ ἔρχεται, inquiens, ἡ βασιλεία θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως, οὐδὲ ἐροῦσιν ejus præcones: ἰδοὺ ὧδε, ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ. ἰδοὺ γὰρ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστίν. *Non venit Regnum DEI cum obſervatione externâ. Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum DEI INTRA VOS EST*, non alligatum ad certum locum aut tempus. *Luc. XVII. 20.* de cujus amplitudine ac majeſtate divina fatus *Eſaias c. LX.* Et quamvis poſt lapſum primorum Parentum hæc ſocietas diſſoluta, non niſi Tertio Mediatore interveniente inſtaurari potuit, quæ ipſa quoque inſtauratio humano generi ab ipſo Mediatore ſuisque Interpretibus denunciata fuit, nihilominus tamen præter acceſſionem ejusmodi interpretis divini nemo ultrà ad hanc ſocietatem requiritur, atque adhuc plene ἄνευ παρατηρήσεως conſiſtit; id quod Æthiopis Evnuchi, Præfecti Reginæ Æthiopum Candaces illuſtre exemplum docet, *Act. IIX.* De qua interna atque inviſibili cum DEO unione ac ſocietate profundè Salvator diſſeruit in Synagoga Capernaumi *Joh. VI.* quam tamen plures à divina ſapientia alieni capere non poterant.

§. IV.

Compoſita & Externa.

Ex hac ſimpliciſſima atque privata ſingulis cum DEO reconciliato inſtaurata ſocietate progreditur jam compoſita quædam ac publica, quoties inter ipſos homines de illa internâ ſingulis cum DEO contractâ unione communis habetur extrinſeca, ipſis propterea in cœtum coëuntibus externum atque jam viſibilem.

Diviſionis fundam.

Planè ad ſubſtantiam Divinæ atque Internæ hujus ſocietatis hominum cum DEO, externa communis præciſe neceſſaria non eſt, quum nihil-

nihilominus firma permaneat, licet ipſi DEI ſocii ac cives ſeſe invicem in hac mortali vita ignorent, eſt tamen, inquam, ſocietas, & quum plurimorum eſſe poſſit, & magnæ multitudinis, univerſitas quoque eſt quædam, & ſocietas ſacra & divina univerſalis, ſed non apparens in vulgus, neque extrinſecus cognita, adeoque inviſibilis. Cujus rei non minus illuſtre exemplum DEUS ipſe prodit Eliæ prophetæ, qui arbitrabatur, ſe ſolum ex fidelibus & orthodoxis eſſe relictum, & univerſam Eccleſiam Hebræorum factam eſſe apoſtaticam, ſed ipſi DEUS: *Et reliqui mihi in Iſraël ſeptem millia, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, & quorum os non oſculatum eſt eum*, *3. Reg. XIX. 18. Rom. XI. 4.* inter hos nulla erat communio externa, ſacris publicis à Rege Apoſtata per univerſam Rempubl. abolitis, & ipſi ignoti Prophetæ, unico tum Fidei & ſocietatis hujus divinæ defenſori; & tamen erat ſocietas divina atque Eccleſia, ſed Interna, cujus vita abſcondita eſt in DEO. *Coloſſ. 3. 3.* quæ ipſa quoque fundamentum eſt atque ſubſtantia externi cœtus, in quo publica jam viget communio inter ipſa ſocietatis intrinſecæ membra. Verum enim verò etſi hoc ita ſit, atque ad Eſſe ſocietatis ſpiritualis externa ſociorum communicatio non pertineat, pertinet tamen ad Bene Eſſe & diuturnitatem conſtantiorem in hoc ſeculo.

§. V.

Porro communio hæc externa in duobus conſiſtit, primò *in communi Salutis regula* atque ſocietatis lege à DEO reconciliato pacta, ejusdemque unanimi *confeſſione publicâ:* Deinde in uno *communi aliquo Regimine externo*, quod τὸ κύριον & πολίτευμα ex Ariſtotelis *Libro 3. Pol. IV. & V.* appellare poſſumus, quo ſinguli in obſervatione communis Regulæ continentur, quodque jus habet, eandem *Eccleſia externa partes eſſentiales.*

 ad

ad caſus emergentes, prout religio ſuggerit, applicandi, in dubiis interpretandi: ſed & de rebus indifferentibus aliquam humani juris regulam ſtatuendi: imperantes & parentes, docentes & diſcentes ordinandi: de controverſiis ex hac ſocietate religionis oriundis judicandi: mores ſanctos reddendi: ſontes ſuo jure puniendi. Atque quum hæc ſocietas *Externa*, Religionis & ſalutis æternæ causâ, hominum inter ipſos contracta, *Humana* ſit, atque ad ſtatum præſentis vitæ ordinata, utique & *Civilis* ſit oportet, aut ſaltem Civilis preſſius dictæ ita contradiſtincta, ut *Reipubl.* tamen utraque pars ſit.

Ipſa pars Reip. eſt.

§. VI.

Eccleſia eſt genus commune ab uno.

De utraque hac tum Interna ſpirituali atque monaſtica cum DEO unione & ſocietate, tum de Externa atque Humana ſeu Civili, vox ECCLESIA à Concionibus & comitiis populi. *v. Ariſt. lib. 2. Polit. cap. IIX.* huc coërcita, uſurpari conſuevit; quæ proinde non eſt univoca, neque tamen etiam æquivoca, ſed ἐκ τῶν πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς, quæ vocat Ariſtoteles *l. 1. Eth. 6.* Societas enim hæc quando dividitur in *Internam*, reſpectu inter DEUM & homines habito, & *Externam*, reſpectu hominum inter homines, Genus eſt, quod in ejuſmodi ſpecies diſtinguitur, quarum una *Interna* ſcilicet, eſt alterius cauſa, radix & fundamentum & velut anima, à qua *Externa* cum omnibus ſuis ſubalternis ſpeciebus atque individuis in Eſſe ſuo dependet. Quare ut Eccleſia v. gr. Romana, Conſtantinopolitana, Ruſſica, Germanica, Gallica & quæ ſunt aliæ, eſſentiam & vitam Eccleſiæ habeat, neceſſe eſt, ut internam in ſeſe contineat, & cum radice ſua cohæreat, aut cum anima ſua juncta ſit.

§. VII.

§. VII.

Atque ſicut iſta genera πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς ſpeciebus ſuis non ex æquo communia ſunt, aut perfectè, ſed modò graduum, modò partium imperfectio in ſpeciebus ſecundariis deprehenditur, ita & Interna Eccleſia, primaria & princeps ac fundamentalis Eccleſiæ ſpecies eſt, quæ vocatur ἡ βασιλεία θεοῦ, *Regnum Dei atque Chriſti*, τῶν ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, *cujus membrum non eſt, qui ſpiritum Chriſti non habet, aut qui juxta carnem verſatur*, *Rom.IIX.* Eccleſia *Electorum Mt.XX.16.* τῶν κατὰ πρόθεσιν κλητῶν, *Rom.IIX.28.* ἡ γῆ ἡ ἀγαθὴ, *Luc.IIX.8.* Corpus Chriſti ſpirituale, *Rom.XII. & paſſim.* Externa verò Eccleſia etſi internam continet, deprehenditur tamen in ea imperfectio & *graduum & partium*; nam præter Electos, etiam non electi, & qui non ſunt internæ Eccleſiæ Chriſti membra, quique ſpiritum Chriſti non habent, externo cœtu congregantur, veræ Eccleſ. & ſpiritualis cum Deo ſocietatis non participes, ſed externæ tantum inter homines communionis, quoad formulam Confeſſionis & Regiminis. Deinde Externæ Eccleſ. ſubinde accidit, ut Regimen, quod regulam ſalutis cuſtodire præcisè debet, in officio hoc ſuo negligens ſit, ut dogmatum & morum impuritate à Regula atque interna Eccleſia recedatur. Hinc externarum Eccleſiarum alia pura alia impura, alia hæretica & apoſtatica. de utroque genere elegantiſſimum Eſaiæ extat carmen *Cap. XXVI.* Egregiè hanc differentiam explicat & pro fundamento veri Chriſtianiſmi ponit *E. R. Card. BONA libello de principiis & regulis vitæ Chriſtianæ c.1.* tres faciens claſſes Chriſtianorum, quorum prima atque vera ſit illa, quam dixi Eccleſiam internam & regnum Chriſti, *eamque redigi ad numerum valdè parvum, & eſſe ferè incognitos illos Chriſtianos, mortuos*

Interna eſt perfecta.

Externa imperf.

tuos quippe & crucifixos & mundo & ſibi, ac ducere vitam abſconditam in DEO cum Jeſu Chriſto. Alteram eſſe eorum, *qui contenti profeſſione Fidei, ſibi imaginentur, officium hominis Chriſtiani conſiſtere in operibus quibusdam externis: ignorare verò omninò, quæ vita ſit interior, perfectio Chriſtiana, elevatio ſpiritus ad Deum, renunciatio rerum omnium; absque qua tamen neminem eſſe diſcipulum Salvatoris.* Ultimam denique horum, *qui nomine ſolo Chriſtiani veniant, de parentibus Chriſtianis nati, baptiſati & in medio Chriſtianorum verſantes, cæteroquin moribus corruptiores paganis, eorum numerum eſſe immenſum.*

§. IIX.

Eccleſiæ oppoſitum. Porrò Eccleſiæ Chriſti atque ſocietati ſpirituali hominis cum DEO oppoſita eſt ſocietas hominis cum DEI adverſario, Spiritu apoſtata & Satana, qui dolo atque *Societas Satanæ* fallaciâ ſuâ primævam hominis cum DEO ſocietatem atque amicitiam diſſolvit, & hominem in ſuam poteſtatem re- *interna:* degit: unde orta conſociatio inter Satanam & homines ſingulos, æque interna, & quæ formaliter in apoſtaſia ab unione & ſocietate cum DEO ad tyrannidem & poteſta- *externa* tem diaboli conſiſtit. Hæc ipſa deinde egreſſa foràs eſt, & eodem auctore Satana communio hominum inter ſeſe fuit inſtituta, Regulæ Salutis æternæ, è diametro contraria. Hinc πολυθεότης & idololatria: ἀθεότης, & divinæ providentiæ atque futuræ vitæ inficiator Epicureiſmus: occœcatus Judaiſmus; Mahumetiſmus, Arianiſmus & aliæ hæreſes, quæ Chriſtum θεάνθρωπον pro Mediatore humani generis non agnoſcunt, & communi ANTICHRISTIANISMI nomine continentur.

§. IX.

Impura Ec- Dignum igitur obſervatu eſt, primò, quod quilibet

cœtus

cœtus Externus, in quantum recedit ab Interna Chriſti Ecſia & Formula Salutis, in tantum accedit ad huic oppoſitam ſocietatem & ſynagogam Satanæ & AntiChriſti. Hoc eſt, quod ait Dominus: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum diſpergit. Luc. XI. 23.* Deinde notandum, quod in uno & eodem Cœtu externo, quem Eccleſiam, ſed non, ut diximus, ſynonymicè vocamus, deprehendere licet ſedem utriusque internæ communionis, & cum DEO atque Chriſto, & cum Satana ſeu AntiChriſto, ita, ut, licet omnia iſtius Eccleſiæ externæ membra eandem profiteantur formulam Confeſſionis, tamen alia internæ Eccleſiæ membra ſint, alia non ſint, ſed ad ſynagogam Satanæ internam pertineant. Itaque Salvator quum Eccleſiam ſuam Externam colligere inciperet, duodecim electis Apoſtolis, id ipſum eſt expertus, ut conqueratur: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus eſt diabolus? Joh. VI. 70.* De *Eccleſia Pergamenſi* teſtatur Spiritus ſanctus *Apoc. II. 12.* eam habitare, ubi ſedes ſit Satanæ, nec tamen negaſſe fidem, etſi haberet tenentes doctrinam Balaam & Nicolaitarum. Itemque Eccleſia *Thyatirenſis* de orthodoxia & morum ſanctitate laudatur, ſed adjecto tamen, quod etiam permittat mulierem Jezabel, quæ ſe dicat Prophetiſſam, docere & ſeducere ſervos DEI, idque Angelo ſeu Regimini Externo imputatur, de Interna verò Eccleſia inibi ait Spiritus: *Vobis autem dico, & cæteris, qui Thyatiræ eſtis, quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt profunditates Satanæ, non mittam ſuper vos aliud pondus: Apoc. 2, 20. 24.* ſed & Eccleſia *Sardicenſis* pauca habere nomina refertur eorum, *qui non inquinaverint veſtimenta ſua, ambulaturi cum Chriſto in albis, quia digni ſint.* Judas Apoſtolus *Epiſtola ſua comm. 3. 12.* fatetur

Sedes Chriſti & Antichriſti in uno Cœtu.

fatetur, Nicolaitas ſubirrepſiſſe in Eccleſiam Chriſti, & tamen ait, eosdem negare Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Nec enim *externam ſed internam* reſpicit *confeſſionem* Deus qui cor ſpectat, de qua *Joann. 1. Epiſt. IV. 2. 3.* aſſerens *ſpiritum antichriſti eſſe* hunc, qui neget Chriſtum in carne veniſſe. Unde quantum ad internam, veramque conſociationem, exiiſſe dicuntur iterum de gremio Eccleſiæ *1. Johann. II. 18. 19. ſeqq.*

§. X.

Extra quam Eccleſ. non ſit ſalus.

Quæ quum ita ſint, & ſalus hominis poſt hanc vitam ſuperſtitis in ſola hominis cum DEO reconciliato communione interna conſiſtat, non in externa περὶ τὰ μερικά, ſed in obſervanda regula ſalutis, tanquam lege ſocietatis atque fœderis; hinc opido patet, ubi quærenda ſit ſalus, & quem ſenſum habeat, quod vulgo jactatur: *Extra Eccleſiam non eſſe ſalutem. Eſa. LX. 12.* Neque enim de Eccleſia aliqua particulari, Græca, Latina, Africana, Germanica & cæteris, ſed aut de omnibus particularibus in univerſum collectis, velut una Catholica, diverſis tamen regiminibus externis perpetuò gubernata, neque perfecto & conſummato unitatis & conformitatis gradu quoad confeſſionem doctrinæ una, ſed ex parte ſtipularum fœnique admixtione diviſa, *1. Cor. III. 12.* Exemploque eſt ipſa Eccleſia Corinthiaca in qua erant διχοστασίαι *1. Cor. I. 10. 11. & III. 3.* contra præceptum Apoſtolicum *c. XII. 25.* ne ſit ſchiſma in corpore. Aut potius de interno aut fundamentali Chriſti Regno atque Eccleſia, externas omnes informante ac ſuſtinente, has magis, iſtas minus *Matth. XIII. fin. Marc. 5. 6.* id quod imprimis quoque ex comparatione ſeptem Eccleſiarum Aſiæ à S. Johanne deſcriptarum apparet *Apoc. II. & III.* Quæ non ſatis obſervans, nec ὀρθοτομῶν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας

ſius, vir aliàs pacificus, Auguſtinus Gibbon. de Burgo *Diſp. I. & II. de Luth. Calv. reconciliat.* veritatem rei non penetravit, partim enim à DEBERE ad ESSE argumentatur: partim de ſingulis membris concludit, quum quæſtio de cœtibus: partim de unitate perfecta, quum detur & imperfecta. *I. Cor. III. 2.*

§. XI.

Accedit enim utique in *unitate* differentia Internæ Eccleſiæ ab Externa. Cum enim unitas & diverſitas Civitatis cujuscunque dependeat ab Unitate & diverſitate Formæ ac Regiminis, *Ariſtot. 3. Pol. 2.* Certe Interna Eccleſia vere ac in æternum Una eſt, & unitate formulæ ſalutis atque fidei, & unitate capitis univerſalis, quod eſt JESUS CHRISTUS. At Externa quum non ſit merè ſpiritualis, ſed & humana, atque civilis ſocietatis ſive Reipubl. pars, itaque fit, ut, pro ratione Reipubl ſummique hujus Regiminis, in qua Eccleſia ſubſiſtit, etiam Eccleſia vel una ſit, vel in plures à ſeſe externo Regimine non dependentes, invicem diffundatur. Porro ut nullâ unquam Reſpubl. nulla Monarchia per orbem extitit, cujus regimen omnes ac ſingulæ per univerſum terrarum orbem ſitæ Civitates agnoverint; ita neque Eccleſia Catholica externa uni alicui ſummo regimini paruit, ſed fere pro diverſitate ſummi Imperii in Republ. etiam variavit Eccleſiaſticum Regimen externum, neque enim de Clavium poteſtate hic ſermo eſt. Nullum igitur *Caput univerſale* Eccleſia externa velut *Vicarium Chriſti*, primæva ſua fundatione accepit, multo minus recepit, aut agnovit, niſi *Concilia Oecumenica*. Hinc illa demum *Eccleſia Schiſmatica* eſt quæ ita ſe à Catholicæ Eccleſiæ corpore ſeparat, ut nullum agnoſcat Oecumenicum Concilium. *vid. Vincentii Lirinenſis Commonitorium.* *Unitas Eccleſiæ.*

quo ipſo ruit fundamentum, quod urget idem Gibbon. *Diſput.III.quæſt.1.8.*

§.XII.

Convenientia Eccl. & Reip.

Sed ne confundantur res diverſæ, Eccleſia & Respub. diſpiciendum. Equidem convenit Eccleſia externa & Respubl. ſeu ſocietas civilis primum genere, quod ſit utraque *ſocietas humana:* deinde etiam fine atque forma quodammodo; nam ùt quælibet Respubl. pro fine habet ſalutem civium, cives autem quum etiam poſtquam diſſolutâ animæ & corporis unione, deſierunt intereſſe civili ſocietati, primariâ ſui parte ſint ſuperſtites, & aliam vitam, vitæque felicitatem expectent; ita quoque Respubl. quævis duabus conſtat partibus primariis, quarum altera ſpeciatim dicitur ſocietas Civilis, & finem atque ſalutem civilis tantum vitæ intendit, altera verò circa ſacra & religionem occupata eſt, & ſalutem civium perpetuam atque ſtatus poſt mortem felicitatem, uno verbo, ſocietatem civium ſingulorum cum DEO, debet intendere. Namque etiam Gentilium, Idololatrarum, Apoſtatarum atque Hæreticorum Respublicæ ſemper aliquam continent ſocietatem ſacram, quæ cultus divini DEIque propitii conſervandi curam gerat. Unde quum *Ariſtoteles* Civitatis ſeu Reip. partes recenſet, inter eas quoque hanc refert, & SACERDOTIVM appellat, *conf. l.VI. c.IIX. VI. Polit. VI. Juſtiniani Novell. VI. præf.* Hinc eſt, quod in eadem *Rep. plures diverſæ Religionis* ſocietates ſæpe habeantur, unum ſcopum, per media diverſa intendentes. Quam *Religionis libertatem nemini denegandam eſſe, ſed cujusque menti & voluntati poteſtatem permittendam ritus & inſtituta divina pro ſua animi voluntate & arbitrio excolendi,* cenſuerunt Impp. Conſtantinus & Licinius Edicto pro Chriſtianis, quod exhibet Euſeb. l.X.

Reip. partes duæ 1. Civilis. 2. Sacra. Sacerdotiũ dependet ab Imperio.

c. V. quo tum Chriſtianis, tum aliis omnibus liberam optionem dederunt eam religionem ſequendi, quam ipſi in animos inducerent: quo, quæcunque ſit divinitatis & cœleſtis Numinis potentia univerſis qui ſub eorum ditione degerent, clemens & propitia eſſe poſſet. Et hactenus Sacerdotium ab Imperio dependet ac utriusque finis non ſolius exiguæ hujus vitæ, ſed etiam futuræ ac perpetuæ ſalus civium propoſita, qua de re alibi.

§. XIV.

Verum quoniam ſocietas hominis cum DEO inſtaurari naturæ corruptæ viribus ac inventis non poteſt, niſi per modum ab ipſo generi humano revelatum ſpeciatim, itaque non ſufficit naturalis revelatio quam gentium ſacerdotes ac Philoſophi ex Naturæ Lumine excoluere; ſed accedat oportet revelatio DEI ſpecialis, ab orbe quidem condito ad Protoplaſtos facta, atque in Eccleſia Hebræorum adſervata, per Chriſtum Salvatorem autem ejusque Apoſtolos per univerſum terræ orbem promulgata, quod EVANGELIVM dicimus, ſive Novam ſalutis Formulam, Novique fœderis Hominum cum D E O. Hanc quod profitetur *Sacerdotium* quatenus profitetur, non dependet ab Imperio aut ſumma Reip. Poteſtate, ſed immediate ab Eccleſia & ejus Collectore Deo Chriſto. Atque in hac demum acceptione intelligi veniunt ea teſtimonia, quæ de finibus *ſacerdotii* ac *Imperii* ex antiquitate producuntur, quippe qui non in præcipua illa parte Summæ poteſtatis Reip. ſive *Imperii circa ſacra* quærendi; nam hæc ſine dubio ac per naturam ſuam *Imperii pars* eſt, ſed in revelata ſalutis formula, in perceptione Sacramentorum, inque *erogandis myſteriis*, & clavium cœleſtium poteſtate: neque enim ultra ſe porrigunt fines ſacerdotii h.e. Eccleſiæ Chri-

non dependet.

Unio Reip. & Eccleſ.

ſtianæ per ſe, necdum cum Republ. coalitæ: cæteroquin quantum ad ordinem diſciplinæ publicæ legibus principis parere debent religionis Antiſtites, ut ex epiſtola Gelaſii Papæ ad Anaſtaſium Imp. definivit Petrus de Marca *l. 2. de C. S. & J. c. 1. §. IV.* Conf. Alex. Irvinum *de Jure Regni c. VII.* Sin verò ſumma Reip. poteſtas hanc ſocietatem negligit, nec pro parte Reip. curæque ſuæ agnoſcit, fas eſt, ut ipſa ſuo regimine, ſuasque vivat ſtatutis interea.

§. XIII.

Effectus unionis.

Etſi autem Eccleſia Chriſtiana per ſe poteſt ſubſiſtere, absque iſta unione, atque per aliquot ſecula ſubſtitit, Regimine quodam Polyarchico Epiſcoporum ac Presbyterorum gubernata; hodieque ita conſervari & poſſit & ſoleat inter Barbaros & Hæreticos: Tamen quoties Reip. unitur, tunc peculiaris inde naſcitur hic effectus, ut Eccleſia & conſequenter ſacerdotium dependeat à ſumma Reip. Poteſtate, quoad ſtatum externum & jus circa perſonas & res ſacras, non item quoad formam Eccleſiæ intrinſecam & Formulam ſalutis à Chriſto & Apoſtolis revelatam. In hanc enim nullum jus ulli creaturæ; nequidem Angelo cœleſti ſub pœna Anathematis divini, *Gal. 1, 8.* Atque ita forma externi Regiminis Eccleſiaſtici coaleſcit cum forma Regiminis totius Reipublicæ, quum pars ut talis non aliâ informetur formâ, quàm totius. Itaque unione à Conſtantino M. facta ſummitas ſeu independentia Polyarchici Regiminis ceſſavit, & regimen hoc in Adminiſtrationem Sacrorum Magiſtratuum ſummæ Reip. poteſtati ſubordinatam fuit mutatum, idque, uti dictum, ex natura ipſa rerum unitarum. Quæ facies Eccleſiæ atque Reip. etiam ſub imperio Francorum & Germanorum Regum atque Impp. perduravit. Sed ea de re poſtea. Hic tantum

Regimen Eccl. externum.

tum fundamenta futuræ diſſertationis ſunt jacienda, & iſthæc inprimis ambiguitas vocabuli *Sacerdotium* evolvenda fuit, ne, eâ ſive neglectâ, ſive ſtudio involutâ, cum Gregor. VII. Papa *l. 1. Epiſt. XIX.* indiſtinctè *Sacerdotium Imperio* contradiſtingventes, concordiam inter utrumque neutri per omnia acceptam tentare videremur.

§. XV.

Certè ex jactis his fundamentis, juxta normam & divini juris, & gentium conſenſûs, & civilis Prudentiæ, non obſcurè liquere poteſt, quàm *confundantur* res diverſiſſimæ, *Eccleſia* nempe & *Reſpubl.* ac viciſſim, quàm non ſeparanda *diſſolvantur,* quæ omni jure ſibi intimius, ut toti partes, juncta ſunt, videlicet *Poteſtas ſumma Reip.* & *Poteſtas irca ſacra,* quoties in eam opinionem prolabimur, ut fingamus *Eccleſiam* aliquam externam *univerſalem,* eamque pro *una Rep.* haberi velimus, cujus velut *Primus* ſit *Pontifex Summus,* at *Archimarſchallus* quidam aut Enſifer, vel *Dux Generalis natus* ſit *Imperator.* Quod dogma originem ſuam ex eo demum tempore repetit, quo Summa Reip. Poteſtas à Sacerdotio ſibi ſubordinari cæpit per inſtituta Hadriani IV. iisque mox repreſſis, per *dictatus,* ut vocabantur, *Hildebrandinos,* de quibus ſuo loco. Ut verò Juri divino & humano contrariatur, *ſummam* Reip. Poteſtatem Socerdotio *ſubjici:* ita nec ratio admittit, ut in una eademque Republ. ſeu Imperio *duæ ſummæ* poteſtates ſimul ſtatuantur. Cum enim *Ordo* ſemper detur cum reſpectu ad aliquod *primum*; id autem primum & ſummum, ſolum eſſe debeat atque *unicum*, aliàs primum eſſe non poſſit; itaque *duo ſumma* conſtitui non poſſunt, ſalvâ ſummâ Reip. Majeſtate, ſalvâque Reip. & Eccleſiæ naturâ ac differentiâ. Novello iſti dogmati quomodo fuerit contra-

Eccleſia non eſt Reſp. nec duo Reip. capita.

Eccl. Inſt. Pol. 2: 1, 9.

tradictum ſubinde, ordine, ſuo locoque dicetur. Imprimis hac in parte accuratam operam præſtitit *Marſilius Patavinus* libro ad Imp. Ludovicum Bavarum Auguſtum, quem *defenſorem Pacis* inſcripſit, atque naturam Imperii ac Sacerdotii ex Jure divino & Prudentia Civili ſolidè expoſuit, & cuique ſuos fines ritè ac dextrè adſignavit, neque, quod equidem ſciam, ſolidiora ab adverſa parte unquam repoſita fuere.

§. XVI.

Poteſtatis univerſalis Imp. fundamentum.

Planè etſi Sacerdotio ſuperior in Imperium poteſtas non competit, neque ſummæ Poteſtati coæqualis: nihilominus tamen doctrina de *poteſtate ſeu jure Imperii univerſali* per omnes Eccleſias Chriſtianas in toto Orbe, etiam extra imperii ſines poſitas, grano ſalis adhibito, haud perperam defendi poſſe videtur. Idque ex illa ipſa Vnione Eccleſiæ Chriſtianæ cum Imperio Vniverſali, quale eſt Romanum. Etenim quum ſummum Eccleſiæ jus ſit penes *Concilia Vniverſalia,* jus verò hæc congregandi, iis præſidendi, & ſtatuta eorum exſequendi imprimis ſit penes ſummam *Imperii* Chriſtiani Majeſtatem, cui ſuccenturiantur reliqui Reges & Principes Chriſtiani, quorum conſenſu itidem univerſa Eccleſia per Patriarchatus & Archiepiſcopatus ſuos diſperſa, congregatur: *Conf. Grot. J. B. 2.* [illegible] *15, 12.* hinc conſequens eſt, quod Imperatores Chriſtiani, quà tales, jus hoc habeant circa omnes illas Eccleſias, quæcunque ad Concilia Oecumenica pertinent, in iisque jure ſuffragii gaudent; ut videlicet earum Epiſcopos convocent, aut etiam de ipſorum dogmatibus cognoſci faciant. Hoc jure ſuo uſi ſunt non tantum priſci Imperatores: ſed etiam primus Francorum Imp. Auguſtus, *Carolus M.* Cum enim *Elipandus* Epiſcopus Hiſpaniæ novum dogma de Filio

lio DEI Salvatore protruderet, in *oriente* verò Epiſcopi circa *adorationem imaginum* diſſiderent; ipſe Concilium *Francofurti* congregavit Generale, & utramque cauſam quàm optimè decidi fecit. Idem jus exercuerunt Succeſſores ejus in Imperio partim, reliqui jure ipſo deſtituti non fuere. Quod & ipſum fuiſſe reducturi, atque imaginem ejus reduxiſſe videntur Impp. Carolus V. Ferdinandus Frater, ac Maximilianus II. A. A. A. gloriosiſſimæ memoriæ. Sed de his aliàs. Præter Jus Conciliorum Univerſalium dependet hinc etiam jus tuendi & *defendendi* Eccleſias Chriſtianas extra Imperii fines ſitas inter Barbaros. Ita veteres Imperatores Eccleſias in *Perſia* contra vim Barbarorum tuebantur. V. Grot. *l. 2. de J. B. c. 25, 8.* Furſtiner. *de Supremat. c. 32.*

CAP. II.
DE
ECCLESIÆ LIBERTATE GENERATIM.

SUMMARIA.

Libertas Eccleſiæ interna: externa, contrahendæ & diſſolvendæ ſocietatis. Libertas judicandi privata: correptio fraterna. Publica. Libertas ſacra & civilis ut differant. Libertatis civilis gradus. Subjectum imperans: parens. hinc libertas publica vel privata. Libertas Eccleſiæ convenit cum civili. Pontificatus Maximus Conſtantini M. Jus appellandi. S. Pauli appellatio ad Neronem. Edictum Tiberii. Jus exſequendi. Caroli M. Pontificatus Maximus. Libertatis Eccleſiæ partes: ſalva à poteſtate civili. Eccleſiæ ordines Clerus & Laici. Prærogativa Eccleſiaſti-

ſiaſticæ libertatis. Jus populi. Jus ordinandi Sacerdotes. M. Ant. de Dominis opinio, rejecta. Libertas dijudicandi eſt Chriſtianorum, ad normam S. Scripturæ. Libertas interpretandi penes eosdem, ad analogiam Fidei, quæ eſt convenientia cum ſcopo Fidei. Fœminis hæc libertas denegata. Viris, θεοδιδάκτοις competit. Eccleſiæ conſenſus. Traditio. Eccleſiæ particularis libertas dijudicandi. Vniverſalis. Seceſſio juſta quæ ſit.

§. I.

Libertas Eccleſ. DIximus de Eccleſia, ejusque interna atque externa ratione, itemque de illius unitate & regiminum pluralitate, reſtat ἐκ τῶν προλεγομένων, ut de libertate etiam aliquid addamus tum Eccleſiæ in Univerſum tum Germanorum ſpeciatim. *Intern.* Atque ſi internam hominum ſive ſingulorum, ſive per univerſum terræ orbem diſperſorum atque animi conceptione collectorum conſociationem cum DEO intuemur, optima maxima libertas divinæ huic ſocietati propria conſpicitur. Primo enim omnes atque ſinguli in hanc communionem Fide cooptati, per Mediatoris θεανθρώπου ſatisfactionem & Patris Cœleſtis acceptilationem, Sanctique Spiritus obſignationem, liberati ſunt *ab obligatione* Legis & à formula ſalutis primævæ ſocietatis, qua ſumma omnium actionum humanarum atque motuum, internorum etiam perfectio ſub pœna æternæ condemnationis requirebatur. Quam legem quum transgreſſi eſſent Protoplaſti, & ob id naturam & ſuam & poſterorum in ſtatum poſuiſſent corruptum & in poteſtatem atque imperium Satanæ ſe ſuosque redegiſſent, etiam ab iſto dominio ac ſervitute, *pœnaque* liberati ſunt per Redemtorem.

§. II.

Porro quanquam hæc libertas univerſo humano generi quæſita fuit atque parta, tamen non omnes ad eam provocant, ſed ea neglecta, malunt in ſtatu peccati & poteſtate Satanæ permanere, ſicuti multi à libertate iſta ſemel agnitâ & profeſſa, libere recedentes, in ſervitutem turpiter ſeſe proſtituunt iterum. *Externa contrahend. & diſſolvenda ſociet.* Voluit enim DEUS O. M. ut in hac exigua vita, velut in examine quodam, hanc libertatem voluntas humana haberet, ut tam internam cum DEO per SS. Baptiſma initam Societatem, quàm externam Eccleſiæ communionem liberè poſſet ſolvere. Et ſolvunt vero alii internam, retentâ in ſpeciem & ſola profeſſione, externa: alii externam, metu aut ſpe adacti, retentâ internâ: utrique peſſimè, ſimulatè, & contra conſcientiam. Hinc prava dogmata, turpes mores & ſcandaloſi, legibus ſæpe etiam approbantur.

§. III.

Illa vera ſumma eſt libertas ac prærogativa eorum, *libertas judicandi.* qui ſpiritualis ſocietatis participes, καὶ πνευματικὰ πνευματικοῖς συγκρίνοντες καὶ νοῦν Χριστοῦ ἔχοντες, jus habent ἀνακρίνεσθαι *1. Cor. 2. 10. 13.* cujus judicii norma eſt Revelatio S. Scripturæ *Joan. V. 39.* quà utendum exemplo Beroënſium *Actor. XVII. 11.* Atque primo vim ſuam hæc dijudicandi libertas exercet *intra propriam conſcientiam* taxando abuſus communionis ſuæ externæ, & deviationes à norma ſalutis *privam.* præſcripta divinitus, eosque abominando & reprobando. Quales Spir. Sanctus in Eccleſia ultimorum temporum in quæ jam tum incidimus, futuros olim prædixit, matrimonii interdictionem, ciborum prohibitionem, ſtudium fabularum & ſimilia *1. Tim. IV.* Deinde exſerit ſe ſe vis iſta etiam *erga ſocium atque fratrem*, eum admonendo, ut ab *Correptio fraterna.*

iiſdem caveat *Jac. V. 16. Levit. XIX. 17. Ebræor. X. 25.* ſed & cumprimis Magiſtratum Sacrum & ſummam Reipublicæ poteſtatem penes quam ſcilicet & publica facultas & cura externa atque ſuprema reſidet, Formulam ſalutis ἄσπιλον puram atque ſanam conſervandi, quæ neceſſitas non modo Epiſcopis & ſacris Magiſtratibus Eccleſiæ incumbit, *I. Tim. VI. 2. Tim. I, 13.* ſed etiam ſummæ poteſtati Reipubl. vi ſupremæ legis, quæ *eſt ſalus civium utriusque vitæ.* De qua re diſtinctius videndum

§. IV.

Libertas ſacra & Civil. ut differ. Atque hic demum Libertas Eccleſiæ atque Reipubl. ſuavi junguntur connubio. Etſi enim Eccleſia, materialiter conſiderata & quatenus eſt ſocietas populi ſeu Civium, ſacrorum cauſa quæ coit, ſit pars ipſius Reip. & hactenus Libertas ſacra atque Publica ſeu Civilis ut pars atque totum ſeſe habeant invicem: tamen Eccleſia (ita enim malumus quam *ſacerdotium* dicere, quum hoc & generatim à Republ. dependeat, & quatenus Chriſtianum eſt ab Eccleſia, ut Magiſtratus à Reip. ſumma poteſtate) quoad ſuum formale, & quatenus iſta ſocietas amplectitur regulam ſalutis à Deo immediatè revelatam, eſt, ut & antea dixi, independens ab humana poteſtate, qua de re latius egit M. A. de Dominis *lib. V. de Rep. Eccleſiaſt.* Itaque contradiſtincta eſt ſocietas Civili, ſuaque gaudet peculiari libertate; cujus rei illuſtriſſimum exhibet exemplum Eccleſia primitiva Novi, & Patriarcharum V. Teſtamenti. Idque eſt, quod Apoſtolus dicit τὸ πολίτευμα Chriſtianum à Cæleſti dependere Civitate, in civili vero ſocietate jure peregrinorum Chriſtianos uti. Atque hæc eſt illa Libertas, ſemota à Reip. adminiſtratione, quam veteres quidam Philoſophi, orthodoxias Hebræorum aliquantum parti-

participes, ut videtur, τὸν τοῦ ἐλευθέρου βίον dixerunt, καὶ πάντων αἱρετώτατον καὶ ἄριστον quod hactenus temere rejecit *Ariſtoteles l. VII. Pol. c. III.* tanquam πάρεργον πολιτικῆς διανοίας, ut *cap. præced.* loquitur. Sed ſcire debebant Philoſophi, hæc vitæ ac Libertatis Beatitudinisque genera *diverſa* & ſeparata eſſe, non tamen *contraria*, ſed compatibilia, docente Apoſtolo *1. Tim. II, 1. 2.*

§. V.

Libertatis civilis gradus.

Libertas porrò ſocietatis Civilis ſeu cujuscunque Reipubl. variis diſtinguitur gradibus. Nam libera eſt Reſpubl. quæ externo non eſt ſubjecta imperio, neve clientelari, aut fœderis obligatione vincta, licet forte parum libertatis intrinſecæ habeat, quum omnia manu regia gubernentur. Ait JCtus: *Liber populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus l. 7. §. 1. D. de capt. & poſtlim.* quamquam fœderati & clientelares manent liberi, licet non eodem gradu. Unde addit: *ſive is fœderatus eſt, ſive non fœderatus eſt: item ſive æquo fœdere in amicitiam obvenit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi Majeſtatem comiter conſervet*, & quæ ſequuntur. Alius ab hoc gradus libertatis eſt, quo Reſp. non eſt ſubjecta unius Imperio abſoluto, ſed aut optimates, aut popnlus omnis, participes ſunt Regni, aut Optimates ſoli, aut Populus ſolus, aut uterque mixtim ſumma poteſtate gaudent; quorum ille gradus libertatis ſummus conſpicitur & καθ' ἐξοχὴν *Libertas* appellatur, & in æquato jure civium dicitur conſiſtere apud *Dionyſ. Halicarnaſſ. l. 4. Antiq. Rom.* ἐλευθερίαν τῆς πολιτείας τὴν ἰσονομίαν ἀποφαίνοντες. *conf. Ariſt. lib. 2. Pol. 1. & lib. 3. cap. 1. lib. VI. c. 2.*

§. VI.

Subject. Reip. imperans.

Atque hactenus libertas afficit ſummam cujusvis Reip.

BIBLIOTECA NAZ

Reip. *Poteſtatem*, tum LLatoriam, tum Magiſtratuum conſtituendorum & civilium & ſacrorum (horum conſtitutionem Franci & Germani Inveſtituram & Inthroniſationem vocarunt: *V. Marſil. Patav. Defenſ. Pac. p. 2. c. XVI.*) tum Jurisdictionis exercendæ, tum adminiſtrandarum rerum publicarum, etiam Sacrarum; tum Belli atque pacis.

parens.

Eſt tamen præterea etiam penes non imperantes, ſed parentes cives quædam Libertas, in ſtatu libero, & à tyrannide ac dominatu alieno; ipſa quoque diverſa ac varia, pro diverſo Reip. ſcopo, atque genio cujusvis populi ac nationis proprio, modo fiat ſecundum Leges divinas atq; Reip.

hinc Libertas publica vel privata.

Neque enim libertas eſt, vivere ſecundum libidinem neque δουλεία, τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν *ſervitus, vivere ad remp.* ait, *Ariſt. V. Pol. IX.* ἐλευθερία γὰρ καὶ ὡς ἀληθῶς δύναμις, τῷ ἀγαθῷ δουλεύειν ἐφίεσθαι. *Vera enim libertas eſt, & Potentia egregia, velle vero bono ſervire.* verba ſunt *Æneæ Gazæi* in *Theophraſto.* Hoc genus libertatis in Repub. Romana omnium maximè fuit æſtimatum, & *Libertas Quiritum* appellata. Sozomeno *lib. 1. H. E. c. 9.* τῆς ἀμείνονος ἐλευθερίας nomine venit, ἣν πολιτείαν Ῥωμαῖοι καλοῦσι. quod Epiphanius Scholaſticus reddit, *meliorem Libertatem & Civilitatem Romanam*: cujus præcipuæ partes Jus civitatis, Patria Poteſtas, Jus vitæ & necis, libera teſtandi facultas atque aliæ, de quibus paſſim ad π. diximus. Hæcce in Rep. Germanica ita haud deprehenſa. potior enim in hac Libertatis publicæ ratio habita fuit, quam privatæ ac domeſticæ.

§. VII.

Libertas Eccleſ. convenit cum Civili.

Sed hæc parum ad noſtrum facit ſcopum: publica verò libertas cujusvis Reip. tam non eſt aliena ab Eccleſiaſtica Libertate, ut quatenus Eccleſiam diximus partem Reipubl. eatenus etiam Libertas ſacra ſit pars publicæ libertatis.

tis. Videlicet quoad materiale & externum ſtatum, diſciplinam perſonarum & adminiſtrationem rerum. Habet enim quælibet ſumma poteſtas cujusvis Reip., omnium gentium divinoque Jure, etiam vim circa ſacra, & curam de ſalute Civium æterna, ut alibi latius oſtendimus. Itaque LLlatoria Imperatorum atque Principum poteſtas omnium gentium uſu ad ſacra cujusque ſua extenditur. Nec minus Jus Magiſtratuum ac Sacerdotum conſtituendorum: ſed & ſuprema provocatio & Jurisdictio in cauſis ſacris, ut & cura, & Adminiſtratio ſive Inſpectio ſumma rerum ſacrarum, atque ut totius Reip. ita quoque ſacræ hujus ſocietatis protectio, defenſioque. Libertas enim conveniendi ad cultum DEI & exercendi ſacra, dependet à ſummo Imperio cujusvis Civitatis æque ac Immunitatum Conceſſio. Hæc ſumma poteſtatis Reip. libertas exſerit ſeſe etiam tum, quando pars ejus Reip. ſeu ſocietas ſacra formulam fidei Chriſtianæ recepit, atque ita Eccleſiam Chriſtianam Reipublicæ univit, & quaſi incorporavit. Id demonſtrare pluribus, tot Imperatorum atque Regum exempla, ab antiquitate ubivis commendata, nos prohibent. *Vid. M. A. de Domin. l. VI. c. VI. VII.*

§. VIII.

Illud tantum addimus, retinuiſſe Impp. primos, Chriſtianos, etiam circa ſacra priſtina paganæ ſuperſtitionis ſummam poteſtatem, quam PONTIFICATVM MAXIMVM dixerunt. Quod variis inſcriptionibus dudum innotuit doctis. *V. Baron. ad A. 312. B. Boſius Diſſ. ſingulari de hoc argumento.* Neque enim aſſumtio iſtius tituli Confeſſionem Religionis neceſſario importat, ſed tantum ſummum Jus ac poteſtatem externam atque protectionem, etiam illius Religionis, cujus veritatem protector *Pontif. Max. poteſtas.*

ipſe

ipſe non agnoſcit. *Id enim*, ajunt Impp. Conſtant. & Licinius in Edicto pro Chriſtianis, *noſtrorum temporum tranquillitati & quieti revera accommodatum eſt, ut quisque facultatem habeat diligendi obſervandique eam in DEO colendo rationem, quæ ſibi maxime placuerit, hocque à nobis factitatum eſſe, ut nullius honoris, nullius Religionis auctoritas à nobis ulla ex parte minui videatur.*

§. IX.

Jus appellandi. In Jure ſummæ hujus poteſtatis fundatum etiam eſt *jus adpellandi* quo uſus eſt Paulus Apoſtolus, quantumvis cauſa etiam Religionis veritatem concerneret, non enim id quærebatur, ut Imp. Rom. Nero decideret controverſam inter Judæos & Chriſtianos Religionem, ſed an propter Chriſtianæ religionis profeſſionem Paulus capitis reus eſſet? Noverat enim Paulus *Edictum Tiberii* Imp. qui ad relationem Pontii Pilati Procuratoris Cæſaris, de Chriſto, ejusq; morte, & quamplurimis pervulgatà reviviſcentia, ac diſcipulorum miraculis, retulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui, ut inter cætera ſacra, etiam Chriſti reciperentur. Et quamvis Senatus reſpuit, Cæſar tamen in ſententia manſit, per Edictum comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Teſtis eſt Tertullianus *Apologet.* Euſeb. *Chron. ad A. Tib. XXII. & lib. 2. H. E. c. 2.* V. S. Petit. *diatrib. de Jure, Princip. Edict. Eccleſiæ quæſito. c. 3.* Neque enim *Nero* tum *Edictum perſecutionis* ediderat, quod *primus* (Tertulliano etiam teſte: *Orientem Fidem Romæ Neronem primum cruciaſſe*, itemque Lactantio *de Morte Perſecut. c. 2.*) anno Imperii XIV. propoſuit, ut eſt apud Euſebium, neque nobis officit, ejusdem Petiti correctio ad Annum IX. referentis. Sed hæc obiter.

§. X.

Ex eodem civilis poteſtatis fonte etiam promanat Jus, quo Imperator *Aurelianus* fuit uſus, quum hæretic Pauli Samoſateni, Epiſcopi Antiocheni, depoſitionem in Concilio Antiocheno decretam, *executioni* mandavit, ut teſtis eſt *Euſeb. l. 7. c. XXIV.* Si igitur ſumma poteſtas circa ſacra Chriſtiana ſuo modo fuit penes Impp. Gentiles, quanto magis penes Chriſtianos Impp. circa ſacra Paganorum. Atque ſicuti Princeps Sacerdotum paganorum cum collegis in ſignum ſubjectionis hujus ſacræ offerebat Imperatoribus *Stolam* Sacerdotalem. *Zoſim. l. 4.* Ita etiam Pontifices Rom. Impp. Chriſtianis Occidentis non tantum Vexillum Vrbis, ſed etiam *clavem confeſſionis* S. Petri eundem in finem obtulerunt. *Regino ad A. C. 796.*

Jus exequendi.

Caroli. P. M.

§. XI.

Neque tamen credendum eſt, iſthac Eccleſiæ & Reipublicæ unione aboleri omnem Eccleſiæ libertatem, aut à Civili libertate abſorberi: haudquaquam. Nec enim impedit iſta unio, quin retineat genuinam ſuam libertatem Eccleſia, quatenus Eccleſia, & quoad formale ſuum, hoc eſt Profeſſionem fidei à Chriſto revelatæ. Ut enim hoc ab uno DEO immediate dependet, ita etiam omne jus atque poteſtas circa eam, omniſque libertas & tota hactenus Eccleſia. Cujus poteſtatis ac libertatis partes ſunt præcipuæ, Jus interpretandi divinas ſcripturæ revelationes, & fidei noſtræ Formulam. Jus decidendi cauſas atque lites circa illam exiſtentes: Jus explorandi Sacerdotes atque conſecrandi ritu Apoſtolico, quæ χειροτονία Apoſtolis vocatur: cui poſtea unctio & impoſitio Evangeliorum acceſſit. *M. A. de Dom. l. 2. c. 2, 53.* Jus Liturgiæ ordinandæ: Clavium quæ dicitur poteſtas atque Excommunicatio, & diſcipli-

Libertatis Eccl. partes

ſciplinæ Eccleſiaſticæ obſervatio, *conf. M. A. de Dom. l. V. de Rep. Eccl.* Hæc jura ita competunt Eccleſiæ Chriſtianæ, *Matth. XIIX. 17. 18.* ut liberè ab ea exerceri debeant, & ut poteſtas Reip. illam libertatem impedire jure non poſſit: promovere autem atque dirigere teneatur. *V. M. A. de Domin. l. VI. c. III. & V.*

§. XII.

ſalva à pot. civ. Agnoverunt hanc Eccleſiæ libertatem Impp. qui noluerunt à deciſis Conciliorum in cauſſis fidei ad ſe, tanquam ad poteſtatem Civilem appellari, non detrectantes tamen munere Directorii defungi, ut princeps pars Eccleſiæ cum Reip. unitæ. *Petitis à me*, inquit Conſtantinus ad Donatiſtas, qui Judicos iterum ab eo petierunt, *in ſeculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem. Opt. Milev. l. 1. contra Parmenſ.* Qui ipſe Imp. recte atque ordine diſtinxit inter poteſtatem reip. circa ſacra, religionemve ut ita dicam naturalem aut gentium, & inter poteſtatem ſummam circa religionem divinitus revelatam: *O rabida*, inquiens, *furoris audacia! ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Confer Gratiani conſtitut. em de cauſis Eccleſiaſticis in Synodis decidendis *l. 23. Cod. Theoſ. de Epiſc. Eccl. & Cl. & t. t. C. Th. de religione.* Sed etiam ea quæ ad *externam diſciplinam* pertinent, regulariter potius per Synodum ab Epiſcopis formari, quàm ſua lege ſanciri, *decorum* judicavit Imp. Marcianus in *Act. VI. Concil. Chalced.* Conf. Petr. de Marca *l. 1. de C. S. & J. c. VI.* Hoc diſcrimen Juſtinianus *Nov. 137.* τῆς ἐξουσίας & παραφυλακῆς vocabulis deſignat. Hæc eſt illa *αὐτονομία* in *cauſis DEI*, quas vocat *Felix* III. Epiſc. Rom. in Epiſt. ad Zenonem Imp. de Petri Epiſc. Alex. & Acacii Conſtantinopolit. Eutychianiſmi reorum condemnatione:

Puto,

Pato, quod vobis ſine ulla dubitatione ſit utile, ſi Eccleſiam Catholicam veſtri tempore Principatus ſinatis uti legibus ſuis, nec libertati ejus quemquam permittatis obſiſtere, quæ regni vobis reſtituit poteſtatem. (Baſilisco tyranno ab orthodoxis repulſo) *Certum eſt enim hoc eſt rebus veſtris eſſe ſalutare, ut cum de cauſis Dei agitur, juxta ipſius conſtitutum, regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre, & Sacroſancta per eorum Præſules diſcere potius, quam docere, Eccleſiæ formam ſequi, non huic humanitus ſequenda jura præfigere, neque ejus ſanctionibus velle dominari, cui DEUS voluit clementiam tuam piæ devotionis colla ſubmittere, ne dum menſura cæleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis.* Atque permanſit hæc Autonomia Eccleſiis etiam Germaniæ à Regibus & Principibus intemerata. Sed hac non contentus Hildebrandus, eam etiam ad cauſas civiles, ac partem Imperii præcipuam extendit, ut ſuo loco videbimus.

§. XIV.

Eccleſia ordines Clerus & Laici.

Eccleſiam vero quando dicimus, opido patet, non ſolum Clerum intelligi, ne dum ſolos Rectores aut Epiſcopos ſed totam Univerſitatem ac ſocietatem illius Populi ac reip. quæ formulam fidei Chriſtianæ profitetur. Quare & caput Reip. & Magiſtratus Civiles, & populus, unde *Laicorum* nomen inventum unà cum Clero atque Sacerdotibus Eccleſiam conſtituunt. Conf. Petr. de Marca *l. 2. de C. S. & J. c. 1.* Si enim non ſolus Princeps, aut Senatus, ſed cumprimis quoque populus Remp. conſtituit, quanto magis id in re Eccleſiæ, ubi prohibitis προσωποληψίαις *Jac. 2, 1.* major & accuratior æqualitas ordinum ac membrorum habenda, quam in civili ſocietate. Nam ſolis fœminis jus & facultas in Conventibus ſacris publicis

Prærogativa Eccleſ. Lib.

loquendi denegatum eſt, cæteroquin omnibus & ſingulis & jus interrogandi & loquendi, & dijudicandi conceſſum eſt à Paulo Apoſtolo *1. Cor. XIV. 31. ſeqq.* idque ex Domini præcepto *verſ. 37. Ebr. X. 25.* quod in primo quoque Concilio Hieroſolymis celebrato obſervatum fuit, & decretum factum non ab Apoſtolis ſolis, qui tamen extraordinaria poteſtate à Deo fuerunt inſtructi *1. Cor. IV.* neque à ſolis Presbyteris & Clero ordinario, ſed à tota Eccleſia Hieroſolymitana *Act. XV. 22. 23.* Paulus Apoſtolus admoniturus Archippum, Epiſcopum Eccleſiæ *Colloſſenſis*, non ipſe immediate id facit, ſed per Eccleſiam, εἴπατε Ἀρχίππῳ· βλέπε τὴν διακονίαν, ἣν παρέλαβες ἐν κυρίῳ, ἵνα αὐτὴν πληροῖς. Idem à ſingulis Eccleſiæ *Hebræorum* membris requirit, *c. V. 12.* διδασκάλους εἶναι, nec ſolum ſemper auditores & diſcipulos. In Concilii *Carth. IV. can. 98.* hoc Laicorum jus ad εὐσχημοσύνην ita reſtringitur: *Laicus præſentibus Clericis, niſi ipſis rogantibus docere non audeat.* De cæteris par judicandi ratio, præſertim quantum ad ſingulos è populo attinet. Tertullianus *l. de exhort. caſtit.* ait: *Ubi ordinis Eccleſiaſtici Conſeſſus non eſt, unum quemque Laicorum & offerre poſſe & tingere*: i. e. Euchariſtiam dare, & baptiſare. *Salmaſ. App. ad Lib. de prim. Pap. 276.*

§. XV.

Jus ordinandi Sacerdotes.

Eccleſia enim hanc ſuam poteſtatem libertatemque boni ordinis gratia non promiſcue per omnes ac ſingulos exerceri voluit, ſed inſtitutis certis ordinibus, huic illam, iſti hanc commiſit poteſtatem, ita tamen ut ab ea committente ſemper dependeret, per ſingulas provincias & nationes. Atque etſi *Epiſcoporum* dignitas, auctoritasque magna & olim fuerit, non illis ſolis tamen, ſed toti collegio Presbyterorum commiſſa poteſtas *ordinandi Presbyteros*

res ac Sacerdotes, eaque ipſa haud quaquam ita commiſſa, ut non amplius ſupremum ordinandi jus permanſerit penes ipſam Eccleſiam in qualibet Provincia ac gente, ſic, ut certis ex cauſis Eccleſia aliqua Provincialis, aut Nationalis, Epiſcopis præteritis, ordinationem Presbyterorum ſuorum reliquo ordini ſeu miniſterio ſacro committere jure ſuo poſſit. Non alienum ab hoc eſt, quod tradit *Rabanus Maurus*, Abbas Fuldenſis ac poſtea Epiſcopus Moguntinus libro de Chorepiſcopis ad Drogonem Epiſcopum Metenſem, ſcripto pro presbyteris à Chorepiſcopis ordinatis: *Habebant*, inquit, *ipſi Apoſtoli adjutores in prædicationem Evangelii Chriſti, qui etiam ordinationes fecerunt ex præceptis eorum. Unde legitur in codice quem Damaſus Papa de Epiſcopis Romana Eccleſia petente Hieronymo Presbytero conſcripſit, quod Linus & Cletus ex præcepto beati Petri ordinationes Presbyterorum fecerint, cum tamen poſt paſſionem Petri, non illi, ſed Clemens in honorem Cathedræ ſucceſſerit, ipſo eidem tradente principe Apoſtolorum ſicut Epiſtola ejusdem Clementis ſcripta ex mandato Petri ad Jacobum fratrem Domini teſtatur.*

§. XVI.

Equidem M. Ant. de *Dominis l. 2. de Rep. Eccl. c. 3. §. 51. 52. ſeqq.* non toti Eccleſiæ jus conſtituendi ejus Miniſtros Epiſcopos Presbyterosque, *ſed ſolis Apoſtolis* à Chriſto datum, & deinceps ab Apoſtolis *ad ſolos Epiſcopos* transmiſſum eſſe ex eo contendit, quod *Joh. XX.* Salvator ait: *Sicut me Pater, ita ego mitto vos.* Unde colligendum putat, ut ſicut Chriſtus libera electione primos ſuos miniſtros Eccleſiæ præfecerit, ita voluiſſe eundem, ut & hi, ſua conceſſione & mandato *eligere* deberent Epiſcopos alios qui ipſis ſuccederent, & illi alios, ac ita deinceps. Atque hanc com-

M. A. de Dom. ſent.

commiſſionem & auctoritatem *ſolis Apoſtolis* datam, quippe quibus ſolis dixerit, ſe eos mittere, ita ut ipſe fuerat miſſus à Patre: pari ratione Apoſtolos etiam id mandatum non extendiſſe, neque potuiſſe extendere, niſi ad illos ſolos, quos ſive ſocios ſive ſucceſſores aſſumſerint.

§. XVII.

Rejecta. Verum enim vero iſthac ratione non ſolum *Plebem* aut Populum, ſed etiam *cæterum Clerum*, præter Epiſcopos, & ipſum denique *Principem*, ac ſummam in Repub. in qua eſt Eccleſia poteſtatem excludit hoc dogma. Id quod primum eſt inconveniens. Deinde nulla eſt conſecutio ejus, quod ex textu vult elicere: Chriſtus miſit Apoſtolos ſicut Pater miſit Filium, Ergo ſoli Apoſtoli habent Jus conſtituendi ſibi ſucceſſores & Eccleſiis miniſtros ac Paſtores vel Epiſcopos, porro Epiſcopi ſimiliter excluſo populo cætero Clero & Principe aut magiſtratu. Quilibet videt nullam hic eſſe conſequentiam. Atque ut diſpar in multis eſt ratio, qua pater miſit Filium in mundum, ut redimeret eum, & qua Filius redemtor miſit Apoſtolus ad teſtimonium dandum de opere redemtionis confecto, ita porro etiam diverſa ratio intercedit inter *miſſos immediate* & *univerſales* à Chriſto, & inter Epiſcopos & Doctores Locales Eccleſiarum particularium. Illi immediate miſſi dependent à Chriſto, unde ejus judicio ſubjecti non hominum *1. Cor. IV. 4.* Hi vero mediate miſſi *ἀμέσως* & ab Eccleſia dependent ejusque judicio *Coloſſ. IV. 17. 1. Joh. IV. 1.* Sed rei tam manifeſtæ, non operæ precium immorari longius, præſertim quum ſibi ipſe non ſatis conſtiterit Antonius, ad finem quippe capitis nobiſcum facit: *Nam Eccleſia tota*, inquit, *eligit & proponit aliquem ex ſuis filiis, ut fiat Epiſcopus: at ipſa eadem non amplius tota, ſed* (repræſentata)

per

per ſuos præſules eundem ordinat & inthronizat. Conf. *lib. 3. c. 3. & c. XII. 22.* Sed & *lib. V. c. XII.* imprimis vero *lib. VII. c. X.* ubi tutius quidem putat, Presbyteros noſtros accipere S. Ordinem ab Epiſcopis ſive Anglicanis ſive Pontificiis; tamen ſe non audere damnare ordinationem à Presbyteris, confitetur.

§. XVIII.

Libert. dijud. eſt Chriſtianorum.

Sed quum præcipua pars ſit poteſtatis Eccleſiæ Chriſtianæ facultas & *libertas dijudicandi* cultum divinum verum, ſive religionem orthodoxam à falſa aut ſuperſtitione, Deoque haud placente; eſſe eam penes Eccleſiam etiam externam, tam univerſam, quam ſingulos; in confeſſo eſſe arbitror inter Chriſtianos. Nec enim promiſit modo, ſed *juſſit* Salvator O. M. ἐρευνᾶν τὰς γραφάς, & amantiſſimus ejus diſcipulus atque Apoſtolus, τὰ πνεύματα δοκιμάζειν. Sed & Gentium Apoſtolus, exceptis mulieribus, *ſingulis* conceſſit dijudicandi licentiam; *1. Cor. XIV. 29. ſeqq. Act. XVII. 11. 1. Theſſ. V. 20. 21. 1. Joh. IV. 1.* Utraque porro & Univerſitatis & ſingulorum libertas non abſoluta, ſed *reſtricta* eſt *ad normam* divinitus revelatam, & ſcripto conſignatam, quam SS. SCRIPTURAM, & proin quoque CANONEM vocavit Eccleſia, eumque determinavit ex ſe ipſo; eoque ſcripto canone etiam continentur παραδόσεις & *inſtitutiones* Apoſtolorum omnes, quas vocat Apoſtolus *2. Theſſ. 2, 15. Gal. 1, 8.* & quæ non niſi perperam ad heterodoxas *Traditiones* extenduntur. *Conf. Marc. Ant. de Domin. lib. VII. c. 11.*

ad normā S. Script.

§. XIX.

Libertas enim interpret. penes eosd.

Cum vero Scripturæ textus diverſum pati poſſit ſenſum, facultas ac libertas *interpretandi* hanc normam, eſt penes eandem Eccleſiam, & univerſam & ſingulos.

gulos. Eſt enim par ratio, & continetur hæc dijudicandi ſpecies ſub priori. Dilucide Apoſtolus *ad Corinth. I. cap. XIV. 32. & 37.* obligari interpretes Scriptura, quos Prophetas & πνευματικοὺς appellat, ex præcepto divino, ut *judicio cæterorum* ſuas ſententias ſubjiciant: πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται. ut ſcil. neque opiniones ſuas cæteris præferant, & ab univerſorum ſenſibus non recedant, ait Vincentius Lirinenſis, *p. 363.* Sed & ipſa haud abſoluta, ſed pariter *reſtricta* eſt κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *Rom. XII, 6.* & ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων *2. Tim. I, 13.* Analogiam autem fidei conſiſtere in harmonia & convenientia dogmatum cum *ſcopo fidei* Chriſtianæ, qui eſt Dei gloria, & Hominis Salus per fiduciam in ſolum Chriſtum, & res ipſa non obſcure docet, & confirmat Apoſtolorum primus *Epiſt. 1. c. IV. 11.* εἴ τις λαλεῖ ὡς λόγια Θεοῦ, εἴ τις διακονεῖ, ὡς ἐξ ἰσχύος ἧς χορηγεῖ ὁ Θεός· ἵνα ἐν πᾶσι δοξάζηται ὁ Θεὸς διὰ τοῦ χριστοῦ. Et pariter Gentium Apoſtolus *ad Tim. II: 1, 13.* ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. Contrà autem Analogiæ Fidei repugnat *ſcopus felicitatis terrenæ*, utpote potentia mundana, opes, voluptates & fuga crucis ac perſecutionis, *Philipp. 3, 19. 1. Joh. 2, 16.* Hanc unicam ac veram normam agnoverunt ac ſanctione pragmatica conſtituerunt univerſæ *Eccleſiæ Nationis Germanicæ*, communique conſenſu Imperatoris Caroli V. & Ordd. Imperii, in Receſſu Wormatienſi *Anno 1545. §. 9.* de futuro Colloquio Ratisbonenſ. Und ſollen ſolche Præſidenten/ Colloquenten und Auditores &c. die Sachen der ſtreitigen Religion mit GOtt angreiffen/ſich auch in allen den / ſo der Heil. Schrifft gemäß ſeyn/und der Kirchen zu gutem / und zu Abſtellung der Mißbräuche dienen möchte / ſo viel müglich/

Ad analogiam fidei, qua eſt convenientia cum ſcopo fidei.

Chriſt-

Chriſtlich und freundlich vergleichen/ und hierinnen allein auff die Ehre Gottes und wahre Chriſtliche Union und Reformation der Kirchen ſehen / und ſie daran nichts irren noch verhindern laſſen.

§. XX.

Ex quibus hæc Regula concluditur δικαστικὴ, primo quidem; Quæ dogmata pro fidei Articulis vendita, non fundantur in S. Scriptura, illa in judicio religionis orthodoxæ reprobantur; quia carent fundamento divinitus poſito. Nec reprobantur tantùm ipſa per ſe, ſed faciunt quoque ut totus cultus divinus & religio reliqua commixta Deo diſpliceat. *V. Eſ. XXIX. 13. Matth. XV. 8. 9. Marc. VII. 6.* Secundo conficitur: Nullam ſententiam & interpretationem Scripturæ, eſſe ſecundùm analogiam fidei, quæ imminuit gloriam Dei, meritum Chriſti, atque fiduciam, ſpemque ſalutis humanæ, ſed torquet S. Sacram, & abutitur judicandi libertate, pervertens ὑγιαίνοντα λόγια, & ſcopum intendit Mundanum. *Reg. 1.* *Ampl.* *Reg. 2.*

§. XXI.

Libertas judicandi de ſacris reſtricta eſt quoad fœminas, iisque ademtum judicium de rebus fidei, ſolâ obſequii & diſcendi cupiditatis gloriâ relictâ intra parietes Eccleſiæ privatæ & domeſticæ, ejusdem fidei, *1. Cor. XIV. 34. 1. Tim. II. 11. ſeqq.* Virorum illiteratorum judicium ad Literatorum & Scripturæ S. peritorum informationem alligatur, & quidem τῶν θεοδιδάκτων, h. e. eorum qui ſcopum ſalutis humanæ & intelligunt & unicè intendunt, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, *Philipp. III, 19. 1. Tim. VI, 3. ſeqq.* Cœterum & ipſi θεοδίδακτοι ſinguli ſententias ſuas ac interpretationes ſubmittere tenentur *univerſis*, quod non modo docet Apoſtolus *1. Cor. XIV, 32.* ſed & exemplo ſuo comprobat, *Act. XV.* *Fæminar. judic.* *Virorum.* *Theologorum.*

Hinc *auctoritas Synodorum* œcumenicarum legitimè congregatarum eſt *Juris divini.* Multò magis *Eccleſiæ univerſæ conſenſus*, quem Vincentius Lirinenſis in Commonitorio ſuo *Traditionem* appellavit, vocabulo hodie ambiguo, & propter abuſum Theologiæ Judaicæ atque Scholaſticæ exoſo, ſed Vincentius neutiquam eâ voce *ritum aut cultum* ab hominibus adinventum, quo juſtificationem mereamur, intelligit, verùm, ut dictum, *unanimem* Eccleſiæ *interpretationem* S Scripturæ, quomodo & ipſa Scriptura illâ utitur. *Flac. Clav. Script. voc. Trado.* Ait Vincentius: *Sæpe magno ſtudio & ſumma attentione perquirens à quamplurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus viris, quonam modo poſſim certâ quadam & quaſi generali ac regulari viâ Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falſitate diſcernere, hujuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli, quod ſive ego, ſive quis alius vellet exſurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam, domino adjuvante deberet. Primo ſcilicet divinæ legis auctoritate; tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione. p. 317.* Idque ſine omni immunitione perfectitudinis Scripturæ, itaque ſubjicit: *Hic forſitan requirat aliquis: Cum ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videl. Scripturam S. pro ipſa ſua altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt: &c. Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.* Conf. *pr. recapitulationis p. 364.* Hæc porrò *Traditio*, non dictatibus quibusdam monarchicis Eccleſiæ obtruſis, aut

Eccleſiæ cõſenſus.

non

non attendenti obrepentibus, ſed ipſa illà *conſenſione* perficitur, videlicet ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium ſacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiasque ſectemur, ut ejusdem verba habent *p. 318.* Planè maximè notabile eſt, quod idem Vincentius *p. 361.* advertendum monuit: *Cæterum,* inquit, *dilatatæ & inveteratæ hæreſes nequaquam hàc viâ adgrediendæ ſunt; eò quod prolixo temporum tractu, longa iis furandæ veritatis patuerit occaſio. Atque ideo quascunque illas antiquiores vel ſchiſmatum vel hæreſeon prophanitates nullo modo nos oportet niſi aut SOLA, ſi opus eſt, Scripturarum auctoritate convincere, aut certè jam antiquitus* (anterioribus inveteratâ hæreſi) *univerſalibus Sacerdotum Catholicorum Conciliis convictas damnatasque vitare.* Quibus intelligit Arrianam jam tum condemnatam hæreſin inter Gothos adhuc hærentem tum temporis.

§. XXII.

Eccleſiæ itaque particularis doctrina nova aut dubia ſubjacet judicio Eccleſiæ totius Nationis, aut Regni, Imperiive, vel univerſæ Chriſtianitatis. Sic quæſtio de cultu & adoratione Imaginum in Concilio Francofurtenſi Univerſali, ritè fuit deciſa, invitis ferè Nunciis Sedis Romanæ. Plane hæc ſubjectio atque ſubordinatio judiciorum circa res fidei, ſub tacita hac, & à DEO LLatore præcepta, conditione intelligitur, ſi judicium *dirigens* in judicando procedit *ſecundum normam* illam unicam, *Analogiam fidei.* Quod ſi de hoc ipſo præjudicialiter diſceptatur, DEO & conſcientiis res committenda, & altera diſſentientium pars ab altera mutuo toleranda, ſecundum doctrinam Pauli, *1. Cor. III, 11. 12.* Si contingit totam Eccleſiam *Nationalem* vel univerſalem *externam*, eſſe *corruptam*, veluti

Eccleſia Partic.

Limit.

Tolerantia quando.

Eccleſ. univ.

Hebræorum ſemel atque iterum fuit, & Chriſtianorum ſuperioribus ſeculis; tum jure divino libertas taxandi abuſus præter aut contra analogiam fidei introductos, eſt penes ſingulos & paucos illos, veritatem Evangelicam & rerum ſalutis noſtræ ſcopum ſectantes. Hac libertate uſi Prophetæ ante Chriſtum. Chriſtus & Apoſtoli ante Deſcenſionem Spiritus S. viſibilem, quum adhuc eſſent Judaicæ Eccleſiæ externa membra. Quanquam hæc libertas conjuncta eſſe ſolet cum periculo perſecutionis, *Dan. XI, 32. 33. 1. Macc. 1.* Hoc jure taxarunt abuſus Eccleſiæ Romanæ omnibus Seculis Viri θεοδίδακτοι, inter quos magni nominis fuerunt Petrus Damiani & Bernhardus, Sedi tamē ob id haud ingrati: ſed alio fato poſtea Arnoldus, Waldenſes, Hieronymus Pragenſis & ſocii, tandemque Lutherus ſociique.

§. XXIII.

Libertas Eccleſiæ part.

Quæ libertas ſingulis competit, ea multo magis penes Eccleſias *particulares* ejusdem Nationis aut Imperii eſſe conſtat. Quo jure hactenus utebantur Eccleſiæ Saxonicæ, Svevicæ aliæque plurimæ, rejectis abuſibus & erroribus analogiæ fidei adverſis. Idque exemplo, à DOMINO ipſo approbato, Eccleſiæ Epheſinæ, de qua ait: *Scio opera tua & labores & patientiam tuam, & quod non potes ſuſtinere malos: & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces. Apoc. XI, 2.* Eodem jure peculiaria *Nationum* Concilia condemnarunt Donati, Pelagii, aliorumque hæreſes, validè, etiam antequam accederet aut Pontificis Romani, aut communis Theologorum conſenſus. Atque notabile eſt, quod Epiſcopi Africani in *Concilio Carthag. VI.* epiſtolâ Synodali ad Cœleſtinum Papam inter alia ſcribunt: *Gratiam Spiritus S. nulli*

unquam

unquam PROVINCIÆ defuturam, modo Sacerdotes æquitatem ſervent, & prudenter agant. Nec poteſt ab hoc jure excluſa intelligi ſumma Reip. illius poteſtas, in quâ Eccleſia Particularis conſiſtit eique unita eſt.

§. XXIV.

Neque impedire hanc libertatem debet prædicta ſubordinatio Eccleſiæ *ſuperioris*, quippe quæ ipſa *erronea* incuſetur doctrinæ, nec in ſua cauſa judex eſſe poſſit; cæteroquin exemplo Apoſtolorum & Prophetarum, DEO magis obediendum, quàm hominibus. Unde etiam ex parte illarum, qui negant, Pontificem Romanum judicari poſſe, excipiunt caſum, ſi manifeſtè ab Evangelica veritate diſcedat, nam Pontifices Rom. ſi ea præcipiant, quæ ſint contra doctrinam Evangelicam vel Apoſtolicam, ibi non eſſe ei obediendum, exemplo docemur Pauli Apoſtoli, qui Petro, ſibi prælato, non rectè incedenti ad veritatem Evangelii, in faciem reſtitit; verba ſunt *Ivonis* Epiſcopi Gallicani in cauſa Paſchalis II. & Henrici V. Imper. Atque docet Petrus de Marca *lib. IV. de C. S. & J. per totum*, canonum violationem à Pontifice Romano attentatam, aut à Principe, aut etiam à cujusque *Provinciæ* Synodo, poſſe corrigi, ejusdem Ivonis auctoritate, non dubitantis aſſerere, quin poſſint quique Metropolitani Epiſcopos ſecundum Jus antiquum convocare, provincialem Synodum, ſalvâ reverentia Rom. Eccleſiæ celebrare. Et mox: *His Catholicorum Patrum terminis contenti, quæ poſſumus ſecundum decreta patrum, ſalvo vinculo pacis corrigere volumus: quæ autem corrigere non poſſumus, usq; ad meſſem, ſi neceſſe ſit, domino docente, tolerare decrevimus. c. VIII. fin.*

Seceſſio juſta quæ.

Cap. III.

De Libertate Germanorum.

Summaria.

Libertas Germanorum vetus. Germaniæ amplitudo. Regna Sitonum, & Sveonum. Olavus Rudbeckius. Libertas media. Hodierna. Fundamenta Libertatis Eccleſiarum Germaniæ. Unio cum Eccleſia Apoſtolica. Edicta Theodoſii M. Aurea Bulla. Reductio Regiminis Sacri ad ſtatum Carolinum. Conſenſus Eccleſiæ Gallicanæ. Libertatis Eccleſiæ Germanicæ adverſarius.

§. I.

Libertas German. EX his jam liquet & convenientia & differentia libertatis Civilis & Eccleſiaſticæ, atque hujus præ iſta prærogativa, quarum utriusque concurrentia in Ordinibus atque Statibus *Imperii Germanici*, eo majorem robuſtioremque reddit Libertatem Imperatoris atque Statuum Germanici Imperii circa ſacra. Gaudent enim Germani avita adhuc *Libertate*, quam ſumma Quiritum potentia Majoribus eripere ſæpius tentavit, nunquam potuit: quippe regno Arſacis Parthi acrior Germanorum Libertas Romanis fuit, fatente *Tacito de M. G. XXXVII.* & Lucanus canit:

Libertas ultra Tanaim, Rhenumque receſſit.
Et toties nobis jugulo quæſita, negatur,
Germanum Scythicumque bonum.

Eam mutata per fatales viciſſitudines Reip. facies, & ipſam variavit.

§. II.

§. II.

Quo altius eam repetimus, eo majorem profuſio- *Vetus.* remque reperimus. Neque enim vetuſtiſſimis una communis toti nationi Teutonicæ Reſpublica fuit, ſed ἔθνος κατὰ κώμας κεχωρισμένον τὸ πλῆθος, *Gens per pagos diviſa*, quæ media ſpecies eſt inter *Civitatem unam* & inter *Gentem*, *Arcadum* more ſparſim, nec per vicos, & ſine ſocietate Civili habitantem. *Ariſt.* 2. *Pol.* 1. Et verò ad Germaniam tum temporis relatæ non modò cis & ultra Rhenum ſitæ regiones, ſed & ultra ſinum Codanum ingentia illa regna Sitonum in *Norvagia*, & Sveonum in *Svedia*, Philip. Cluver. *lib. III. Introduct. in Geogr. c. VIII.* Quod confirmat Tacit. *de Mor. Germ. c. XLIV.* de Scandinavia Plin. *lib. IV. c.* 13. Cl. Ptolomæus *lib. 2. c. 11.* quis de Germaniæ magnæ ſitu & inſulis agens, ſupra Cimbricam Cherſoneſum tres Alocias refert, & quatuor Scandias. Imprimis hîc adeunda τοῦ πολλῶν ἀνταξίου ἄλλων Olavi Rudbeckii *Atlantica cap. 3. §. 3.* ubi cum illuſtrem *Dionis* locum attuliſſet: *Antiquitus populi, qui ex utraque parte Rheni habitabant, CELTÆ uno nomine appellati ſunt.* annotat: *Dioni tamen antiquum Germaniæ nomen, CELTIAM retinere, & incolas ejus Celtas appellare placuit, utut ducentis ante illum annis GERMANI vocari cœpiſſent omnes illi, qui ad ſeptentrionalem Rheni partem usque ad promontorium Scythicum habitabant.* Adjacet autem hoc promontorio Cimmeriorum vulgò *Nordkap* dicto. *Adde cap. 24. §. 1. & paſſim.* In ſingulis porrò pagis aut provinciis ac regionibus nec Regibus, ſi quæ his regerentur, infinita aut libera poteſtas, ſed multis exceptionibus, & quaſi precario jure parendi, præter paucas civitates, inter quas Suionum in Oceano refert *Tacitus c. 44.* & Gothonum, qui nondum tamen ſupra libertatem, etſi

paulò

paulò adductius, quàm cæteræ Germanorum gentes *c. 43. In tanto enim & ferè unico armorum ſtudio, eo in populo, cui pigrum & iners videtur, ſudore acquirere, quod ſangvine poſſis parare, Libertatis ſtatus neceſſario quoddam Ariſtocraticum trahit, imperio & poteſtate in nobiliores ac prudentiores concedente. Ut ita non potuerit olim non communis omnibus Germaniæ civitatibus fuiſſe temperata populari & optimatum ſtatu Reſpublica & quæ & quandam Æſymnetiam Laconicam abiret, quum bella niſi uno imperante geri feliciter non poſſint,* quemadmodum diſſerit alicubi B. Strauchius noſter. Conf. & H. Conringii *Exerc. de Republ. antiqua veter. Germanor.* Sed laxiſſimâ hac libertatis ſpecie contigit, ut, quod in Britannis Tacitus *in Agric. 12, 2.* ridet, etiam Germani experti ſint: *Nunc,* inquit, *per Princeps factionibus & ſtudiis trahuntur, nec aliud adverſus validiſſimas gentes pro nobis utilius, quàm quod in commune non conſulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulſandum commune periculum conventus: ita dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur.* Vnde idem de Germanis precatus *cap. 33. de Mor. Germ. Maneat quæſo, duretque gentibus ſi non amor noſtri, at certè odium ſui: quando urgentibus imperii fatis, nihil jam præſtare fortuna majus poteſt, quàm hoſtium diſcordiam.*

§. III.

Media. Summâ igitur rerum ad *Francos* delata, Libertas Germanica haud imminuta, ſed reformata videtur; Regnum Germaniæ intra arctiores jam tum redactum, quum Caroli M. poſteris cederet, ita *Principatus* fuit conſtitutus, ut *libertas* Ordinum atque Statuum ſtabiliretur, *Ordines* ex Sacerdotibus & Principibus conſtarent, utrique generi in cauſis ſacris pariter ac civilibus ſuus locus: Et libertati civili Eccleſiaſtica rite juncta eſſet. Neque quum ad *Sa-*

xones

xones Imperialis poteſtas perveniſſet aliter fas fuit. Svevorum verò atque AVSTRIACORVM Imperio, tantum abeſt, ut imminuta libertas Germaniæ, ut magis aucta, atque adverſus vim atque inſidias externorum hoſtium ſtrenuè defenſa, ac quantum in ipſis, ad hunc usque diem conſervata fuerit. Sed ut Francorum & Saxonum Imperium non abſimile fuit Gothonum regno, quod adductius nec tamen ſupra libertatem modò dixit Tacitus: ita hodierna Imperii forma ad vetuſtam illam atque liberiorem, quoties bello enato Ducem aut Imperatorem ex virtute eligebant, aliquo modo accedere videtur, ut jam non regnum ſit, ſed plurium Regnorum ac Civitatum unum Imperium ex Principatu ac Libertate mixtum, cujus formulam CAPITVLATIONEM appellamus. *Hodierna.*

§. IV.

Fundamentum igitur libertatis Eccleſiæ Germanicæ conſiſtit primo in *unione*, & communione cum Eccleſia Chriſti Catholica & *Apoſtolica*, quatenus in SS. Scriptura cognita probata, atque fundata ipſa eſt: non præciſe cum *Romana*, niſi quatenus & hæc, veluti pars, eaque præcipua, cum toto peræquè unita permanſit, ac formulam fidei Catholicæ & Apoſtolicæ ſecundùm normam à Chriſto & Apoſtolis relictam, retinuit: juxta aureas ſanctiones ac pia Edicta Theodoſii M. quorum prius eſt *l. 1. C. Iuſt. de S. Trin.* & *l. 2. C. Th. de fide Cathol.* alterum *l. 3. C. Th. eo.* Eâ ratione *Zeno* Imperator religionem Chriſtianam appellat *Munimentum* Romani Imperii; *l. 5. C. de nat. liber.* Et eodem ſenſu *Aurea Bulla* ait, Regnum Chriſtianiſſimum eſſe *fundamentum* Imperii Chriſtiani. Ita enim textus Latinus & *Fundam. Lib. Eccl. German. I.* *A.B. proœm.*

F Ger-

Germanicus MS. itemque Moguntina editio A. 1612. das Chriſtliche Keyſerthum/ deſſen Fundament auf das Allerchriſtlichſte Reich gegründet iſt/ neque enim per *Chriſtianum Regnum*, Romanum, perque *Chriſtianiſſimum*, Germanicum intelligitur, quaſi verò Imperium à Regno dependeret, *Limna. ad A. B. obſ. 13.* ſed per *Chriſtianiſſimum* intelligitur, Regnum & Eccleſia Chriſti, Chriſtianitas, Populus Chriſtianus, cujus *caput* aut *director*, Imperator audit. Archiepiſcopus Moguntinus in Conſecratione Conradi Salici, eum ita alloquitur: *Pietas divina voluit Te eſſe ſine diſciplina, ut poſt cœleſte Magiſterium, Chriſtianum caperes Imperium, ad ſummam dignitatem perveniſti, VICARIVS es CHRISTI.* Wippo *in Vita Conradi, p. 427.* & mox *p. 429.* ait: *Reſpiciens ad Epiſcopos, ut Vicarius Chriſti chriſtianiſſimè reſpondebat.* Hinc origo appellationis, quod Imperium noſtrum SACRVM appellatur. *de quo Bœcler. diſſ. de Sac. Imper. Rom.*

II. Alterum fundamentum Libertatis Eccleſiæ Germanicæ eſt, ſummum Regis aut Imperatoris *Imperium*, non mutilum, ſed partibus ſuis perfectum, atque cumprimis ea, quæ *circa ſacra* occupatur: Salvo jure Eccleſiæ circa *ſpiritualia* independentis. Cujus tamen membrum præcipuum quum ſit Rex vel Imperator Germanorum, etiam ipſius auctoritas & præeminentia in Conſultationibus Fidei & Conciliis maximi habenda eſt. Denique quæ ratio eſt Eccleſiæ & Imperii Germaniæ in univerſum, eadem quoque eſt Eccleſiarum particularium, & Imperiorum *Territorialium* ac Provincialium, exigente id forma noſtræ Reip. & Statuum libertate, quam *ſuperioritatem* vocamus.

§. V.

Denique magnum momentum libertatis Eccleſiæ Germanicæ in eo poſitum videtur, ut Regimen Eccleſiarum reducatur ad ævum Caroli M. & ad eam libertatem, quam Concilium Generale Francofurtenſe A. C. DCCXCIV. tum reipſa exercuit, tum conceptis verbis *c. VI.* firmavit: *Statutum eſt à Domino Rege & S. Synodo ut Epiſcopi juſtitias faciant in ſuis parochiis. Si non obedierit aliqua Perſona Epiſcopo ſuo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, monachis & cæteris Clericis, vel etiam aliis in ejus Parochia, veniant ad Metropolitanum ſuum, & ille dijudicet cauſam cum ſuis ſuffraganeis. Comites quoque noſtri veniant ad judicium Epiſcoporum. Et ſi aliquid eſt, quod Epiſcopus Metropolitanus non poſſit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accuſatores cum accuſato cum literis Metropolitani ut ſciamus veritatem rei.* Conſtat hinc nullum locum eſſe relictum in fundatione Eccleſiæ atque Imperii Germaniarum *appellationibus* ſive evocationibus ad ſedem Romanam, ſed ſupremum judicium eſſe penes Synodos Metropolitanas Germaniæ, & tandem penes Imperatorem & Concilium Nationale.

Reductio ad ſtatum Carolinum.

§. VI.

Quam Conciliorum Provincialium ac Nationalium poteſtatem reducendam ad retundendam Pontificiam Monarchiam, etiam Petrus de Marca *l. VI. de C. S. & J. c. XIV. & XVI. l. VII. c. II.* maxime urget. Unde apparet, quam omni jure fundata ſint geſta ac petita Eccleſiarum repurgatarum ſuperioris ſeculi. Sed & ejusdem Petri de Marca ſententiam de libertate Eccleſiæ *Gallicanæ* noſtrum quo-

Conſenſ. Eccl. Gall.

quoque argumentum admittere videtur, quæ *l. 3. c. 1. atque 6.* propoſita eò tendit: Illam non ſolum in obſervatione Canonum & conſvetudinis antiquæ contra attentata Epiſcoporum, Patriarcharum & Pontificum conſiſtere, ſecundum Canonem VIII. Concilii Epheſini: *Ne Patrum Canones prætereantur neve ſub ſacerdotii prætextu mundanæ poteſtatis faſtus irrepat, ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit ſangvine ſuo Dominus noſter JESVS CHRISTVS, omnium hominum Liberator.* Verum etiam in recto Juris & antiqui & novi uſu. Novi quidem, non Tridentini, credo, ſed quod Concilia Generalia ac Nationalia Eccleſiarum Germanicarum juxta SS. Scripturarum normam & Oecumenicorum Conciliorum Canones conſtituerunt, quale eſt Francofurtenſe inprimis, ac Baſileenſe, & quod communi Imperatoris Eccleſiarum atque ordinum Germaniæ conſenſu, ſuperiori pariter ac præſenti ſeculo, in Comitiis Imperialibus, Conventibusque Paſſavienſi, ac Osnabrugenſi eſt conſtitutum noviſſimoque Noviomagenſi Tractatu, præſente nec contradicente amplius, Nuncio Sedis Romanæ confirmatum. Denique & illa huc faciunt, quæ idem Archiepiſcopus pro ſuarum Eccleſiarum Libertate *d. cap. III. cap. VIII. & IX.* demonſtrat; Nempe pontificem Roman. eſſe culpæ reum, ſi canones vel legitima deceſſorum decreta violari ſinat, aut infringat ipſe: Deinde, conſvetudines Provinciarum retinendas, quæ fidei non officiant, nec libertatem Eccleſiarum violent, aſſerta Principibus vindicandi ac tuendi poteſtate.

§. VII.

Libertatis Eccleſiæ Adepta porro Romana Sedes ex Epiſcopatu, Patriarcha-

chatum, ex hoc Pontificatum Maximum, à ſeculo præſertim XII. poſt orbem redemtum, erigens, atque mutato tantum nomine, Imperium ac Monarchiam Romanam ſibi aſſerens, Libertatem Germanorum, Imperium Romanum jure optimo maximo poſſidentium, tàm civilem quàm Eccleſiaſticam, infinitis modis atque artibus peſſum dare aggreſſa fuit, tantumque præſtitit, ut tandem Epiſcopi atque ſtatus Eccleſiaſtici, ſpe fortaſſis majoris adhuc libertatis, & διὰ τὸ ἀλλοπροσαλλοιοῦσθαι ut ita loqui liceat, genuinam germanamque à majoribus traditam libertatem falsâ atque aſcititiâ commutarint; qua via & ſacram & Civilem Imperatoris, cæterorumque Statuum Libertatem ſupprimere haud difficile fuit. Hadrianus VI. P. M. in mandatis, quæ Nuncio ad Comitia Norica Anno M. D. XXII dederat, haud diffitetur malum. *Scimus*, inquit, *in hac ſancta Sede, aliquot jam annis, multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, omnia denique in perverſum mutata. Nec mirum ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis Pontificibus in alios inferiores Prælatos deſcenderit. Omnes nos declinavimus.* Et mox: *Quâ in re, quod ad nos attinet pollicèberis, nos omnem operam adhibituros, ut primùm Curia hæc, unde fortè omne hoc malum proceſſit, reformetur; ut ſicut in omnes inferiores inde corruptio emanavit, ita etiam ab eâdem ſede ſanitas & reformatio omnium emanet.* At avita tamen Germanorum virtus ſemper obſtitit Curiæ Romanæ, ut de quieta poſſeſſione vel quaſi, multo minus de neſcio quâ *præſcriptione* ereptæ libertatis, iſta parum gloriari habeat; quinimo perpetuo ſingulisque ſeculis atque ætatibus illuſtres actus exercuerunt Impp. atque Status Germanici, quibus Libertatem

German. adverſar.

tem ſuam contra adverſariam atque ſocios tutati; usque dum ſuperiori ſeculo pariter ac præſenti, Imperator atque utriusque religionis Status, invito ac contradicente quantumvis Pontifice, ſacram Libertatem Eccleſiarum Germanicarum inſtaurantes, Dominatum Romanum tam in Repub. quam in Eccleſia abrogarunt, pacem atque unionem *aliquam* inter diſparis licet confeſſionis ordines reduxerunt, atque Imperatori, Imperio & Eccleſiis, jus ac poteſtatem ſuam *magna ex parte* reſtituerunt, ut amplior jam *ſpes* ſit, fore, ut & civilis & ſacra Libertas *pleno jure* redeat Germaniæ. Id quod ut brevi contingat, faxit Deus utriusque Libertatis Auctor atque Tutanus ter Optimus ter Maximus!

CAP. IV.
DE
ORIGINE ECCLESIARUM GERMANIÆ.

SUMMARIA.

In Germania Apoſtolorum ævo Chriſtiani. 2.Tim.IV. Galatia pro Gallia. Et Eccleſiæ Chriſtianæ in Germania utraque. Ejus partitio. Cis Rhenana & Transrhenana. Minor & Magna. Prima & Secunda. Maxima Sequanorum. Belgia duplex. Pancirollus & Lazius notati. Itinerarium Antonini. Germaniæ fines Alpes potius, quàm Danubius. Rhætia, Vindelicia, Noricum partes Germaniæ. Edictum Conſtantini M. St. Baluzius. Maternus Epiſcopus Colonienſis. Plures Epiſcopatus in Diœceſi Gallicana ante Conſtantinum. Ejus partitio Imperii. Treveris Metropolis. Auguſtodunum. Arelate Metropolis. Agrippina ſive Colonia Metropolis. Epiſcopus plurium Eccleſiarum. Eccleſia Auguſtæ Vindelicorum. Laureacenſis. Burgundionum cis Rhenum. Inſula Burgundionum. Inſulæ Flaici. Palatinatus.

§. I.

Fuiſſe jam tum Apoſtolorum ætate inter Germanos, qui Religionem Chriſtianam fuerunt amplexi, non ſinit dubitare Apoſtolus Gentium, qui *Rom.X.18.* teſtatur, *exiiſſe tum in omnem terram, atque etiam in extremos fines τῆς οἰκουμένης Evangelii prædicationem*, quod de ſua quoque ætate refert *Ignatius ad Philadelph.* & Juſtinus *Dial. cum Tryph.* De Galliis, cujus Diœceſeos pars tum erat *Germania* trans-rhenana

In German. ab initio Chriſtiani & mox

rhenana ſive *minor*. Teſtatur D. Paulus *2. Tim. IV.* Creſcentem in *Galliam* à ſe eſſe miſſum; ita enim legendum pro Galatia, jam tum Epiphanius *in Hæreſi LI.* monuit: οὐ γὰρ ἐν τῇ Γαλατίᾳ, ὥς τινες πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαλλίᾳ. quanquam & ipſa vox Γαλατῶν, Γαλατικὸν, Γαλατία, de Gallis & Gallia promiſcuè uſurpata. Strabo *l. IV.* τὸ δὲ σύμπαν φῦλον, ὃ νῦν Γαλλικόν τε καὶ Γαλατικὸν καλοῦσιν, ἀρειμάνιόν τε καὶ θυμικόν ἐστι. *Univerſa hæc natio, quæ Gallica ſeu Galatica nunc vocatur, bellicoſa eſt.* Diodorus Siculus *lib. VI. c. IX. Ultra Celtas, qui ad notum Oceanum verſus pertinentes oras Hercinium montem, quiq; deinceps ad Scythiam usq; habitant, dicuntur GALATÆ. Quas omnes gentes communi nomine Romani Galatas appellant.* Nempe ut qui primis temporibus *Celtæ* in Germania conſederunt, hi poſtmodum *Galatæ*, ultimò autem *Germani* & Teutones appellati ſunt; Ita in Francia primi omnium Celtæ habitarunt, qui poſtmodum Galatarum ſive Gallorum, & denique *Francorum* nomen conſecuti ſunt, uti Cl. Rudbeckius *in Atlantica c. XX.* eleganter docuit. In Galliam eodem Epiphanio teſte, & S. Lucas pervenit. Sed & Paulus ipſe Apoſtolus in Hiſpaniam tendens per celeberrimam illam apud veteres viam publicam, quæ ab Italia per Gallias in Bæticam ducit, & Philippus quoque collega aliique; quod eleganter oſtendit antiquitatis ſacræ promus condus, ArchiEpiſcopus Pariſienſis, Petrus de Marca *Epiſt. ad H. Valeſium de tempore, quo primum ſuſcepta eſt in Galliis Chriſti fides.* De Germania ſpeciatim Theodoretus aſſerit *Serm. IX. de Cur. Græc. affect.* Apoſtolos cum cæteras gentes, nationesque omnes, tum & Germanos eo perduxiſſe, ut leges crucifixi reciperent.

§. II.

Porrò *Eccleſiarum* etiam ἐν Γερμανίαις ἱδρυμένων *in Germaniis*

maniis fundatarum mentionem facit Irenæus; qui A. C. 178. Eccleſiæ Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus creatus *lib. 1. adverſ. hæreſ. c. 3.* Tertullianus XXX annis poſt Irenæum *lib. adverſus Judæos Cap. VII.* cum Dacis, Sarmatis & Scythis etiam Germanos, Germaniæ ſcilicet majoris, refert inter eos, ubi receptum Evangelium. Ait: *Ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines Hiſpaniarum omnes termini & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita, & Sarmatarum & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium & provinciarum & inſularum multarũ nobis ignotarum & quæ enumerare minus poſſumus.* Gregorius, Epiſc. Turonenſis *lib. 1. Hiſt. Franc. Cap. XXVIII.* matyria ſub Aelio Adriano Imp. referens ait: *Sed & in Galliis multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrium gemmis cœleſtibus coronati. Ex quibus & ille primus Lugdunenſis Eccleſiæ Photinus Epiſcopus fuit, qui plenus dierum, diverſis affectus ſuppliciis, pro Chriſti nomine paſſus eſt. Beatiſſimus hujus ſucceſſor martyris, qui a beato Polycarpo ad hanc urbem directus eſt, admirabili virtute enituit.* Et Cap. XXX. *Decii tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt. Turonicis, Gratianus Epiſcopus: Arelatenſibus, Trophimus Epiſcopus. Narbonæ, Paulus Epiſcopus. Tholoſæ, Saturninus Epiſcopus. Pariſiacis, Dionyſius Epiſcopus: Arvernis, Stremonius Epiſcopus: Lemovicinis, Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.* Decii tempore ait hoc actum, qui A. C. 251. imperavit. Unde apparet, fallere Hugonem de S. Victore *in Chronico MS. à Boxbornio in Hiſt. Univ. ad A. C. 101. laudatum*, dum hos miſſos eſſe à *Clemente* Papa primo tradit, qui tum dudum mortuus erat. Scripſit autem Hugo ille ſeculo XII.

§. III.

Diviſ. Germ. 1 Macer JC. *l.3. de offic. adſeſſor.* meminit, Germaniam, quæ prius una provincia, poſtea in duas diviſam fuiſſe. Fines ſcilicet Germaniæ jam tum ab initio ultra Rhenum, porrecti eam in *Cisrhenanam* & *Transrhenanam* diviſerunt. Illam Romani rerum domini cum Gallia & Belgio, Imperio ſuo adjecerant, hanc, quæ & *Magna* dicta, non, item. *Minorem* porrò diviſerunt in *Primam*, quæ & *ſuperior* appellata, & *ſecundam*, quæ & *Inferior*; Prima continuit Tribocos, Nemetas, Vangiones, ubi hodie Argentina, Spira, Moguntia. Antoninus in Itinerario: *Provincia Germania prima, civitates ſunt numero quatuor : Metropolis civitas Maguntianenſis, civitas Argentoratenſium, Civitas Nemetum (Spira) civitas Vangionum (Wormen.)* Eccleſia itaque *Moguntia* Metropolitana jam olim, & Metropolitanus illius Epiſcopus, de quo & Petrus de Marca, *diſſert. de Primatibus.* §. *LXXVI. ſeqq.* In Germania ſecunda Metropolis fuit *Agrippina*; ad Tungros usque extendebatur, ubi hodie Ducatus Juliacenſis eſt. Lazius *lib. 1. Comm. Reip. Rom. c. IX.* Petr. de Marca *de Primat.* §. *LXXV.* Præter has duas Provincias Romani etiam alias Germaniæ partes tum poſſederunt. *Sequanorum*, quæ *Maxima* Sequanorum à Maximo Tyranno cognominata, Provinciam, quæ Sundgaviam, Burgundiæ, Alſatiæ ac Helvetiæ partem continuit *vid. Laz. l. 2. Comm. Reip. Rom. c. 8. & libr. 12. c. 1. Phil. Cluver. Introd. Geog. l. 2. c. XII. 3. Panciroll. Notit. J. O. LXVIII.* Metropolis fuit *Lugdunum* olim, poſtea *Veſontium.*

§. IV.

Præterea & *Belgicam* tenuerunt tum Romani, quæ primo partes illas Germaniæ continuit, his poſtea demtis, illa diviſa in duas Belgias, Primam & ſecundam. Primam, quæ

& ſuperior, nunc *Brabantiam* dici tradit Pancirollus *ad Notitiam Imp. Occid. cap. LXXXVII.* ſed Itinerarium Antonini quatuor civitates eâ contineri docet: *Metropolim TREVERORUM civitatem, Mediomatricum, Leucorum & Veredunenſem* h. e. Metim, Tullum & Verdunum. Belgica ſecunda ſive *inferior* ſecundum idem Itinerarium continet: Metropolim civitatem *Remorum*, Sueſſianum, Catalaunorum, Veromanduorum, Atrebatum, Cameracenſium, Turnacenſium, Silvanectum, Bellovacorum, Ambianenſium, Morinum. Perperam Lazius *lib. 2. Comm. Reip. Rom. c. 2.* tradit metropolim hujus *Rotomagum*, qvum hæc ſit Lugdunenſis ſecundæ metropolis, teſte eodẽ *Itinerario*, quod communiter Antonino, Imperatorum alicui, tribuitur, aliàs Æthico, *Vid. Voſſ. de Hiſtor. Latin. lib. 1. c. XIX. & lib. 3. P. 2. M. Velſeri Res Aug. p. 181.* Cæterum quantum ad rem ipſam vid. Pet. de Marca *de Primat. §. LXII. & LXXVIII.* Salmaſ. *de Primat. Pap. c. XVI.*

§. V.

Denique etſi Germaniæ Magnæ fines tunc ultra *Danubium* ſe non extenderunt, unde Rhætia prima & ſecunda, adeoque & Vindelicia atque Noricum pro Germaniæ partibus haud reputatæ: quemadmodum & origo gentis Rhæticæ non à Germanis, ſed à Tuſcis à doctioribus arceſſita, de qua re M. Velſerus *lib. 1. Rer. Auguſt. Vindel.* Veriſimile tamen videtur, antequam *Rhætia* & *Noricum* trans Danubium in Provinciæ formam redacta ab Auguſto A. V. C. 739. Germaniæ æquè fuiſſe accenſitam, atque regiones trans Rhenum. In quo me confirmat vetus auctor *M. Vipſanius Agrippa*, Auguſti Cæſaris gener, qui Rhætiam & Noricum oræ Germanicæ includit, teſte Plinio *lib. IV. Nat. Hiſt. c. XIII. ſeq.* cujus auctoritatem nec Plinius defugit.

Rhætia & Noric.

Agrippam, inquit *Lib.3.c.2. in tanta viri diligentia, præterque in hoc opere curâ, cum orbem terrarum urbi ſpectandum propoſiturus eſſet, erraſſe quis credat? & cum eo D. Auguſtum?* Strabo item *lib. IV. & VII.* Rhætios & Vindelicos populis Germanicis accenſet, & fines Germaniæ *Alpes* potius, quàm Danubium figit. Eum autem ultra Auguſti ætatem extendiſſe vitam conſtat. Pomponius quoque Mela, qui Claudio imperante vixit, Germaniæ fines à meridie Alpes poſuit, *lib. III. de ſitu orbis.* Denique à Germanis, expulſis Romanis, ante plura ſecula hæ regiones occupatæ & Germaniæ usque in hunc diem vindicatæ fuere, de quo idem Velſerus *lib.VIII.*

§. VI.

Eccl.Trever. Colonienſ. Diſpiciamus nunc, an & in minore & magna Germania Eccleſiæ & Epiſcopi etiam antequam à Conſtantino M. Eccleſia Reip. uniretur, conſtitutæ, & quo jure ac libertate uſæ fuerint. A.C.CCCXIII. Conſtantino & Licinio III. Coſſ. Imperatores Conſtantinus & Licinius A.A. Edictum de Libertate, Eccleſiæ Chriſtianæ reſtituenda propensè propoſuerunt quod recitat *Euſebius l.X. H. E. c. V.* ex Latina in *Græcam* lingvam converſum, ſed ipſum *Latinum* exemplar nobis adſervavit Lactantius Firmianus *libro de mortib. perſecutorum. c.XLVIII.* quem librum hactenus deſideratum ab Eccleſia, reddidit nobis ex celeberrima Bibliotheca Colbertina, Vir de republica literaria bene merentiſſimus, ST. BALVZIVS *libro II. Miſcellaneorum.* De eodem Edicto ejusque tempore, quo promulgatum, agit Sam. Petitus *Diatribâ de jure, Principum Edictis, Eccleſiæ quæſito. cap. VIII.* Paulò poſt ad preces Donatiſtarum in cauſa eorum Judices dati ſunt ab eodem Imp. Conſtantino, Epiſcopi Maternus ex *Agrippina* civitate, Rheticius ab

Au-

Auguſtoduno civitate, & Marinus *Arelatenſis*, teſte *Optato Milevit. l. 1. contra Parmen.* Igitur ante promulgatum Edictum & unitionem Reip. atque Eccleſiæ jam tum Epiſcopatus conſtituti fuerunt in dictis Civitatibus. Pariter etiam *Treviris*, cujus Epiſcopus Agrœcius Concilio Arelatenſi A. C. 314. habito ſubſcripſit. Sed & in toto Tractu Gallicano Epiſcopatus jam tum fundati fuerant, in quo Epiſcopatum Lugdunenſem, Photinus martyr, primus ſuſcepit, cui A. C. 178. ſucceſſor Irenæus à Polycarpo S. Johannis diſcipulo ex Aſia directus fuit. Imprimis autem ſub Decio Imp. Epiſcopatus ibi conditos circa A. C. 250. teſtatur *Gregorius Turon. l. 1. Hiſt. Franc. c. 30.* De reliquis Provinciis idem judicari poteſt, quæ ante Conſtantinum non ab uno & peculiari Præfecto Prætorio, ſed ſingulæ aut per *Proconſules*, ut Belgicæ & Germanicæ, itemque Narbonenſis, quæ hohie κατ᾽ ἐξοχὴν Provinciæ nomen obtinet, aut per *Præſides* & Rectores *immediatè* ab Auguſtis dependentes gubernatæ, uti W. Laz. *l. 2. Comm. Reip. Rom. c. VI.* ex C. Tacito & Inſcriptionibus docet.

§. VII.

Diviſus poſtea à Conſtantino M. orbis Romanus in orientalem & occidentalem, uterque porro in Tractus & Præfecturas ſupremas, quibus ſubjectæ *Diœceſes*, quarum quælibet plures continebat Provincias, Provinciæ plures χώρας ſeu regiones, *l. fin C. Th. de def. Civit. Jac. Gutber. lib. 2. de off. dom. Aug. c. VI.* Præfectus Prætorio Galliarum tres regebat Diœceſes, Galliam, Hiſpaniam & Britanniam. Diœceſis Galliarum ſeptendecim Provincias continebat, quas Notitia Imperii occidentis recenſet. Igitur ad Gallicanam Diœceſin relatæ tum partes Germaniæ ad Rhenum Imperio Rom. ſubjectæ. *Imperii Rom. partitio.*

§. IIX.

Treviris metropolis. Metropolis Diœceſeos fuit *Treviris*, quæ ideo clariſſima civitas per Diœceſin Galliarum appellatur *l. 11. C. Th. de Med. & Prof.* ſedes quippe Præfecti Præt. Galliarum *l. 5. C. Th. de curſu publico.* Unde Epiſcopi Trevirenſis auctoritate convocata olim Concilia Nationalia Galliæ, probabile viſum *Petro de Marca lib. 6. de C. S. & J. c. XVII. 4.* qui ejusdem *libri cap. 1.* non dubitat aſſerere jam tum Apoſtolorum fuiſſe inſtitutum, ut orbis Eccleſiaſticus in provincias diſtribueretur, ad exemplum diſpoſitionis Civilis, quæ per illas tempeſtates vigebat in Imperio. *conf. diſſ. ejus de primat. §. LVIII.* Ab aliis verò fertur hoc ad conſuetudinem, quæ mox poſt Apoſtolorum tempora incepit, & gradatim ad Monarchiam ſacram proceſſit. *vid. Blondell. de la primauté de l' Egliſe, pag. 511. ſeqq.* Et quamvis ſublata iſta partitione, ſub imperii Francorum & Alemanorum, Treviris cum Germania minore, Belgio cæterisque Germaniæ partibus per Romanos avulſis, cum toto coaluit poſtliminio iterum, & ad Imperium & Regnum Germanicum poſtea pertinuit, & usque ad hunc diem pertinet, manſit tamen Eccleſia Metropolitana Galliæ Belgicæ, ejusque ArchiEpiſcopatus ob id *Archi Cancellariatum* Imperii Germanici *per Gallias* obtinet. Sed revertamur ad judices cauſæ Donatiſtarum ab Imp. datos: Agrippinenſem, Auguſtodonenſem & Arelatenſem, Epiſcopos.

§. IX.

Auguſtodunum. *Auguſtodunum* Heduorum civitas, caput gentis, *Tacit. Ann. 3. 43.* à Fl. Conſtantio Imp. *Flavia* dicta, celebris ſcholis Eumenii Rhetoris, ut ex ejus Panegyricis liquet. Provinciæ Lugdunenſis primæ tunc civitas: Hodie Ducatûs Burgundiæ, vulgò *Auſtun.* *Arelat.* Arelatenſis civitas tum ſedem

ſedem habuit Epiſcopalem, ad quam poſtea jus Metropoleos Gallicanæ Treviris ademtum fuit translatum. *Gutber. l. 2. de off. dom. Aug: c. VII. B. Straucb. de regno Arelatenſi.* Huc à Petro Apoſtolo *Trophimum* miſſum fuiſſe, primum Epiſcopum, refert libellus Epiſcoporum provinciæ Viennenſis A. C. 450. Leoni Papæ oblatus, & Zoſimus Papa Epiſt. V. in Concilio Francofurtenſi olim laudata, defenditque Petrus de Marca *Epiſt. ad H. Vales. §. 9. ſeqq.*

§. X.

Agrippina, quæ nunc *Colonia* dicitur, *inquit Gregor. Turon. l. 6. c. 24.* nempe Franci captam hanc Civitatem appellarunt Coloniam, quod ibi Coloni inhabitarint, ait Ado *Chron. A. C. 452.* hæc Galliæ Belgicæ pars quondam, ſub Imperio Francorum Provinciis Germanicis redunita, *Metropoleos* jus nacta: Zacharias Papa ad Bonifacium: *De Civitate illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, juxta petitionem Francorum, noſtraque auctoritatis preceptum, nomini tuo metropolim confirmavimus, & tuæ ſanctitati direximus pro futuris temporibus ad ejusdem Metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem.* Tandem & jus *ArchiCancellariatus per Italiam*, de quo ſuo loco. Hujus Epiſcopus tum fuit *Maternus*. *Agrippina.*

§. XI.

Mirum autem videri non debet, quod, cum tum temporis & in Trevirenſi Civitate collecta fuerit Chriſto Eccleſia, ejusdem Epiſcopus, veluti Metropolitanus, non datus potiùs fuerit inter hos judices: nam ut ex *actis S. Gereonis apparet*, Maternus ille tunc utramque & Agrippinenſem & Trevirenſem Eccleſiam rexit. Enim vero ante Edictum Conſtantinianum ſub diriſſimis perſecutionibus per Diœceſin præſertim Gallicanam facilè judicari poteſt, *Epiſcopus plurium Eccle*

poteſt, non fuiſſe fixas Epiſcoporum ſedes, Metropolibus Diœceſanis & Provinciarum annexas; ſed hæc talis combinatio ortum demum cepit (nec ſimul ac ſemel) ab univerſali Conſtantiniana Eccleſiæ cum Romana Republ. conjunctione, & accuratiori externæ hierarchiæ inſtitutione. Antea enim quum Eccleſiæ eſſent & rariores, & minus frequentes, facilius & poterat & ſolebat unus plurium civitatum Eccleſias regere, ambitu quoque nominis ac juris Epiſcopalis nec dum invaleſcente. *Blondell. de la prim. de l'Egl. p. 535. 1. Serar. l. 2. c. 2.* Et facit huc, quod Gregor. *Turon. lib. 1. Hiſtor. c. ſi.* habet: *Quod ſi quis requiret, cur poſt tranſitum Gratiani Epiſcopi, unus tantum, id eſt Litorius, uſque ad S. Martinum fuiſſet Epiſcopus, noverit, quia obſiſtentibus Paganis, diu Civitas Turonica ſine benedictione Sacerdotali fuit. Nam qui Chriſtiani eo tempore videbantur, occultè & per latebras divinum officium celebrabant. Nam ſi qui à Paganis reperti fuiſſent Chriſtiani, aut afficiebantur verberibus aut gladio truncabantur.*

§. XII.

Eccleſ. cis Rhen.

In Germania Magna & Cis Rhenana vix ulla Eccleſiarum mentio apud Scriptores, præterquam ad Danubium. Nam in Rhætia *Auguſtanorum* Epiſcopus jam tum ad A.C 163. *Philippus* quidam refertur, quanquam nullo certo auctore, nec à Velſero agnitus *lib. IV. Rerum Aug.* Inde *Lucius* tamen Rex Britannicus, relicto regno ut fertur, religionem de Chriſto hîc docuit, *idem l. VI. Anno 179.* Narciſſus quoque Hiſpanus huc venit exul A. C. 302. *Idem libr. VII.* In *Norico Laureacenſis Eccleſia* antiquiſſima prædicatur, etiam *Quirino*, Philippi Arabis Imp. filio, ut ferunt, & juxta Cuſpinianum primo Epiſcopo, celebris, quem ſecutus Decio Imperante *Maximilianus fertur.*

Quam

Qvum vero præterea de Germania Magna Romani poſſederint *aliquando Friſiam, Marcomanniam & Germaniam novam*, cui novum Præſidem dare voluerat Probus Imp. ut eſt apud *Vopiſcum*, & *vid. Laz. l. 2. Comm. Reip. Rom. c. VIII.* veriſimile eſt, etiam in his eccleſias non nullas extitiſſe.

§. XIII.

Certe de *Burgundionum* gente compertum eſt, eam circa A. C. 418. Theodoſio & Valentin. Impp. Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe. Hiſtoriæ Tripartitæ compilator *l. XII. c. IV.* refert: *Nunc vero res memorabilis indicanda eſt. Quædam Inſula ultra Rhenum fluvium eſt Burgundionum. Iſti vitam quietam agunt, & pene omnes fabri lignorum ſunt, ex qua mercede paſcuntur: quorum regionem Hunni crebra invaſione vaſtabant, & plurimos occidebant. At illi licet anxietate conſtricti ad nullum ſe tamen hominem contulerunt, ſed alicui Deo ſe committere cogitabant. Tum audientes, quod Romanorum Deus fortiter adjuvat ſe timentes, omnes communi Conſilio ad credulitatem Chriſti confugiunt: Venientesque in unam Civitatem Galliarum, rogabant, ut ab Epiſcopo Chriſtianorum Baptiſma mererentur. At ille eos ſeptem diebus faciens jejunare & imbuens fide, baptizatos octavo die abire præcepit. Qui ſumta fiducia contra tyrannos alacriter feſtinabant, & ſpe ſua fruſtrati non ſunt. Nam quum rex Hunnorum nomine Suptarus, per noctem fuiſſet ciborum nimia voracitate corruptus, Burgundiones gentem inimicam ſine duce reperientes, & pauci plurimis reſiſtentes facta congreſſione vicerunt. Nam cum eſſent iſtorum tria millia, circa decem millia peremerunt, & ex illo tota gens ferventiſſime in Chriſtianiſmo permanſit.* Deſumta hæc ſunt ex Socratis *Hiſtoria Eccleſiaſtica l. VII. c. XXX.* qua-

Eccleſ. Burgund. Circiter.

re operæ pretium eſt, ut fontem ipſum adeamus, de primitiis Eccleſiæ Germaniæ cis Rhenum.

§. XIV.

Ita vero Socrates:

Πρᾶγμα μὲν τι περὶ τοῦδε τοῦ χρόνου ἄξιον μνήμης γενόμενον, διηγήσομαι. Ἔθνος ἐστὶ βάρβαρον πέραν τοῦ ποταμοῦ Ῥήνου τὴν οἴκησιν, Βουργουζίωνες καλοῦνται. οὗτοι βίον ἀπράγμονα ζῶσιν ἀεί. τέκτονες γὰρ σχεδὸν πάντες εἰσίν. καὶ ἐκ ταύτης μισθὸν λαμβάνοντες, ἀποτρέφονται. τούτοις συνεχῶς τὸ ἔθνος Οὔννων ἐπερχόμενον, ἐλεηλάτει τὴν χώραν αὐτῶν, καὶ πολλοὺς πολλάκις αὐτῶν ἀνῄρει. οἱ δὲ ὑπὸ ἀμηχανίας, ἀνθρώπῳ προσφεύγουσιν οὐδενί. θεῷ δὲ τινι ἐπιτρέψαι ἑαυτοὺς ἐβούλοντο. Κατὰ νοῦν δὲ λαμβάνοντες, ὅτι Ῥωμαίων ὁ θεὸς ἰσχυρῶς τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν βοηθεῖ, κοινῇ γνώμῃ πάντες ἐπὶ τὸ πιστεῦσαι τῷ Χριστῷ ἐληλύθασιν, γενόμενοί τε ἐν πόλει μιᾷ τῆς Γαλλίας, παρακαλοῦσιν ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου τυχεῖν χριστιανικοῦ βαπτίσματος. ὁ δὲ ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας παρασκευάσας νηστεῦσαι αὐτοὺς, καὶ τὴν πίστιν κατηχήσας αὐτοὺς, τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ βαπτίσας ἀπέλυσε. θαρραλέοι οὖν οὗτοι κατὰ τῶν τυράννων ἐπορεύοντο. καὶ τῆς ἐλπίδος οὐχ ἥμαρτον. τοῦ γὰρ βασιλέως τῶν Οὔννων ὑπὸ ἀδδηφαγίας ἐν νυκτὶ διαρραγέντος, ᾧ ὄνομα Οὐπτάρος ἦν, οἱ Βουργουζίωνες ἀστρατηγήτοις ἐπιθέμενοι, ὀλίγοι τε πρὸς σφόδρα πολλοὺς ἐπιθέμενοι συμβαλόντες ἐνίκησαν. Τρισχίλιοι γὰρ μόνοι περὶ τοὺς μυρίους κατήνεγκαν. καὶ ἐξ ἐκείνου τὸ ἔθνος διαπύρως ἐχριστιάνισεν.

§. XV.

Inſula Burgundionum & Migrationes.

INSULAM appellat Epiphanius Scholaſticus, interpres Socratis, regionem Burgundionum cis Rhenum, quemadmodum eodem nomine etiam ſingulæ domus, quamvis inter ſe conjunctæ veniunt. Neſcio an ſimiliter *Gregor. Turon. l.* 2. *c.* 19. de Saxonibus ait: *Inſula eorum cum multo populo interemto à Francis capta atque ſubverſa ſunt.*

ſunt. Certe *Inſula Flaici* dicta eſt *Goffrido Abb. Vindocin. l.3. epiſt.36.* quam non maris nec fluminis eſſe annotat Sirmondus, ſed mediis olim ex paludibus erutam, qui nunc etiam ejus ſitus cerneretur non procul Surgeriis. Burgundionum porro inſulam Ammianus Marcellinus *lib. XVIII.* vocat *regionem cui Capellatii vel Palas nomen eſt, ubi terminales lapides Alemannorum & Burgundionum confinia.* Eſt ſcilicet ea regio, quæ hodieque retinet vetuſtiſſimum illud nomen *Palas*, Pfaltz / Palatinatus nimirum inferior, & Marchionatus Badenſis. Hic fuit tum temporis ſedes Burgundionum, quum primitias offerrent Chriſto cum cæteris Germaniæ magnæ incolis. In eam translati illi erant ex *Mediterraneis* Germaniæ, in quibus à Tiberio in fidem recepti, teſte *Floro*, ait W. Lazius *l. XI. de Migr. gent.* ſed nec Tiberii nec Burgundionum meminit Florus, niſi fallor: id tamen eò referri poſſit, quod ad finem libri ultimi de Auguſto ait: *Omnibus ad occaſum & meridiem pacatis gentibus, ad ſeptentrionem quoque; duntaxat intra Rhenum atque Danubium illi quoque reliqui, qui immunes imperii erant, ſentiebant tamen magnitudinem, & victorem gentium, Populum Romanum reverebantur.* Attamen & Boxhornius *Hiſt. Univ. p. 226.* ait: *conſtans, licet ex Oroſii ſolius teſtimonio, fama huc uſque invaluit, eos à Burgis (qui limitum caſtella Romano ſermone deſignant) Auguſti principatu appellationem fuiſſe conſecutos, cum à Druſo & Tiberio Cæſaris Octavii Auguſti filiis, poſt ſubactam interiorem Germaniam, per caſtra diſtributi, in magnam gentem coaluiſſent.* Oroſii verba ſunt Lib. VII. cap. XXXII. *Burgundionum novorum hoſtium novum nomen, qui plusquam octoginta millia, ut ferunt, armatorum, ripæ Rheni fluminis inſederunt. Hos quondam ſubactâ interiore Germania à Druſo & Tiberio*

adoptivis filiis Cæſaris, per caſtra diſpoſitos, ajunt in magnam coaluiſſe gentem. atque ita etiam nomen ex opere præſumſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta, Burgos vulgò vocant: eorumq́; eſſe prævalidā & perniciosam manum, Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumta poſſeſſione conſiſtunt, quamvis providentiâ DEI omnes Chriſtiani modo facti Catholicâ fide, noſtrisq́; Clericis, quibus obedirent, receptis, blandè, manſvetè, innocenterque vivant, non quaſi cum ſubjectis Gallis, ſed verè cum fratribus Chriſtianis. Sed refert hoc Oroſius tanquam rem non ſatis exploratam & ex famâ modò hauſtam. Certè veriſimile haud eſt, caſtella limitanea Burgundis potius, quàm Romanis limitaneis crediдiſſe Auguſtum. Fabula itaque videtur, orta fortè, ut aliàs accidit, ex nominis ſignificatione. Quanquam *Boxbornius* negat eos denominatos abinde, quod omnibus gentibus Europæis jam tum commune fuerit. Fortè compoſita vox eſt ex Bur & Gundi, quod fortè à Gau, pagus. Quicquid ſit. Cæterum M. Freherus *P. 3. Origin. Palatin. c. 2.* judicat *Capellatium* Marcellini non convenire regioni Palatinatus, nec ibi Burgundiones habitaſſe. Sed hoc ſatis probatum eſt, ad Rhenum ibi Burgundiones conſtitiſſe. Unde & P. Pithœus *de Palatinis*, iſtud haud negat, ſed Palatinum Rheni ab eo nomen accepiſſe inficiatur. Sanè *Capellatium* & *Palas* unum nomen videtur, niſi quod hoc ſimplex, illud cum veteri Gothico *Cap* coaluit, quod reliqvum in *Nortcap*, & inde noſtrum *Kuppe*. *Palas* autem eſt etiam Teutonicæ originis, *Pala*, *Palen*, *Palas*, unde hodie Pfalen/ limitum ſpecies. Hoc eſt, quod Ammianus innuit, regionem iſtam *Cappalatium* dictam, vel & *Cappalentium*, ex eo, quod ibi terminales lapides & confinia Alamannorum & Burgundionum conſtituta. Conf.

&

& Boxhorn. *H. V. ad A.C. 988.* Apud eundem Marcellinum *Soboles Romana à priſcis temporibus*, cognominantur. Hi ex vagina gentium Scandia oriundi, eâ relicta inter Viſtulam & Boriſthenem quæſitas ſedes, relinquere à Gepedarum Rege Faſtida coacti fuerunt. *V. B. Rhenan. lib. 1. Rer. Germ. W. Laz. de Migrat. Gent. lib. XI.* Tandem qvum & vires Regni Burgundici cum Chriſtianiſmo creſcerent, & Hunnorum Tyranni, inprimis Attila, gravius immineret, dilatarunt fines ſuos ultra Rhenum, eoque ſedes fixerunt ultimas, quibus hodieque nomen inhæret. De iis Gregorius Turonenſis *l. 2. c. IX. In his autem partibus i. e. ad meridionalem plagam, habitabant Romani usque ad Ligerim Fluvium. Ultra Ligerim verò Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arrianorum ſectam ſequentes habitabant trans Rhodanum, qui adjacet civitati Lugdunenſi.* conf. *c. XXXIII. & Adonis Chron. ad A. C. 379. p. 149.* Vires ceperant ſat validas, conſtitutâ ſibi Regiâ Lugdunenſi civitate, ut arbitror. Enimvero à Gundebaldo Rege lex Burgundionum *Lugduni* promulgata eſt ſub die *IV. Kal. April. Agapito Coſ. h. e. A.C. 517.* quem ex Tit. LII. ſupplendum eſſe arbitror.

CAPUT V.

De LIBERTATE ECCLESIARUM GERMANIÆ ANTE CONSTANTINUM.

SUMMARIA.

Libertas & Concordia tum. ejus cauſa. Conſtantii Chlori favor erga Chriſtianos. Philippus Arabs. Regimi-

nis Eccleſ. forma & gradus. Populi jus. Monarchiam abſolutam in Eccleſia non dari.

§. I.

Libertas Eccleſ. Germ. ante Conſtantin.

CONſiderantes jam ſtatum Eccleſiarum Germanicarum ſive minoris ſive Magnæ etiam Germaniæ, eandem harum, quam per univerſum hunc terræ orbem Eccleſiæ Catholicæ tum temporis & ante & poſt Conſtantini Eccleſiæ cum Republica unionem, geſſerunt faciem, deprehendimus. Summa hic concordia, ſumma libertas. Una enim Fidei ac ſalutis formula, circa hanc diſſidia ac Schiſmata facile excludebat. Iſthanc quum Irenæus *l. 1. adv. Her. c. 3.* retuliſſet, de conſonantia Eccleſiarum Galliæ & Germaniæ ita infit: *Hanc prædicationem quum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Eccleſia, eaque in Univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans, & ὁμοίως credit eis, quaſi unam animam habens & unum cor, & συμφώνως hæc prædicat & docet, & tradit qs. unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt.* Concors Optimatium Regimen ſingulas Eccleſias libertati ſuæ ſecurè relinquebat. Vis verò externa oppreſſorum, libertatem nec opprimere nec imminuere poterat. *Quippe certatim*, inquit Severus, *glorioſa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis mundus exhauſtus eſt: neque majore unquam triumpho vicimus, quàm cum decem annorum ſtragibus vinci non potuimus.*

l. 2. Hiſt. Sacr.

Proximis quoque ante Conſtantinum M. temporibus, Eccleſiis Galliæ & Germaniæ religionis Chriſtianæ libertatem à Conſtantio Imp. in Tractu Gallicano patre Conſtan-

ſtantini,qui deorũ cultu abrogato, unum DEUM colebat, Chriſti cultores fovebat,conceſſam fuiſſe,teſtatur *Euſebius, l.1.de vit.Conſt.M.c.XIII. & XVII.* Et faciunt huc omnia illa Edicta Impp. quibus libertatem aut inducias conceſſerunt Eccleſiis, quæ *S. Petitus* peculiari diatriba, *de jure, Principum Edictis, Eccleſiæ quæſito,* explicuit. Philippus Arabs Imp. primus Imperatorum Fidem noſtram amplexus fuiſſe fertur, qui A.C. 245. imperium ſuſcepit. *Euſeb. lib. VI. H. E. c. XXXIV. Vincent. Lirinenſis Commonit.pag. 343. Baron.ad A. C. 246.* Sed privata fuerit profeſſio, rem Chriſtianam publicè non auxit.

§. II.

De libero Eccleſiarum regimine illorum ſeculorum, Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, qui A.C. 261. Martyrium ſubiit *lib. de Baptiſmo Hæretic.* hæc reliquit: *Neque enim quiſquam noſtrum EPISCOPUM ſe eſſe EPISCOPORUM conſtituit, aut TYRANNICO terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſſit cum nec ipſe poſſit alterum judicare.* Tertullianus, qui anno uno Martyrio Cyprianum prævertit *l. de Bapt. c. 17. Dandi* (Baptiſmi) *quidem jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem.* Imo in Seculo ſecundo Eccleſias fere Democraticè gubernatas *viſum Centuriatoribus c. 7. pag. 134.* Etenim in ſingulis Eccleſiis poſt Apoſtolorum tempora primitus Epiſcopi nihil gerebant ſine conſenſu Presbyterii, & Seniorum de Populo. Poſtea hos Clerus excludere cœpit. Tandem Epiſcopus ſolus omnia gubernavit inconſulto Presbyterio, *V. H. Grot.*

Regimen Eccleſiaſt.

Regim. Eccleſ. gradus & ſpecies.

de

de J. S. P. circa Sacra C. XI. pag. 343. & 349. Boxhorn. Hiſt. Univ. pag. 87. Duaren. lib. 1. de S. Eccl. Miniſt. c. VII. P. Suavis lib. VIII. Hiſt. Concil. Trid. Lud. Engel. Coll. Jur. Canon. P. 1. lib. 1. Tit. XXX. fin.

§. III.

De populi libertate in eligendo Rectore Eccleſiæ tum temporis teſtis eſt luculentus Cyprianus *Epiſt. LXVIII. 4. ait: Propter quod plebs obſequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore Præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere; quando ipſa maximè habeat poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod ipſum videmus de divina auctoritate deſcendere, ut Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur.* Conf. Petr. de Marca *l. VIII. de C. S. & J. c. I. IX. & XIII.* qui etiam generatim de poteſtate Pontificis Romani, & forma Regiminis Eccleſiæ Univerſæ *l. III. c. VIII. §. 5. & in Apologia*, atque paſſim inculcat, tanquam vulgatum ac receptum ab omnibus Theologis axioma, *nempe Monarchicum Eccleſiæ ſtatum adminiſtratione ariſtocratica temperari.* V. etiam M. Ant. de Dominis, *l. 1. de Rep. Eccl. c. XII.* Salmaſ. *apparat. ad lib. de primatu Papæ p. 216.* qui hæc nomina civilium πολιτειῶν ad Eccleſiam transferri poſſe negat, niſi ut ego arbitror, *analogicè:* itemque quatenus Eccleſia cum Rep. *coaluit*, & poteſtas Eccleſiaſtica de Civili participat. Sed qvum hiſce ſeculis peculiarem Eccleſiarum Germanicarum ſtatum & Libertatis conditionem non prodiderint ſcriptores, relictis univerſalibus illis, ad ſequentem pergimus ætatem.

Monarchia abſoluta in Eccleſ. non datur.

Cap.

CAPUT VI.

De
LIB. ECCL. GERM. IMPERANTE CONSTANTINO ET SUCCESSORIBUS.

Conſtantinus Eccleſiam Reip. uniens libertatem Eccleſiæ propriam reliquit: & auxit in civilibus. Teſtamenti-capio. Epiſcopalis audientia: Concurrens cum juriſdictione civilium magiſtratuum. S. Poteſtas circa ſacra Imperatori reſervata. A ſententiis Epiſcoporum in cauſis civilibus cur non appellatum, ab Arbitri ſententia non appellatum. In ſacris appellatum. Romæ à Conſtantino cognitio cauſæ Donatiſtarum commiſſa Epiſcopo Rom. & collegis. Marcus quis. Baronii emendatio rejecta. Appellationem Imp. recepit à ſententia Epiſcopi Rom. & collegarum. Traditores qui. Summum jus firmandi ac tuendi Concilia. Judicium Supplicat. & Appellatio ut differant. Cognitiones extraord. Conſtantino Epiſcopi, Apoſtoli titulus.

§. I.

MAxentio perſecutore à Conſtantino, cœleſte ſignum DEI in ſcutis notante, prout in quiete commonitus fuerat, deleto; unus Maximinus ſupererat Eccleſiæ hoſtis. Contra hunc Licinius, affinis Conſtantini, & conſors Imperii, caſtra movens, edoctus ab Angelo, quibus precibus victoriam impetraturus eſſet, quas Lactantius *Lib. de mortib. perſecutorum cap. XLVI.* exhibet, eandem reportavit. Itaque Nicomediam ingreſſus, gratiam Deo, cujus auxilio vicerat, retulit, ac die Iduum Juniarum Conſtan-

Conſtantinus libertatem Eccleſiis reliquit.

ſtantino atque ipſo ter Coſſ. de reſtituenda Eccleſia literas ad præſidem datas proponi juſſit, quibus ipſe cum Conſtantino omnibus ac ſingulis ſub ſuo degentibus imperio ſummam religionis libertatem concedens, cum primis quoque ipſis Eccleſiis Chriſtianis de ſua libertate, ſalvâ duntaxat ſumma Imp. Rom. Majeſtate, nihil quicquam voluit imminui, edicens, non tantum *ut nemo impediretur, quo minus ſuæ profeſſioni firmè adhæreſceret*, ſed etiam ut *loca* & ædes ſacris conventibus deſtinatæ, à perſecutoribus confiſcatæ, *absque ulla pretii repetitione ſine omni mora & dubitatione reſtituerentur.* Refert Edictum *Euſeb. l. X. c. V. Hiſt. Eccleſ.* Lactantius *dicto libro de mort. perſec. cap. XLVIII.* Ado Vienn. ad A. C. 306. *Conſtantinus Imp. de perſecutore Chriſtianus factus, licentiam dedit Chriſtianis libere congregari, & in honorem Chriſti ubique Eccleſias conſtrui: ac pene per totum Imperium Romanum privilegia ſingulis civitatibus dedit, ut populus Chriſtianus ſub jure & ordinatione Epiſcoporum libere viveret, ac Dei templis libere honoris ſtructuram componeret.*

§. II.

Etiam in cauſis Civilib.

Conceſſa quoq; fuit *Teſtamenti capio* Eccleſiis hactenus juris dubii cenſebantur, licitane eſſent collegia, & gauderent SCto Aproniano, Marci Antonini imperio condito, *l. 20. ff. de reb. dub. Vlpian. tit. XXII. §. 5.* necne? Eo ipſo verò quod Eccleſiæ libertas data per Edictum, etiam juris capiendi ex teſtamento conceſſum. Neque id demum per conſtitutionem *l. 1. C. de S. Trinit.* quippe quæ novem annis poſtea demum lata, ſed hac plenior facultas percipiendi in caſibus hactenus dubiis data fuit, *Vid. J. Gothofr. ad l. 4. C. Th. de Epiſcop.* Largitus tum & alia jura cum multis variisque immunitatibus *t. t. C. Th. de Epiſc. Sozom. lib. I. c. VIII.*

1.c.VIII. Sed & quum ex inſtituto Apoſtoli 1. Cor. VI. 5. mos hactenus in Eccleſia frequentatus, ut litigatores etiam in cauſis ſecularibus accederent Epiſcopum ſuum, eadem libertas relictaEccleſiæ,ut teſtis eſt *Sozomenus l.1.c.IX.* ſententiam legis Conſtantinianeæ hanc referens; *ut liceret litigantibus Epiſcoporum judicium invocare, neglectis, ſi vellent, civilibus Magiſtratibus: & ut ſententia eorum rata eſſet, & potioris auctoritatis, quàm aliorum judicum, atque ſi ab ipſo Imperatore prolata fuiſſet, utque judices ſeu magiſtratus, iisque miniſtrantes Apparitores judicata ab his executioni traderent.* Quæ confirmarunt etiam ſucceſſores, *Arcadius l. ſi qui ex conſenſu 7. C. de Epiſc. aud.* Honorius *l. 8. eod.* deque ejus rei praxi teſtantur Patres Eccleſiæ paſſim. *Epiſcopalis audientia.*

§. III.

Sed reſervavit ſibi omnino Conſtantinus & Succeſſoribus ſummam Reip. Poteſtatem tam in Sacris, quàm in ſecularibus. Nam quod conceſſio modo laudata eo extenditur à nonnullis, ut Epiſcopis credant traditam ſummam jurisdictionem tam in ſacris quam prophanis cauſis, ut ab eorum ſententiis ad ſummam Poteſtatem Reip. *appellari* non poſſet, id quidem falſo atque fictitio niti fundamento, nempe ſuppoſititia quadam *Conſtantini l. 1. C. Th. tituli ſubdititii de Epiſcopali judicio*, ἰφθαλμοφανῶς demonſtravit *J. Gothofredus.* Atque hoc quidem verum, à ſententiis Epiſcoporum in cauſis Civilibus appellationem locum non reperiſſe, ſed illud, non ex privilegio aliquo Epiſcoporum profectum eſt, ſed ex natura harum ſententiarum, quam docet Arcadius *d. l. 7. C. de Epiſc. aud.* & Juſtin. *l. 29. fin. eo.* habuerunt ſcilicet vim ſententiæ *Arbitri* utriusque partis conſenſu recepti. Diſcimus *S. Poteſtate ſibi reſervata. à ſententiis Epiſc. quat. appellatum in civilibus privatorum cauſſis.*

mus hoc vel ex Valentiniani Imp. Novella XII. quâ ſancit: *Cum inter Clericos jurgium vertitur, & ipſis litigatoribus convenit, habeat Epiſcopus licentiam judicandi: praeunte tamen vinculo COMPROMISSI. Quod & de Laicis, ſi conſentiant, auctoritas noſtra permittit. Aliter eos judices eſſe non patimur, niſi voluntas jurgantium interpoſita, ſicut dictum eſt, conditione praecedat. Quoniam conſtat, Epiſcopos & Presbyteros Forum legibus non habere; nec de aliis cauſis (ſecundùm Arcadii & Honorii divalia conſtituta, quae Theodoſianum Corpus oſtendit) praeter Religionem poſſe cognoſcere. Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & Jure communi.* Ab arbitri porrò ſententia Jure Romano Appellatio nunquam competiit, etſi arbitri non fuerint Epiſcopi *l. diem. 27. §. 2. & fin. D. de recept. Conf. Petr. de Marca libr. VII. de C. S. & J. C. XXIII. ſeqq.*

§. IV.

Jus appellandi in Eccleſiaſt. Cæteroquin in cauſis, ubi Epiſcopi erant judices ordinarii, utique appellatio locum habebat ad Imperatorem, etiam in iis, quæ fidem concernebant, ſed iſto cum diſcrimine, ut in his, quæ diſciplinam tantum ſpectabant, & perſonarum jus aut rerum Eccleſiaſticarum, Imperator ipſe jus redderet, ſive per ſe ſolum, ſuumque conſiſtorium ſive adſcitis quoque Epiſcopis, quale judicium *Arelatenſe Concilium* fuiſſe judicat Baron. *ad A. C. 314. n. LIII.* in quibus vero fides, & orthodoxia Evangelica verſaretur, Imperator tanquam communis Epiſcopus à Deo conſtitutus, (*ut Euſebius loquitur lib. 1. de Vita Conſtant. c. 37. V. Blondell. de la primautè de l'Egli. p. 1090.*) Concilium Eccleſiæ convocandi jus haberet, in eoque cauſam proponendi, & deciſum exſequendi: Eccleſia vero jus decidendi. Ambro-

ſius *Epiſtol.32. Si conferendum de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino auguſtæ memoriæ principe, qui nullas ante leges præmiſit, ſed liberum dedit judicium Sacerdotibus.*

§. V.

Eodem ipſo anno, quo Edicto Conſtantinus Pacem ac Libertatem Eccleſiæ, Reique publicæ immortali fœdere junxerat à N. C. 313. jure ſuo uſus, in cauſa Donatiſtarum & Cœciliani Epiſcopi Carthag. juſſit Romæ cauſam cognoſci à Romano Epiſcopo & ejus collega, Marco, data ob id Epiſtola ad Epiſcopum Romanum Miltiadem (ita enim pro *Melchiades* legendum in Gratiano, *A. Auguſt. de Emend. Grat. Dial. V. & VI.*) ejusque Collegam, Marcum, quem Archipresbyterum credo fuiſſe, qui A. C. 334. Sylveſtro Papæ admodum grandævus ſucceſſit, nec cathedram ultra IX. menſes obtinuit, ſecundum Baronium. Miltiadi & Marco adjunxit tres Galliæ & Germaniæ Epiſcopos, quos *cap. IV.* §. *VI.* nominavimus. Refert Epiſtolam Donatiſtarum *Optatus Milevit. lib. 1.* hanc: *Rogamus te, ô Conſtantine, optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia. Nam in Africa inter nos & cæteros Epiſcopos contentiones ſunt. Petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua.* Reſcriptum Imperatoris ad Epiſcopum Rom. & Marcum recitat Euſebius *l. X. H. E. c. V.* qui hoc judicium *Synodum* appellat, cujus acta porrò refert Optatꝰ dicto libro, & præter tres Gallos etiam quindecim Italos Epiſcopos unà cum Romano cauſam hanc dijudicaſſe, & Miltiadis ſententiâ judicium clauſum fuiſſe his verbis: *Cum conſtiterit Cæcilianum, ab iis, qui cum Donato venerunt juxta profeſſionem*

Concil. Roman.

ſuam non accuſari: nec à Donato convictum eſſe in aliqua parte conſtiterit: ſuæ communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum merito eſſe cenſeo.

§. VI.

Baronii Emendatio. Diſplicet Baronio, quod etiam ad Marcum Imperator literas direxerit & mavult pro καὶ Μάρκῳ ſubſtituere vocem ἱεράρχῃ. Sed nec ullo codice fidem facit, & appellatio iſta ſeculo hoc Romanis Epiſcopis vix uſitata; ipſa vero Epiſtolæ verba ſatis declarant, ad duos Eccleſiæ ſcilicet Romanæ primarios Clericos, non ad unicum fuiſſe ſcriptam: *Viſum eſt mihi, ut idem Cæcilianus cum decem Epiſcopis, qui illum reum facere videntur, & decem aliis, quos ipſe ſuæ litis dijudicationi* (ad ſuam cauſam) *neceſſarios exiſtimaverit, Romam navigio trajiciat: ut ibi CORAM VOBIS, & Rheticio etiam, & Materno, & Marino, COLLEGIS VESTRIS, quos ea de cauſſa Romam maturare juſſi, poſſit audiri, ſicut ſanctiſſima DEI lex, ut NOSTIS poſtulat.* Et tandem: *ſumma magni Dei Majeſtas VOS HONORATISSIMI VIRI multos annos conſervet.* Etſi enim in Euſebii textu græco legatur vulgo τιμιώτατε. apud *Nicephorum* tamen, qui *lib. VII. cap. XLI.* idem Reſcriptum recitat, numerus multitudinis habetur, quem & Baronii tranſlatio rectè agnoſcit, itaque emendat Euſebium *H. Valeſius*, quem etiam in reliquis nobiſcum facere deprehendi. Sed hæc ut alia plura ex præconcepta hypotheſi de dominatu Pontificis Rom. univerſali, utique quocunque modo ſtabiliendo fulciendoque: Nobis etſi propoſitum ex adverſo, libertatem Eccleſiarum Germanicarum aſſerere, haud tamen iſtud ſub neceſſitate Fidei ſalvificæ inculcamus, & ſicubi libertas illa, aut reſtricta aut aliquando vi

ſup-

ſuppreſſa dolore, non diſſimulabimus, jus tamen Eccleſiarum vindicaturi. Sed ad rem.

§. VII.

Etſi vero in hoc Judicio Cæcilianus innocens judicatus ſit, qvum teſtes inducti à Donato, confeſſi eſſent, *ſe non habere quod in Cæcilianum dicerent*; Donatus tamen appellandum ad Imperatorem eſſe credidit. Et quamvis Imperator appellationem indignabundus recepit, *conquerens de rabida furoris audacia* Chriſtianorum (de qua formula *Cujac. 4. obſ. 10.*) recepit tamen; non de jure ſuo dubitans, ſed cum Paulo *1. Cor. VI. 7.* τὸ ἥττημα & pruritum litigandi inter Chriſtianos & Epiſcopos ægrè ferens atque exprobrans. Quare *quo nulla illis penitus excuſatio de juſto judicio reliqua eſſe poſſet*, ſunt verba Baronii ad A. C. 314. *n. XIX. novum illis decernit judicium, nimirum Concilium plurimorum Epiſcoporum Arelate in Gallia; ubi ipſe agebat, legitime celebrandum. Verum ante* pergit idem, *quo cuncta liquida redderentur, mandat Proconſuli Africæ Æliano, cauſam cognoſcere Felicis Epiſcopi, qui Cæcilianum ordinaverat, & quem fuiſſe ſacrorum librorum traditorem Donatiſtæ fuerant calumniati.* Vocabant *Traditores*, qui perſecutoribus res & libros ſacros Eccleſiæ proderent & traderent gentibus comburendos. Vide *Concil. Arelat. I. c. 13.* Acta Martyrum à St. Baluzio collecta, *Miſcell. lib. 2. p. 59. 92. & ibi Baluz.* add. Bosquet. *ad Innoc. III. Epiſt. 130.* Jus igitur exercuit Imperator quod antea diximus, ut quoties de his quæ ad diſciplinam ſpectant, quæritur, Imperator ipſe vel per judices datos jus redderet.

Judic. appell.

§. IIX.

Atque jus hoc ſupremum firmandi tuendive decreta Conciliorum, etiam in rebus fidei quanquam diſpari

Jus Imp. ſummum circa Synodos.

ali-

aliqua ratione, quàm in his, quæ ad diſciplinam pertinent, egregiè vindicavit Principibus per veterum auctoritates & exempla Juſtinianus Imp. in Concilio Oecumenico V. CPoli A.C. 553. habito: in libello enim, qui Concilio oblatus & approbatꝰ fuit, inter alia hæc fatur: *His itaq; omnibus per diverſa tempora ſubſecutis, prædicti piæ recordationis noſtri Patres, ea quæ in unoquoque Concilio judicata ſunt, legibus ſuis corroboraverunt & confirmaverunt, & hæreticos, qui definitionibus prædictorum ſanctorum quatuor Conciliorum reſiſtere & Eccleſias conturbare conati ſunt, expulerunt.* Vid. *Petrus de Marca lib. 2. de C. S. & J. cap. X. 8. Nic. Vedel. de Epiſcopatu Conſtantini M. Qu. V.* Neque vero *tuitionis* vocabulo mera executio notatur, ſed illa ſummæ Poteſtatis ac Imperii circa ſacra pars revera omnibus Regibus ac Principibus Chriſtianis communis, quâ hi non tantum ad tuenda & exſequenda decreta Conciliorum obligantur, ſed &, quia præcipua Eccleſiæ *membra* ſunt, præcipuè quoque *ſuffragii* jure gaudent, quo & directio & obſignatio & promulgatio atque exſecutio continetur. Euſebius *lib. IV. de Vit. Conſtant. c. XXVII.* καὶ τοὺς τῶν ἐπισκόπων ὅρους τοὺς ἐν συνόδοις ἀποφανθέντας, ἐπεσφραγίζετο. *Epiſcoporum decreta in conciliis facta auctoritate ſuâ confirmavit.* Et *lib. III. cap. XVII.* Imperator ad Eccleſias de Synodo Nicæna ſcribit: *Hanc ob cauſam coactis quàm fieri potuit plurimis Sacerdotibus, me quoque tanquam uno ex vobis præſente (neque enim negaverim id, quo maximè exulto, conſervum me veſtrum eſſe,) cuncta competenti examine eò usque diſcuſſa ſunt.*

§. IX.

Judicium ſupplicat.

Cæterum videndum, an conventus hic Arelatenſis judicii *appellationis* rationem habuerit, aut potius *Extraordi-*

ordinariæ alicujus cognitionis, aut Retractationis vel *ſupplicationis judicium, l. 5. C. de precib. Imp. off. & Auth. ibidem.* Ratio dubitandi eſt, quia ipſi à quibus appellatum, non poſſunt intereſſe appellationis judicio, quod tamen hic factum. At contrà conſtat, quum in cauſa Eutychetis, à Concilio Epheſino præſide Dioſcoro habito, provocatum eſſet, & Leo Papa tandem ab Imp. Marciano A. C. 451. impetraſſet, ut propterea Concilium Chalcedonenſe haberetur, Dioſcorum inter reos ſedere juſſum, ut cauſam diceret. *Act. Conc. Chalc. Act. 1. P. de Marca de C. S. & J. l. V. c. X. 1. & vid. l. VII. c. VI. ſeqq.* Quod ipſum quòd in Synodo Arelatenſi aliiſque non factum ſit, ex *diſpenſatione Imperatoris*, jure directorii, & propter juſtitiam cauſæ, adverſus quam appellatio interpoſita apparebat, ſine dubio contigit. Cæteroquin *Extraordinariæ cognitionis* appellatione Romanis judicium primæ inſtantiæ veniebat, quod Magiſtratus ante Diocletianum in certis tantum cauſis exercebant ipſi, in reliquis judices dabant, & à Diocletiano & conſortibus imperii neceſſitas magiſtratibus impoſita, ut de omnibus cauſis ipſi cognoſcerent, *l. 2. C. de pedan. judic. J. Gothofredus ad l. quadam. C. Th. de offic. rect. provinc.* à quo tempore extraordinariæ cognitiones in *judicia ordinaria* fuerunt mutata, ut Juſtinianus propterea aſſerat, hodie omnibus judiciis extra ordinem jus dici, *§. fin. J. de interdict.* Denique Judicium *Supplicationis & retractationis* competebat, quoties quis ſe per ſententiam Præfecti Prætorio, à qua appellari non poterat, gravatum diceret, & quidem ſupplicatio offerebatur aut Principi, *l. un. C. de ſent. P. P.* vel ipſi Præfecto, *Novell. CXIX.* qui Retractationi itaque intereſſe poterat. Etſi vero civilium horum remediorum ſolennia in cauſis Eccleſiæ non ita

& Appellat. ut aiſſ.

attendebantur, provocationes tamen hactenꝰ retractationibus magis accedebant.

§. X.

Imperii porrò pars hæc circa ſacra adeo ſarta tecta fuit Imperatoribus ac Principibus Chriſtianis, ut communi Conciliorum conſenſu atque acclamationibus etiam *Epiſcoporum, Sacerdotumque* nomina ipſis haud denegata. Notum eſt, quod *apud Euſeb. l. IV. de vit. Conſt. c. XXIV.* Conſtantinus ſe appellet Epiſcopum Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω ἐκκλησίας. ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. *Vos quidem in iis, quæ intra Eccleſiam ſunt, Epiſcopi eſtis: Ego verò in iis, quæ extra geruntur, Epiſcopus à Deo ſum conſtitutus.* Imo Apoſtoli nomen poſt mortem meritus fuit, Auctor Synodici de Synodo Nicæna: Κωνσταντῖνος ὁ ἐν χριστιανοῖς βασιλεῦσιν ἀπόστολος. Itemque ἰσαπόστολος, quò Euſebius alludit *lib. IV. de vita Conſt. cap. LX.* Marciano Auguſto à Patribus Concilii Chalced. acclamatum: τῷ ἱερεῖ τῷ βασιλεῖ, Sacerdoti, Imperatori *Concil. Chalced Act. VI.* Dignum annotatu, quod ait Socrates *l. 5. proœm. Sed & ipſos Imperatores ſubinde in hoc opere perpetuò includimus, propterea quòd ex quo illi Chriſtiani eſſe cœperunt,* τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. *ex illis dependerunt res Eccleſiaſticæ: & maxima quoque concilia eorum arbitrio tum facta ſunt antea, tum hodieq́ fiunt.*

Cap.

CAPUT VII.

De LIBERTATE ECCLES. GERM. EX CONCIL. ARELAT. ET NICENO.

SUMMARIA.

Ex Concilio Arelat. libertas Eccl. Germ. Conciliorum præſides plures. Pontifices R. vix niſi per Legatos. Prætenſionis Rom. vetuſtas. Contradictio Eccl. Gall. & Germ. Epiſtola Synodalis lacuna. emendatio Baronii. conjectura propria. Canonum conſtitutio cujus ſit. Concil. Rom. A. 324. ſubleſtæ fidei. Canon Eccleſiaſt. laudatus Socrati l. 2. c. 8. & 17. Concilium Nicenum. quis præfuit. Siniſtra an dextra honoratior.

CÆterum quod Imperator, poſt ſynodum Romanam, alterum Epiſcopale judicium, ut Auguſtinus vocat *Epiſt. LXVIII.* dedit, habitum A. C. 314. in *Arelatenſi* Galliæ Civitate, hoc ſatis argumenti eſt, & Libertatem & authoritatē Eccleſiæ Galliæ *Germaniaq́;*, minoris præſertim, quæ Chriſtiana tunc erat, tantam tunc fuiſſe, ut non eſſet dubitatio, quin illa cum Eccleſiarum aliarum Epiſcopis ab Impp. denominatis, etiam de his, quæ in ſynodo Romana & Præſide Epiſcopo Romano deciſa eſſent, juſſu Imperatoriæ ut ſummæ poteſtatis, iterum cognoſcere jus haberet. Baronius quidem ex Balduino JC. *ad Optat Milev. Epiſcop.* refert *n. 51.* Sylveſtrum Epiſcopum Romanum huic Synodo *præfuiſſe* per legatos. Sed non ſolus præfuit, etſi per Legatos, Presbyteros & Diaconos fortè comparuit. Præfuiſſe certe proximè poſt Imp. Conſtantinum præſen- *Lib. Eccleſ. Germ. ex Concil. Arelat.*

tem, *Epiſcopum loci*, Arelatenſem, *Marinum*, apparet ex Epiſtola Synodali promulgatoria ad Epiſcopum Romanum, in qua primo loco Marinus ſiſtitur. Quemadmodum qvum Agatho P. R. Legatos mitteret ad Concilium CPolit. *& Oecum. VI.* nihilominus præſederunt Georgius Patriarcha CPolit. & Macarius Patriarcha Antiochiæ, referente *Alone Chron. A. C. 669.* Scilicet primores Epiſcoporum, qui poſtea Patriarchæ dicti, omnes dicebantur præſidere Conciliis, ut plures ſunt Præſides Parlamentorum, obſervante *Edm. Richerio Hiſt. Conc. Gen. c. 2, 18.*

§. II.

Præterſſionu Rom. vetuſtas. Quod vero Epiſcopus Rom. Conciliis extra Romam habitis ipſe præſens vix unquam fuerit, & jam tum intereſſe noluerit, imò quanquam tempore Concilii V. Generalis, CPoli à Juſtiniano Imp habiti Vigilius Papa CPoli præſens eſſet, & rogatus ab Imp. & Patribus fuerit, tamen tergiverſatus fuerit & præeſſe & intereſſe, ſed privatim ſententiam contra Neſtorii tria capitula exponere Imperatori maluerit, *Acta Concilii. Edm. Richer. Hiſt. Conc. Gen. c. IX.* Id quidem præ ſe ferre videtur veſtuſtiſſimam peculiaris prærogativæ Eccleſiaſticæ affectationem. At contra conſtat etiam ex hoc ipſo Concilio de Eccleſiarum imprimis Gallicarum & Germanicarum diſſenſu & exprobratione. *Diſſent. E. G.* Quo pertinent verba ejusdem Epiſtolæ Synodalis Patrum Arelatenſium: *Et, utinam, frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum intereſſes: tanti feciſſes profecto credimus, quia in eos ſeverior fuiſſet ſententia prolata, & te pariter nobiſcum judicante, cœtus noſter majori lætitia exultaſſet. Sed quoniam à partibus illis minime recedere potuiſti, ex quibus & Apoſtoli quotidie ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione Dei gloriam teſtatur: non tamen hac ſola*

nobis

nobis (nil impediente tuâ abſentiâ) *viſa ſunt tractanda, Frater chariſſime, ad quæ* (ab Imp. tecum) *fueramus invitati, ſed & conſulendum nobiſmet ipſis*, in cauſis noſtras etiam Eccleſias concernentibus conſuluimus (cenſuimus, te emanente.)

§. III.

Atque haud fuiſſe hujus Epiſtolæ intentionem, ut Synodus peteret prius ab Epiſcopo Rom. confirmationem eorum, quæ decreta erant, ſed imo ut decretorum vim Epiſcopo abſenti, atque ad obſervanda hæc decreta pariter obligato, ſicut cæteris fratribus, intimarent, ut ipſe porro per ſuas Diœceſes & Eccleſias eadem publicaret, non obſcurè produnt verba Epiſtolæ modo allegata; itemque illa: *Quæ decrevimus communi Concilio, charitati tuæ ſignificamus: ut omnes ſciant, quid in futurum obſervare debeant. Placuit etiam antequam - - - a te, qui majores Diœceſes tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari.* Baronius ſupplet, lacunam iſtam ita: *edatur à te*, & poſtea, pro *per te*, legit, *apertè*, ac vult hanc fuiſſe intentionem, ut leges Synodi ab Epiſcopo Rom. approbatæ ab eodem in univerſas Eccleſias promulgarentur. Sed neſcio, quo ſenſu *editio & inſinuatio*, ſeu publicatio decretorum à ſeſe invicem diſtinguuntur, idque ita ut editio, publicationem, ut diverſus actus ſequi debeat. Præterea & illud *apertè* quam male huc quadret, etiam qui obeſæ eſt naris ſentiet. Illud liquidum eſt, ex corrupto alias loco, univerſale in Eccleſias imperium Epiſcopo Rom. fratri ſuo à Concilio Gallicano hîc non concedi, ſed *majores* tantum *Diœceſes*, atque his publicationem Decretorum *per ipſum* tanquam ordinarium, *potiſſimum* fieri velle Synodum, quanquam & ipſa Synodus & Imperator eandem hanc haberet emi-

Epiſt. Synod.

Baron. Emendatio.

nentem poteſtatem. Quam etiam exercuit Conſtantinus, confecto Concilio Niceno, litteras ad omnes Epiſcopos promulgatorias mittens, & ſimul edicens, ut omnes ei decreto aſſentirentur, teſte Euſebio. Cæterum quum ſi legamus *à te* & *per te* alterutrum ſit ſuperfluum, Τὸ *per te* autem commode non poſſit à τῷ *potiſſimum* avelli, forte convenientior fuerit conjectura, ſi ſic conſtituatur lectio: *Placuit etiam, antequam diſcedamus Arelate, per te potiſſimum, qui majores Diœceſes tenes, omnibus inſinuari.*

§. IV.

Canonum conſtitutio cujus.

Non aliena hinc eſt obſervatio Edm. Richerii *Hiſt. Concil. Gen. c. VIII. §. 39.* quâ ſcilicet viâ Epiſcopi Rom. ſibi pedetentim auctoritatem *abſolutè* ſtatuendi de Diſciplina Eccleſiaſtica attribuere conati ſint, nempe non communicando Actis Conciliorum, quibus *Canones* conderentur: unde cum de ejusmodi canonibus agatur, ſcriptores Curiæ Rom. perpetuo obtendere ſolere, non probatos fuiſſe à Rom. Pontificibus: hocque artificium jamjam in *primo Concilio CPolit.* cœpiſſe, deinde in aliis Conciliis ſequentibus continuatum: hacque ratione Epiſcopos Rom. lapſu temporis voluiſſe oſtendere, ſe eſſe ſupra canones, atque diſciplinam Eccleſiaſticā ab eorum abſoluta auctoritate pendere; ex quo fieri, ut omnes canones, quos pro regenda diſciplina Eccleſiaſtica habemus, Patribus Orientalibus & Africanæ Eccleſiæ acceptos referre debeamus: paucos enim in Conciliis Rom. Pontificum extare: idque argumento, non ab his poſtremis ſeculis jacta eſſe fundamenta curiæ Romanæ.

Can. fin. Conc. Rom.

§. V.

Ex dictis & libertas Eccleſiarum Germanicarum iſto

ævo luculente patet, & *Canonis ultimi Synodi* Rom. quæ ad A. C. 324. Sylveſtro Papâ, refertur, fides ſubleſta; contrarium enim Eccleſiarum illius temporis libertati iſte tradit: *Nemo dijudicet primam ſedem: quoniam omnes ſedes à prima ſede juſtitiam deſiderant temperari. Neque quoque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à REGIBVS, neque à populo judex judicabitur.* Certè ſi non totum iſtud Concilium ſuppoſititium eſt, ſaltem alienus eſt tenor iſtius forte gloſſematis & adſutæ fimbriæ finalis à praxi & Imperii & Eccleſiæ ætatis iſtius, & redolet tempus jam confirmatæ Hierarchiæ Romanæ abſolutæ, & ceſſantis jam Imperii Romani in Francia & Hiſpania, enatis *Regibus* Francorum Gothorum & Germanorum, qui tamen & ipſi jura imperii circa ſacra ritè tenuerunt, usque dum infauſto Henrici IV. Imp. fato libertas ſupprimeretur aliquandiu. Annotatio certè temporis falſa itidem eſt, *Dom. Conſtantino A. III. & Priſco Coſſ.* Neque enim Priſcus aliquis Conſul refertur imperante Conſtantino, neque iſto anno, ſed longè ante Conſtantinus A. III. conſul fuit, nempe cum Licinio A. II.

§. VI.

Eâdem fide allegatur canon vetus Eccleſiaſticus: *Ne absque Romani Pontificis auctoritate concilium Univerſale congregetur:* isque ex Socrate *l. 2. c. VIII.* Nolim equidem cum præfatore Alex. Irvini Scoti, *de jure Regni Diaſcepſeos,* Socratem falſitatis arguere: quanquam præiverat Cl. Salmas. *Appar. ad libr. de prim. Papæ p. 292.* Conf. Blondell. *de la primautè de l'Egl. p. 67. ſqq. p. 556. p. 828. 847.* Nam verba Socratis *l. 2. c. 8.* de Concilio Antiocheno hæc ſunt: ἀλλὰ μὴν οὐδὲ Ἰούλιος παρῆν. ὁ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπίσκοπος οὐδὲ μὴν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἀπέστειλέ τινα, καί τοι κανόνος ἐκ- Socrat. 2. 8.

κλη-

mus hoc vel ex Valentiniani Imp. Novella XII. quâ ſancit: *Cum inter Clericos jurgium vertitur, & ipſis litigatoribus convenit, habeat Epiſcopus licentiam judicandi: praeunte tamen vinculo COMPROMISSI. Quod & de Laicis, ſi conſentiant, auctoritas noſtra permittit. Aliter eos judices eſſe non patimur, niſi voluntas jurgantium interpoſita, ſicut dictum eſt, conditione praecedat. Quoniam conſtat, Epiſcopos & Presbyteros Forum legibus non habere; nec de aliis cauſis (ſecundùm Arcadii & Honorii divalia conſtituta, quae Theodoſianum Corpus oſtendit) praeter Religionem poſſe cognoſcere. Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & Jure communi.* Ab arbitri porrò ſententia Jure Romano Appellatio nunquam competiit, etſi arbitri non fuerint Epiſcopi *l. diem. 27. §. 2. & fin. D. de recept. Conf. Petr. de Marca libr. VII. de C. S. & J. C. XXIII. ſeqq.*

§. IV.

Jus appellandi in Eccleſiaſt. Cæteroquin in cauſis, ubi Epiſcopi erant judices ordinarii, utique appellatio locum habebat ad Imperatorem, etiam in iis, quæ fidem concernebant, ſed iſto cum diſcrimine, ut in his, quæ diſciplinam tantum ſpectabant, & perſonarum jus aut rerum Eccleſiaſticarum, Imperator ipſe jus redderet, ſive per ſe ſolum, ſuumque conſiſtorium ſive adſcitis quoque Epiſcopis, quale judicium *Arelatenſe Concilium* fuiſſe judicat Baron. *ad A. C. 314. n. LIII.* in quibus vero fides, & orthodoxia Evangelica verſaretur, Imperator tanquam communis Epiſcopus à Deo conſtitutus, (*ut Euſebius loquitur lib. 1. de Vita Conſtant. c. 37. V. Blondell. de la primauté de l'Egli. p. 1090.*) Concilium Eccleſiæ convocandi jus haberet, in eoque cauſam proponendi, & deciſum exſequendi: Eccleſia vero jus decidendi. Ambro-

ſius

ſius *Epiſtol.32. Si conferendum de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino auguſta memoriæ principe, qui nullas ante leges præmiſit, ſed liberum dedit judicium Sacerdotibus.*

§. V.

Eodem ipſo anno, quo Edicto Conſtantinus Pacem ac Libertatem Eccleſiæ, Reique publicæ immortali fœdere junxerat à N. C. 313. jure ſuo uſus, in cauſa Donatiſtarum & Cœciliani Epiſcopi Carthag. juſſit Romæ cauſam cognoſci à Romano Epiſcopo & ejus collega, Marco, data ob id Epiſtola ad Epiſcopum Romanum Miltiadem (ita enim pro *Melchiades* legendum in Gratiano, *A. Auguſt. de Emend. Grat. Dial. V. & VI.*) ejusque Collegam, Marcum, quem Archipresbyterum credo fuiſſe, qui A. C. 334. Sylveſtro Papæ admodum grandæuus ſucceſſit, nec cathedram ultra IX. menſes obtinuit, ſecundum Baronium. Miltiadi & Marco adjunxit tres Galliæ & Germaniæ Epiſcopos, quos *cap. IV. §. VI.* nominavimus. Refert Epiſtolam Donatiſtarum *Optatus Milevit. lib. 1.* hanc: *Rogamus te, ô Conſtantine, optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia. Nam in Africa inter nos & cæteros Epiſcopos contentiones ſunt. Petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua.* Reſcriptum Imperatoris ad Epiſcopum Rom. & Marcum recitat Euſebius *l. X. H. E. c. V.* qui hoc judicium *Synodum* appellat, cujus acta porrò refert Optatꝰ dicto libro, & præter tres Gallos etiam quindecim Italos Epiſcopos unà cum Romano cauſam hanc dijudicaſſe, & Miltiadis ſententiâ judicium clauſum fuiſſe his verbis: *Cum conſtiterit Cæcilianum, ab iis, qui cum Donato venerunt juxta profeſſionem*

Concil. Roman.

ſuam non accuſari: nec à Donato convictum eſſe in aliqua parte conſtiterit: ſuæ communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum merito eſſe cenſeo.

§. VI.

Baronii Emendatio.

Diſplicet Baronio, quod etiam ad Marcum Imperator literas direxerit & mavult pro καὶ Μάρκῳ ſubſtituere vocem ἱεράρχῃ. Sed nec ullo codice fidem facit, & appellatio iſta ſeculo hoc Romanis Epiſcopis vix uſitata; ipſa vero Epiſtolæ verba ſatis declarant, ad duos Eccleſiæ ſcilicet Romanæ primarios Clericos, non ad unicum fuiſſe ſcriptam: *Viſum eſt mihi, ut idem Cæcilianus cum decem Epiſcopis, qui illum reum facere videntur, & decem aliis, quos ipſe ſuæ litis dijudicationi* (ad ſuam cauſam) *neceſſarios exiſtimaverit, Romam navigio trajiciat: ut ibi CORAM VOBIS, & Rheticio etiam, & Materno, & Marino, COLLEGIS VESTRIS, quos ea de cauſſa Romam maturare juſſi, poſſit audiri, ſicut ſanctiſſima DEI lex, ut NOSTIS poſtulat.* Et tandem: *ſumma magni Dei Majeſtas VOS HONORATISSIMI VIRI multos annos conſervet.* Etſi enim in Euſebii textu græco legatur vulgo ποιῶνται, apud *Nicephorum* tamen, qui *lib. VII. cap. XLI.* idem Reſcriptum recitat, numerus multitudinis habetur, quem & Baronii translatio rectè agnoſcit, itaque emendat Euſebium *H. Valeſius*, quem etiam in reliquis nobiſcum facere deprehendi. Sed hæc ut alia plura ex præconcepta hypotheſi de dominatu Pontificis Rom. univerſali, utique quocunque modo ſtabiliendo fulciendoque: Nobis etſi propoſitum ex adverſo, libertatem Eccleſiarum Germanicarum aſſerere, haud tamen iſtud ſub neceſſitate Fidei ſalvificæ inculcamus, & ſicubi libertas illa, aut reſtricta aut aliquando vi

ſup-

ſuppreſſa dolore, non diſſimulabimus, jus tamen Eccleſiarum vindicaturi. Sed ad rem.

§. VII.

Etſi vero in hoc Judicio Cæcilianus innocens judicatus ſit, qvum teſtes inducti à Donato, confeſſi eſſent, *ſe non habere quod in Cæcilianum dicerent;* Donatus tamen appellandum ad Imperatorem eſſe credidit. Et quamvis Imperator appellationem indignabundus recepit, *conquerens de rabida furoris audacia* Chriſtianorum (de qua formula *Cujac. 4. obſ. 10.*) recepit tamen; non de jure ſuo dubitans, ſed cum Paulo *1. Cor. VI. 7.* τὸ ἥττημα & pruritum litigandi inter Chriſtianos & Epiſcopos ægrè ferens atque exprobrans. Quare *quo nulla illis penitus excuſatio de juſto judicio reliqua eſſe poſſet,* ſunt verba Baronii ad A. C. 314. *n. XIX. novum illis decernit judicium, nimirum Concilium plurimorum Epiſcoporum Arelate in Galliis; ubi ipſe agebat, legitime celebrandum. Verum ante* pergit idem, *quo cuncta liquida redderentur, mandat Proconſuli Africæ Æliano, cauſam cognoſcere Felicis Epiſcopi, qui Cæcilianum ordinaverat, & quem fuiſſe ſacrorum librorum traditorem Donatiſtæ fuerant calumniati.* Vocabant *Traditores*, qui perſecutoribus res & libros ſacros Eccleſiæ proderent & traderent gentibus comburendos. Vide *Concil. Arelat. I. c. 13.* Acta Martyrum à St. Baluzio collecta, *Miſcell. lib 2. p. 59. 92. & ibi Baluz.* add. Bosquet. *ad Innoc. III. Epiſt. 130.* Jus igitur exercuit Imperator quod antea diximus, ut quoties de his quæ ad diſciplinam ſpectant, quæritur, Imperator ipſe vel per judices datos jus redderet. *Judic. appell.*

§. IIX.

Atque jus hoc ſupremum firmandi tuendive decreta Conciliorum, etiam in rebus fidei quanquam diſpari ali- *Jus Imp. ſummum circa Synodos.*

aliqua ratione, quàm in his, quæ ad diſciplinam pertinent, egregiè vindicavit Principibus per veterum auctoritates & exempla Juſtinianus Imp. in Concilio Oecumenico V. CPoli A.C. 553. habito: in libello enim, qui Concilio oblatus & approbatꝰ fuit, inter alia hæc fatur: *His itaq; omnibus per diverſa tempora ſubſecutis, prædicti piæ recordationis noſtri Patres, ea quæ in unoquoque Concilio judicata ſunt, legibus ſuis corroboraverunt & confirmaverunt, & hæreticos, qui definitionibus prædictorum ſanctorum quatuor Conciliorum reſiſtere & Eccleſias conturbare conati ſunt, expulerunt.* Vid. *Petrus de Marca lib. 2. de C. S. & J. cap. X. 8. Nic. Vedel. de Epiſcopatu Conſtantini M. Qu. V.* Neque vero *tuitionis* vocabulo mera executio notatur, ſed illa ſummæ Poteſtatis ac Imperii circa ſacra pars revera omnibus Regibus ac Principibus Chriſtianis communis, quâ hi non tantum ad tuenda & exſequenda decreta Conciliorum obligantur, ſed &, quia præcipua Eccleſiæ *membra* ſunt, præcipuè quoque *ſuffragii* jure gaudent, quo & directio & obſignatio & promulgatio atque exſecutio continetur. Euſebius *lib. IV. de Vit. Conſtant. c. XXVII.* καὶ τοὺς τῶν ἐπισκόπων δ' ὅρους τοὺς ἐν συνόδοις ἀποφανθέντας, ἐπεσφραγίζετο. *Epiſcoporum decreta in conciliis facta auctoritate ſuâ confirmavit.* Et *lib. III. cap. XVII.* Imperator ad Eccleſias de Synodo Nicæna ſcribit: *Hanc ob cauſam coactis quàm fieri potuit plurimis Sacerdotibus, me quoque tanquam uno ex vobis præſente (neque enim negaverim id, quo maximè exulto, conſervum me veſtrum eſſe,) cuncta competenti examine eò usque diſcuſſa ſunt.*

§. IX.

Judicium ſupplicat.

Cæterum videndum, an conventus hic Arelatenſis judicii *appellationis* rationem habuerit, aut potius *Extraordi-*

ordinariæ alicujus cognitionis, aut Retractationis vel *ſuppli-cationis judicium, l. 5. C. de precib. Imp. off. & Auth. ibidem.* *& Appellat. ut aiſſ.* Ratio dubitandi eſt, quia ipſi à quibus appellatum, non poſſunt intereſſe appellationis judicio, quod tamen hic factum. At contrà conſtat, quum in cauſa Eutychetis, à Concilio Epheſino præſide Dioſcoro habito, provocatum eſſet, & Leo Papa tandem ab Imp. Marciano A. C. 451. impetraſſet, ut propterea Concilium Chalcedonenſe haberetur, Dioſcorum inter reos ſedere juſſum, ut cauſam diceret. *Act. Conc. Chalc. Act. 1. P. de Marca de C. S. & J. l. V. c. X. 1. & vid. l. VII. c. VI. ſeqq.* Quod ipſum quòd in Synodo Arelatenſi aliisque non factum ſit, ex *diſpenſatione Imperatoris*, jure directorii, & propter juſtitiam cauſæ, adverſus quam appellatio interpoſita apparebat, ſine dubio contigit. Cæteroquin *Extraordinariæ cognitionis* appellatione Romanis judicium primæ inſtantiæ veniebat, quod Magiſtratus ante Diocletianum in certis tantum cauſis exercebant ipſi, in reliquis judices dabant, & à Diocletiano & conſortibus imperii neceſſitas magiſtratibus impoſita, ut de omnibus cauſis ipſi cognoſcerent, *l. 2. C. de pedan. judic. J. Gothofredus ad l. quadam. C. Th. de offic. rect. provinc.* à quo tempore extraordinariæ cognitiones in *judicia ordinaria* fuerunt mutata, ut Juſtinianus propterea, aſſerat, hodie omnibus judiciis extra ordinem jus dici, §. *fin. J. de interdict.* Denique Judicium *Supplicationis & retractationis* competebat, quoties quis ſe per ſententiam Præfecti Prætorio, à qua appellari non poterat, gravatum diceret, & quidem ſupplicatio offerebatur aut Principi, *l. un. C. de ſent. P. P.* vel ipſi Præfecto, *Novell. CXIX.* qui Retractationi itaque intereſſe poterat. Etſi vero civilium horum remediorum ſolennia in cauſis Eccleſiæ non ita

K atten-

attendebantur, provocationes tamen hactenus retractationibus magis accedebant.

§. X.

Imperii porrò pars hæc circa ſacra adeo ſarta tecta fuit Imperatoribus ac Principibus Chriſtianis, ut communi Conciliorum conſenſu atque acclamationibus etiam *Epiſcoporum, Sacerdotumque* nomina ipſis haud denegata. Notum eſt, quod *apud Euſeb. l. IV. de vit. Conſt. c. XXIV.* Conſtantinus ſe appellet Epiſcopum Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω ἐκκλησίας. ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. *Vos quidem in iis, quæ intra Eccleſiam ſunt, Epiſcopi eſtis: Ego verò in iis, quæ extra geruntur, Epiſcopus à Deo ſum conſtitutus.* Imo Apoſtoli nomen poſt mortem meritus fuit, Auctor Synodici de Synodo Nicæna: Κωνσταντῖνος ὁ ἐν χριστιανοῖς βασιλεῦσιν Ἀπόστολος. Itemque ἰσαπόστολος, quò Euſebius alludit *lib. IV. de vita Conſt. cap. LX.* Marciano Auguſto à Patribus Concilii Chalced. acclamatum: τῷ ἱερεῖ τῷ βασιλεῖ, Sacerdoti, Imperatori *Concil. Chalced Act. VI.* Dignum annotatu, quod ait Socrates *l. 5. proœm. Sed & ipſos Imperatores ſubinde in hoc opere perpetuò includimus, propterea quòd ex quo illi Chriſtiani eſſe cœperunt,* τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. *ex illis pependerunt res Eccleſiaſticæ: & maxima quoque concilia eorum arbitrio tum facta ſunt antea, tum hodieque fiunt.*

CAPUT VII.

DE
LIBERTATE ECCLES. GERM. EX CONCIL. ARELAT. ET NICENO.

SUMMARIA.

Ex Concilio Arelat. libertas Eccl. Germ. Conciliorum præſides plures. Pontifices R. vix niſi per Legatos. Prætenſionis Rom. vetuſtas. Contradictio Eccl. Gall. & Germ. Epiſtola Synodalis lacuna. emendatio Baronii. conjectura propria. Canonum conſtitutio cujus ſit. Concil. Rom. A. 324. ſubleſtæ fidei. Canon Eccleſiaſt. laudatus Socrati l. 2. c. 8. & 17. Concilium Nicenum. quis præfuit. Siniſtra an dextra honoratior.

CÆterum quod Imperator poſt ſynodum Romanam, alterum Epiſcopale judicium, ut Auguſtinus vocat *Epiſt. LXVIII.* dedit, habitum A. C. 314. in *Arelatenſi* Galliæ Civitate, hoc ſatis argumenti eſt, & Libertatem & authoritatē Eccleſiæ Galliæ *Germaniæq́*, minoris præſertim, quæ Chriſtiana tunc erat, tantam tunc fuiſſe, ut non eſſet dubitatio, quin illa cum Eccleſiarum aliarum Epiſcopis ab Impp. denominatis, etiam de his, quæ in ſynodo Romana & Præſide Epiſcopo Romano deciſa eſſent, juſſu Imperatoriæ ut ſummæ poteſtatis, iterum cognoſcere jus haberet. Baronius quidem ex Balduino JC. *ad Optat Milev. Epiſcop.* refert *n. 51.* Sylveſtrum Epiſcopum Romanum huic Synodo *præfuiſſe* per legatos. Sed non ſolus præfuit, etſi per Legatos, Presbyteros & Diaconos fortè comparuit. Præfuiſſe certe proximè poſt Imp. Conſtantinum præſen- *Lib. Eccleſ. Germ. ex Concil. Arelat.*

 tem,

tem, *Epiſcopum loci*, Arelatenſem, *Marinum*, apparet ex Epiſtola Synodali promulgatoria ad Epiſcopum Romanum, in qua primo loco Marinus ſiſtitur. Quemadmodum qvum Agatho P. R. Legatos mitteret ad Concilium CPolit. *& Oecum. VI.* nihilominus præſederunt Georgius Patriarcha CPolit. & Macarius Patriarcha Antiochiæ, referente *Adone Chron. A. C. 669.* Scilicet primores Epiſcoporum, qui poſtea Patriarchæ dicti, omnes dicebantur præſidere Conciliis, ut plures ſunt Præſides Parlamentorum, obſervante *Edm. Richerio Hiſt. Conc. Gen. c. 2, 18.*

§. II.

Prætenſio nu Rom. vetuſtas. Quod vero Epiſcopus Rom. Conciliis extra Romam habitis ipſe præſens vix unquam fuerit, & jam tum intereſſe noluerit, imò quanquam tempore Concilii V. Generalis, CPoli à Juſtiniano Imp. habiti Vigilius Papa CPoli præſens eſſet, & rogatus ab Imp. & Patribus fuerit, tamen tergiverſatus fuerit & præeſſe & intereſſe, ſed privatim ſententiam contra Neſtorii tria capitula exponere Imperatori maluerit, *Acta Concilii. Edm. Richer. Hiſt. Conc. Gen. c. IX.* Id quidem præ ſe ferre videtur veſtuſtiſſimam peculiaris prærogativæ Eccleſiaſticæ affectationem. At contra conſtat etiam ex hoc ipſo Concilio de Eccleſiarum imprimis Gallicarum & Germanicarum diſſenſu & exprobratione. *Diſſent. E. G.* Quo pertinent verba ejusdem Epiſtolæ Synodolis Patrum Arelatenſium: *Et, utinam, frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum intereſſes: tanti feciſſes profecto credimus, quia in eos ſeverior fuiſſet ſententia prolata, & te pariter nobiſcum judicante, cœtus noſter majori lætitia exultaſſet. Sed quoniam à partibus illis minime recedere potuiſti, ex quibus & Apoſtoli quotidie ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione Dei gloriam teſtatur: non tamen hæc ſola nobis*

nobis (nil impediente tuâ abſentiâ) *viſa ſunt tractanda, Frater chariſſime, ad quæ* (ab Imp. terum) *fueramus invitati, ſed & conſulendum nobismet ipſis*, in cauſis noſtras etiam Eccleſias concernentibus conſuluimus (cenſuimus, te emanente.)

§. III.

Atque haud fuiſſe hujus Epiſtolæ intentionem, ut Synodus peteret prius ab Epiſcopo Rom. confirmationem eorum, quæ decreta erant, ſed imo ut decretorum vim Epiſcopo abſenti, atque ad obſervanda hæc decreta pariter obligato, ſicut cæteris fratribus, intimarent, ut ipſe porro per ſuas Diœceſes & Eccleſias eadem publicaret, non obſcurè produnt verba Epiſtolæ modo allegata; itemque illa: *Quæ decrevimus communi Concilio, charitati tuæ ſignificamus: ut omnes ſciant, quid in futurum obſervare debeant. Placuit etiam antequam --- a te, qui majores Diœceſes tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari.* Baronius ſupplet, lacunam iſtam ita: *edatur à te.* & poſtea, pro *per te*, legit, *apertè*, ac vult hanc fuiſſe intentionem, ut leges Synodi ab Epiſcopo Rom. approbatæ ab eodem in univerſas Eccleſias promulgarentur. Sed neſcio, quo ſenſu *editio & inſinuatio*, ſeu publicatio decretorum à ſeſe invicem diſtinguuntur, idque ita ut editio, publicationem, ut diverſus actus ſequi debeat. Prætêrea & illud *aperte* quam male huc quadret, etiam qui obeſæ eſt naris ſentiet. Illud liquidum eſt, ex corrupto alias loco, univerſale in Eccleſias imperium Epiſcopo Rom. fratri ſuo à Concilio Gallicano hîc non concedi, ſed *majores* tantum *Diœceſes*, atque his publicationem Decretorum *per ipſum* tanquam ordinarium, *potiſſimum* fieri velle Synodum, quanquam & ipſa Synodus & Imperator eandem hanc haberet emi-

Epiſt. Synod.

Baron. Emendatio.

nentem poteſtatem. Quam etiam exercuit Conſtantinus, confecto Concilio Niceno, litteras ad omnes Epiſcopos promulgatorias mittens, & ſimul edicens, ut omnes ei decreto aſſentirentur, teſte Euſebio. Cæterum quum ſi legamus *à te* & *per te* alterutrum ſit ſuperfluum, Τὸ *per te* autem commode non poſſit à τῷ *potiſſimum* avelli, forte convenientior fuerit conjectura, ſi ſic conſtituatur lectio: *Placuit etiam, antequam diſcedamus Arelate, per te potiſſimum, qui majores Diœceſes tenes, omnibus inſinuari.*

§. IV.

Canonum conſtitutio cuius.

Non aliena hinc eſt obſervatio Edm. Richerii *Hiſt. Concil. Gen. c. VIII.* §. *39.* quà ſcilicet vià Epiſcopi Rom. ſibi pedetentim auctoritatem *abſolutè* ſtatuendi de Diſciplina Eccleſiaſtica attribuere conati ſint, nempe non communicando Actis Conciliorum, quibus *Canones* conderentur: unde cum de ejusmodi canonibus agatur, ſcriptores Curiæ Rom. perpetuo obtendere ſolere, non probatos fuiſſe à Rom. Pontificibus: hocque artificium jamjam in *primo Concilio CPolit.* cœpiſſe, deinde in aliis Conciliis ſequentibus continuatum: hacque ratione Epiſcopos Rom. lapſu temporis voluiſſe oſtendere, ſe eſſe ſupra canones, atque diſciplinam Eccleſiaſticā ab eorum abſoluta auctoritate pendere; ex quo fieri, ut omnes canones, quos pro regenda diſciplina Eccleſiaſtica habemus, Patribus Orientalibus & Africanæ Eccleſiæ acceptos referre debeamus: paucos enim in Conciliis Rom. Pontificum extare: idque argumento, non ab his poſtremis ſeculis jacta eſſe fundamenta curiæ Romanæ.

§. V.

Can. fin. Conc. Rom.

Ex dictis & libertas Eccleſiarum Germanicarum iſto

ævo

ævo luculente patet, & *Canonis ultimi Synodi* Rom. quæ ad A. C. 324. Sylveſtro Papâ, refertur, fides ſubleſta; contrarium enim Eccleſiarum illius temporis libertati iſte tradit: *Nemo dijudicet primam ſedem: quoniam omnes ſedes à prima ſede juſtitiam deſiderant temperari. Neque quoque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à REGIBVS, neque à populo judex judicabitur.* Certè ſi non totum iſtud Concilium ſuppoſititium eſt, ſaltem alienus eſt tenor iſtius forte gloſſematis & adſutæ fimbriæ finalis à praxi & Imperii & Eccleſiæ ætatis iſtius, & redolet tempus jam confirmatæ Hierarchiæ Romanæ abſolutæ, & ceſſantis jam Imperii Romani in Francia & Hiſpania, enatis *Regibus* Francorum Gothorum & Germanorum, qui tamen & ipſi jura imperii circa ſacra ritè tenuerunt, usque dum infauſto Henrici IV. Imp. fato libertas ſupprimeretur aliquandiu. Annotatio certè temporis falſa itidem eſt, *Dom. Conſtantino A. III. & Priſco Coſſ.* Neque enim Priſcus aliquis Conſul refertur imperante Conſtantino, neque iſto anno, ſed longè ante Conſtantinus A. III. conſul fuit, nempe cum Licinio A. II.

§. VI.

Eâdem fide allegatur canon vetus Eccleſiaſticus: *Ne absque Romani Pontificis auctoritate concilium Univerſale congregetur:* isque ex Socrate *l. 2. c. VIII.* Nolim equidem cum præfatore Alex. Irvini Scoti, *de jure Regni Diaſcepſeos*, Socratem falſitatis arguere: quanquam præiverat Cl. Salmas. *Appar. ad libr. de prim. Papæ p. 192.* Conf. Blondell. *de la primautè de l'Egl. p. 67. ſqq. p. 556. p. 828. 847.* Nam verba Socratis *l. 2. c. 8.* de Concilio Antiocheno hæc ſunt: ἀλλὰ μὴν ὐδὲ Ἰούλιος παρῆν. ὁ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπίσκοπος ὐδὲ μὴν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἀπέστειλέ τινὰ, καὶ τοι κανόνος ἐκ- Socrat. 2. 8.

κλη-

κλησιαστικοῦ κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ Ἐπισκόπου Ῥώμης, τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Eundem canonem repetit Julius ipſe in epiſtola ad Epiſcopos Orientales *cap. XVII. dicti libri II.* Quæ Epiphanius Scholaſticus ita reddidit *l. 4. Hiſt. Trip. c. 9. Sed neque Julius interfuit maximæ Romæ Præſul, neque in locum ſuum aliquem deſtinavit, cum utique regula Eccleſiaſtica jubeat: Non oportere præter ſententiam Rom. Pontificis concilia celebrari.* Aliter interpretatur H. Valeſius: *Cum tamen Eccleſiaſtica regula vetet, ne abſque conſenſu Romani Pontificis quicquam in Eccleſia decernatur.* Et confer, ſi lubet, Edm. Richerium *lib. 1 Hiſt. Concil. Gen. c. 1.* *Jus ſuffragii* enim eſt, quod aſſeritur Epiſcopo Rom. in Concilio Oecumenico, non vero Jus *convocandi* & confirmandi aut irritandi Concilii. Quamvis autem *Julius* Papa in Epiſtola increpatoria *ad Epiſcopos Orient.* inter alia & hoc ſcribat: *Ipſi primæ ſedis Eccleſiæ convocandorum generalium Synodorum jura & judicia Epiſcoporum, ſingulari privilegio, Evangelicis, & Apoſtolicis atque Canonicis conceſſa ſunt inſtitutis, quia ſemper majores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam multis auctoritatibus referri præcepta ſunt*, & reliqua. Illam tamen prætenſam prærogativam negarunt Epiſcopi Orientales, reſpondentes: *Romanorum quidem Eccleſiam apud omnes magnificam eſſe, quippe quæ jam inde ab initio domicilium Apoſtolorum, & pietatis origo ac metropolis extiterit: licet Fidei doctores ad eam ex Orientis partibus advenissent: Non tamen æquum eſſe, idcirco ſe inferiore loco haberi, quòd magnitudine Eccleſiæ & multitudine ſuperarentur: quippe qui virtute & animi propoſito ſuperiores eſſent.* ut eſt apud Sozomenum, *lib. III. c. VIII.*

§. VII.

Convocatio Atque hæc occaſione Concilii Arelatenſis primi.

Poſt-

Poſthæc nova controverſia Fidei ab Ario excitabatur. Jure igitur ſuo uſus Imperator Conſtantinus etiam in Convocando Concilio Niceno. De quo Sozom. *l. 1. c. XVII.* relatis antea literis Imperatoris increpatoriis adverſus novitatem, & ablegatione Hoſii Epiſcopi Cordubenſis, ait; *quum contra exſpectationem, res non ſuccederet, & Contentio reconciliationem pacis, ad quam procurandam Oſius miſſus fuerat, impediret, isque re infecta reverteretur, Concilium Nicea urbe Bithyniæ, reſcribens omnib. Eccleſiarum Epiſcopis ut ad diem præfixum adeſſent.* Cui & ipſe Imp. præfuit, & ab ipſo proximus *Euſtathius* ille Magnus Eccleſiæ *Antiochenæ* Epiſcopus teſte Theodoreto *l. 1. c. VII.* Quod iterum argumento eſt, legatos Epiſcopi Romani Oſium & Collegas primas partes hic non obtinuiſſe. Quanquam nec Oſium, ſed Vitum & Vincentium à Julio Pontifice miſſos Sozomenus *l. 1. c. VII.* referat. Neque quæ *Baronius* affert, ad docendum in Sacris potiorem locum habitum fuiſſe *ſiniſtrum*, rem conficiunt. Legi merentur, quæ habet Sirmondus *ad Appollon. Sidon.* coronidis loco de dextra, ſiniſtrave prærogativa apud Veteres. Vide ſi lubet & Dilherri *Dial. 1.* Certè tam in Eccleſia Orientali quàm Occidentali inferiorem ſedem fuiſſe ad ſiniſtram, teſtatur Innocentius III. ad Imp. CPolitanum. *cap. ſollicitæ. 6. X. de major. & obed.* Præterea & Alexandrinus Epiſcopus *auctor atque ſocius geſtorum* dicitur in Epiſtola Synodali *apud Socrat. 1. 6.* Diſſentiunt aſſertores Monarchiæ Pontificiæ, Baronius, Binius, Vallius, alii, *conſenſum* Epiſcopalem & *directorium*, cum auctoritate *convocandi* & *præſidendi* confundentes, quæ Patres Chalcedonenſes in Epiſtola Synodali ad Leonem Pap. ita diſtingvunt; ut Papam ἡγεμονεύειν in concilio, ut caput membris, Imperatores

Concil. Nic.

Quis præfuit.

Siniſtra an dextra honoratior?

verò ἐξόχως dicant. *Vid. Edm. Richer. Hiſt. Concil. Gen. cap. 2. lib. 1. & cap. 8. §. 14.*

IIX.

Prærogativa Sed. Rom. ſalva libertate Eccleſ. occid.

c. 6. Conc. Nic.

Plane negari non poteſt, obtinuiſſe jam tum ante ipſum hoc concilium Nicenum, Epiſcopum Romanum aliquam prærogativam inter Epiſcopos, idque ex Concilii hujus *Can. VI.* nobili illo, non obſcure patet. Etſi enim lectio ejus variat, in minutiis tamen ſolùm, non in reipſa, ut demonſtrat Blondellus *de la primautè en l' Egl. p. 977.* Atque in hoc ſibi quoque conſtat, jam tum morem haud noviter fuiſſe in Eccleſiis receptum, ut Eccleſiæ Eccleſiis, & Cathedræ Cathedris, atque Epiſcopi Epiſcopis ſubordinarentur. Sed in quo ipſa conſtiterit tum prærogativa valde diſputatur. Qua de re ut plenius & ſolidius diſpiciamus de Ordine Clericorum primò generatim videamus, poſtea de Epiſcopi Romani prærogativa atque Primatu.

Caput VIII.

De CLERICORUM ORDINUM ORIGINE ET SPECIEBUS.

S V M M A R I A.

Ordo cleri triplex. Epiſcoporum conſtitutio an Juris divini. Ordo inter Epiſcopos. Mos Eccleſiæ Africanæ ſingularis. Prima ſedes. Primates. Metropolitani omnes æquales. Patriarchæ triplicis generis, Primi metropolitarum: Primatum primi: Metropolitæ exemti. Judæorum Patriarchæ, majores & minores. Patriarcha Lugdunenſis: Aquileienſis: Gradenſis Gothorum. Turma Epiſcoporum & Presbyterorum.

L. Ju-

L. Judæorum. 17. C. de Judæis. Socrates l. V. c. VIII. Novell. CXXXVII. 4. Finis & Forma Patriarchatus. Poteſtas Judiciaria. Carolus à S. Paulo. Numerus Patriarcharum. Theopolis.

§. I.

ERat, ſicut & antea diximus, in unius Civitatis Eccleſia *Clerus* triplicis jam tum ordinis, *primi Ordinis* Epiſcopus, *ſecundi* Presbyteri, *tertii* Diaconi. Hieronymus *Epiſt. LXXXV.* tradit: *Alexandrina in Eccleſia inde usque à Marco Evangeliſta & Epiſcopo Alexandrino, usque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteros, ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocaſſe, & Epiſcopum nominaſſe.* Et in Epiſtol. *ad Tit. c. 1.* ait: *In toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Quem in eo reprehendit M. Anton. de Domin. *l. 11. de rep. Eccl. c. 3. §. XLVI.* quod Epiſcoporum conſtitutionem ad jus humanum referat, ipſe contendens Apoſtolos *ex inſtitutione* Chriſti, *adeoque Jure Divino* à Presbyteris Epiſcopos ſeparaſſe, & ſucceſſores ſibi quoad ordinariam poteſtatem conſtituiſſe. Inſtitutionem autem Chriſti vocat, quod *Apoſtolos & Diſcipulos* ſeparatim conſtituiſſet, atque diſcipulorum rationem Presbyteros gerere.

Ordo Clericorum.

Epiſcopi an J. divini.

§. II.

Verum ut non omnia Apoſtolorum inſtituta Juris Divini cenſenda eſſe, ipſe S. Paulus ait, *1. Cor. VII. 12.* ita diſcipulorum ratio longe alia à Presbyterorum munere erat, & ipſa extraordinaria, nec ad certum locum alligata. Sed de *Epiſcoporum & Presbyterorum* diſcrimine fuſe egit *Vallo Meſſalinus*, quem Salmaſium putant, quem re-

Neg.

fellere voluit *Dion. Petavius lib.* de Hierarchia. Contra quem porro *Cl. Salmaſius* Apparatum & libros de primatu Papæ ſcripſit. Vide & *Uſſer. Diſſ. de Epiſtola S. Ignatii.* Itemque *Iſaac. Voſſ. ad illam.* & omnino quoque *Blondell. de la primauté en l' Egl. p. 511. ſeqq.* Herbert. Thorndicii *Origin. Eccleſiaſt. cap XVI.* In Concilio Tridentino qvum Epiſcopi ad libertatem adſpirantes, Hiſpani præſertim, idem dogma, Epiſcoporum conſtitutionem eſſe juris divini, proponerent, Pius IV. Pontifex illud ut falſum & erroneum damnavit, nam ſolam poteſtatem ordinis eſſe à Chriſto, at jurisdictionem à Rom. Pontifice, vel potius ab Eccleſia. *P. Suav. Hiſt. Concil. Trid. lib. VI. paſſim.*

§. III.

Ordines Epiſcoporum. Sed & porro inter Eccleſias ſeu Epiſcopatus per certam aliquam regionem conſtitutos, & ſocietas & ſubordinatio quædam cernebatur. Apoſtoli gentium juſſu & auctoritate *Titus* in Creta fuit conſtitutus, ut ordinationem Eccleſiæ Cretenſis perficeret, & κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους conſtitueret. *Tit. I. 5.* nempe ſingulis Civitatibus, quarum centum ejus inſulæ memorantur, Presbyteros ſive Epiſcopos daret, ipſe ſummus in Metropoli Epiſcopus, à quo cæteri dependerent. Hinc cathedrarum diſtinctio orta, ut *Epiſcopus primæ cathedræ* diceretur *c. LVIII. Concil. Eliberini*, qui etiam *Metropolita & Archiepiſcopus.* conf. *Can. Apoſt. XXXV.* Concil. Aretat. II. *c. VI. l. 29. fin. C. de Epiſc. aud.* Antiquiſſima nominis Archiepiſcopi mentio fit apud Athanaſium Apol. 2. vid. *Blondell. de la primauté de l' Egl. p. 523.*

§. IV.

Metropolita. Atque inde intelligitur, quid ſibi velint Epiſcopi Arriani *Concilii Antioch.* ſub Conſtant. jun. coacti *Can. IX.*

per

per *antiquam regulam. Per ſingulas Regiones Epiſcopos convenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſolicitudinem totius Provinciæ gerere. Propter quod ad Metropolin omnes undique qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Epiſcopos agere ſecundum antiquam à Patribus noſtris regulam conſtitutam.* & poſtea: *Nec Metropolitanus ſine cæterorum gerat conſilio Sacerdotum.* Conf. *c. XIII. & XXII. eod.*

§. V.

Illud inſuper in Africana Eccleſia *Concil. Carth. III. c. XXVI.* peculiariter conſtitutum, ut primæ ſedis Epiſcopus non appellaretur *Princeps Sacerdotum* aut *Summus Sacerdos*, aut aliquid hujusmodi, ſed tantum PRIMÆ SEDIS Epiſcopus, qui & PRIMAS Epiſcoporum inde appellatus. Rationem ejus rei hanc reddit Petrus de Marca *Diſſert. de Primatibus* §. *3.* quod in Eccleſia Africana non omnes Epiſcopi Metropoleon dicti Primates, nec prima ſedes ad Metropoles Africanas alligata, ſed quòd Epiſcopus *ſenior* ſemper eſſet Primas, id quod ſingulare in hac Eccleſia, & à Bosqueto etiam *ad Epiſtolas Innoc. III.* obſervatum; nihilominus tamen Primates Africanos gaudere jure Metropolitanorum, qui & ipſi in reliquo occidente Primates appellati. Salmaſius verò *de primat. Pap. c. XI.* id demum poſt Juſtinianum Imp. ita obſervatum contendit. Et *c. XV.* Epiſcopum Carthaginenſem fuiſſe Patriarcham. *V. omnino Blondell. de la primauté. pag. 797.* Denique ut in civilibus Provinciarum ac Metropoleon jus omnium æquale, nullumque primæ in ſecundam: ita & in Eccleſiaſticis Metropolitanos pleroſque omnes inter ſe æquales, nec alter ab altero dependens fuit. *Petr. de Marc.*

Prima Sedes Primatus Epiſcoporum.

Marc. de Primat. §. *57. 84. ſq. & 94. & de C. S. & J. paſſim.*

VI.

Patriarchæ Metrophitarum primi.

Cæterum Eccleſiæ Cathedræque Metropolitanæ fuerunt independentes ratione *juriſdictionis* alterius Eccleſiæ aut Cathedræ, ab initio, & ſolis *Conciliis* ſubjectæ. Quôd qvum ſit res per ſe ex veritate hiſtorica, nec non per naturam rei ſatis certa, quia nondum exiſtebat gradus aliquis cum jurisdictione, ſuperior Metropolitanis; non eſt, quod huic immoremur. Fuit tamen jus hoc Metropoliticum non perpetuo intra unam provinciam, ſed alicubi etiam per plures exercitum: ut poſtea de Romana & Antiochena ſede videbimus, nec non de Alexandrina. Poſtea verò introductum fuit, ut, qui inter plures provincias, unius & alterius Diœceſeos Metropolitanam regeret, ſibi ſuæque cathedræ, aut Metropolitanæ Eccleſiæ *prima*, reliquas Metropolitanas cum ſuis Epiſcopalibus ſubordinarent, qui non amplius Epiſcopi Metropolitani, ſed ARCHIEPISCOPI & PATRIARCHÆ appellati, aut Metropolitanorum PRIMATES. Obſervat hos gradus accuratè Can. IX Concilii Chalced. *Siquis Clericus cum clerico litem habuerit, proprium Epiſcopum ne deſerat, & ad ſecularia judicia ne excurrat, ſed prius cauſam agat apud proprium Epiſcopum vel certè de Epiſcopi ſententiâ apud eos quos utraque pars elegerit, judicium agitetur; Si quis autem præter hæc fecerit, Canonicis pœnis ſubjiciatur, ſi autem Clericus cum proprio, vel etiam alio Epiſcopo litem habuerit, à provinciæ ſynodo judicetur, ſi autem cum ipſius provinciæ metropolitano Epiſcopus vel Clericus controverſiam habuerit, Diœceſeos Exarchum adeat, aut regiæ urbis Conſtantinopoleos ſedem, apud ipſam judicetur.* in quo primo forum Clericorum

rum eſt ſedes *Epiſcopalis*: deinde forum ipſius Epiſcopi eſt audientia *Metropolitani* in Synodo provinciali: denique forum ipſius Metropolitani conſtituitur apud ipſius Diœceſeos *Primatem* ſive Patriarcham, aut certe apud Majeſtatem Imperatoriam. Quemadmodum canonem hunc Chalcedonenſem Balſamon & Zonaras interpretantur, verbis & menti conſtituentium Patrum conformius, quàm Nicolaus I. ad Michaelem Imp. itemque Turrianus, Fr. Sylvius, aliique.

§. VII.

Quanquam poſtea *Primatis* nomen novo generi, & illi Metropolitano, qui proximus à Patriarcha & ejus Vicarius eſt, impoſitum fuit, qui & *Exarchus* dictus; ita Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, *Ponti* Exarchus: Epiſcopus Epheſinus, *Exarchus Aſiæ*, Epiſcopus Theſſalonicenſis Primas *Illyrici Orientalis*: & Epiſcopus Arelatenſis à Symmacho Papa *Primas Galliarum* inſtitutus fuit. Sic Epiſcopus regebat Eccleſiam in Civitate, vel regione: Metropolita in Provincia ſive ἐπαρχίᾳ: Primas in Diœceſi: Patriarcha in plurium Diœceſium Patriarchatu. Sicut ſeculari regimine, Magiſtratus Municipalis Civitatem, Præſes provinciam, Vicarius Præfecti, Diœceſin: Præfectus Prætorio Præfecturam adminiſtravit. *Carol. à S. Paul. Præm. Geograph. Sacr.* 2. *Primatum primus.*

§. VIII.

Tandem etiam unicæ Diœceſi aut etiam Provinciæ præpoſitus, Patriarchæ nomen meritus eſt, quemadmodum & Judæi præter Patriarchas *majores* habuerunt etiam *minores*, qui & *Primates*, ſingulis provinciis præpoſiti, *l. 13. C. Th. de Judæis. J. Goth. ad l. 1. eod.* Hoc modo *Patriarcha Lugdunenſis* in hiſtoriis Seculo VI. mentionem fieri obſer- 3. *Metropolita exemtus.*

ſervat Herm. Conring. *de Conſt. Epiſc. G.* §. *18. V. Greg. Tur. l. V. c. XX. Petr. de Marca de Primatibus* §. *22. & l. 6. de C. S. & J. c. 4, 10. M. A. de Dom. 3. X. Blondell. de la Prim. p. 527. & 541. ſqq. 560.* Eodem modo Patriarcha *Aquileienſis*, itemque *Gradenſis*, hoc eſt, Novæ Aquileiæ, quæ eſt maris Veneti inſula, fuit appellatus, ex Gothorum Italicorum uſu, qui Epiſcopos ac Metropolitas *Patriarcharum* nomine ornabant, *Caſſiod. l. IX. Ep. Regis Athalarici ad Jo. Papam.* Quanquam progreſſu temporis à Pontificibus Rom. *προεδρίαν* quoque nacti præ cæteris *Italiæ* Archiepiſcopis, ut pluribus docet idem Marca *de Primatib.* §. *XX. ſeqq.*

§. IX.

Hoc verò privilegii jure fuit obtentum, qvum aliàs regulariter certam Primatum & Metropolitanorum differentiam voluerint eſſe Impp. Francorum, *lib. VII. Capit. 341. Ed. Baluz. 439. Nulli alii Metropolitani appellentur Primates, niſi illi, qui primas ſedes tenent, & quos S. S. Patres Synodali & Apoſtolica auctoritate Primates eſſe decreverunt. Reliqui verò qui alias Metropolitanas ſedes ſunt adepti, non Primates, ſed Metropolitani vocentur.* Eodem facit rubrica *lib. VII. cap. 360. Ed. 460. Ut non alii Metropolitani Primates appellentur, niſi illi, qui primas ſedes tenent: quia alii non poſſunt tres TVRMAS facere de Epiſcopis, quàm illi, qui primas ſedes tenent; qui tres turmas facere debent, ſicut in hac ſententia jubetur.* Presbyteri quoque in Turmas diſtributi *lib. eod. cap. 163. B. 231.* Translatum nomen à militia, quâ Turma ter denos equites continebat, *Varro lib. IV. de L. L. H. Savilis de Milit. Rom. p. 12. & 16.*

§. X.

Nominis Origo. Origo nominis Patriarcha quæ ſit, videndum. Meminit jam tum Hadrianus Imp. *Patriarchæ per Ægyptum* in

in Epiſtola ad Servianum Coſ. referente *Fl. Vopiſco.* Quem Patriarcham tamen non Chriſtianorum ſed Judæorum Alexandrinorum fuiſſe, aſſerit Petr. de Marca. *l. 1. de C. S. & J. c. 3.* §. *V.* quorum etiam frequens mentio in C. Th. *Etenim,* inquit, *diſtracti per varias provincias Judæi, Alexandriæ & apud Orientem quosdam ſibi conſtituere præpoſitos ſub Patriarcharum nomine, qui Spectabiles, Clariſſimi & Illuſtres ab Impp. habiti, dignitatem illam hæreditario jure ad poſteros transmittebant, aurum coronarium per Apoſtolos ſuos exigebant; Primates provinciis præficiebant, qui in his cauſſis quæ tam ad ſuperſtitionem eorum, quam ad forum & leges pertinent, ad ſimilitudinem arbitrorum judicarent, donec illis Honorii reſcripto ea judicii reddendi poteſtate eſt interdictum. Ab anno quadringenteſimo quarto ad annum quadringenteſimum viceſimum nonum incidit Judaicorum Patriarcharum exceſſus ille, ut cum Theodoſio loquar, quibus extinctis eorum nomen Archiepiſcopis Chriſtianorum communicatum eſt. Quod ab Orientalibus profectum eſt, quibus nota eſt Patriarcharum, qui apud Judæos viguerunt, nomenclatura, non vero occidentalibus, apud quos nulli Patriarcharum Judæi floruerunt, ſi vera lectio in Codice Juſtiniani è Theodoſiano reſtituatur.* Hæc ille. Legendum ſcilicet in *l. Judæorum 17. C. J. de Judæis.* inſertâ *Partibus* voculâ: *quod de occidentalibus partibus Patriarchis conferri conſueverat.* Sicuti in C. Theodoſiano integriùs habetur. Atque deſiiſſe hos Judæorum Patriarchas ſub Theodoſio juniore J. Gothofredus *ad l. fi. C. Th.* annotat.

à Judæis.

l. 17. C. de Judæ.

§. XI.

Cæterum in Concil. Chalced. *Patriarchæ* titulus plenè receptus eſt, quum jam tum in Synodo CPolitana Patriarchas certo modo conſtitutos per quinque Diœceſes,

Ad Chriſtianos.

ſes Orientis referat Socrates *lib. V. c. VIII.* καὶ πατριάρχας κατέστησαν, *& Patriarchas conſtituerunt, diſtribuentes* τὰς ἐπαρχίας *provincias, ne ullus Epiſcopus ultra propriam diœceſin alienas Eccleſias invaderet. Id enim antea propter perſecutiones promiſcuè factum fuerat. Itaque Nectarium ſortitam fuiſſe CPolim & Thraciæ provincias: Helladium Ponticæ Diœceſis patriarchiam, una cum Gregorio Nyſſeno: Otrejum Armeniæ: Aſianæ Diœceſis Amphilochium & Optimum: Ægypti Timotheum: Orientis denique Pelagium Laodicenum & Diodorum Tarſi Epiſcopum, ſervatâ prærogativâ Antiochenſi Eccleſiæ.* Et ſupplenda eſt Socratis narratio ex Theodoſii conſtitutione *l. 3. C. Th. de Fide Cathol.* ubi videndus J. Gothofredus Socratem defendens. Nec etiam veriſimile eſt, eum privato auſu alio titulo eos inſignivisse, quàm quo vel in ipſa Synodo aut mox poſt illam ſalutati. Quanquam nondum eâ ſignificatione, quâ pollent poteſtate in totius Diœceſeos Epiſcopos Metropolitanos, ut ſequentibus temporibus factum. Conf. *H. Valeſ. ad Socrat. p. 60. Salmas. c. IV. de Primat. Pap. itemque Blondell. de la Primauté de l'Egliſ. p. 531. ſeqq.*

§. XII.

Finis. Finis & effectus conſtituendi Patriarchatus præcipuè fuit, ut *ordinationes Epiſcoporum* non niſi cum auctoritate & confirmatione hujus ſummi Metropolitani, Primatis vel Patriarchæ fierent, ne vel heterodoxias ſuſpecti in cathedras Epiſcopales promoverentur. Cui conſequens erat & *jus convocandi* Metropolitanos & reliquos Epiſcopos ad cognoſcendam cauſam orthodoxias in Concilio Patriarchali, quorum exempla in Actis conciliorum extant. Indeque regula antiqua orta: *Qui pertinent ad ſynodum, pertinent ad Conſecrationem.* Conf. Novell.

CXXXVII.

CXXXVII. c. 4. ubi Petrus de Marca *l. 1. c. VII. ex Photii Nom. T. 8. c. 8.* particulam negativam, *& qui NON habent jus,* optimè ejicit, ut deſcripti ſint Metropolitani his verbis: *Ii qui à Patriarchis ordinati ſunt, & habent jus alios ordinandi.* Juſtinianus quoque rationem formalem *Poteſtatis Patriarchalis* in jure ordinandi Metropolitanos & cæterorum Epiſcoporum poſuit *l. 29. de Epiſc. Aud.* ubi Patriarchas majores à minoribus, quique tantum Jura Metropolitanorum habent ſeparans, illos deſcribit, qui *per totam diœceſin Epiſcoporum Metropolitanorum atque aliorum qui ſub eis ſunt, ordinationes faciunt.* cæteros Metropolitanorum jure uti jubet, qualis fuit *Patriarcha Hieroſolymitanus*, qui πρεσβεῖα tantum poſt Patriarchas adeptus fuit, jure vix Metropolitani gaudens ab initio, teſte Hier. *ad Pammach. LXI.* De Biturigenſi & Juvavenſi V. Baluzii *Not. ad Capit. Fr. T. I. p. 653.* Nov. 137, 4. Forma.

§. XIII.

Poteſtas judiciar.

Neque tamen in ſola ordinandi facultate ſubſtitit poteſtas Patriarchalis. In concilio *Chalcedonenſi* imperante Valentin. & Marciano, *Can. IX.* Metropolitani & Primates ſeu Patriarchæ ita diſtinguuntur, ut ſi contra ipſius Provinciæ Metropolitanum Epiſcopus ſeu Clericus controverſiam haberet, ad ipſius Diœceſeos primatem pergeret, aut certè ad CPolitanæ Regiæ Civitatis ſedem, ut eorum ibi negotium finiretur. *conf. Can. XVI. & ult. eod.* Et cœpit ab hoc ævo Regimen Eccleſiaſticum Civili magis magiſque conformari, idque ſancitum *d. Can. XVI. vel XVII.* τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω. quod etiam Concilii *CPolit. VI.* Imperante Juſtiniano II. in Trullo celebrati canon XXXVIII. repetit. Gemina iſtis conſtituit & Juſtinianus *d. l. 29. de Epiſc. Aud. & Novell. CXXIII. c. XXII.* ut Epiſcopi conveni-

 anur

antur apud proprium Metropolitanum, hic porro apud Patriarcham illius Diœceſeos, & ille ſecundum Canones & leges cauſæ præbeat finem.

§. XIV.

Carol. de S. Paul. Carolus de *S. Paul. Proœm. Notitiæ Epiſc. Antiq.* §. *V.* reſtringit Juſtinianeam de non appellando conſtitutionem, ad ſententias Epiſcoporum *in cauſis minoribus, cum in majorib. Epiſcopus Rom. judicandi poteſtatem habuiſſet.* Fundamentum ſuæ reſtrictionis petit ex Epiſt. Valentiniani Imp. præmiſſa Concilii Chalcedonenſis actis, ex Canone item IV. Concilii *Sardicenſis.* Verum cum Lex poſterior à priori non reſtringatur, ſed prior à poſteriori univerſali extendatur, facilè ſubruit iſta explicatio. Planè iſtud verum eſt, & ex textu ipſo Juſtinianeo patet, non de cauſis *fidei* & religionis orthodoxæ, ſed *de forenſibus Eccleſiaſticis*, perſonas resve Eccleſiaſticas privatim concernentibus, legem eſſe ſancitam, & in his appellationem regulariter prohibitam. In Cauſis vero fidei & orthodoxias Eccleſiæ, ut cognitio non eſt unius Epiſcopi, ita à ſententia Synodi particularis ad Impp. & concilium univerſale (in quo ſuæ tum partes ſedi Romanæ ob orthodoxiam tunc admodum vigentem, utique concedendæ) appellare, nondum prohibitum reperi.

§. XV.

Numerus. Patet itaque Patriarchas ſummum jus in ſuâ diœceſi habuiſſe tum, nec alterum alteri fuiſſe ſubjectum, & ita in Eccleſia Catholica Romani Imperii, Juſtiniani ævo, *Nov. 123. c. 3* QUINQUE Patriarchas fuiſſe inſtitutos *d. Nov. CXXIII. c. III.* ut neſciam, quid Lexicographis noſtratibus in mentem venerit, quatuor ſedes Patriarchales tantum conſtituentibus, niſi quod ſeducti videntur vitioſâ lectione:

nam

nam pro ἢ ἱεροσολύμων legendum erat, καὶ ἱερ. & quod non intellexerint, *Theopolin* diverſam eſſe ab Ælia ſeu Hieroſolymis; Antiochia enim à Juſtiniano reſtaurata Theopolis nomen adepta eſt, teſte *Cedreno*, & Theopolitani diverſi ſunt ab Hieroſolymitanis *l.6.C.de S. Trin.*

CAPUT IX.

De PRIMATU SEDIS ROM. ET CAN. VI. CONC. NIC.

SUMMARIA.

Canon VI. Concilii Niceni ſolutus. Occaſio cauſa Melitii. ejus deciſio Synodica. Canon cum Epiſtola Synodica collatus. Regula ex canone IV. conſtituta pro fundamento expoſitionis. Exceptionem continet canon VI. Exceptionis ratio à priori: ab exemplis, Epiſcopi Rom. Antiocheni. Clauſula generalis. Epiſcopus Hieroſolymitanus. Concluſio, de Metropolitanis, nondum de Patriarchis agit Canon VI. ne quidem de Patriarchatu Romano. Primatus Romani origo & cauſa dua: Urbis dignitas: Orthodoxias ſollicitudo. l.1. C. de S. Trin. Poteſtas tamen fuit reſtricta ad occidentem, neque in univerſum. Jus L. L. ferundarum: Jurisdictio, an competiit? Conſultationum dua ſpecies. Libertas Eccleſia Africana. Appellationes citra juris dictionem.

§. I.

SEd ut eo, unde dilapſi ſumus, redeamus, diſpiciendum nunc eſt, de quo poteſtatis Eccleſiaſticæ gradu antea laudatus canon ſextus Concilii Niceni diſponat. Ei occaſionem dederat, Meletius quidem, ſive Melitius, Epiſco- *Can. VI. Conc. Nic. expl.*

ſco-

ſcopus Lyci in Ægypto, ut apparet ex Sozomeni *l. 1. Hiſt. c. XXIV. & l. 2. c. XXI.* & Socrate *l. 1. c. IX.* Is, Petro Alexandriæ Epiſcopo perſecutionem fugiente, jus ordinandi Epiſcopos uſurpaverat, *Sozom. l. 1. c. 24.* ipſe tamen ſive ut apoſtata, ſive hypocrita cum perſecutoribus verſatus, & ob id à Petro reduce depoſitus, *Socrat. l. 1. c. 6.* Hinc ſchiſma & ſectam ille fecit adverſus Petrum, nec deſtitit ab Epiſcoporum ordinatione invito Alexandriæ Epiſcopo: ut docet *H. Valeſius ad Socrat. l. 1. c. IX.* Unde querela de eo Epiſcopi Alexandrini in Concilio Niceno, cui causâ cognitâ clementius cum Melitio agere placuit, cum aliàs ſummo jure nullam veniam mereri viſus.

occaſio cauſa Melitii.

§. II.

Deciſio Synodi.

Decretum itaque, ut maneret in civitate ſua, Lyci, nec ullam tamen haberet aut manus imponendi, aut eligendi poteſtatem: nec hujus rei cauſsâ aut in vico aut in urbe ulla compareret, ſed nudum honoris ſui nomen retineret. Eos vero, qui ab ipſo conſtituti, ſanctiore ordinatione confirmatos, ad communionem admittendos, eâ lege, ut honorem quidem ac miniſterium ſuum retinerent, ſecundo tamen ſemper loco eſſent ab iis omnibus, qui in unaquaque parœcia ab Alexandro Alexandriæ Epiſcopo ordinati: adeo, ut his quidem nulla facultas ſuppeteret, quos viſum fuerit eligendi, aut nomen cujuspiam ſuggerendi, aut omnino quicquam gerendi χωρὶς γνώμης τῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τῶν ὑπὸ Ἀλέξανδρον. *ſine conſenſu Epiſcoporum Catholicæ Eccleſiæ qui Alexandro ſubjecti eſſent.* Illos vero, qui in nullo ſchiſmate deprehenſi, ſed in Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, absque labe perſeveraſſent, poteſtatem habere eligendi, & proponendi nomina eorum, qui in Clerum allegi meruerint, &

cuncta denique peragendi juxta legem & ſanctionem Eccleſiaſticam. Quod ſi quem ex clero mori contigerit, in defuncti locum atque honorem provehendos eos, qui nuper adſciti eſſent, modò digni viderentur, & populus eos eligeret, συνεπιψηφίζοντος αὐτῷ καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου, *ſuffragante nihilominus plebisque judicium confirmante Alexandriæ Epiſcopo.* Et aliis quidem omnibus id conceſſum eſſe: De Militio vero ob priſtinam ejus contumaciam, & ob temerarium ac præceps hominis ingenium aliter placuiſſe decernere, ne poteſtas auctoritasque ulla tribueretur homini, qui easdem rurſus turbas excitare poſſet. Atque hæc ſunt τὰ ἐξαίρετα καὶ διαφέροντα τῇ Αἰγύπτῳ καὶ τῇ ἁγιωτάτῃ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ *ea, quæ ad Ægyptum & ad ſanctiſſimam Alexandrinorum Eccleſiam ſeorſim pertinentia* in Concilio fuere decreta, & Epiſtola Synodali ad Eccleſiam Alexandrinam & Epiſcopos per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin transſcripta refert Socrates *l.1.Hiſt.Eccl. c.IX.*

§. III.

In illis porro etſi nulla mentio hujus canonis expreſſa, inconveniens tamen foret, dicere, canonem de jure ac privilegiis Eccleſiæ Alexandrinæ fuiſſe in hoc Concilio conditum, eum verò in epiſtola Synodali ad eandem omiſſum. Quare omnino cenſendum eſt, ejusdem canonis ſententiam in hac epiſtola contineri. Nec id obſcurum. Sane ſicut in qualibet civitate Epiſcopus conſtitutus erat, ita in qualibet provincia civitatis Metropoleos Epiſcopus τὸ κῦρος, & jus ordinandi ſummum per ſuam provinciam obtinebat. Hanc regulam firmaverat eadem Nicena Synodus c. IV. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ i. e. *Eorum, quæ in quaque*

Canon in Epiſt. Synod.

Reg. in Can. 4.

pro-

provincia geruntur ſuprema auctoritas & confirmatio tribuatur Metropolitano. Itaque jus Metropolitanum cenſebatur regulariter ſecundum conſtitutionem Provinciarum, earumque Metropoleon, ut Epiſcopus Metropoleos provinciæ jura etiam Eccleſiæ Metropolitanæ haberet. Atque in hac regula fundaſſe mihi videtur prætenſionem ſuam Melitius, nec jus eſſe Epiſcopo Alexandrino extra Ægypti Provinciam, in Lybia, aut Pentapoli τὸ κῦρος uſurpare, ſed poſſe ibi etiam citra ejus conſenſum Epiſcopos conſtitui.

§. IV.

Except. in Can. VI. At placuit tamen Patribus morem quarundam Eccleſiarum ac jura tueri, quæ præter regulam obtinuerant. Quumque Alexandrinæ Civitatis Epiſcopus Jus Metropolitani non ſolum in Provincia, in qua ſita Alexandria, ſed & in Lybia & Pentapoli hactenus exercuerat, confirmarunt hanc regulæ exceptionem. Ajunt: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, *Antiqui mores obtineant, qui ſunt in Ægypto, Libya & Pentapoli ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium* (qui ſunt in Ægypto Libya, & Pentapoli Epiſcoporum ordinandorum) *habeat poteſtatem.* Atque hoc ipſum eſt quod in epiſtola Synodali dicitur; συνεψηφισμένος καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου. Nempe jus denominandi debebat habere Clerus, jus eligendi populus, jus approbandi Epiſcopus Alexandriæ non tantum per Ægyptum, ſed etiam in Libya & Pentapoli.

Ratio. 1. Ratio & origo hujus moris videtur mihi ex civili Ægypti diviſione orta: quæ uti varias paſſa partitiones, quas recenſet Pancirollus *Comment. ad Not. Imp. Orient. c. LXVII.* Ita univerſa hæc regio Ægyptum,

ptum, Libyam utramque & Pentapolin, ſed & plures tandem provincias complectens, Ægyptiacæ DIOECESEOS nomine veniebat; & Auguſtali Præfecto, qui Alexandriæ degebat, Præſides Libyarum & Pentapoleos parebant, quorum crimina ille inquirebat, & delictis eorum prius principi denunciatis, eos puniebat, vel removebat. *l. 2. C. de off. Præf. Aug.*

§. V.

At Patres non hanc rationem adducunt, ſed aliarum Diœceſeon exempla imprimis Romanæ. Ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. *Quoniam illa eſt Romano etiam Epiſcopo conſuetudo.* Etenim ſicut Roma atque Italia præter alias etiam diverſas partitiones tum temporis ita regebatur, ut Præfectus Vrbi pleniſſimam in urbe haberet poteſtatem; Italia vero per Conſulares veluti Præſides diſtinctis regionibus atque provinciis adminiſtraretur, ita tamen, ut Præfectus Vrbi merum Imperium, etiam intra Italiam ad centeſimum lapidem *l. 1. π. de off. P. V.* & jus recipiendi appellationes ex Italiæ regionibus haberet *l. 13. C. Th. de Accuſ.* Panciroll. *in Not. Imp. Occid. c. IV.* Pariter etiam Epiſcopus Romanus jus ordinandi non tantum in urbe ejusque territorio, ſed etiam per Italiam habebat. Ignatius Epiſtolam Eccleſiæ Romanæ inſcribens ait: τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων. *Eccleſiæ, quæ præſidet in loco Romanorum.*

2. Rat. ab Exempl. Epiſc. Rom.

§. VI.

Pergunt Patres: ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. *i. e. ſimiliter & in Antiochia & in aliis provinciis jura antiqua ſerventur Eccleſiis.* Erat Antiochia Metropolis Syriæ, & ſedes Prætorii Orientalis. Et hujus igitur Metropoleos

Antioch.

tot magnarum civitatum, & aliarum quarundam Provinciarum Eccleſiæ, Metropolitano jure pariter ita gaudeant, ut ſi hactenus præter ſupra allatam regulam τὸ κύρος & ſupremum jus ordinandi etiam extra provinciæ fines exercuerint in vicinæ provinciæ Eccleſias, in poſterum idem ſervetur.

§. VII.

Conſect. Quæ ſequuntur in canone ad regulam pariter & exceptionem pertinent, ſive enim intra unicam provinciam, ſive per plures Jus Metropolitanum exercendi jus ſit, illud ita exerceatur, ut ſi quis Epiſcopus factus ſit præter ſententiam Metropolitani, pro Epiſcopo non ſit habendus; cæteroquin pluralitas votorum in electione obtineat. *Epiſc. Hieroſol.* Denique in ſequente canone ſeptimo de Epiſcopo ÆLIÆ ſeu Hieroſolymitano peculiare jus firmatum eſt, qui quum nec in Metropoli præſideret, nec jura Metropolitana exexercuiſſet hactenus, dignitate tamen Metropolitanis æquali gauderet, id privilegii & huic fuit ſtabilitum.

§. IIX.

Concluſ. de Ex his jam oppido liquet, de nullo alio jure hic tractatum fuiſſe, niſi de *Metropolitano*, nec aliud tum cognitum fuit. Sed illud diſcriminis circa id obſervari licet, *Patriarchatu.* quod alias & regulariter intra ἐπαρχίαν atque provinciam exercitum, aliàs per duas vel tres provincias. Quamobrem nullo fundamento Jus *Patriarchatus* ex hoc canone demonſtrari poteſt; ignoratum tum temporis, & poſtea demum ex poſteriori ſpecie Juris Metropolitici per plures provincias exerciti enatum, ſalvâ tamen Metropolitarum *Romano.* poteſtate. Speciatim vero Epiſcopus Romanus nihil quicquam juris amplius per hunc canonem acquiſivit, ſed exempli tantum loco allegatum fuit jus ejus Metropolitanum

tanum & Romæ & in Italia exercitum; tantum abeſt, ut ejus poteſtas ſacra per univerſum occidentis Imperium ſit confirmata: Sed omnium minimè in Germaniam magnam, quæ quippe tum ad Imperium non pertinebat. Illud vero penitus abſurdum eſt, totius orbis Eccleſias, cum Bellarmino & Baronio, aut ſaltem totius Occidentis, cum Perronio & Carolo à S. Paulo *l. 2. de Patriarch.* §. *VII.* & aliis plurimis ex hoc canone ſubjicere velle Epiſcopo Romano. Conf. M. A. de Domin. *l. IV. de R. E. c. 3.* Salmaſ. *de primat. Pap. cap. VII. & XX.* Petr. de Marca *lib. 1. de C. S. & J. c. VII. 3.* Blondell. *de la primautè de l' Egliſ. p. 519. 613. 881. 911 ſqq. & p. 971. ſqq.* ubi Bellarmini & Baronii expoſitiones examinat. H. Conring. *de Conſtit. Epiſc. German.* §. *XVI.* H. Valeſ. *ad Socrat. & Soz. obſ. Eccl. lib. 3.* Herbert. Thorndicii *Origin. Eccleſiaſt. c. XXII.* Edmundi Richerii *Hiſtor. Concil. General. lib. 1. c. 2.* ubi etiam oſtendit, falſum eſſe, acta Concilii Niceni ad confirmationem Sylveſtro Papæ fuiſſe à Patribus transmiſſa.

§. IX.

Igitur *Epiſcopum Romanum* hujusmodi Primatum in Metropolitanos ſuæ Diœceſeos jam tum ante unionem Eccleſiæ & Imperii, exercuiſſe, *Canon VI. Concilii Nic.* non docet; Sed hoc tantum, quod jus Metropolitanum non unica in provincia exercuerit, atque ad ejus exemplum etiam alii quidam Metropolitani. Fuit enim hujus Eccleſiæ magna ſemper auctoritas, ejusque exemplum & prodeſſe & nocere multum omnino valuit; tantum abeſt, ut Imperatores, etiam gentiles, quoties à perſecutionibus quieſcerent, aliquam prærogativam Romano Epiſcopo inviderent, ut potius augerent. Quo pertinet *Aureliani Imp.* reſcriptum in cauſa Pauli Samoſateni, is enim *Primatus Rom.*

qvum ab Epiſcopis damnatus, ædes Epiſcopales migrare nollet, Imp. Aurelianus eâ de re interpellatus reſpondit: *Ædes Eccleſiæ illis tribuendas eſſe, quibus Chriſtianæ religionis antiſtites per Italiam & urbis Romæ tribui vellent. Euſeb. l. VII. c. XXX.* Fuit quippe hic unus modus acquirendi tandem Prærogativam, Auctoritatem, atque Primatum, præ reliquis etiam Patriarchis, quod *Roma*, quæ ſedes Epiſcopi, *Caput orbis* haberetur; à dignitate porro loci, etiam dignitas & jus ſedentis ibi Epiſcopi vel Patriarchæ dependere viſum fuit. Concil. Chalced. *c. XXVIII.* καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. *i.e. ſedi ſenioris Romæ, quòd Urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt.* Theodos. & Valent. *Novell XXIV. Cum ſedis Apoſtolicæ Primatum S. Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis Coronæ, & Romanæ dignitas Civitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem ſedis iſtius illicitum præſumtio attentare nitatur. Tunc enim demum Eccleſiarum pax ubique ſervabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat univerſitas.* Unde intelligitur, quod *Irenæus* Lugdunenſium Epiſcopus *l. 3. c. 3.* ſcripſit: *Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.* Quod enim Patres Chalcedon. ajunt, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν, id conciſius Irenæus *propter potentiorem principalitatem urbis ſc. Romæ.* Id quod aliter interpretatur Petrus de Marca *l. 1. c. 2. §. 6.* Conf. Blondell. *de la primautè l' Egl. p. 23. ſqq. & 836.*

ejus cauſa 1.

§. X.

2. Sed fuit & altera ratio ſatis vetuſtæ illius prærogativæ Romanæ, quamque Eccleſia Romana hodieque pro potiori habet, teſte Carolo à S. Paulo *Proœm. Geogr. Sacr.*

&

&vid. *M. A. de Domin. l. 3. de Rep. Eccl. 1. 2.* Eam Conſtantinus *l. 1. C. de S. Trin.* innuit; laudem *Orthodoxiæ* in Eccleſia Romana eò usque retentæ, Eccleſiâ Orientali interim variis hæreſibus vacillante, & ad Arianos planè deficiente. Quare obſervata fuit doctrina Ariſtotelis hac in parte, qui *l. 3. Polit. c. IX. vel XIII.* de viris virtute civili ſupereminentibus in civitate ait, *videri reliquos omnes natos eſſe ad parendum ἀσμένως, libenter tali viro, & reges perpetuos in civitate eſſe tales.* adde: quamdiu tales manent. Hinc S. Ignatius in Epigraph. Epiſt. ad Rom. appellat Eccleſiam Rom. dignam eminentia, & *lib. 3. c. 3.* ait: *Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, h. e. eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.* Sed quod Tertull. *lib. de pudicit.* ait: *Claves ſoli Petro commiſſas, & Eccleſiam ſuper ipſum extructam.* Sarcaſmum eſſe, jam tum & Salmaſius & Blondellus animadverterunt. Cæterum Cyprianus *l. 4. epiſt. VIII.* Romanam Eccleſiam ab omnibus aliis pro matrice & radice Catholicæ Eccleſiæ agnoſcendam eſſe ait. Itemque *Epiſt. 55. & lib. de Simplicit. Prælator. vocat principalem Eccleſiam, Petri Cathedram, à qua unitas Sacerdotalis exorta ſit. V.* Blondell. *de la primautè de l' Egliſ. p. 42. ſqq.* Optatus Milevit. Epiſc. *lib. 2. adv. Parmen.* ait: *Negare non potes, ſcire te, in urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: (unde & Cephas appellatus eſt) in quo una Cathedra, unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent: ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra unica quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus:*

l. 1. C. de S. Trinit.

Cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens &c. Damaſo Siricius, hodie qui noſter eſt ſocius: cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum, in una communionis ſocietate concordant. Chalced. Concil. Act. I. Τοῦ μακαριωτάτου καὶ ἀποστολικοῦ ἐπισκόπου τῆς Ῥωμαίων πόλεως κεφαλῆς ὑπάρχοντος πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Et *Act. XVI.* ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα. Athanaſius *libr. ad Leon. Papam.* τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης λεόντι. Petrus Chryſologus *Epiſt. ad Euthychem* ſcribit: *In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut iis, quæ à beatiſſimo Papa Romanæ civitatis perſcripta ſunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria ſede & vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Leo Magnus *Serm. in Nat. Apoſt. Petr. & Paul.* ait: *Ab Apoſtolorum Principibus factum eſt, ut Romæ gens eſſet ſancta, populus electus, civitasque Sacerdotalis & regia, per ſacram B. Petri ſedem Caput orbis effecta, latius præſideret religione divina, quàm dominatione terrena.* Species Romanæ auctoritatis fuit, quod *Juſtinianus* Imp. reſtitutionem Anthimi in Eccleſiam CPolitanam à Silverio Papa, fruſtra petiit: quanquam mox Vigilius Simoniacus à Theodora conſtitutus, & Silverius depoſitus. Et quanquam *Reges Gothorum* in Italia rerum potiti non dubitarent, ſedem Romanam Poteſtati Regiæ ſubjectam eſſe, auctoritas tamen ejus magna apud ipſos fuit, teſte Caſſiodoro *Lib. IX. Ep. XV. & l. XI. Epiſt. 2. ad Johan. II.* Papam, & *Epiſt. XIII.* itemque *lib. de Amicit.* ait: *Petro commiſit curam & regimen Eccleſiæ ſuæ, Principi Apoſtolorum. Conf. Marſil. Patav. Def. Pac. p. 2. c. XVII. M. A. de Dom. l. 1. de Rep. Eccl. c. X. J. Goth. ad l. 2. C. Th. de fid. Cath.*

§. XI.

§. XI.

Verum enim vero prærogativa hæc ſedis Epiſcopalis Romanæ, etſi vetuſta eſt & magna; non tamen tanta fuit, ut per hanc adepta fuiſſet ſummam poteſtatem & Jurisdictionem in reliquas ſedes Patriarchales, & univerſam Catholicam Eccleſiam. Nam quæ de ſuperioritate Patriarchatus Romani ſuper reliquos Patriarchas afferuntur, illa nihil conficiunt, niſi quod & reliqui Patriarchæ Conciliis fuerint ſubjecti, quibus præſederunt Romani præ illis, aut quod in Epiſcopum Romanum aliquando fuerit compromiſſum, ut tunc moris fuiſſe antea docuimus. Alioquin *in Concilio CPolit. A. C. 381.* habito, ſancitum *Can. 2. & 3.* ne Patriarchæ & Epiſcopi confundant limites ſacrarum Diœceſium, ſed ſinguli ſuæ tantum *diœceſeos Patriarchalis* vel Epiſcopalis curam gererent; Neque ſuper *ordinandis* Clericis, aut de aliis cauſis diſponendis ultra limites illius ad aliam accederent, *niſi invitati.* Inter Hilarii Fragmenta extat epiſtola Synodica Concilii Sardic. in qua hæc obſervatu digna leguntur: *Hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus conſuetudo Eccleſiæ, ut in Concilio Orientales Epiſcopi quod forte ſtatuiſſent, ab Epiſcopis occidentalibus refricaretur: ſimiliter quicquid occidentalium partium Epiſcopi, ab Orientalibus ſolveretur.* Cui gemina, quæ reſcripſit Conſtantius ad Concilium Ariminenſe: *Non enim de Orientalibus Epiſcopis in concilio veſtro patitur ratio aliquid definiri. Proinde ſuper his tantum quæ ad vos pertinere cognoſcit gravitas veſtra tractare debetis.* Hinc in Concilio Aquilejenſi ad exceptionem Palladii Epiſcopi, Arriani, *Se niſi generali & pleno Concilio reſpondere non poſſe*, abſentibus quippe Epiſcopis Orientalibus, quos tamen Præfectus Italiæ invitaverat, *ut ſi vellent con-*

Reſtrictio.

convenire, in poteſtate haberent: reſpondit Ambroſius: *Quia ſcierunt conſuetudinem hujusmodi, ut in Oriente Orientale eſſet Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ita putaverunt non eſſe veniendum.*

§. XII.

Nulla igitur hic poteſtas Romani Epiſcopi in Patriarchatus Orientalis Imperii. Conf. Blondell. *de la primautè en l'Egliſe, princip.* Hinc facile dilui poteſt diſtinctio, contra novatores, quos vocant, adinventa: Etſi enim in confeſſo eſt, Poteſtatem Metropolitanorum æqualem in concilio Niceno agnitam fuiſſe, *P. de Marca l.1. c.VII. §.VI.* tamen æqualitatem illam reſtringere contendunt ad Diœceſin *Urbicariam*, cæteroquin ſalvam manere Rom. Pontificis auctoritatem totam, quantacumque erat, quoniam mores antiqui hoc canone firmati. Bona verba! More antiquo nulla Poteſtas Pontifici Rom. in Orientales Eccleſias & cæteros Patriarchatus competiiſſe modo comprobatum eſt. Igitur hic ipſe mos in Can. Nic. confirmatus. Cæterum, quæ de Univerſali *auctoritate* R. Pontificis dicuntur, ſi de *poteſtate* intelliguntur, τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτοῦνται nullaque nituntur ſoliditate. Unde *auctoritatis* vocabulo uti hic malunt nec aliquid aliud tamen docere poſſunt, niſi quod ad *directorii* jus, ac *conſultationum* prærogativam pertinet.

§. XIII.

Jus L.L. ferend.

Nituntur quidem Romano Pontifici adſerere primò jus L.L. ferendarum per univerſam Eccleſiam. Probant ex decretali Leonis I. de Hilario Epiſcopo Arelatenſi remoto, & Valentiniani Imp. Conſtitutione factum Pontificis confirmante. Extat hæc inter Novellas Leges Theodoſianas *Tit. XXIV.* Ait: *Ne levis ſaltem inter Eccleſias turba*

ba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus; Nequid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum provinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare. Sed illis omnibusque pro lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis auctoritas; ita ut quisquis Epiſcoporum ad JVDICIVM Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejusdem Provinciæ adeſſe cogatur; per omnia ſervatis, quæ divi Parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt. Verùm nihil hinc de poteſtate LLatoria concludi poteſt, ſed de judiciaria tantùm, eâque reſtrictâ ad leges anteriores; quod & ipſe Leo Pontifex in epiſtola ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis confitetur: *Non nova inſtituentes, ſed vetera renovantes; ut in ſtatus conſuetudine, quæ à noſtris Patribus nobis eſt tradita, perduremus.* Conferatur Petrus de Marca *c. IX. §. 1. lib. 1. de C. S. & J.* Addo, nec in rebus *Fidei* niſi convocatis Eccleſiarum Antiſtitibus & collecta Synodo, decreta illa intelligi emanare debere. Quæ ita ſancita, Pontifex Romanus & cæteris Eccleſiis, quæ forte non interfuerunt conſultationi, offerre ſua auctoritate potuit, & illæ viciſſim eatenus fidei & diſciplinæ tuendæ ac firmandæ repugnare non debuerunt. Extra hos terminos nulla Pontificis auctoritas, nulla vis obligandi. Et fatetur Vir Candidus, olim una cum Synodorum tractatu hæc talia procuraſſe Pontifices: ſed poſterioribus temporibus in conſilium tantum adhibuiſſe Cardinales: *Hodie tamen*, ait, *eo jure utitur R. Pontifex, ut eos quidem in Conſilium adbibeat, ſed eorum aſſenſu non indigeat; teſtibus Bellarmino, Azorio, & cæteris ſcriptoribus.*

XIV.

Juriſdict. De Poteſtate Judiciaria Petrus de Marca *d. lib. 1. c. X.* docet, ante Concilium Sardicenſe, quod A. C. CCCXLVII. habitum, *jus recipiendi appellationes* extra Diœceſin Romanam vix probari poſſe; aſſerit tamen ſedi Rom. temporibus primis ſupremam auctoritatem cognitionum per orientem & occidentem, ſed non per modum appellationis, h. e. ſummæ poteſtatis judiciariæ ſive *Juris dictionis*, ſed per modum *Conſultationum* vel Relationum, etiam in Conſiſtorio Principis ſervatum. Illud hic perſpiciendum, *conſultationum* uſum duplicem originem habere, ipſam jurisdictionem ſummam, & Juris etiam appellandi capacem, quæ in Imperatorum Conſiſtoriis cernitur: aut liberam conſultantis electionem absque jurisdictionis neceſſitate & appellationis recipiendæ capacitate, qualis in Curiis, Collegiis JCtorum & Scabinatibus ac Conſiſtoriis Eccleſiarum noſtrarum hodieque cernitur. Jam non priorem, ſed poſteriorem rationem iſtarum conſultationum ſive communicationum fuiſſe, & ſuperior diſputatio demonſtrat, & Cyrilli verba ad Cæleſtinum Epiſc. Rom. Part. 1. Concil. Epheſ. c. XIV. καὶ τὰ μακρὰ τῶν Ἐκκλησιῶν ἔθη πείθουσιν ἀνακοινοῦσθαι τῇ σῇ ὁσιότητι. *longa conſuetudo Eccleſiarum ſuadet, ut ejusmodi res ſanctitati tuæ communicetur.* Atque qvum Cæleſtinus limites Conſultationis egreſſus, per modum Jurisdictionis Neſtorium non tantum hæreſeos damnaret, ſed etiam ab Eccleſia CPolitana dejiceret & Cyrillo ſententiæ executionem mandaret; Eccleſia Orientalis libertati ſuæ ita conſulendum rebatur, ut Epheſi Concilium haberetur, atque de cauſa Neſtorii, reſponſoque Romano cognitio haberetur, & ſic demum ſententiæ Concilii executio ſecundum Rom. Epiſcopi reſpon-

ſponſum fieret. Neque rem conficit, quod reſponſiones Pontificum pro *jure conſtituto* habitæ; quum idem quoque Reſponſis Prudentum Romanorum ſive tacita populi receptione, ſive ſumma poteſtate LLatoria, factum conſtet. Tantum igitur abeſt, ut Pontificis Romani Poteſtas in univerſam Eccleſiam agnita fuerit, ut ne quidem per univerſum occidentem extenſa; quod *Zonaras* expreſſe teſtatur, non omnes, ſed *χεδὸν ferè* omnes Eccleſias Occidentis ſedi Romanæ ſubmiſſas: & latius proſequitur Blondell. *de la primauté en l' Egl. p. 625.*

§. XV.

Cyprianus *eodem de ſimplic. Prælat. lib.* negat *cauſas & controverſias Romam eſſe deportandas ad dijudicandum.* *Libertas Eccl. Afric.* Africanæ enim Eccleſiæ ad Occidentem quantumvis referebantur & ſedem quoque Romanam comiter habebant: Superioritatem tamen Jurisdictionis haud quaquam agnoverunt. Nam quæ *Gilb. Genebrardus* de magnitudine Imperii Eccleſiaſtici per Africam tempore Gregorii M. affert, dudum exploſa ſunt à M. A. Marcello *de Jur. Sec. Pont. Rom. c. 3.* Conf. Petr. de Marca *l. 7. de C. S. & J. c. 16.* Unde *in Concilio Milevitano A. C. 416. coacto c. XXII.* prohibitum à Judiciis Epiſcoporum Afrorum provocare, niſi ad Africana Concilia vel Primates, ad Transmarina verò appellans à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiendus ſancitur. Ipſe Innocentius *1. Epiſt. ad Nucerianum, itemque ad Epiſcopum Tholoſanum*, non obſcurè fatetur Eccleſiam Africanam & quæ ab illo dependebat, Hiſpanicam, *non niſi per modum Conſultationis* in cauſis fidei adire ſolere ſedem Rom. Nec aliter accipi poteſt *Can. XXII. & ſqq. Concilii Bracarenſis*, niſi de Conſultatione. Conf. Concil. Carth. VI. & ejus hiſtoriam tum

à Flacio contextam, tum verò ab Edm. Richerio. *Hiſt. Concil. General. c. 6.* Concil. Tolet. IX. c. 7. Lehm. *Chron. Spir. l. V. c. 68. arg. 2.* Id quod olim in civilibus etiam fuiſſe uſitatum, docet Plutarchus *lib. de amore prolis*, ait: *Quod ad peregrinos Judices Græci appellarunt, id initio hinc excogitatum fuit, quod alii de aliorum juſtitia diffidentes, eam ut rem neceſſariam & apud ipſos non exiſtentem aliunde petendam, ſunt opinati.* Eodem modo in Germania omnes vicinas gentes etiam Polonicas ad *Scabinatum Magdeburgenſem liberè*, non ex jure ſuperioritatis, provocaſſe tralatitium eſt.

CAPUT X.

De
ECCLESIIS SEDI ROMANÆ NON SUBJECTIS.

SUMMARIA.

Eccleſia Gallicana & Germanica libera. Synodus Arelatenſis II. Poſt Sardicenſem, cujus minor auctoritas. Lazii error, Gallicanas Diœceſes immediatè ſedi Rom. ſubjectas. Sidonius Appollinaris expoſitus. Pontifex Maximus: Papa, vocabula communia. Primas Romanus in Galliis, Epiſcopus Arelatenſis. Eccleſia Rhetica: Norica. Burgundica. Patriarchatus Rom. origo, Juris humani. Poteſtas an Apoſtolica. Infallibilitas & independentia. Paulus fundator Eccleſiæ Rom. Petrus an Romam venerit. Vlrichus Velenus. Tituli S.R. ſunt mutabiles. Apoſtaſia Eccleſiæ alicujus quomodo probetur. Eccleſia à ſede Rom. avulſa jam tum olim. Libera ab omni Patriarchatu. Metropolitarum vetus libertas. Pallii uſus. Poteſtas S. R. ſolubilis.

§. I.

§. I.

PAri libertate cum Africanis & Hiſpanis gaudebant Eccleſiæ Gallicanæ & Germanicæ. Teſtis eſt *Can. XXIX. & fin. Concil. Arelat.* quod vulgo ſecundum fertur, ubi pariter à decretis Synodi Provincialis ſeu Nationalis appellatio jure ſuperioris Juriſdictionis non admittitur ulterior. *Si quis Epiſcopus ſuæ ſententiæ* (à Metropolitano ſuo latæ) *non acquieſcit, Synodi legibus audiendum* (eſſe, placuit, non admiſsâ provocatione trans Alpes.) Et canon ultimus: *Hoc etiam placuit cuſtodiri, ut nihil contra magnam Synodum Metropolitani exiſtiment vindicandum.* Appellatur *magna Synodus*, quæ ex partibus Gallicanis præcipuè ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium congregari ſolebat, ut apparet ex Can. XVIII. Habitum autem fuiſſe hoc Concilium Eccleſiarum Galliæ atque Germâniæ non ante Concilium Nicenum, ſed poſtmodum, imo etiam poſt Concilium Sardicenſe ſub Julio celebratum A. C. 347. arguit, quod mentio in hujus *Can. XXVIII.* fit *Synodi Vaſenſis* primæ, ſub eodem Julio Papa coactæ, & quod *S. Marini* & Magni Concilii Arelat. I. eo tempore acti meminit. Conjectura de gloſſemate quantum ad Concilium Vaſenſe, κρίσεως indiget. Quare nil officit Libertati Eccleſiæ Gallicæ & Germanicæ Concilii *Sardicenſis c. III. & VII.* de jure appellandi ad ſedem Romanam in cauſis privatorum, qvum Canones Sardicos nonniſi *proviſorios* & temporarios, neque Concilium Sardicenſe unquam pro œcumenico aut appendice Concilii Niceni habitum fuiſſe demonſtrarit *Edm. Richerius Hiſt. Concil. General. c.3.* Præterea Concilium hoc Arelatenſe contrarium poſtea ſancivit adeoque canones illos Sardicenſes hactenus non recepit, ſed de libertate, atque auctoritate ſuorum Conciliorum canonem

Libertas Eccleſ. Gall. & Germ. Concil. Arel. II.

nem illum expreſſum ſubjecit: *ut nihil contra magnam Synodum Metropolitani exiſtiment vindicandum.* Cæterum conſideranti facile apparet, neq; temporis aſſignationem, neque nominum ſubſcriptionem huic Synodo quadrare, ſed aut ad primam pertinere, & magnam illam Synodum, aut hanc non eſſe ſecundam. *Conf. Thorndic. Orig. Eccleſ. cap. XXIII.*

§. II.

Lazius. Wolffg. Lazius quidem *Comment. Reip. Rom. l. 2. c. 2.* autumat Diœceſes Gallicanas Romanæ ſedi immediatè fuiſſe ſubjectas, idque colligi poſſe ex Epiſtolis Apollinaris Sidonii, qvum Claudiani *Epiſcopi* (ſic eum vocat Lazius) epitaphium deſcriberet, & eundem vicem geſſiſſe Mamerti Metropolitani, fratris germani quoad carnem, oſtenderet: apertè inſinuans ibi, Galliarum Metropolitano à Rom. Epiſcopo, *primis* etiam Eccleſiæ temporibus (at Apollinaris cum Claudiano vixit in ſeculo quinto) jura accepiſſe. Ita enim in Epitaphio canere:

l. IV. Epiſt. XI.

Antiſtes fuit ordine in ſecundo,
Fratrem faſce levans Epiſcopali.
Nam de Pontificis tenore Summi
Ille inſignia ſumſit, hic laborem.

§. III.

Papa Pont. Max. vocab. comm. Ita quidem Lazius, ſed non ſemel hallucinatur vir optimus. Ut enim *Papa*, ita quoque *Pontificis Maximi* appellatio à Sidonio tribui ſolet Epiſcopis Gallicanis ſine diſcrimine. *Vid. l. 8. epiſt. XIV. XV. & paſſim.* & pluribus docet H. Bignonius *Not. ad Marculph. lib. 1. pr.* Porro *antiſtes* ſive Sacerdos *primi ordinis* eſt Epiſcopus, ſecundi ordinis eſt Presbyter, ut ſupra diximus, & ad hunc ipſum Apollinaris locum annotavit etiam Sirmondus. Denique

hunc

hunc *Mamertum Claudianum* non Epiſcopum, ſed Presbyterum Eccleſiæ Viennenſis, Fratrem vero *Mamertum* fuiſſe Epiſcopum & textus docet & Sirmondus obſervat. *Petrus de Marca l. 2. c. XIV. §. V.* addit, eum primas partes presbyterii obtinuiſſe in ſollicitudine Epiſcopali, hoc eſt *Chorepiſcopum* fuiſſe; itaque emendat Gennadii locum de viris illuſtribus in Salviano; ubi pro *Epiſcopo* Viennenſi reſcribit, *Chorepiſc. V.* Cæterum de Electione Metropolitani Gallicani agit idem Sirmondus *ad lib. VII. Epiſt. IX.* ſed ibi ne hilum de jure & poteſtate Pontificis Rom. circa hujus conſtitutionem, verùm omne jus penes Clerum atque Populum. At habuiſſe Eccleſias Gallicanas tum *primates*, & quidem primarum Provinciarum Metropolitas, idem Sirmondus docet ad *l. VII. Ep. V.* Inter quos etiam *Arelatenſis* Epiſcopus, teſte Juſtiniano Imp. *in Epiſtola Synodi V. Generalis*, ob principem locum, quem Metropolis *Arelate* in Galliis obtinuit, unde Auſonio *Gallula Roma* Hincmaro *Conſtantina*. Conſtantinus enim hoc nomen ipſi indiderat, tanquam urbi Galliarum principi, eoque etiam concilium de cauſa Donatiſtarum conſtituerat, ut antea vidimus. Quare per *ſummum Pontificem* intelligit Apollinaris Primatem Provinciæ Narbonenſis primæ, in qua Narbo Metropolis. Sequenti tempore anne Primus Primatum, isque tum *Lugdunenſis*, titulum *Patriarchæ* adeptus? quæſitum. Aſſerit Salmaſius *c. XVI. de Prim. pap.* Cæterum *ſummus Pontifex* etiam quilibet Epiſcopus fuit appellatus. Lex Baivvariorum *tit. 1. c. XI. §. 2.* *Et, ſi Epiſcopus contra aliquem culpabilis adparet, non præſumat eum occidere, quia ſummus Pontifex eſt: ſed mallet eum ante Regem vel ducem, aut ante plebem ſuam.* In primis vero ArchiEpiſcopus *Moguntinus* nomen ſummi Pontificis, in

Conſtit. Metropol. Gallic.

Primates Gallici.

Ger-

Germania meruit, ut patet ex Witichindi Corbeienſis Annalibus paſſim. *Conf. Blondell. de la primautè de l' Egliſ. p. 33.*

§. IV.

Atque hic fuit ſtatus Eccleſiarum Galliæ & Germaniæ trans Rhenum ad *ſeculum* usque *quintum*, quippe quo inclinante vixit Apollinaris Sidonius Epiſcopus Arvernenſis. Ineunte enim ſeculo VI. cepit ſedes Romana Primatem ſibi *Vicarium per Gallias* conſtituere Epiſcopum Arelatenſem. Zoſimus Papa Epiſtola V. ſcribit: *Ad Arelatenſis notitiam, ſi quod illic negotium emerſerit, referri cenſuimus, niſi magnitudo cauſæ etiam noſtrum requirat examen.* Et non attento, quod *Leo I.* Papa auctor fuit Valentiniano Imp. ut primatum Arelatenſem dirueret, ut conſtat ex *Novell. Valentin. Tit. XXIV. & Epiſt. Leonis XCI.* permanſit tamen hic Primatus adhuc. Nam Pelagius ad Sapaudum Epiſc. Arelat. ſimiliter: *Majorum noſtrorum, operante Dei miſericordia, cupientes inhærere veſtigiis, & eorum actus divino examine in omnib. imitari: Charitati tuæ per univerſam Galliā S. Sedis Apoſtolicæ, cui divina gratia præſidemus, VICES injungimus.* Duravit hic Vicariatus, ſeu Primatus adhuc Gregorii M. ætate. *Vid. c. pallium. 5. Diſt. 100. & can. 25. q. 2. can. in Galliar. 3.* Sed de his capp. ſeqq. plura. & vid. Steph. Baluz. *in ſupplem. Petri de Marca l. VI. c. XVII. Salmas. c. XVI. de prim. Pap.* Blondell. *de la Prim. en l' Egliſ. p. 520.* De reliquis Eccleſiis Germanicis cis Rhenum, non liquet, niſi quod, quum utraque *Rhætia* ad Italicam Diœceſin, *Noricum* verò ad Illyricum Occidentale pertinuerit tum, videntur Eccleſiæ iſtæ *canoni* Oſiano Concilii *Sardicenſis* magis fuiſſe addictæ, qvum contrarium nondum appareat. *Burgundica* vero Eccleſia cis-rhenana Germaniæ minoris fuiſſe videtur.

Primas Romanus in Galliis.

Eccleſ. Rhætica & Norica.

§. V.

§. V.

Ex hactenus diſputatis utique jam conſtat, Eccleſias Germanicas Romani Imperii unà cum Gallicanis à tempore Conſtantini M. usque ad imperium Gothorum & Francorum tum unitate fidei orthodoxæ, tum libertate regiminis Eccleſiaſtici ita fuiſſe gaviſas, ut quoad externam diſciplinam ſumma poteſtas fuerit penes Imperatores: quoad puritatem fidei Salutisque formulam, penes concilia, in quibus Patriarchatus Romani prærogativam ſic comiter habuerunt, ut tamen jus decernendi de orthodoxia & fidei veritate penes concilium univerſum permaneret, Papæ vero Romano inſpectio, & manutenentia eorum, quæ ſic per concilia ſtatuta fuerunt. Neque enim ignorarunt Patriarchalem illam poteſtatem, non ex jure divino & inſtitutione Salvatoris, & Apoſtolorum promanaſſe, ſed ex inſtituto humano, quod ſæpius Hieronymus inculcat, & poſt Irenæum, atque Hilarium, Eccleſiarum Gallicanarum Principes, univerſa Eccleſia Gallica & Germanica, ut jam tum oſtendit Blondell. *de la prim. de l' Egl. & Apolog. pro Hieron.* M. Ant. de Dom. *lib. 1. de Rep. Eccleſ.* Caſaub. *Exerc. XV. contra Baron.* Jac. Capell. *de ſed. Rom. Poteſt. c. III.* Cl. Salmaſ. *Appar. ad libros de prim. Pap.* Et verè Fr. Bosquet. *ad lib. 1. Innocent. III. Epiſt. CXXXVI.* ait: *omne ferè jus Eccleſiaſticum mos induxit, Conſtitutio confirmavit: præcipuè Metropoliticum vel Patriarchicum.*

Concluſ. & Excurſio de Patriarchatûs Rom.

Cauſis & Orig.

§. VI.

Veriùs quàm quod prodit Nicolaus I. Papa in invectiva adverſus Michaelem Imp. CPolit. inter alia negans, *Nicenam aut ullam aliam Synodum privilegium aliquod protuliſſe Eccleſiæ Rom. ſed eam in Petro totius poteſtatis jura pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ovium regimen accepiſ-*

ſe, cum cæteras Epiſcopatuum cathedras inſtituiſſet Eccleſia Rom. Verum ſicut ex hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis liquet, Eccleſias omnes à ſede Rom. haudquaquam fuiſſe inſtitutas, aut ordinatas, ita etiam poteſtas Patriarchalis nunquam ab univerſis tanquam ſubditis fuit agnita, omnium minime verò in Jure divino ea fundata, ſed utique ea uſu hominum introducta, & in conciliis ex certa ratione, mutabili tamen à ſumma poteſtate fuit approbata.

§. VII.

Poteſtate Apoſtolica. Fruſtra vero, etſi ex perſuaſione ſatis inveterata, *Petri poteſtas Apoſtolica* in Patriarchis Rom. quæritur, quæ cum Petro non minus atque cum cæteris omnibus Apoſtolis deſiit, ut pote extraordinaria & temporalis, ad fundandam modò Eccleſiam inſtituta, non ad eam gubernandam in finem usque ſeculorum. Late demonſtravit Cl. Salmaſius *apparat. ad libros de prim. Pap.* Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores non eſſe, quod aſſeruerat M. A. de Dominis. *Infallibil. & Indep. à judicio.* Quare nec eſt, quod cum Paulo Apoſtolo *1. Cor. IV.* de immunitate à ſententia condemnatoria Eccleſiarum gloriatio fiat, qvum jus Apoſtolatus transferri haud debuit. Quid? quod *immunitas* illa à *judicio* etiam *Apoſtolica*, à judicio ſolius Eccleſiæ particularis intelligitur. Paulus quippe cæteroquin ipſe etiam Apoſtolus verus ac primus Eccleſiæ Rom. fundator, & qui conteſtatur ſe in aliena Eccleſia, ubi alii Eccleſiam jam fundaverant, Apoſtolico munere fungi nolle, *Rom. XV. 20. 2. Cor. X. 13. ſqq. conf. Marſil. Patav. Def. Pac. p. 2. c. XV.* nec minor Petro, Judæorum non Romanorum Apoſtolo, *Gal. 2.* Tamen judicio Univerſali Eccleſiæ quoad Doctrinam fidei fuit ſubjectus, *Act. XV. 1. 2.* quoad reliqua ſummæ Poteſtati Imperatoriæ *Act. XXV. 10. 11. Rom. XIII.* Agnovit id Zoſimus Papa literis ad Epi-

Epiſcopos Narbonenſis Provinciæ: *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem ſedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam. Cau. 25. qu. 1. c. 7.*

§. VIII.

Petrus an & quando Romam venerit.

Dixi verum ac primum Eccleſiæ Rom. fundatorem Apoſtolum Paulum fuiſſe, non Petrum, idque ex teſtimonio θεοπνεύστῳ, adeoque omni exceptione majori, & ipſa ad Romanos ſcripta Epiſtola *c. XV. 20.* Cui accedit, quod ſub Claudio, quo imperante Petrus acceſſiſſe fertur Romam, interdictum fuit Judæis, & conſequenter Chriſtianis, qui tum temporis ad eosdem referebantur à Gentilibus Romæ manere, *Act. XVIII. 2.* Scripſit quidam *Ulricbus Velenus Minbonienſis*, libellum quo *Petrum Romam non veniſſe* demonſtrare vult. Editio recognita prodiit anno hujus ſeculi ſexageſimo, editor nec ſe, nec locum impreſſionis prodidit, autor ipſe obſcurus eſt, niſi quod tempore Lutheri ſeſe vixiſſe in præfatione ad lectorem præ ſe fert. Et ſi vero id non demonſtrat, *Petrum omnino nunquam* perveniſſe Romam, aut eo pervenire potuiſſe, quum id utique conceſſo ejus calculo fieri potuiſſet, ut aut ſub finem anni à N. C. LXII. & fortaſſe adhuc ante hyemem cum Timotheo & Marco Petrus advenerit, & cum Paulo martyrium ſubierit, aut etiam occiſo jam Paulo acceſſerit Eccleſiam Romanam, & martyrium ſic tandem A. C. 64. expertus fuerit: Hoc tamen ſatis mihi eviciſſe Velenus videtur, quod Petrus Romam nondum acceſſerit, quum Paulus ſecundum captus poſteriorem ad Timotheum epiſtolam perſcripſit.

§. IX.

Quamobrem ex his tam firmis fundamentis, tum ſcripturæ ipſius Sacræ, tum Chronologiæ accuratioris cogor fidem cohibere Euſebio, Gregorio Turonenſi aliisque qui tradunt, Petrum *Claudii Imp.* temporibus ad urbem Romam adverſus Simonem Magum profectum fuiſſe, *& ſalutaris prædicationis verbo primum in urbe Roma Evangelii ſui clavibus januam regni cœleſtis aperuiſſe*, ut Ruffinus Euſebium *l. 2. Hiſt. Eccl. c. XIV.* παραφράζει. Quin potius fidem adhibemus Apoſtolo Gentium, à ſe etiam Romanorum Eccleſiam fuiſſe fundatam, & primo quidem per συνεργὺς & adjutores ſuos, quos *c. XVI.* ipſe recenſet, veluti Aquilam, Urbanum, Andronicum & Juniam, cognatos ſuos & concaptivos, & quos inſignis exiſtimationis apud Apoſtolos fuiſſe ipſe teſtatur. Deinde etiam per literas ſuas A. C. LVI. conſcriptas, & tandem per biennalem prædicationem oralem A. C. LIX. & LX. Peritiſſimus antiquitatis Eccleſiaſticæ, Petrus de Marca *l. VI. de C. S. & J. c. 1.* non dubitat ſubſcribere ſententiæ *Scaligeri*, qui erraſſe veteres oſtendit, exiſtimantes D. Petrum vocabulo *Babylonis*, unde literas ſcripſit ſuas ſignificaſſe urbem Romam. Nec tamen Babylonem Chaldææ, ſed Ægypti vel Arabiæ, quæ Cairum poſteris, olim Chaldæorum coloniam fuiſſe doctioribus placuit. *Jo. Henr. Otto ſingular. diſſert. de hoc argumento. Andr. Arnoldus in aenar. S. Petri. ſect. 1. c. ult. §. ult.* M. vero A. de Dominis *l. IV. de Reg. Eccl.* nobiſcum fere per omnia facit niſi quod martyrium Pauli atque Petri ad A. C. LXVIII. refert. Nunquam vero Petrum Romam perveniſſe contendit Cl. Salmaſius *Apparat. l. 2. de Primat. Pap.*

§. X.

§. X.

Porro ſicut ipſa acquiſitio Patriarchatus Rom. non-niſi humanâ nititur auctoritate, ita *etiam modi acquirendi*, iique liciti ac probi; quos duos fuiſſe, Urbis Romæ præeminentiam civilem, & primævam Eccleſiæ orthodoxiam, antea indicavimus, ambo, inqvam, *juris tantum humani* atque poſitivi, & per naturam ſuam mutabilitati obnoxii. Neque enim urbs Roma perpetuo veterem Eminentiam civilem retinuit, ſed translata ſede Imperatoria in Orientem, imperio Gentium Germanicarum per ſecula aliquàm multa ſuccubuit. Orthodoxia autem non magis ad Romanam Eccleſiam, quam ad Orientalem, & ad quasvis alias ab Apoſtolis ipſis fundatas & præſidio ipſorum confirmatas jure divino, nexuqūe indiſſolubili fuit alligata. Non urgebo Zephirini Epiſcopi Rom. ad hæreſin Montani tranſitum, *Tertull. contra Marcion.* Non Liberii Papæ & Felicis II. defectionem ab orthodoxia ad Arianiſmum, Honorii ad Monotheletas, Vigilii ad Eutychianos, Anaſtaſiii ad Photinum &c. quicquid enim ſit, ſi pravitas intra ſolam Sacerdotis perſonam permanet, non poteſt tota Eccleſia hæreſeos accuſari. *Apoc. II. 24. c. III. 4.* quanquam ſatis interea hinc conſtet, quod Perſonæ Cathedræ Romanæ inſidentes privilegio infallibilitatis non gaudeant.

Tituli ſedis Rom. ſunt mutationi obnoxii.

XI.

Illud vero certiſſimum apoſtaſias Eccleſiæ alicujus argumentum eſt, ſi ea contra doctrinam Salvatoris & inſtitutionem, contraque dogmata Apoſtolorum, Canones ſtatuit; ſi ea dogmata, quæ Apoſtolica veritas, doctrinas eſſe dæmoniorum demonſtrat, qualia ſunt Matrimonii prohibitio, & Ciborum, Eccleſia amplectitur; ſi quæ hu-

Apoſtaſiæ probatio unde.

manæ ſunt auctoritatis, nec tamen per omnia divinæ inſtitutioni ac voluntati conformia, qualis eſt Monarchia in Eccleſias univerſas, & in ſummas quoque rerump. poteſtates, ea ſub neceſſitate fidei & Salutis æternæ Eccleſiis obtrudit; hæc talia inquam, lege publica per Eccleſiam ſanciri, recipi, defendi, manifeſtam apoſtaſiam Eccleſiæ ab orthodoxia primigenia Apoſtolorum demonſtrant, auctore eodem illo fundatore Eccleſiæ Rom. S. Paulo *1. Tim. IV.* etſi externam μόρφωσιν εὐσεβείας ejusmodi eccleſia retineat *2. Tim. 3. 5.* κεκαυτηριασμένη, tamen τὴν ἰδίαν συνείδησιν, καὶ ἡ ἄνοια ἔκδηλος πᾶσιν.

§. XII.

Sedis Rom. poteſtas Mutabilis.

Quemadmodum igitur ea omnia, quæ ſunt humani tantum juris, ſummæ poteſtati Reip. ſunt ſubjecta, & ab eadem variè pro ſtatu publico poſſunt reſtringi, laxarive; ita etiam poteſtas Patriarchatus Romani partim à poteſtate ſumma Imperii Rom. ſemper inde usque ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ dependit, partim à ſacra Conciliorum poteſtate, & modo laxata, modo reſtricta fuit, pro locorum, temporum, morum, atque doctrinæ variatione, ſtatu ac conditione. Quæ ipſæ quoque mutationes arguunt, non ſubeſſe divinum aut immutabile fundamentum. Hinc factum quoque, quod non neceſſe fuit habitum, ſingulas Eccleſias certo Patriarchatui eſſe ſubditas, aut ita uni eſſe addictas, quin avelli, & aut alteri tribui, aut libertati ſuæ reddi vel relinqui potuerint.

§. XIII.

Eccleſia à ſede Rom. avulſa.

Oſtendit hæc ad oculum *Notitia altera Eccleſiaſtica*, quam ex regia Bibliotheca exhibuit *Carolus à S. Paulo*, & quæ, prout habet ſubſcriptio, facta eſt ſeculo nono ſub imperio Leonis Sophi, & ſub Photio Patriarcha. Extat

etiam

etiam lib. 1. Jur. Græco Romani. Ibi inter alia hæc: Εἰσὶ δὲ καὶ οἱ ἀποσπασθέντες ἐκ τῆς Ῥωμαϊκῆς διοικήσεως, νῦν δὲ τελοῦντες ὑπὸ τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως μητροπολίται, καὶ οἱ ὑφ' ἑαυτοῖς ὄντες ἐπίσκοποι.

Ὁ θεσσαλονίκης	ὁ συρακούσης.	ὁ κορίνθου.
Ὁ τοῦ ῥηγίου.	ὁ νικοπόλεως.	ὁ ἀθηνῶν.
Ὁ πατρῶν.	ὁ νέων πατρῶν.	

Οὗτοι προσετέθησαν τῇ συνόδῳ Κωνσταντινουπόλεως διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν κατέχεσθαι, τὸν πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. ὡς αὐτὸς (leg. ὡσαύτως) καὶ ἀπὸ τῆς Ἀνατολικῆς διοικήσεως ἀποσπασθεὶς ὁ σελευκίας ἰσαυρίας καὶ αὐτὸς τελεῖ ὑπὸ τὸν Κωνσταντινουπόλεως μετὰ τῶν ὑπ' αὐτῶν ὄντων κδ. ἐπισκόπων.

Sunt etiam avulſi è Romana Diœceſi, nunc ſubjecti Throno CPlis Metropolita, & qui ſub ipſis ſunt Epiſcopi:

1. Theſſalonicæ.	*2. Syracuſæ.*	*3. Corinthi.*
4. Rhegii.	*5. Nicopolis.*	*6. Athenar.*
7. Patrarum.	*8. Novarum Patrarum.*	

Hi additi ſunt Synodo CPolis eò, quod Papa veteris Romæ ſub gentibus poſitus eſſet, ſicut & ab orientali Diœceſi ſeparatus fuit Seleuciæ Iſauriæ Metropolita & ipſe cum ſuis Epiſcopis ſub CPolitano agit.

§. XIV.

Viciſſim aliæ Eccleſiæ planè ſunt ἀκέφαλοι & nulli Patriarchatui ſubjectæ. Eadem Notitia de Provincia Armeniæ quartæ, cujus tum Metropolis Dademon Harmuſatarum, hæc habet: χρὴ εἰδέναι, ὅτι αὐτοκέφαλός ἐστι μὴ τελοῦσα ὑπὸ ἀποστολικὸν θρόνον, ἀλλὰ τιμηθεῖσα διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα σ. *Eccleſia libera à Pot. Patriarch. Metropol. liberi.*

Sciendum eſt, hanc autocephalam & independentem eſſe, nec ſubjectam Apoſtolico Throno ſed honoratam propter St. Gregorium Armeniæ, & habere civitates & caſtra 200. Simili-

militer de provincia Inſulæ Cypri ait: *eam eſſe αὐτοκέφαλον, nec ſubjici Apoſtolico ſeu Patriarchico Throno, ſed honorari eò, quod in ea inventus fuerit S. Barnabas Apoſtolus, habens ad pectus Evangelium S. Marci.*

§. XV.

Metropolitarum libertas. *Pallii uſus.* Imo veteri Eccleſiæ more, Metropolitani neque ordinationis, neque confirmationis ratione dependerunt à Rom. Pontifice, quam libertatem Pontifex inventa Pallii conceſſione paulatim infregit. Eleganter id obſervavit Petr. de Marca *l. 6. de C. S. & J. c. 6. 1.* Optabant ſane olim, *inquit*, ſummi Pontifices, ut omnes Metropolitani qui ad eorum Patriarchatum pertinebant, aliquod Confirmationis genus à ſede Apoſtolica acciperent. Verum quia ubique receptum erat, conſecrationes fieri poſſe extra Italiam abſque eorum conſenſu, vim ei legi palam adferre noluerunt; ſed Metropolitanos rei cujusdam novæ miraculo velut obſtupefecerunt; quæ in initio magnifica, paulatim tamen antiquam eorum libertatem per cuniculos infregit, & Synodorum Provincialium auctoritatem peſſumdedit. De uſu Pallii loquor: cujus origo cum ſit ſatis vetuſta, effectus tamen ejus & cætera quæ nunc uſurpantur, antiquitati prorſus ignota fuere. Quippe Galliarum Metropolitani ſtatim poſt ordinationem ſuam exercebant functiones ſui muneris juxta canones antiquos. At jus novum eos prohibet quicquam Pontificalis officii attingere donec à ſede Apoſtolica miſſum ad eos fuerit pallium de corpore B. Petri ſumtum. *conf. & c. ſq. ap. eundem. M. A. de Dom. l. 3. c. XI. Edm. Richer. Hiſt. Conc. Gen. c. XII. § 13.*

§. XVI.

Contrar. Quamobrem qvum nihil tam naturale ſit, quam eo gene-

genere quidque diſſolvi, quo colligatum eſt, *l.35. de R. J.* igitur ex oſtenſa jam natura ipſa Pontificatus Maximi, per ſe fluit, ſi poteſtas urbis Romæ Civilis ablata, & ſedis illius Orthodoxia, ac puritas Evangelica vetus corrupta ſit, ſolvi etiam ipſo jure ſuper his fundatam Præeminentiam Sedis Romanæ ac Jura in alias Eccleſias puritatis Evangelicæ & Apoſtolicæ primigeniæ etiamnum tenaces. Atque ſicuti primitus tacito conſenſu Eccleſiarum iſta præeminens poteſtas fuit introducta; ſic earundem conſenſu inter ſeſe, ac diſſenſu, ab Eccleſia, Formulaque fidei ab analogiâ Verbi Divini deficiente aut Apoſtatica, omnis vis, obligatio, ac vinculum ejusdem poteſtatis reſolvi, non tantum ipſo jure, & vi libertatis Chriſtianæ poteſt, ſed etiam neceſſe eſt, vi Legis divinæ & exemplo ipſorum Apoſtolorum *Act. IV. & V.* DEUM & Formulam Fidei ab ipſo inſtitutam purè ſequi oportere, etiam neglecto hactenus Humanæ poteſtatis imperio ſive Sacro ſive Politico. Sed manum de hac tabula. Ei autem qui potens eſt vos confirmare, (vovet Paulus Eccleſiæ Romanæ) ſecundum Evangelium, ſoli ſapienti DEO gloria in ſeculum!

MARSILIUS PATAVINUS.

P. II. Defenſor. Pac. cap. XV. ad Ludovicum V. Imp.

De beato Petro dico per ſcripturam ſacram convinci non poſſe, ipſum fuiſſe Romanum epiſcopum, & quod amplius eſt, ipſum unquam Romæ fuiſſe. Admirandiſſimum nanque videtur, ſi ſecundum quandam vulgatam eccleſiaſticam legendam ſanctorum beatus Petrus prævenerit Romam beatum Paulum, ibidem prædicans verbum Dei, *S. Petrum nunquam*

fuiſſe Romæ, nedum ipſum eſſe Romanum epiſcopum.

& poſtmodum captus, deinde quod B. Paulus in ſuo adventu Romam, una cum beato Petro tot conflictus habuerit cum Simone mago, & ſimul tantum pro fide certarint adverſus Imperatores & ipſorum miniſtros: demumque ſecundum eandem hiſtoriam, quod ambo ſimul capite privati propter Chriſti confeſſionem dormierunt in domino, & ſic Romanam Chriſto conſecraverunt eccleſiam: Admirandiſſimum inquam dico, quod beatus Lucas, qui actus apoſtolorum ſcripſit & Paulus apoſtolus de beato Petro nullam prorſus mentionem fecerunt. Amplius quod beatus Petrus Romam non prævenerit eos, credere facit probabiliter valde, quod Actuum ultimo ſcribitur. Dum enim Paulus in ſuo adventu primo alloqueretur Judæos inter cætera, ſui adventus Romam volens asſignare cauſam, inquit: *Contradicentibus Judæis coactus ſum appellare Cæſarem. At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Judæa, neque veniens aliquis fratrum nunciavit aut locutus eſt quid de te malum. Rogamus autem à te audire quæ ſentis, nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur.* Dicat ergo mihi veritatis inquiſitor, non quærens contendere ſolum, ſi probabile ſit alicui beatum Petrum Romam præveniſſe Paulum & nihil nunciaſſe de Chriſti fide, quam Judæi loquentes ad Paulum ſectam vocabant: Amplius Paulus in reprehendendo ipſos de incredulitate, ſi noviſſet Cepham ibidem fuiſſe & prædicaſſe, quomodo non dixiſſet aut ipſum hujus teſtem induxiſſet negotii, quæ reſurrectionis Chriſti teſtis extiterat? ut apparet Actuum tertio. Et rurſum, de quo jam diximus quis opinabitur, quod biennio exiſtens ibidem Paulus nunquam converſationem, collationem aut contubernium habuerit cum beato Petro? Et ſi habuiſſet,

buiſſet, quod de ipſo nullam penitus mentionem feciſſet, qui Actuum ſcripſit hiſtoriam: In aliis enim locis minus famoſis dum Paulus Petrum invenit, mentionem de ipſo fecit, & cum eo converſatus eſt, ut in Corintho, primæ ad Cor. 3. & in Antiochia, ut ad Galatas ſecundo, & ſic de reliquis pleriſque locis: In Roma vero inventum, quomodo non nominaſſet, quæ omnium urbium famoſiſſima erat, & in qua ſecundum iam dictam hiſtoriam beatus Petrus præerat tanquam epiſcopus? Sunt enim hæc incredibilia quaſi, propter quod hiſtoria illa ſive legenda non videtur in hac parte probaliliter poſſe teneri, & cum apocryphis computari debere. Sed per ſcripturam ſacram indubitanter tenendum beatum Paulum fuiſſe Romanum epiſcopum: & ſi quis alter cum ipſo Romæ fuerit, tamen Paulum ſingulariter & principaliter propter cauſas prædictas fuiſſe Romanum epiſcopum, beatum vero Petrum Antiochiæ, ut apparet ad Galatas ſecundo. Romæ vero non contradico, ſed veriſimiliter teneo ipſum in hoc non præveniſſe Paulum, ſed potius econverſo. Quod autem omnium maxime attendendum propter propoſitum principale, eſt: quoniam & ſi aliquæ ſint congruentiæ, propter quas appareant quomodocunque ſingulariter vocati ſucceſſores beati Petri, ſucceſſoribus aliorum reverentiores, & præcipue in epiſcopali ſede Romana: nulla tamen, ut eisdem ſubjecti credantur ſecundum aliquam poteſtatem jam dictam aliorum Apoſtolorum ſucceſſores, ſacræ ſcripturæ neceſſitas vocat. Eſto adhuc Apoſtolos autoritate impares extitiſſe. Non habuit ergo beatus Petrus aut Apoſtolus alter virtute verborum ſcripturæ ſuper alios poteſtatem inſtituendi aut deponendi, neque quantum ad ſacer-

Legenda eccleſiaſtica.

cerdotalem dignitatem quam eſſentialem diximus, neque ad eorum miſſionem ſeu determinationem ad locum aut populum, neque ad ſcripturæ ſeu fidei catholicæ interpretationem, neque quantum ad coactivam cujusquam in hoc ſeculo jurisdictionem. Unde per neceſſitatem ſequi videtur, quod nec virtute verborum ſcripturæ, ſucceſſor aliquis ipſorum alicujus ſingulariter quomodocunque vocatus, in ſucceſſores reliquorum aliquam ſupradictarum habeat poteſtatem. Poteſt autem hoc patenter aſtrui autoritate Hieronymi, quam ex epiſtola ipſius ad Euandrum circa finem quartæ capituli præcedentis induximus.

LIBER SECVNDVS
DE
LIBERTATE ECCLESIARVM GERMANIÆ
SVB
REGIBVS FRANCORVM.

CAPVT PRIMVM.
DE
EARVM STATV GENERATIM.

SUMMARIA.

Germanorum irruptiones in Provincias Romanas. Moribus Chriſtianorum tum prætulit Germanorum mores Salvianus. Horum coloniæ per Europam. Felix Epiſcop. Saxonum. Saxones Anglicani. Gallia Germanica. Burgundia. Saxones Boiocaſſini. Marchio Saxoniæ in pago Cenomanenſi. Arianiſmus in Germania. Eccleſiæ imperii Francici ſtatus. Eccleſiarum Germ. Doctores & orthodoxia. Religioſis profeſſio paupertatis nondum neceſſaria. Inopia Eccleſiarum.

ſiarum. Salvianus adverſ. avaritiam, libri occaſio & effectus. Seelengeræthe. Secta Maſſilienſium. Miracula illorum temporum.

§. I.

Germanor. POſtquam Conſtantinus Imp. inclinante jam Imperii Romani periodo, ſedem Imperatoriam ex Italia in Thraciam transtuliſſet, & cohortes limitaneas Rheno ac Danubro ſubduxiſſet, tunc velut

Aggeribus ruptis cum ſpumeus amnis
Exiit, oppoſitasque evicit gurgite moles;
irruptiones Fertur in arma furens cumulo camposque per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit:

Ita populorum cis Rhenum ac Danubium immenſa eluvies irruit in Italiam atque Galliam, & non modo Attila Hunnorum Rex, ſed etiam Vandali, & Germani quoque ipſi in Germania minore, Belgio, Rhætia, Norico & Sequanorum Maxima tum Reipubl. tum religioni atque Eccleſiis incredibilem ſtragem intulerunt. De Chroco Alemannorum vel potius Vandalorum Rege Gregorius Turon. *lib.I.32. & 34.* de Gunderico Vandalo idem *lib.II.c.* de Attila *c. VII.* de Francorum ducibus & irruptionibus *c. IX.* de Evarige Gotho *c. XXV.* De Alboino Longobardorum Rege primo in Italiam, & mox in Franciam irruente *l. IV. c.35.36.* cum quibus & Saxones fuerunt *c.37.* Conf. & Aimoini *lib. III. de geſt. Franc.* qui c. I. Crochi Vandali Matrem filio quærenti, *quid faciendo MAGNI nomen obtineret?* conſulentem refert: *ſi, fili, famoſus in orbe eſſe cupis, magnarum ædificia ædium à majoribus extructa deſtrue, egregiasque urbes deſtruens eorum incolas gladio extingue. Neque*

que enim meliora prioribus potes condere habitacula, aut bellando nominis tui gloriam amplius propagare. De his irruptionibus, & quomodo deinde Gallia & Francia diviſa fuerit egit *Blondellus de la primautè de l' Egliſe p. 680.*

§. II.

Cæterum quis ſtatus fuerit Eccleſiæ hâc tempeſtate in *Romanorum* provinciis uberrimè atque ad vivum depinxit *Salvianus* apud Maſſiliam Presbyter, coævus, *libris de Gubernatione DEI*; corruptiſſimos nempe mores fuiſſe, & exceptâ doctrinâ de Chriſto DEO, barbaros, quos dicebant, h. e. Gothos, Francos, Vandalos, Saxones, occupantes Romanorum provincias, longè meliores fuiſſe, prolixè demonſtravit, in pœnam Chriſtianorum Romanorum, victorias barbarorum reputans. Atque ſi quas perſecutiones Eccleſiæ ab his paſſæ, eæ tamen mox ceſſarunt, & libertas jam major affulſit Eccleſiis Germanicis, quippe qvum jam omnis metus, qui libertati Germanorum civili à Romanis hactenus imminebat, evanuiſſet, Romanorum Duce Syagrio fatali ad Sueſſionem prælio A. C. 486. Clodovæo R. Francorum ſuperato, & limite Regni Francici ad Ligerim usque conſtituto, Romanoque in Galliis & Germaniis Imperio fine impoſito, *Ado Chron. A. C. 452.* Ac præterea hæc civilis cum Sacra & Chriſtiana Libertate jungi jam cœpit, roburque ſumere.

§. III.

Etenim transeuntes Rhenum pariter ac Danubium Germanorum coloniæ Gothicæ, Francicæ, Longobardicæ, Saxonicæ, pleræque religionem Chriſtianam in Provinciis è Romanorum poteſtate recuperatis amplexæ fuère. Quo pertinet, quod Venantius Honorius Fortunatus Presbyter in Carmine de Paſcha ad *Felicem Epiſcopum* ſcribit: *Coloniæ.* *Felix Sax. Epiſc. quis.*

Aſpera

Aſpera gens Saxo vivens quaſi more ferino
Te medicante ſacer bellua reddit ovem.

Vixit autem hic Venantius Fortunatus circa A. C. 570. unde error illorum apparet, qui hic Saxones intelligunt, qui à *Carolo M.* victi religionem Chriſtianam ſuſceperunt, id enim ultra ducentos annos poſt Venantium contigit. Fuit igitur hîc Felix, Epiſcopus Saxonum, qui trans Rhenum, quemadmodum & alii etiam trans mare in Angliam duxerunt colonias, de quibus Sirmondus *ad Sidon. Apollin. l. 5. epiſt. VII.* ait: *Germaniam, partem illam Galliæ, quam Burgundiones occuparant, quæ proprio dehinc nomine Burgundia nuncupata eſt, eo modo dici licuit, quo Britanniam inſulam ſcimus, Saxoniam Transmarinam à nonnullis Scriptoribus interdum vocitatā ab Anglis, qui è Saxonia eo trajecerunt.* Fuiſſe autem utique etiam quosdam Saxones ad Rhenum Regni Francici ſubditos, conſtat ex Gregorio Turon. *lib. 4. c. 10. 37. & paſſim. l. V. c. XV.* & trans Rhenum, qui Saxones Bojocaſſini dicuntur *c. XXVI.* Eò referendum, quod *Aldricus* Epiſcopus Cenomanicæ refertur natione ex parte patris *Francus ſive Saxo,* in Geſtis ejus à St. Baluzio primum nuper editis lib. III. Miſcellaneorum. Horum & Salvianus meminit libris de Gubernatione DEI ſemel atque iterum, imprimis libro VII. de iſtorum cum populorum vitiis ac virtutibus: *Gothorum,* inquit, *gens perfida, ſed pudica eſt; Alanorum impudica, ſed minus perfida; Franci mendaces, ſed hoſpitales: Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate mirandi.* In iisdem Geſtis Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi, qui Ludovico Pio imperante vixit, mentio fit *Banzleghi* Comitis & *Saxoniæ* patriæ *Marchionis* in pago Cenomanenſi.

Saxones Anglican.

Gallia Germanica.

Burgundia.

§. IV.

§. IV.

Sed qvum inciderent hi populi, amplectentes Chriſtianiſmum, in turbulenta illa tempora, quibus hæreſis Ariana totum orbem effaſcinaverat, etiam ipſi non effugerunt plagam ſeculi, pro Junone nubem, & pro ſidei Chriſtianæ formula, adverſam Chriſto θεανθρώπῳ formulam amplexi. *V. Hiſt. Trip. l. 8. c. 13. & l. 10. c. 5. Socrat. l. 4. H. Eccl. c. 33.* Sed & hæc peſtis Eccleſiæ per Germanias, divina gratia has illuſtrante, ſublata & ad orcum remiſſa fuit, atque per fortunatum Francorum utrumqne regnum & *Neuſtria*, ſeu occidentale, & *Auſtraſia* ſive Orientale, usque ad Illyricum Eccleſia pura cum Rep. bene ordinata coaluit feliciter Rege Clodovæo. *Greg. Tur. l. V. c. 1.* Cæterum ſub hoc Francorum regimine, & civilis & Eccleſiaſtica Libertas in ſummo perſtitiſſe flore quodammodo videri poſſit. Etenim qvum Clodovæus Rex, cujus modo mentio facta, ex voto victoriæ ab Alemannis reportatæ, ineunte ſeculo ſexto, fidem Chriſtianam, ſuſcepto S. Baptiſmate, publicè profeſſus eſſet, non modo ipſe Eccleſias auxit, ſed etiam poſteri ejus usque ad Pipinum per duo ſecula atque dimidium. Inter hos *Dagobertus* Clotarii R. filius Collegium D. Petri in monte cognomine intra Erfurdium condidit, tradente Trithemio, quem ſequitur Calviſ. ad *A.C. 637. & H. Conring. de Conſt. Epiſc. Germ. Lehm. Ch. Spir. 2. 33. & 1. 28.*

Germ. Arian.

Regni Francici Eccleſia.

A.C. 499.

§. V.

Interea temporis lux Evangelii Germaniæ noſtræ per extraordinarios Doctores paſſim fuit accenſa. In Norico Regno S. Severinus docuit, Attila graſſante, quem ſecutus eſt S. Rupertus multo poſt atque ad finem ſeculi ſexti. In Francia Orientali atque Thuringia S. Kilianus.

Eccleſiarum Germ. Dd.

In Helvetia S. Gallus, in Suevia Columbanus. In Friſia & Saxonia Willibrordus, & Suidbertus. His atque aliis doctoribus Formulam fidei puriorem, quam ea poſt Bonifacium fuit, per Eccleſias Auſtraſiæ atque Germaniæ fuiſſe introductam, & usque ad Bonifacium obſervatam docent *Lehmann. Chr. Spir. l.2. c.35. §. V. Chemnit. Exam. Conc. Trid. p.5. de Purgator. itemque de invocat. Sanct. p. m. 142. ſqq. p. 231. p. 426.* Monachis aut Religioſis hactenus nondum neceſſariam fuiſſe publicam *paupertatis* profeſſionam, Salvianus Maſſilienſis *lib. III. & IV. adv. avaritiam* & alibi teſtatur; itemque St. Baluz. *ad lib. 1. Salv. de gubernat.* Cæterum quod obiter, nec tamen ut planè alienum, addam, Salviano occaſionem ſcribendi libros illos adverſus avaritiam, dederat *inopia Eccleſiarum* ad ſua usque tempora, ut pauperibus alendis non ſufficerent: quare ſub nomine Timothei, ad ſcripto auctoritatem majorem conciliandã fortaſſe, illos edidit, atque neceſſitatem relinquendi bona ſua Chriſto ſive Eccleſiæ ita propugnavit, ut vix evitet dogma de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem. Certè hunc effectum hæ Doctrinæ tum habuerunt, ut deinceps Eccleſia usque ad invidiam ditata, & mos invaluerit, ut de quavis *hereditate*, etiam ab inteſtato Eccleſia partem caperet, quam vocabant *propter animæ ſalutem* Teutones *Seelen-Gerathe*, de quo alibi egimus. Et quamvis Pelagianorum hæreſis reliquias quasdam Maſſiliæ in Gallia, auctore Johanne Caſſiano, Presbytero Maſſilienſi foverat, mature tamen quæſitum remedium ab Eccleſia Gallicana jamtum in *Concilio Arauſicano* A. C. 441.

Maſſilienſium ſecta.

§. VI.

Miracula.

His temporibus multa doctorum *miracula* feruntur

per

per Eccleſias occidentales,quæ ſi ab auctoribus fide dignis referuntur, & ſanctis aliàs Eccleſiæ doctoribus adſcribuntur, nolim aut fidem αὐτόπταις & coævis omnem denegare, aut omnia ad Synagogam Antichriſti relegare. Certe fundanda tunc temporis erat Eccleſia Chriſti in *occidente* reliquo, quò Apoſtoli ipſi aut non pervenerant, aut Fides Chriſtiana iterum abolita fuerat; hæc igitur perſuadenda denuò atque charitas Chriſtianiſmi tam Barbaris nationibus,atque jam ſuſcepto quoque Chriſtianiſmo, ſævè admodum ferocientibus & in propria ſæpius viſcera, quod vel hiſtoria Francorum ſatis docet. Ut igitur hi tales intrarent *ad nuptias* Regis, vi miraculorum *cogendi* erant *Luc. XIV. 23.* Sed quemadmodum ſolet inimicus lolio injectó ſegetem alienam inquinare *Matth. XIII. 25.* (cum quo loco confer ſi lubet *l. 27. §. 14. ad L. Aquil.*) & ſub omni bono opere occaſionem malitiæ & fovendæ, & ampliandæ quærere; ita & hic uſus eſt occaſione ad *abuſus idololatricos* in Eccleſiam introducendos pedetentim. Auguſtinus *lib. X. de Civ. D. c. XVI. & XVIII.* de miraculis Sacerdotum paganorum,itemque de iis, quæ Hiſtoria Sacra commendat, egregiè differit, atque hoc ſolidum fundamentum ſuggerit; Non eis angelis,multò minus hominibus, qui ſe religionis ritibus coli volunt eorumve miraculis credendum eſſe; ſed eis, qui hunc omnem cultum uni DEO creatori omnium deberi dicunt, eique reddendum verâ pietate præcipiunt. Quædam verò iſtorum miracula etſi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, *finis* ipſe tamen, *inquit*, quo diſcernuntur, incomparabiliter hæc noſtra oſtendit excellere. Abuſus qui *repurgarunt priori ſeculo*, non opus habuerunt miraculis,quoniam haud nova doctrina inventa, aut Eccle-

ſia fundanda erat, nec homines ad Chriſtum primitus convertendi, ſed in Eccleſia jam tum fundata, & inter Chriſtianos, abuſus & impura dogmata duntaxat eradicanda fuere. Cæteroquin etiam Pſeudo Chriſtos, & fictos Chriſti vicarios uſuros eſſe miraculis & prodigiis magnis, prædixit Chriſtus ipſe *Matth. XXIV. 24. 2. Theſſ. 2. 9. 10. 11. Apoc. XIII. 13. 14.*

Caput II.

De JVRE EPISCOPORVM.

Svmmaria.

Libertas Regiminis Eccl. Jus conciliorum Regis. Guntramnus confirmat Concilium II. Matiſcon. Jus Epiſcoporum: Principes Regni: gaudent poteſtate judiciariâ. Ordo & ſollicitudo in Placitis Francorum. Geſta Aldrici Cenomanenſis. Imperatrix interfuit. Abbates poſt Comites ſederunt. Jus reſiſtendi in cauſis Fidei. Epiſcopi ex nobilitate. Ludovici Pii error. Pauperiores in clerum cooptandi. Senatores non ex infimo ordine.

§. I.

Libertas Regim. Eccleſ. Quantum porro ad regiminis Eccleſiaſtici libertatem, reliquerunt Reges Francorum non modo ante ſuſceptum Baptiſmum Eccleſiis ſuam libertatem, quam habuerant ſub Romanorum antea imperio, quâque nixæ illæ *Concilium Coloniæ* coegerant A. C. 348. eoque Colonienſem Epiſcopum, Euphratem ob hæreſin Arianam depoſuerant. *Jus Concil.* Præterea etiam poſtquam religionem Chriſtianam & ipſi Reges profeſſi ſunt, Principatum atque Libertatem egregie conjunxerunt: Jure confirmandi Canones atque

atque Decreta Conciliorum Nationalium acquiſito. Habetur *Præceptio Glorioſiſſimi Regis Guntramni ad Epiſcopos & Judices regni ſui de obſervando die Dominico & aliis, edita in confirmatione Concilii II. Matisconenſis anno DLXXXV.* in qua inter alia & hæc aurea regula ad diſciplinam Eccleſiaſticam apprimè faciens, ſed in uſu ferè negligi ſolita: *Clericorum transgreſſiones cùm adverſario inſtigante contigerint, quatenus illis pro divino amore reverentia major impenditur, tantum convenit ut acrius reſecentur. Quoniam ſi ſancti Paſtores, aut inſtituti judices, quod nefas eſt, ſubjectorum ſuorum ſcelera potius occultare, quàm reſecare tentaverint, ſe ex hoc amplius reos eſſe vel noxios non ignorant. Cuncta ergo quæ hujus Edicti tenore decrevimus, perpetualiter volumus cuſtodiri; quia in S. Synodo Matisconenſi hæc omnia, ſicut noſtis, ſtuduimus definire, quæ præſenti auctoritate vulgamus.* Sed de iſto jure Regio ſatis egit Petr. de Marca *lib. 2. c. XII. §. 3. ſqq. & l. VI. c. XXII.* conf. *l. IV. c. V. de jure* Regis reſcindendi acta Epiſcoporum, etiam Romanorum, Canonibus adverſa.

§. II.

Quod ad *Epiſcopos*, & rectores Eccleſiarum attinet, tantum abeſt, ut horum jura ac libertas fuerint imminuta, ut multo auctiora facta ſint, quam ſub Romanis. Enimvero in Francorum & Germanorum regno Epiſcopi non ſolum doctores Eccleſiarum, ſed ſimul *ſtatus* ac Senatores Regni fuere, *principum* dignitate ac jure præditi. Extant *leges Alemannorum*, quos tum Clodovæus regno Francorum adjecerat, eas *Chlotarius* rex, qui A. C. 616. totam Monarchiam Franciæ recepit, pater Dagoberti, *cum PRINCIPIBUS ſuis i. e. XXXIII. EPISCOPIS, & XXXIV. Ducibus, & LXXII. Comitibus vel cætero Populo conſtituit*, ut ipſarum *Jus Epiſcoporum.*

 ha-

habet inſcriptio. Sed & antea circa A. C. 584. Chilpericus & Guntheramnus, Reges Francorum, pacem fecerant, pollicentes alter alterutri, ut quicquid Sacerdotes vel Seniores Populi judicarent, pars parti componeret, quæ terminum legis exceſſerit, Greg. *Tur. l. 6. c. 31.* quod *judicium Electorum Francorum* in *App. c. 39.* dici videtur. Ex cujus *c. 41.* etiam huc pertinet, quod Burgundiæ Barones dicuntur tam *Epiſcopi*, quàm cæteri *Leudes.* add. *c. 53. l. 8. c. 9. & l. 9. c. 20.* Quâ curâ àtque ordine *Placita* ſeu judicia *Francorum* habita fuerint, egregium de Ludov. I. Imp. exemplū exhibēt *Geſta Aldrici* Epiſcopi Cenomanenſis antea laudata, *pag. 117. ſqq.* lectu digna, unde pateſcit, quàm curatè & *Leges* Francorum & Romanorum conſuluerint, id quod *Canonicè* & *Legibus evindicari* dixerunt: itemque quod & *Imperatrix* interfuerit primo loco poſita, ſed & hoc notatu dignum, quod *Abbates* in his judiciis poſt Comites ſederint.

§. III.

Jus reſiſtendi in cauſis fidei.

Chilpericus R. circa A. C. 503. quum ſcripto indiculo *ut S. Trinitas non in perſonarum diſtinctione, ſed tantum Deus nominaretur, affirmans etiam, ipſum eſſe Patrem qui eſt filius, itemque ipſum eſſe Spiritum S. qui Pater & Filius*, mandatum miſiſſet Epiſcopo Turonenſi Gregorio: *Sic volo ut tu & reliqui doctores Eccleſiarum credatis.* Epiſcopus reſpondens: *Hac credulitate relicta, pie Rex, hoc te oportet ſequi, quod nobis poſt Apoſtolos alii Doctores Eccleſiæ reliquerunt.* acerrime reſtitit regi unà cum Salvio Albigenſi Epiſcopo & reliqua Synodo, & ſic tandem Rex ab hac intentione quievit, ut refert ipſe *Gregorius l. V. c. 44. & ult. conf. & l. IX. c. XX. fi.*

§.IV.

§. IV.

Atque ad dignitatem Epiſcopalem vix niſi ex ſanguine Regio aut *nobili* aliqua familia admiſſi. Qui mos uſque ad Carolum M. perduravit. Nam de ejus filio, Ludovico, demum querela facta, morem hunc negligi, teſte *Thegano* αὐτόπτῃ, Eccleſiæ Trevirenſis Chorepiſcopo *de Geſt. Ludov. Imp. c. XX.* ait: *Jamdudum illa peſſima conſuetudo erat, ut ex viliſſimis ſervis ſummi Pontifices fierent, & hoc non prohibuit (Ludovicus) quod tamen maximum eſt malum in populo Chriſtiano, teſtatur Regum hiſtoria de Jerobeam filio Nabath, qui erat ſervus Regis Salomonis, & poſt eum principatum habebat ſuper decem tribus filiorum Iſrael. Refert enim ſcriptura de eo in hæc verba: Non eſt reverſus Jerobeam de via ſua peſſima, ſed è contrario fecit de noviſſimis Populi Sacerdotes excelſorum, & propter hanc cauſſam peccavit Domus Jerobeam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ. Poſtquam tales culmen accipiunt, nunquam ſunt ſicut antea, tam manſueti, & ſic domeſtici, ut non ſtatim incipiant eſſe iracundi, rixoſi, maliloqui, obſtinati, injurioſi, & minas omnibus ſubjectis promittentes, & per hujusmodi negotia cupiunt ab hominibus tueri & laudari. Turpiſſimam cognationem eorum à jugo debitæ ſervitutis nituntur eripere & libertatem imponere. Tunc aliquos eorum liberalibus ſtudiis inſtruunt, alios nobilibus fœminis conjungunt, & propinquas eorum filios nobilium cogunt accipere. Nullus cum eis æquanimiter vivere poteſt, niſi hi ſoli, qui talem conjunctionem habent; cæteri vero cum maxima triſtitia, gemendo, flendo, ducunt dies ſuos. Propinqui autem ſupradictorum poſtquam aliquid intelligunt, ſenes nobiles derident, atque deſpiciunt, ſunt elati, inſtabiles, inverecundi, unicuique tamen parvum bonum remanet, poſtquam à ſe Sanctam*

Epiſcopi ex nobilitate.

ctam verecundiam projicit. Domini eorum nolunt intelligere ſcripturam Canonicam, quod Apoſtolorum Concilium nominatur, ibi enim res habuerit, tribuatur eis quaſi pauperibus, ut non res Eccleſiaſtica pereat. Librum S. Gregorii, qui prætitulatur Paſtoralis, nolunt audire. Nullus enim credere poteſt, quomodo ſe continent, niſi hi ſoli qui hoc malum, ſine ulla intermiſſione patiuntur. Propinqui vero eorum, poſtquam aliquid intelligunt, quod maximum periculum eſt dantibus, & accipientibus, ad ſacrum ordinem pertrahuntur, & licet aliqui ſint periti, tamen ſuperat eorum doctrinam, criminum multitudo, ſic plerumque ut paſtor in Eccleſia, aliquos negligentes noxios auſus non eſt canonica juſtitia provocare propter crimina propinquorum, & illud ſacrum miniſterium plerumque à nonnullis valde deſpicitur, propter quod à talibus exhibetur. Et ideo omnipotens Deus cum Regibus ſuis & Principibus hanc peſſimam conſuetudinem à modo & deinceps eradicare & ſuffocare dignetur, ut amplius non fiat in populo Chriſtiano Amen. Et cap. L. *Sed ſummopere cavendum eſt, ne amplius fiat, ut ſervi ſint Conſiliarii ſui, quia ſi poſſunt, hoc maximè conſtruunt, ut Nobiles opprimant, & eos cum viliſſima propinquitate exaltare ſtudeant. Hoc non condecet Sanctæ dignitati ſuæ, quoniam hoc raro contigerat temporibus ſanctæ memoriæ Genitoris ſui, ut aliquis de talibus ad honorem conſcenderet, quin eum maxima cum, diſciplina regebat, ne ſuperbire inciperet. Hoc exemplum, nunc exercere opus eſt, quando in tentatione erat mitiſſimus Principum, hi tales tam moleſti ei fuerunt. Qui eis immeritis omnem benignitatem exhibuit. Quid ſubjectis faciant nulli interrogare opus eſt.*

§. V.

Qu. R. Dub. Sed iſta Francorum Conſuetudo videri poteſt infringere

gere libertatem Eccleſiæ, & offendere adverſus præceptum Apoſtolicum *Jac. II. 1.* de non habendo reſpectu perſonarum in rebus ac negotiis ſacris. Longè autem alia erat ratio *Hebræorum*, qui ex Lege DEI poſitiva obligati erant Sacerdotes non niſi ex una tribu Levi & familia Aaronis eligere: Quam legem *Jeroboamus* transgreſſus eſt ſuis ſibi ſacris inſtitutis, & Sacerdotibus undecunque creatis. De *Willigiſo* ArchiEpiſcopo Moguntino *Ditmarus* Epiſcopus Mersburgenſis & comes natus lib. III. hæc habet: *Mortuo quoque Roberto Moguntinæ ſedis Archipræſule, Imp. (Otto II.) Cancellarium ſuimet nomine Willigiſum, multis hoc ob vilitatem ſui generis renuentibus, eidem præfecit Eccleſiæ. Sciebat enim, Petro atteſtante, quod non eſt Perſonarum acceptor Dominus, ſed omnes ſe ex corde diligentes præ cæteris amat, incomprehenſibili honore remunerans.* Quin imò jam tum Impp. Chriſtiani conſtituerant, ut ne divites, qui muneribus civilibus erant obſtricti, ſed pauperiores in Clerum cooptarentur. *l. 3. & 6. C. Th. de Epiſc. & cler. Baluz. ad Salvian. l. 3. adv. avarit. pag. 270.*

§. VI.

Verum enim verò etſi ratio ex Hebræorum jure arceſſita parvi eſt momenti, nec officit tamen etiam S. Jacobi atque Petri regula, quippe quâ damnatur prærogativa, ex *ſolis* divitiis ac opibus promanans, absque reſpectu ad majorem virtutis ac doctrinæ gradum. Atqui conſuetudo Francica non opes, non potentiam, non ſanguinis nobilitatem ſolam atque unicam ſpectabat, ſed quod inter familias nobiles & ex ſanguine nobili nobilius ingenium, & ipſa naturalis inclinatio nobilior atq; melior oriri, quod & educatio diligentior & exquiſitior probiores quoque mores efficere ſoleret. Intellexit eandem hanc civilem ratio- *R. Dec.* *Id in Rep. Rom.*

rationem Romanæ gentis conditor *Romulus*, qui, ut eſt apud Dionyſium Halicarnaſſ. *lib. 2. Antiq. Rom.* lege ſanxit, ut ad Sacerdotia *è ſingulis curiis legerentur bini annum egreſſi quinquageſimum, qui virtute ac genere præcellerent cæteros, opesque haberent ſufficientes, & integro eſſent corpore: his non ad certum tempus, ſed in omnem vitam eum honorem conceſſit, immunib. propter ætatem à militia & propter privilegium exemti ab urbanis moleſtiis.*

§. VII.

Etſi ergo libertas Eccleſiæ ita ariſtocraticè temperata videatur, minimè tamen imminuta fuit, præſertim, quum Epiſcopalis dignitas non ſolum *jus docendi* in Eccleſia, quod cum Presbyteris, & Parochis quoque commune fuit, contineret, ſed cum primis *jus magiſtratus* Sacri, imo *jus Principatus* atque Senatorii ordinis in Republ. Diſſvadet autem prudentia Civilis, ne Senatores in Regno ex infimo ordine facilè creentur. Unde Ariſtoteles Senatores *Carthaginienſium* præfert ſenatoribus *Laconum*, quod hi promiſcuè ſolius ætatis ratione habita electi, addita ratione civili *μεγάλων γὰρ κύριοι καθεστῶτες ἂν εὐτελεῖς ὦσι, μεγάλα βλάπτουσι καὶ ἔβλαψαν, ἤδη τὴν πόλιν τὴν τῶν Λακεδαιμονίων. cum enim in ſua poteſtate habeant res magnas, ſi humiles fuerint, magna detrimenta afferunt, & obfuerunt jam civitati Lacedæmoniorum. lib. 2. Pol. c. IX. & conf. l. 3. c. VII. vel XI. & cap. VIII. vel XIII. ibi: quod meliores veriſimile ſit creari à melioribus, εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους. Nobilitas enim eſt virtus generis. it. l. IV. c. 8.* Plato *in Alcibiade: Δῆλον ὅτι ἐν ταῖς γενναίαις ἀμείνους γίγνεσθαι φύσεις. manifeſtum eſt, meliores eſſe naturas nobili in genere.*

CAPUT III.

De

JURE POPULI.

SUMMARIA.

Jus populi in electione Epiſcoporum. Juxta canones Conciliorum. Capitularia Regum. Lex Baivvar. T. 1. c. XI. vel conjunctiva particula.

§. I.

POpuli porro *Libertas* quam maximè etiam in ipſa hac Epiſcoporum conſtitutione viſa fuit, dum electio eorum penes clerum ſeu presbyterium, & penes populum relicta, jus confirmandi electos Regibus merito aſſertum atque exercitum. De populi jure circa Electionem Epiſcoporum, & ſupra ex Sidonio Apollinari aliquid attigimus, & liquet etiam tum ex hiſtoria electionis Gregorii Turonenſis Epiſcopi, in vita ipſius, tum ex *Concilio Aurelianenſi II.* ſub regno filiorum Clodovæi R habito, ejus *Can. VII.* ita habet: *In ordinandis Metropolitanis Epiſcopis, antiquam inſtitutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus amiſſam. Itaque Metropolitanus Epiſcopus à Comprovincialibus Clericis vel Populis electus, congregatis in unum omnibus Comprovincialibus Epiſcopis ordinetur, ut talis Deo propitio, ad gradum hujus dignitatis accedat, per quem regula Eccleſiæ in melius aucta plus floreat.* Et concilii Aurelian. III. Can. 2. ait: *De Metropolitanorum vero ordinationibus id placuit, ut Metropolitani à Metropolitanis omnibus (ſi fieri poteſt) præſentibus Comprovincialibus ordinentur, ita ut ipſi Metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem ordinationis conſuetudo requirat. Ipſe tamen Metropolitanus à Comprovincialibus Epiſco-*

Jus Populi.

Per Canones Concil.

ſcopis (ſicut Decreta ſedis Apoſtolicæ continent) cum conſenſu Cleri vel CIVIVM eligatur. De Comprovincialibus vero ordinandis cum conſenſu Metropolitani, clerici vel CIVIVM juxta priorum canonum ſtatuta electio & voluntas requiratur.

§. II.

De eod. Concilii Pariſienſis I. A. C. DLXXX. Can. VI. ſimilia: Et *quia in aliquibus rebus conſuetudo priſca negligitur ac decreta Canonum violantur, placuit, ut juxta antiquam conſuetudinem canonum decreta ſerventur. Nullus CIVIBVS INVITIS ordinetur Epiſcopus, niſi quem POPVLI & Clericorum electio pleniſſima quæſierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem Epiſcoporum Comprovincialium ingeratur. Quod ſi per ordinationem Regiam honoris ſui culmen pervadere aliquis nimia temeritate præſumſerit, à Comprovincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebite adſumtum agnoſcunt. Si quis de Comprovincialibus recipere eum contra indicta præſumſerit, ſit à fratribus omnibus ſegregatus, & ab ipſorum omnium charitate remotus. Nam de actis ordinationibus Pontificum ita convenit, ut conjuncti Metropolitanus cum ſuis Comprovincialibus Epiſcopis vel quos vicinos Epiſcopos eligere voluerint, in loco, ubi convenerit, juxta antiqua ſtatuta Canonum OMNIA COMMVNI CONSILIO & ſententia decernantur. Concilii* Aurelian. V. Can. III. & IV. eadem repetit: *Vt nullum Epiſcopatu per præmia aut comparatione liceat adipiſci, ſed voluntate Regis juxta electionem cleri ac PLEBIS, ſicut in antiquis canonibus continetur ſcriptum. Conſenſu cleri ac PLEBIS à Metropolitano, vel quem vice ſua permiſerit, cum Comprovincialibus Pontifex conſecretur. Item, juxta quod antiqui Canones decre-*

decreverunt, Nullus INVITIS detur Epiſcopus, ſed nec per oppreſſionem potentium perſonarum ad conſenſum faciendum, CIVES aut cleri (quod dici nefas eſt) inclinentur. Quod ſi factum fuerit, ipſe Epiſcopus, qui magis per violentiam, quam per decretum legitimum ordinatur, ab indepto Pontificatus honore in perpetuum deponatur. Concilii Cabilonenſis Can. X. ait: *Si quis Epiſcopus de quacunque Civitate, fuerit defunctus, non ab alio, niſi à Comprovincialibus, Clero & civibus ſuis, alterius habeatur electio. Sin autem; hujus ordinatio irrita habeatur.*

§. III.

Nec invitis Regibus hi Canones decreti, quippe qui Conciliis auctoritatem ſuam impertiebantur, ut & ſupra diximus. Et Chlotárius II. Rex in Concilio Pariſienſi A. C. DCXV. ante omnia hæc conſtituit: *Ut Epiſcopo decedente, in loco ipſius, qui à Metropolitano ordinari debet cum provincialibus, à clero & populo eligatur; & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur; vel certè ſi de Palatio eligitur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur.* *Per Conſtit. Reg.* Neque id in ſola Francia Occidentali & Neuſtria, ſed etiam in Auſtraſia, inque Germania cis Rhenana viguit. Lex *Bajwariorum*, quam Reges Francorum Regno Bavariæ conſtituerunt, *tit. 1. c. XI.* ait: *Si quis Epiſcopum, quem conſtituit Rex, vel POPULUS ſibi elegit Pontificem, occiderit, ſolvat eum Regi vel PLEBI, aut Parentibus ſecundum hoc Edictum. Fiat tunica plumbea ſecundum ſtatum ejus, & quod ipſa penſaverit, auri tantum donet, qui eum occidit &c.* *Lex Bajvvar. t. 1. c. XI. expl.* Neque eſt, opinor, quod nos turbet particula disjunctiva, qua utitur lex, *quem conſtituit Rex VEL Populus ſibi elegit;* Ut hinc credamus in Bavaria *interdum à Populo electos Epiſcopos, interdum à rege.* Nam eadem etiam utuntur canones

nes antea allegati, Concil. Aur. II. c. 7. *à clericis vel populis electus.* Conc. Aur. III. c. 2. *cum conſenſu Cleri vel civium eligatur.* Pro quia cæteri utuntur conjunctiva particula, & ſatis rem declarat canon Pariſienſis: *Nullus civibus invitis ordinetur.*

§. IV.

Vel pro Et

Semper igitur conſenſus aut electio civium ſeu plebis atque populi fuit requiſitus. Frequentiſſimum enim eſt illorum temporum ſcriptoribus particulæ VEL Copulativam dare ſignificationem. Præfatio Concilii Arelat. I. *Domino & Sanctiſſimo Fratri Sylveſtro Epiſcopo, Marinus VEL cœtus Epiſcoporum.* Gallus Confeſſor. *Cum autem expenſæ, quas de Ægypto ſecum tulerant, Hebræis deficerent, dedit eis DEVS panem VEL carnes de cœlo.* Venantius Fortunatus *l. 1. de Vit. B. Martini:*

Nam Patris ac Gnati æqualem VEL Spiritus almi
--- --- --- *fatetur honorem*

Victor Uticenſis *lib. 1. de Perſec. Vandal. Jam libros confecerat, exceptis innumerabilibus epiſtolis, VEL expoſitione totius Pſalterii & Evangeliorum.* Cenſorinus *de D.N.c. 4. ut in Colchide vel in Bœotia dentibus armati partus.* utrobique enim tales fingunt Poëtæ. Quibus addo *è Prudentii Romano Martyre verſ. 60.*

Fidem tueri VEL libenter emori
& verſ. 918.
Taurina & exta, VEL ſuilla abdomina.

vide Geſta Aldrici, ubi paſſim hæc vocula ita uſurpatur, *Baluz. lib. 3. Miſcell.* Gronov. *obſ. Eccleſ. p. 263.* Salmas *de Prim. Pap. c. 7. p. 102.* Ant. Ruben. *de Re Veſt. l. 1. C. 24.* Senſus igitur legis Bavaricæ iſte videtur: ſi quis Epiſcopum occiderit, qui rite conſtitutus, hoc eſt, à populo, Clero & Plebe, electus, & à rege confirmatus. Quod ſi tamen ſignifica-

ficatio disjunctiva præferenda videtur, neque ſic obeſt. Loquitur enim canon non tantum de conſtituto & confirmato Epiſcopo à Rege, ſed etiam de eo, qui nondum confirmatus, ſed à populo tantum electus adhuc eſt. Quomodo etiam intelligo cap. 1. Tituli ſequentis: *ſi quis contra ducem ſuum, quem Rex ordinavit in provincia illa, aut populus ſibi elegerit ducem.* De jure hoc populi adde ſi vis Dionyſ. Petavium *lib. 1. de Hierarch. Eccleſiaſt.* H. Conring. *de Conſtit. Epiſc. German. §. XI. ſqq.*

CAPUT IV.

De JURE REGIO.

SUMMARIA.

Jus Regis in conſtitutione Epiſcoporum. Inveſtitura. Inthroniſatio non excludit ſuffragia cleri & populi. Abuſus. Jus exigendi confeſſionem fidei & jusjur. à Papa Rom. ut à ſubdito. Can. ſatagendum. q. 1. cau. 25. aliter ab Impp. Jus conciliorum regium. Caranza notatus. Sigeberti R. reſcriptum juris ſui conſervatorium. Excommunicatio ad Libertatem Eccleſiæ pertinet: major & minor. Quarum illa contra Reges non competit. Chryſoſtomi Zelus. Monitum.

§. I.

EX hactenus allegatis Legibus, & Canonibus jam tum quoque conſtat de jure regio circa Epiſcoporum conſtitutionem; quippe à Clero & Plebe electos CONFIRMANDI poteſtas omni jure illis fuit aſſerta. Neque enim ſalva Majeſtate aut *ſumma reip. poteſtate*, Principi invito aut *Magiſtratus*, aut *Princeps ac Senator Regni* à Clero aut Populo obtrudi poteſt, qvum horum conſtitutio *Jus Regis,* *Confirmatio.*

ma-

maxima ſummæ poteſtatis pars ſit. Tales autem Epiſcopos regni Francorum etiam in Auſtraſia & Germania fuiſſe indubium eſt. Quippe qui *per manum & Sacramentum Regibus fidelitatem facere tenerentur*, ut eſt apud Ivonem *Epiſt.CCVI.* Vt adeo hoc jus non legitimum, ſed *præſumtum* vocare velle, ant inſcitiæ ſit, aut contumaciæ. Qua de re plura *Lehman. Chr. Spir. l. 2. c. 41.* P. de Marca *lib.VIII. de C. S. & J. c. XIX. 6. ſqq.*

§. II.

Inveſtitura Inthroniſatio. Hoc confirmandi Jus dictum etiam fuit INVESTITVRA, & INTHRONISATIO. De quo *Walramus* Epiſcopus Naumburgenſis pro Imp. Henrico IV. contra Hildebrandum conſcripſit librum ad Ludovicum Landgravium Thuringiæ circa A. 1090. Inter alia hæc habet: *Longe ante decretum Adriani Papæ, ejusque Succeſſorum, Reges, qui erant uncti, & Majores domus, INVESTITVRAS Epiſcoporum fecerunt, ſcilicet Dagobertus, Sigibertus, Theodoricus, Hildricus, Pipinus filius Begge, Major domus, Theodebertus. Ab his INTHRONISATI ſunt Remaclus, Amandus, Andomarus, Antpertus; Eligius, Lampertus, aliique ſanctiſſimi Præſules, cum Reges iſti in moribus ſuis ſatis fuerint notabiles.* Cum itaque negotium totum conſtituendi Epiſcopum Eccleſiæ, cœperit ab electione cleri atque populi, vim atque perfectionem acceperit à confirmatione ſeu inveſtitura regis, hinc factum ut interdum conſtitutio Epiſcopi καθ' ἐξοχὴν tribuatur Regiæ poteſtati, quæ tamen loquendi ratio ſuffragia populi, ac Cleri haudquaquam excludit. Vide de Electione Catonis & Cautini Epiſcopi Arvernorum *Gregor. Turon. lib. IV. c. 6. 7. 11. & 15.* de remotione Emerii Epiſc. Sanctonicenſis, qui ex decreto Clotharii abſque Metropolitani conſilio conſecratus fue-

rat,

rat, ab ejus filio contra clerum defenſus. *c. 26.* Quanquam ſæpe reges jure ſuo abuſi, ſicut Gunthramnus Rex, etſi juramento pollicitus, ſe nunquam ex Laicis Epiſcopum ordinaturum, tamen contra fecit, ut eſt apud eundem *l. VIII. c. 22.*

§. III.

Neque iſtud hic prætereundum eſt, *exegiſſe* Reges Francorum à novellis *Pontificibus* Romanis *confeſſionem fidei.* Id Childebertus fecit, miſſo Romam ob id Ruffino Legato ad Pelagium I. noviter electum, cui & obſecundavit Papa, & ut ejus ſunt verba, *pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſſionis noſtræ Regibus* (ſic Ivo habet, quod poſteri in *Legibus* perverterunt) *miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos eſſe, Sanctæ Scripturæ præcipiunt.* Conf. *Can. 9. Diſt. X.* ut patet ex Epiſtola ejus XVI. ex qua fragmentum Gratianus habet *Cau. XV. qu. 1. Can. Satagendum.* Denique *jurejurando* ſeſe obſtrinxiſſe Pontifices electos Regibus & Impp. Francorum etiam ad *Canones* Eccleſiaſticos obſervandos, patet ex Capitularibus Francorum, & cumprimis id oſtendit St. Baluzius *Præfat. Capitular. §. XXI. ſqq.* Conf. Molinæ. *de Monarch. Francor. §. 123.* Viciſſim verò & *Imperatores* imperii gubernacula ſuſcipientes idem videntur præſtitiſſe: id quod verò ab initio *ex charitate,* & unionis retinendæ causâ factum, ut ſciretur cujusnam fidei & communionis quisque eſſet, eique ſecurè communicaretur. Sed poſtea Curia Romana ut alia multa, ita & hoc *ex obligatione* quadam & *obedientia,* quam vocant, ab Impp. poſtularunt. Certè jamtum *Symmachus Papa* in apologia adverſus Anaſtaſium Imp. *Epiſt. VII.* ſcribit: *omnes Catholicos Principes ſive cum imperii gubernacula ſuſceperunt, ſive cum Apoſtolicæ ſedi novos agneverunt*

Jus exigendi confeſſionem Fidei à Papa. Cau. 25. q. 1. c. Satagend.

Præſules inſtitutos, ad eam ſua protinus ſcripta miſiſſe, ut ſe docerent ejus eſſe conſortes: & qui hoc non fecerunt, ab eadem ſe profiteri alienos. Edmund. Richerius *Hiſtor. Concil. Gener. c. IX. 10.* Symmachum hic fimbrias ſuas ampliare judicat, additque: *Obſervet hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſus, quæ primitus charitativè fiebant in Eccleſia, tandem in potentatum & faſtum mundanum degeneraſſe ambitioſorum hominum vitio: & Curiam Romanam nullam occaſionem prætermiſiſſe, dominatum, quo hodie utitur fruitur, aucupandi, etiam viâ facti & dolo malo, ſuppoſitis in eum finem multis ſcriptis adulterinis.*

§. IV.

Jus Conciliorum. Porro qvum ex Actis Conciliorum & Annalibus Francorum ſatis conſtet, quam multa *concilia* juſſu & auctoritate Regum Francorum fuerint coacta, non videtur operæ pretium Jura Regum operoſe hic demonſtrare. Præſertim qvum id fecerit *Lehm. d. l. 2. c. 41. Petr. de* Marc. *l. VI. de C. S. & J. c. XVII. XVIII. ſqq.* Illud non eſt prætereundum, quod *Barth. Caranza* in ſumma *Concilii Aurelianenſis primi* ex Epiſtola Clodovæi R. Francorum ad Synodum, refert, *in ea profiteri Regem ſe pariturum præceptis Eccleſiæ & Papæ, de non captivandis clericis, monialibus & ſervis Eccleſiarum &c. & de captivatis reddendis.* Non ſatis bona fide id factum. Nam haudquaquam dicit rex, *ſe pariturum præceptis Eccleſiæ, & Papæ, ſed ſe fidem adhibiturum epiſtolis & atteſtationibus Epiſcoporum* ſuorum, de captivis dimittendis, *ſic tamen, ut cum ſacramento per DEUM & benedictione ſua atteſtentur, rem veram eſſe.* Ipſe vero ſua præcepta ac mandata ad militem, antequam fines ingrederetur, Synodo exponit, & quomodo captivi Clerici aut alii homines ad Eccleſias pertinentes ſint liberandi,

di, notum facit. Facit etiam huc *epiſtola Guntbramni* Regis Francorum, quâ, quæ *in Synodo Matiſconenſi II.* definita fuerunt, ſua auctoritate vulgat ut verba ejus habent, de quo *cap. II. hujus libri* §. *1.*

§. V.

Eodemque facit Epiſtola *Sigeberti* Regis Francorum circa A. DCL. ſcripta ad Deſiderium ArchiEpiſcop Caduricenſem, non Viennenſem, quam St. Baluzius ex veteri codice emendatiorem edidit *Tom. I. Capitular. Francor. quæ eſt inter Epiſtolas Regum & Epiſc. Franc. LXXVIII.*

Domno Sancto & Apoſtolico in Chriſto Patri Deſiderio, Siggybertus Rex.

Dum fabulâ (fama) *currente, à plures, &* (ex) *fidelibus noſtris cognovimus, quaſi vocati ab idemque Patre noſtro Vulfoleudo Epiſcopo* (Biturigum) *Synodali conſilio Kal. Septembris in regno noſtro, ignoramus in quo loco, unà cum reliquos fratres & comprovinciales veſtros debeatis conjungere, licet nos ſtatuta Canonum & Eccleſiaſticas regulas, ſicut Parentes noſtri in DEI nomen conſervarunt, ita & nos conſervare optamus, tamen dum ad noſtram antea notitiam non fuit perlatum, ſic nobis cum noſtris Proceribus convenit, ut ſine noſtra ſcientia Synodalis concilius in Regno noſtro non agatur, nec ad iſtas Kal. Septembris nulla conjunctio Sacerdotum, ex his qui ad noſtram ditionem pertinere noſcuntur, non fiatur. Poſtea vero opportuno tempore, ſi nobis antea denunciatur, utrum pro ſtatu Eccleſiaſtico, an pro regni utilitate, ſive etiam pro qualibet rationabile conditione conjunctio eſſe decreverit, non abnuimus; Sic tamen, ut diximus, ut in noſtri prius deferatur cognitionem. Proinde præſentia ſcripta Sanctitati veſtræ deſtinare curavimus, per quæ petimus, ut pro nos orare dignetis, & ad iſtam conjunctionem, priusquam no-*

noſtram cognoſcatis voluntatem, penitus accedere non debeatis. Et ut certius credatis, hunc indicolum manu propria ſubter ſubſcripſimus.

Sygg:bertus Rex ſub.

Ex quibus non minus quæ fuerit tum Latini ſermonis corruptio, quàm quæ juris circa ſacra affectatio, ſed & animoſa Regum tuitio, conſtare poteſt.

§. VI.

Jus Excommunicationis.

Libertatis Eccleſiaſticæ ſpecies non minima eſt Jurisdictio Sacra & poteſtas *Excommunicandi*, hoc eſt, aut à S.S. Communione & participatione S. S. Cœnæ excludendi, & abſolutionem à peccatis denegandi, quæ *Minor* Excommunicatio dicitur, aut à tota Eccleſia ſive communione totius Liturgiæ ſacræ excludendi & à converſatione quoque civili removendi, ob crimina notoria, quæ appellatur Excommunicatio *Major*, & habet jam aliquid civilis coërcitionis admixtum, ſicuti & plena coërcitio civilis illius eſt ſubſidiaria, Jure etiam Francico. Lib. V. Capitul. Carol. c. 42. Edit. Baluz. CXII. Et ut ſciatis, qualis ſit „ modus iſtius Excommunicationis: in eccleſiam non debet intrare, nec cum ullo Chriſtiano cibum vel potum ſumere: nec ejus munera quiſquam accipere debet, vel oſculum porrigere, nec in oratione ſe jungere, nec ſalutare, antequam ab Epiſcopo ſuo ſit reconciliatus. Quod ſi aliquis ſe reclamaverit, quod injuſte ſit excommunicatus, licentiam habeat, ad Metropolitanum Epiſcopum venire, ut ibidem ſecundum canonicam inſtitutionem dijudicetur: & interim ſuam excommunicationem cuſtodiat. Quod ſi aliquis iſta omnia contemſerit, & Epiſcopus hoc minimè emendare potuerit, Regis judicio exilio condemnetur. Capitulum hoc de-

Majoris.

deſumtum fuit ex capitulo IX. Synodi Vernenſis à Pipino Rege A. DCCLV. celebratæ.

§. VII.

Sed nec *minor* illa à ſolo Epiſcopo, ſed cum conſenſu Sacri Miniſterii causâ cognitâ, fieri ſolita. Gregor. Turon. *lib. V. c. XIV.* de Meroveo filio Chilperici Regis: Nobis autem Miſſas celebrantibus in S. Baſilicam, aperta reperiens oſtia ingreſſus eſt. Poſt Miſſas autem petiit, ut ei Eulogias dare deberemus. Erat autem tunc nobiſcum Ragnemodus Pariſiacæ ſedis Epiſcopus, qui S. Germano ſucceſſerat. Quod cum refutaremus, ipſe clamare cœpit, & dicere, quod non recte eum à communione ſine fratrum conniventia ſuſpenderemus. Illo autem hæc dicente, cum conſenſu fratris, qui præſens erat, conteſtata cauſa canonica, Eulogias à nobis accepit. Veritus autem ſum, ne, dum unum à communione ſuſpendebam, in multos exiſterem homicida. Minabatur enim aliquos de populo noſtro interficere, ſi communionem noſtram non meruiſſet. Multas tamen pro hac cauſa Turonica regio ſuſtinuit clades. *Minoris.*

§. VIII.

Atque etiam hoc jure ſuo gaviſas Eccleſias Auſtraſiæ fuiſſe, non eſt obſcurum ex Conciliis & Capitularibus Francorum, eâque de re agit Lehmannus *Chron. Spir. l. II. c. 34.* Neque vero libertatem Eccleſiaſticam minuit, quod, ut idem habet, Eccleſia Francica adverſus Reges ſuos, quantumvis magnorum criminum quandoque noxios, Excommunicatione nunquam uſa, præter quàm quòd Nicetius, Archiepiſcopus Trevirenſis Lotharium Regem excommunicare auſus, ſed à rege in exſilium pulſus fuerit. Fortè tamen & alia exempla reperiantur. *An contra Reges.*

Certè Charibertus Rex, quòd duas ſorores duxiſſet, à S. Germano Epiſcop. Pariſienſi excommunicatus fuit, & qvum eam Rex relinquere nollet, percuſſa illa judicio Dei obiit, nec multo poſt & ipſe Rex, teſte Gregorio Turon. l. 4. c. 26. Eodem pertinet, quod idem lib. V. *c. 49. p. 279.* refert, & Sacerdotes de Rege cauſâ cognitâ pronunciaſſe: *Impleta ſunt omnia ab Epiſcopo, quæ imperata ſunt ô Rex, quid nunc ad te, niſi ut cum Bertchramno accuſatore fratris communione priveris.* Columbanus etiam excommunicationem Theodorico R. ob concubinarum uſum comminatur, ſed ipſe ob id exul poſtea. Gregorii Turon. *ſupplem. c. XXXVI.*

§. IX.

Neg. Cæterum ſic ferè ſenſerunt Eccleſiæ Francicæ, quomodo Gregorius Epiſcopus Turon. *l. V. c. XVIII.* ſe Chilperico Regi dixiſſe, refert: *Si quis de nobis, ô rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt: ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronunciavit eſſe Juſtitiam.* *Ratio.* Neque hoc temere quantum ad excommunicationem majorem. Qvum enim ejus ratio conſiſtat in remotione corporali ab externo Eccleſiaſticæ ac civilis Societatis cœtu atque jure, certe is, penes quem ſuprema utriusque ſocietatis eſt poteſtas, ut etiam totam Eccleſiam ex civili ſocietate ſuâ removere poſſit, neminem ſupra ſe habet, qui eum velut caput à corpore regni ſui ſeparare poſſit. *Macliavus* quidem, qui Epiſcopatu relicto defuncti fratris Chanaonis uxorem cum regione fratris, Britanniâ, ſimul acceperat, ab Epiſcopis excommunicatus fuit, ſed erant Britanniæ Comites tum ſub Francorum Regiâ poteſtate, ab obitu Regis Clodovei, teſte Gregor. Turon. *l. IV. c. IV.*

§. X.

Plane *impœnitenti* cuivis, etiam Regi, neque Abſolutio, neque Sacra Communio impertiri ab Epiſcopo, aut alio Confeſſionario poterit, causâ quidem ab Eccleſiâ cognitâ, ſed ea ſola non facit excommunicationem, de qua loquimur. Porro pœnitentiæ publicæ ſatisfactiones, niſi *liberè*, atque auctoritate ſacra perſuaſi ſuſceperint Principes, externa illa vis ſubſidiaria, quod *brachium ſeculare* vocamus, utique ceſſat. Iſtiûs exemplum ut inſigne ita rariſſimum Theodoſius Ambroſio præſtitit. *Theodor. lib. 5. c. 17.* Rex quoque Hiſpaniæ Chintilla in concilio Toletano VI. A. C. 638. ſucceſſores ſuos Excommunicationi ſubjecit, ſi contra Capitulationem juratam homines non-Catholicos in Regno toleraverint. *Lim. 1.* *2.*

§. XI.

Denique in toto hoc negotio ita ſe ſe gerit prudens Eccleſiæ Antiſtes, ut libertate Eccleſiaſtica ſic utatur, ne conſequentia mala Eccleſiæ concreditæ longe graviora & intolerabiliora eveniant, quàm eſt toleratio unius vel paucorum ſceleratorum. Negligens id *Chryſoſtomus* contra Eudoxiam Imperatricem Invectivâ iſtâ uſus, cujus initium: πάλιν Ἡρωδιὰς μαίνεται, *Rurſus Herodias furit*, ſibi exſilium & orthodoxis tormenta quæſivit. *Socrates lib. VI. c. XVIII.* ea de re ita judicat: Δέον τοὺς κρατοῦντας λόγῳ παρακλητικῷ πείθειν παῦσαι τῆς παιδιᾶς. *blandâ Hortatione potiùs perſvadere debuiſſe Principibus, ut ab ejusmodi ludrico* (ſtatuâ Eudoxiæ erecta è regione Eccleſiæ S. Sophiæ) *abſtinerent, quàm eloquentia impetu, probris eos oppetere.* Qvum effrenis quidam Monachus Theodoſium Juniorem ob denegatas preces excommunicare auſus eſſet, Epiſcopus Civitatis dixit: *Non debere à quolibet obligationem* ſive vinculum *Monitum.*

lum excommunicationis *recipi* tanquam ipſo jure nullam *Hiſtor. Tripart. lib. X. c. XXVII.* Quare omnino ex re Eccleſiæ eſt conſilium non-neminis Theologorum dicentis: *A quo & quamdiu imminet Eccleſiæ idem periculum, quale & quantum à regibus, Principibus, dynaſtis aliisque plebem ſibi adhærentem ducentibus, ſi excommunicantur, imminet, ab eo excommunicando tam diu abſtinendum quamdiu periculum Schiſmatis durat.* Conf. M. A. de Domin. *l. V. c. IX. 25. ſqq. & l. VI. c. IX.*

Caput V.
De
JVRISDICTIONE ECCLESIASTICA.

Summaria.

Juriſdictio Eccleſiæ in cauſis miſerabilium perſonarum. Concurrens: in eleemoſyna ſive ſumtibus Regis. ab Innocentio III. coërcita. c. XI. X. de for. comp. Denunciationis Canonicæ origo. Eccleſiaſtici ſubjecti civili juriſdictioni, & Mallo publico, gradatim tamen: Epiſcopi ab inferiorum judicum juriſdictione immunes. Abbates Epiſcopis ſubjecti. Lehmannus notatus. Gregorii M. Confirmatio exemtionis Monaſterii S. Medardi Sveſſione ſubleſtæ fidei. Cau. 18. q 2. c. 2. & 3.

§. I.

Eccleſiæ Juriſdictio in cauſis vid. & pupill.

HAbuit Francorum Germanorumque Eccleſia *juriſdictionem* etiam *civilem* in cauſis viduarum ac pupillorum, eâque de re in *concilio Matiſcone* A. C. 588. habito *Canon. XII.* conditus eſt: *Quid autem Scriptura divina de viduis & pupillis præcipiat, nobis clam non eſt, ideoque quia proviſioni noſtræ, Deo auctore, cauſæ principaliter viduarum*

&

& pupillorum ſunt commiſſæ, decernimus, ut judices non prius viduas & pupillos conveniant, niſi Epiſcopo nunciarint, cujus ſub velamine degunt. Quodſi Epiſcopus præſens non fuerit, Archidiaconus & Presbyter pariter ſedentes, communi deliberatione cauſis eorum terminos figant, ita juſte & recte, ut deinceps de talibus antedictæ perſonæ non conquaſſentur. Quod ſi quis judex aut impetitor eis injuriam aliquam ingeſſerit, aut hanc definitionem transgreſſus fuerit, à communione ſuſpendatur.

§. II.

Lib. V. Capitular. CLXXXII. *Volumus ut & Laici in eorum miniſterio obediant Epiſcopis ad regendas Eccleſias DEI, viduas & Orphanos defenſandos.* Cæterum cauſæ hæ jurisdictioni civili non fuerunt ademtæ, ſed *concurrens* hic fuit jurisdictio. Pipinus Rex Synodi Vernenſis c. XXIII. *Ut Comites vel judices ad eorum palatia primò viduarum, Orphanorum, vel Eccleſiarum cauſas audiant & definiant in eleemoſyna Domni Regis, & poſtea alias cauſas cum juſtitia rationabiliter judicent.* Quid ſit *in Eleemoſyna Regis*, intelligitur ex cap. VI. ejusdem Synodi: *Si aliqua monaſteria ſunt quæ earum ordinem propter paupertatem adimplere non poſſunt, hoc ille Epiſcopus de veritate prævideat, & hoc Domno Regi innoteſcat, ut in ſua eleemoſyna hoc emendare faciat.* confer & *cap. XXIX. Caroli M. A. 802.* Porrò Innocentius III. reſtrinxit hanc libertatem Eccleſiæ ad cauſas Eccleſiaſticas aut ſi in civilibus juſtitia non adminiſtratur, *cap. XI. de For. comp. Bosquet. lib. 1. Epiſt. XXXI.* Hinc origo *Denunciationis Canonicæ & Evangelicæ* orta, de quâ aliàs.

§. III.

Ipſæ autem Eccleſiæ earumque Rectores atque miniſtri à *Jurisdictione Civili* Imperii Francorum nondum fue- *Eccleſia non immunes à Juris-*

dictione Civili. fuerunt *exemti*, ſed per tria ſecula usque ad Carolum M. & Regum & Comitum Jurisdictioni ſubjecti, docente *Lehmanno l. 2. c. XXI. & XLI.* Extantque apud Gregorium Turon. plurima exempla. Idem declarat lex Bajvvariorum *Tit. 1. c. XI. §. 2. Et ſi Epiſcopus contra aliquem culpabilis apparet, non præſumat eum occidere, quia ſummus Pontifex eſt: ſed mallet eum ante regem vel ducem aut ante plebem ſuam*, (in publico placito) *& ſi convictus crimen negare non poſſit, tunc ſecundum canones ei judicetur.* Quoad inferiores clericos & homines ad Eccleſiam aut Monaſterium pertinentes, gradus atque inſtantiæ inſtitutæ. Hludovicus Pius Imp. in diplomate Monaſterii S. Mariæ Cenomanenſis civitatis: *Ut nullus Judex aut Comes aut quislibet homo vel qualibet perſona, prædicta Eccleſiæ miniſtros vel advocatos in mallo publico accuſare præſumat, antequam conveniat miniſtros rerum & judices villarum atque hominum à quibus læſus eſt, ut ab eis familiarem & juſtam accipiat juſtitiam; & ſi à prædictis miniſtris ſuam juſtitiam accipere non valuerit, tunc conveniat Epiſcopum jam dictæ Eccleſiæ, ut ab ipſo ſuam juſtitiam familiarem & bonam atque juſtam accipiat. Et ſi ab ipſo Epiſcopo neque à ſuis miniſtris ſuam juſtitiam accipere nequiverit, poſtmodum licentiam habeat, ut in Mallo publico ſuas querelas juſtè & rationabiliter atque legaliter quærat. Sed ſi antequam fecerit illud, jamdictæ ſedis Eccleſiæ Epiſcopum & ſuos miniſtros & advocatos in mallo & cujusdam conditionis publico placito accuſare aut pulſare præſumſerit, quia noſtram juſſionem atque noſtrum præceptum, & indictum contempſit ſive prævaricavit, bannum noſtrum, ex hoc nobis componat, & prædictæ Eccleſiæ Epiſcopo vel ſuis miniſtris ſolidos centum argenti componat, & ſuam juſtitiam poſtmodum absque lege aut aliqua compoſitione recipiat.*

Exc. 1.

§. IV.

§. IV.

Eſt etiam, ubi Reges, ne judices in propria cauſa di-
cerentur, Epiſcopos in Concilio accuſarint. Ita Chilpe-
ricus Rex in Concilio Pariſienſi; A. DLXXX. accuſans
Prætextatum Epiſcopum Rotomagenſem, ait: *Quamvis,
venerandi Pontifices, Regia poteſtas reum Majeſtatis legibus
condemnare poſſit: Ego tamen hunc, qui falſum ſibi nomen
Paſtoris uſurpat, conjurationis contra me factæ auctorem,
ſacris non contradicens canonibus, veſtræ audientiæ repræ-
ſento. Vid. Aimoin. l. 3. C. XXVI.* Deinde quantum ad Judi- 2.
ces ſeculares ſingulos & inferiores, exemti fuerunt Epi-
ſcopi ab horum Jurisdictione in Concilio modò allegato
Matisconenſi II. canon illius *nonus* hic eſt: Statuimus
etiam, ut Epiſcopus per ſecularem poteſtatem non judi-
cetur. Nefas eſt enim, ut illius manibus Epiſcopus aut
juſſione de Eccleſia trahatur pro quo ſemper DEUM
exorat, & cui invocato nomine DOMINI, ad ſalvatio-
nem corporis animæque Euchariſtiam ſæpe porrexit.
Hoc enim decretum à nobis præfixum qui fuerit auda-
cter transgreſſus, tam ipſe, quam omnes qui ei conſenſe-
rint usque ad generale Concilium, anathemate de Ec-
cleſia ſeparentur. Cæteroquin coram Principe forum
utique ſortiti adhuc Caroli Calvi ævo. Ita enim in Con-
ventu apud Piſtas A. 869. capitulo VII. ſancitum: Ut
ſi Epiſcopi ſuis laicis injuſtè fecerint, & ipſi laici ſe ad nos
inde reclamaverint, noſtræ Regiæ poteſtati ſecundum
noſtrum & ſuum miniſterium ipſi Archiepiſcopi & Epi-
ſcopi obediant, ut ſecundum ſanctos canones, & juxta
leges, quas Eccleſia catholica probat & ſervat, & ſecun-
dum capitula avi & patris noſtri, hoc emendare curent,
& ſicut temporibus avi & patris noſtri juſta & rationabi-
lis conſvetudo fuit.

§. V.

Abbates ſub Epiſcopis.

De Abbatum & Monaſteriorum ſubjectione ait Lehmannus *l. 2. c. XXXIII.* Abbates non Epiſcopis, ſed immediate Regibus Francorum fuiſſe ſubjectos, donec Carolus M. eos Epiſcopis certo modo ſubdidiſſet. Verùm conſtat jam tum tempore Clodovæi in *Concilio Aurelianenſi Canone VIII.* ſancitum fuiſſe, *quod Abbates Epiſcopis, Monachi Abbatibus ſint ſubjecti.* Quod & Carolus M. inter capitula Miſſis ſuis anno imperii ſecundo data, juſſit: cap. XV. *Abbates autem & Monachi omnimodis volumus & præcipimus, ut Epiſcopis ſuis omni humilitate & obedientia ſint ſubjecti, ſicut canonica conſtitutio mandat.* Quod autem Monaſterium S. Galli & Weiſſenburgenſe immediate ſub regibus fuerint, id ſingulare jus ac privilegium fuiſſe reor, ſicuti poſtea quoque frequentius *Abbates exemti* eſſe conſueverunt. Cæterum de Abbatum ſubjectione ſub Epiſcopis teſtatur etiam jam tum *Can. 36. Concilii Agathenſis* A. C. 506. habiti, ſub Regno Alarici R. & Concil. *Aurel. II. c. XXI. & Conc. Cabilonenſis c. XV. conf. Greg. Tur. l. IX. c. XXIX. ſeqq. & l. XX. ſeqq. Bosquet. ad Epiſt. VII. Innocent. III. l. 1. Baron. ad A. C. 803. p. 95. Petr. de Marca l. 3. c. XVI.*

§. VI.

Exemtionis diploma.

Denique adjecta cernitur Epiſtolis Gregorii M. Confirmatio & Exemtio Abbatis & *Monaſterii S. Medardi* in *Sueſſionum* civitate, ſubſcripta à Gregorio Papa Regibus Francorum & Epiſcopis Franciæ A. C. 593. VII. Kal. Junii. in qua inter alia hæc: *Juſtis petitionibus præcellentiſſimorum Regum Brunichildis atque Theodorici faventes ob amorem Domini Medardi tantam divini honoris dignitatem, & ſecuritatem concedimus perenni tempore manſuram. Auctoritate igitur divina, vice B. Petri Apoſtolorum Principis,*

conſenſu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius Senatus Romani, ſuadente nobis viro Apoſtolico Anſerico Sueſſonum urbis Pontifice, & omnium favente Galliæ Epiſcoporum judicio, decernimus, ut nullus ArchiEpiſcoporum vel Archidiaconorum Fratres præfatæ Baſilicæ de ordinatione ſui Abbatis vel Eccleſiaſticorum graduum aſſumtione inquietet. Et poſtea: *Ne vileſcat tantæ ſublimitatis locus S. Mariæ & B. Petri, nec non & Protomartyris & Dom. Medardi meritis ſacratus, quem caput Monaſteriorum totius Galliæ conſtituimus, nulliusque dictioni patimur ſubeſſe: ſed velut hæc ſedes Romana ſpeculationem ſuam toti orbi indicit, & novas conſuetudines omnibus mittit, & omnium perſonarum ſervitio caret: ita præfatus locus, remota omni conſuetudine peſſima Regum, Antiſtitum, Judæcum, exemplum divinæ Religionis & honeſtatis cæteris exhibeat Monaſteriis, & ſuper ea plena gaudeat libertate. Cujus Rectores & filii præſentes & ſucceſſuri tantum ſub Regum cuſtodia poſiti ad monitionem S. Petri & ſucceſſorum ſuorum hujus S. ſedis Pontificum auctoritate proclament, & ſi incumbit neceſſitas, ad eam.*

§. VII.

Verum non ex uno capite ſuſpectum ſit hoc diploma. Nam primò non ſpirat *modeſtiam Gregorii* M. quam ad Epiſcopum Alexandriæ lib. VII. Epiſt. XXX. conteſtatur, & nos infra exhibebimus. Deinde quid confirmatio privilegiorum tunc ad *Senatum Romanum*, qui Imp. Mauritio ſubjectus, cujus potius auctoritatem Gregorius in aliis conceſſionibus prætexit, *ut libr. VII Ep. VI. & l. 1. Ep. XXVII.* ubi per *piiſſimos Dominos* intelligit Mauritium Imperatorem, & Theodoſium & Tiberium Cæſares. Porro *Sueſſionum* Civitas ſedes regia ceſſerat *Chilperico* in diviſione fraterna A. C. 565. is A. C. 588. ab adultero occi-

ſus *Clotarium* infantem reliquit, cujus tutelam geſſit patruus Gunthramnus, Rex Aureliæ reſidens, ſtatus Regni pupillo obligans jurejurando, quem & Anno 598. contra patruelem Childebertum ejusque matrem Brunichildem defenderunt. Quid ergo ad Sueſſionenſem civitatem *Brunechildis?* quid Theodoricus Childeberti filius, qui A. C. 600. demum patri in Guntheramni regno ſucceſſit? Theodoricus vero filius Chilperici dudum ante patrem obierat anniculus. Sed nec *Ætherius* fuit tum Arelatenſium A Epiſcopus, ſed vixit adhuc *Virgilius* Indictione *IV.* A. C. 601. ut patet ex l. 9. *Ep. LXIII.* ut alia ſubleſtæ fidei indicia omittam. Neque huic regulæ de ſubjectione Abbatum contrariatur Gregorius M. lib. IV. Epiſt. ad Caſtorium Ariminenſem, unde excerptus *Canon. III. q. 2. Cau. XVIII.* electio enim Abbatis & adminiſtratio ſacrorum Epiſcopis interdicitur, non inſpectio & jurisdictio. Sed *Canon præcedens* ſicut tantum eſt ſummarium hujus canonis, ita contra ſententiam & verba Gregorii lacinia aſſuta fuit: *ut nulli Eccleſia ſubjiciatur.*

Caput VI.
De
DEPENDENTIA ECCL. GERM. A SEDE ROMANA.

Summaria.

Eccleſia & Epiſcopi Germaniæ in libertate perſtiterunt usque ad ſeculum VIII. Dependentia à ſede Rom. ſub Zacharia cœpit: ipſo fatente. Concil. Aurel. IV. c. 1. Cyclus Paſchalis Victorii: Dionyſii Exigui. Libertas E. G. circa jus Kalendarii. Jus Pontificis R. circa idem.

Patrimonium ſedis Rom. in Francia. Vicarius P. R. Epiſcopus Arelat. Pallii uſus Epiſcopis communis. Vicariatus olim perſonalis. Primatum origo. Gloſſ. C. M. in Can. 9. Cau. 25. q. 2. Conſenſus Principum in uſu pallii. Obedientiæ ſponſio ab ipſa ſede R. improbata. Eccleſiæ & Synodi nationales paris autoritatis cum Romana. Pallii ſymboli ſubjectionis origo à Bonifacio. Decretales Paparum non probant ſubjectionem. Papæ R. inſpectio communis in orthodoxiam & obſervationem canonum. Jus Epiſcopi extra dioeceſin. Admonitio fraterna mutua. Titulus Univerſalis Papæ à Gregorio M. reprobatus, ut & Jubendi vox. Oecumenici titulus. Pallium teſtimonium orthodoxiæ. Veſtimentum Paſchale. cap. ſignificaſti. X. de elect.

§. I.

ENim vero ex hujus temporis annalibus apparet, neque in conſtitutionibus Epiſcoporum, neque in Jurisdictione Eccleſiarum, neque in convocandis conciliis neceſſario interveniſſe, multo minus præceſſiſſe auctoritatem Epiſcopi aut Patriarchæ *Romani*, adeoque Eccleſiarum Auſtraſiæ atque Germaniæ non fuiſſe eam dependentiam à ſede Romana, quam ſequiora tempora præſe tulerunt. Nec multa probatione hic videtur opus quum ipſe Pontifex Romanus *Zacharias* id non diffiteatur, quando de converſione, ut ipſe appellat, harum Eccleſiarum ad ſedem Romanam à Bonifacio demum procurata gratulatur Epiſcopis Germaniæ A. C. 748. Ait: *Gaudeo in vobis chariſſimi, quoniam fides veſtra & veritas erga nos gratioſa eſt, & manifeſta non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, dum ad fautorem & magiſtrum veſtrum à Deo conſtitutum,* *Libertas Eccl. Germ. reſpectu Episc. Roman.*

B. Pe-

B. Petrum Apoſtolorum Principem, benigniſſima voluntate converſi eſtis, & in hoc laudabilis eſt fides veſtra, quoniam id ipſum ſapitis, quod ſapere oportet. Igitur usque ad ſeculum octavum in ſuâ libertate Epiſcopi & Eccleſiæ Auſtraſiæ & Germaniæ perſtiterunt.

§. II.

c. 1. Conc. Aurel. IV.

Neque obeſt, quod in *Concilii Aurelianenſis IV.* can 1. mentio fit ſedis Apoſtolicæ; *Placuit ut ſanctum Paſcha ſecundum laterculum Victorii ab omnibus ſacerdotibus uno tempore celebretur. Quæ feſtivitas annis ſingulis ab Epiſcopo Epiphaniarum die in Eccleſiis denuncietur. De qua ſolennitate quoties aliquid dubitatur, inquiſita vel agnita per Metropolitanos à ſede Apoſtolica ſacra conſtitutio teneatur.*

Victorii Aquit. Cyclus Paſchal.

Innuitur hic *Victorini* vel potius Victorii, ut Beda eum nominat, *Aquitani*, catalogus ſeu parapegma Paſchatum, qui primus inter Latinos, auctoritate Hilarii Papæ Rom. Cyclum Paſchalem confecit Emendatiorem, quàm hactenus Alexandrini fecerant, ſoli Paſchatis indicendi ſcientiam ſibi vindicantes. Factum id A. C. 463. Quam periodum *Dionyſius Exiguus* poſt ſexaginta annos, interpolatione ſuam fecit, qua hodieque in noſtris Eccleſiis jure Libertatis Germanicæ utimur. Nam qvum Victorii non emendato laterculo Eccleſias Gallicanas & Germanicas fuiſſe uſas multis annis ex Gregorio Turonenſi obſervare liceat: Poſtea Dionyſii Cyclus receptus fuit, ut conſtat ex Rhabani Abbatis Fuldenſis *lib. de Computo, c. LXI.* cui ille *Venerabilis Abba Romanæ Vrbis* dicitur, *utriusque linguæ videlicet Græcæ & Latinæ non ignobili præditus ſcientia.* Quem librum è tenebris nuper eruit, & orbi literario primus communicavit St. Baluzius.

Dionyſ. Exig.

§. III.

§. III.

Atque hoc ipſum eſt, quod placuit Patribus hujus Concilii, cum hac tamen reſtrictione, ut, ſi qua dubitatio incideret, *teneatur* ſeu obſervetur *Sacra conſtitutio*, ſeu deciſio *per Metropolitanos* utriusque Franciæ *inquiſita*, petita, impetrata, VEL h. e. *& agnita* atque approbata. Duo hic notanda, primum quod deciſio controverſiarum circa tempus Paſchatis celebrandi ab Eccleſia Franciæ & Auſtraſiæ Papæ Rom. non abſolutè, ſed cauſa cognita & *cum approbatione Metropolitanorum* Francicorum & Germanorum permiſſa fuit. Deinde quod non vi jurisdictionis aut imperii Sacri ſed per modum *Conſultationis* impetratio fuerit facta. Idque conſuetudine Eccleſiarum Galliæ, prout conſtat ex *Concil. Arelat. 1. c. 1.* ubi Patres ad Epiſcopum Rom. *De obſervatione Paſcha Domini, ut uno die & tempore per orbem omnem obſervetur & juxta conſuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Quæ conſuetudo jure privilegii à ſede Romana ex concilio Niceno obtenta dicitur. Nam qvum A. C. 157. *Pius* Epiſcopus Rom. Eccleſiis Aſiaticis, quæ Paſcha eodem tempore, quo Judæi celebrabant, id interdiceret, atque ut omnes Romanum morem obſervarent, juberet, Aſiaticæ autem Eccleſiæ imperium hoc non agnoſcerent, magnæ turbæ & contentiones usque ad *Concilium Nicenum* perduraverunt, quo tandem res pro Epiſcopo Rom. & Eccleſiis Europæis deciſa, & Epiſcopo *Alexandrino* mandatum fuit, ut menſem & diem Paſchatis inquireret & tempeſtive Epiſcopo *Rom.* & aliis Metropolitanis indicaret, illique ad reliquos Epiſcopos idem perſcriberent, *Euſeb. lib. III. de Vit. Conſtant. c. V. ſeqq. Epiphan. Hereſ. LXIX. Athanaſ. Epiſt. de Synod. Arimin. Calviſ. Iſag. Chronol. c. XV.* absque ſpeciali

Libertas Eccleſiæ circa jus Calendarii.

tamen canone hac de re condito, ut oſtendit Edmund. Richer. *Hiſt. Concil. Gen. c. III.* §. *X.* Nihil igitur hinc Sedi Rom. jure imperii univerſalis competit, ſed jure privilegii in cauſa pro ipſa deciſa, ſi quid ultra jura Metropolitana hic ſubeſt.

§. IV.

Patrimon. Papæ in Francia.

Plane etiam ſub hoc Francorum Regno habuiſſe Pontificem Rom. *Vicarium per Gallias* Epiſcopum *Arelatenſem*, & ſupra indicavimus, & patet ex can. *pallium 5. diſt. 100. & cau. 25. q. 2. c. 3.* Habuit quoque ſedes Romana jam tum aliquod *Patrimonium in Francia*, cui Dinamius, Patritius Galliarum, ex Gregorii M. commendatione ſolicitudinem impendit. Gregor. Tur. *lib. 1. Ep. LXXII. l. V. Ep. CVI.* quodque ab Epiſcopo Arelatenſi uſurpatum repetere & adminiſtrare debuit candidus Presbyter. *l. V. Ep. CX. & CLIII. ſeqq.* Patrimonium hoc *Collectæ* fuerunt pecuniarum, quas pietatis causâ Chriſtiani ſponte erogabant, partim alendis pauperibus, qui Romam undiquaque confluebant, partim aliis uſibus piis. Gregorius *lib. V. Ep. X.* vocat *Solidos quosdam.* Hanc ſpontaneam Collectam poſtea Gregorius VII. transformare voluit in onus, tanquam aliquod jus Sedi Romanæ debitum, ut obſervavit Edm. Richer. *Hiſt. Concil. Gen. c. IX. 6.*

§. V.

Epiſc. Arelat. Vicarius P. R.

Atque verum eſt à *Zoſimo* Papa Arelatenſem Epiſcopum Vicarium conſtitutum fuiſſe; ſed illud factum A. C. 417. aut ſequente, adeoque antequam regnum Francorum conſtitueretur, & contra decretum Concilii Tauritanenſis, ut docet Salmaſ. *c. XVI. de Prim. Pap.* Pelagius Papa deſitum novo Francorum Regno inſtituto Vicariatum renovavit quidem circa A. C. 556. ſed ſuſpectus

erat

erat *Pelagius* Hæreſeos Eutychianæ, ideoque ſcriptis literis ad omnes Eccleſias ſe excuſabat, etiam ad Regem Francorum Hildericum: eademque occaſione Epiſcopo Arelatenſi renovabat Vicariatum Sedis Romanæ, magis forte, ut his blanditiis eum deliniret, & per ipſum Eccleſiarum Franciæ favorem recuperaret, quam ut aliquem Juris effectum res haberet.

§. VI.

At vero utique Gregorius M. pallium & Vicariatus Diploma (pallium enim etiam aliis quibusdam Epiſcopis fuit datum, qui præteritis temporibus Pontifices fieri meruerunt, & ab Apoſtolica ſede conſtitit eſſe indultum. *Gregor. M. lib. XI. Ep. 58. Iſidor. Peluſiota l. 1. Ep. 136. Petr. de Marc. l. VII. c. XXIII.*) Vigilio, aliis Virgilio, Epiſcopo Arelatenſi transmiſit, *c. pallium. 5. diſt. 100.* qvumque Auguſtinus Anglorum Epiſcopus Vicariatum hunc ambiret in Galliis, excuſavit ſe Gregorius, in *Galliarum Epiſcopos*, inquiens, *nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædeceſſorum noſtrorum temporibus pallium Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopus accepit: quem nos privare auctoritate perceptâ minime debemus. Si ergo contingat, ut fraternitas tua ad Galliarum provincias transeat, & aliquid ex auctoritate agendum fuerit, qvum prædicto Arelatenſi Epiſcopo agatur, ne prætermitti poſſit hoc, quod antiqua patrum inſtitutio invenerit. cau. 25. q. 2. c. 3.* Confer. Steph. Baluz. *in ſupplem.* Petr. de Marca *lib. V. c. XXXVI. ſeq.* Et ipſe de Marca *diſſ. de Primat. §. 50. ſeqq.* ubi Vicariorum Romanæ Sedis munus olim in cura potius, quàm in Jurisdictione verſatum, atque perſonale fuiſſe beneficium docet, usque ad publicationem Epiſtolarum Pontificiarum, poſt hanc demum *Primatum* emerſiſſe nomen, & inſtitutio-

Pallii uſus.

Vicariat. perſonal.

Primatum origo.

tionem civitatibus jure perpetuo affixam fuiſſe, atque in conſeſſus prærogativâ & in Judiciis reddendis ſuper appellationibus à Metropolitanorum ſententiis, conſtitiſſe.

§. VII.

Gloſſa notatur.

Carol. Molinæus *ad can. cum pia. 9. cau. 25. q. 2.* qui ad eundem Arelatenſem Epiſcopum à Gregorio directus eſt, annotavit, *Papam hunc, Epiſcopum totius Galliæ Metropolitanum, etiam regibus inconſultis, & legatum ſeu Vicarium ſuum feciſſe, eique uſum pallii ſervitutis auctoramentum dediſſe. idque patere ex Ep. 53. c. 97. l. 4. & Ep. 53. c. 153. l. 5.* Quod Gloſſator *Regibus inconſultis* id factum dicit, falſum eſt. Ipſe Gregorius contrarium docet, & quod ad Childeberti regis, quem *præcellentiſſimum filium ſuum* vocat, petitionem conſtituit Vicarium *l. IV. Ep. XCV.* quam ad ipſum Vigilium dedit. itemque *Ep. XCVII.* qua Regi reſpondet, dicens: *Et quæ voluiſtis, animo libenti conceſſimus: atque ideo fratri noſtro Vigilio Arelatenſis Civitatis Epiſcopo, vices noſtras juxta antiquum morem & Excellentiæ veſtræ deſiderium, DEO favente, commiſimus, cui etiam & Pallii uſum, ſicut priſca habuit conſuetudo, conceſſimus.* Scripta fuit hæc Epiſtola Indictione XIII. A. C. 595. at mox h. e. Indictione prima A. C. 598. aut duobus, tribusve annis poſtea idem Gregorius ad preces Brunichildis matris Regis Childeberti, Epiſcopo Auguſtodunenſi Syagrio pallium miſit, & locum proximum poſt Lugdunenſem dedit, *l. VII. epiſt. CX. 7. cau. rationis. 7. & cau. in ea 4. Diſt. 110.* Et eum præfert Vigilio, *lib. VII. epiſt. CVIII.* Extat Epiſtola ad Brunichildem *l. VII. c. VI.* in qua ut & *l. 1. Epiſt XXVII.* fatetur ipſe, Pallii conceſſionem propriam eſſe Imperatorum, atque ſic ex horum demum ſive conceſſione ſpeciali

Conſenſ. Princip. in conceſſ. pallii.

ciali ſive generali indulta per Patriarcham Romanum exerceri. conf. *Petr. de Marca lib. 6. c. 6.*

§. IIX.

At liquet ex eadem Gregorii Epiſtola VI. l. VII. non omnes tum Eccleſias Franciæ & Germaniæ agnoviſſe Sedem Patriarchalem Romanam, unde eas ſchiſmaticas appellat Pontifex, quaſi verò ſeceſſio ante ſubjectionem fieri poſſit. ait: Is qui Pallium ipſum venerat accepturus, „ ſchiſmaticorum errore tenetur implicitus: Præterea „ hos quos ab unitate Eccleſiæ ſchiſmaticorum error diſ- „ ſociat, ad unitatem ſtudere concordiæ pro veſtra mer- „ cede revocare. Nam non ob aliud ignorantiæ ſuæ ha- „ ctenus cœcitate volvuntur, niſi ut Eccleſiaſticam fugi- „ ant diſciplinam, & perverſe habeant, ut voluerint, vi- „ vendi licentiam: quia nec quod defendant, nec quid ſe- „ quantur intelligunt. Nos autem Chalcedonenſem „ Synodum, de qua illi ſibi peſtiferæ nebulas excuſationis „ aſſumunt, per omnia veneramur & ſequimur, & ſi quis „ de fide ejus minuere aut addere aliquid præſumſerit, „ anathematizamus: Sed ita illos erroris labes imbibit, „ ut ignorantiæ ſuæ credentes, univerſalem Eccleſiam „ atque omnes quatuor Patriarchas non ratione, ſed ma- „ litioſa mente tantummodo refugiant, ita ut is, qui ad „ nos à veſtra excellentia miſſus eſt, cum quæreretur à „ nobis, cur univerſali Eccleſiæ ſeparatus exiſteret? ſe „ ignorare profeſſus ſit. Sed neque quid diceret, neque „ quid audiret, valuit ſcire.

Eccl. Fr. & G. non ſubjecta P. R.

§. IX.

Sed libertas Francica & Germanica erat, ob quam nulli Patriarchæ Romano ſubjectæ volebant eſſe Eccleſiæ ut ſatis conſtat ex actis Concilii Pontigonenſis ſub Carolo

Obedientia ſponſio improbata.

Calvo habiti. Conf. Petr. de Marca *l. VI c. VII.* in quo neceſſitatem accipiendi pallii, ut ſymbolum ſubjectionis, ad Bonifacium demum auctorem refert: hactenus enim Metropolitani nullâ alia lege tenebantur, quàm ut in conſecratione ſuâ Epiſcopis comprovincialibus *Confeſſionem fidei* ſuæ ederent & obſervationem canonum promitterent. Nulla *obedientiæ ſponſio* tum cognita, imò ab ipſa Sede Rom. improbata. Cum enim Anaſtaſius Epiſcopus Theſſalonicenſis ab Attico Epiſcopo ejusmodi ſponſionem exigeret, Leo I. Pontifex Rom. literis ad ipſum datis, *ſignum injuriæ* eâ re contineri aſſeruit. Porrò nullo obedientiæ & ſubjectionis vinculo exſiſtente, Eccleſiarum *Nationalium* & Synodi Romanæ atque Francicæ aut German. par *auctoritas* fuit, & ſeparata corpora. Quod & confirmat idem Archiepiſcopus *d. lib. VI. cap. XVII.* Nam illud quidem rem non conficit, quod etiam per Eccleſias Franciæ & Auſtraſiæ ſæpius preces à litigantibus in foro Epiſcopali ad Sedem Romanam fuerint directæ & Epiſcopi Rom. iſthac occaſione haud prætermiſsâ reſcripſerint, & jurisdictionis aliquam ſpeciem pedetentim uſurparint, id quidem factum arguit, non jus, niſi ſubmiſſio & paritio Eccleſiarum illarum & Regum Francorum conſenſus probetur. At id raro contigiſſe ex tota Gregorii Turonenſis Epiſcopi τῶ αὐτόπτε Hiſtoria conſtat.

Decretales Pontificũ.

§. X.

Epiſcopi Rom. Inſpectio communis in orthodoxiam & obſerv. Concil. Gen.

Planè in cauſis communibus, quæ unitatem & conformitatem formulæ Fidei ac Liturgiæ Sacræ concernunt, & decretorum in Conciliis Eccleſiæ generalibus manutenentiam & obſervationem, in his communem aliquam inſpectionem & jus per Canones Eccleſiæ etiam ſub Francorum

corum Regibus obtinuiſſe Patriarcham Romanum, negari nequit. *Briccius* Epiſcopus Turonenſis S. Martini ſucceſſor à populo remotus de Sede Epiſcopali, Romam petiit, cuncta quæ pertulerat, Papæ referens, unde ſeptimo anno regreſſus *cum auctoritate Papæ* illius, Turonos rediit, & mortuo ſuffecto , in cathedram ſuam regreſſus eſt. *Gregor. Turon. l. 2. c. 11.* Salonius Ebredunenſis, & Sagittarius Vapigenſis Epiſcopi, Synodo à Patriarcha Lugdunenſi coactâ juſſu Regis Guntheramni, depoſiti, opus habebant implorare *regem*, ut tribueret *licentiam*, ut ad Papam Urbis Romanæ accederent. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis Epiſtolis eos abire permiſit. Papa vera epiſtolas ad regem direxit, in quibus eos reſtitui voluit. Quod Rex quidem ſed non ſine præmiſſa caſtigatione conceſſit. *Gregor. Turon. l. V. c. XIX.* conf. M. A. *de Dom. 4. 9.* Eoque ſenſu *Luitprandus* Rex Gothorum in Italia *lib. 2. LL. Longob. t. VII. L. IV.* prohibens nuptias cum vidua conſobrini & ſobrini ait: *Hoc autem ideo adfiximus, quia* DEO *teſte Papa urbis Romanæ, qui in omni mundo caput Eccleſiarum* DEI *&* *ſacerdotum eſt, per ſuam epiſtolam nos adhortatus eſt, ut tale conjugium fieri nullatenus permitteremus.* Suſceperat Luitprandus ſceptrum A. C. 712. Etenim quod jus cuivis particularium Eccleſiarum Rectori competit, ut præter poteſtatem ordinis & jurisdictionis in ſua Eccleſia, gaudeat quoque poteſtate delegata cognoſcendi & ſtatuendi de publica interpretatione doctrinæ in capitibus dubiis & controverſis, de ceremoniis ad bonum ordinem in Eccleſia facientibus, denique de certis quibusdam caſibus inter membra Eccleſiæ aut totas communitates emergentibus; *Hulsmann. Brev. Theol. c. XVIII. 1.* idem jus neque Patriarchis, in Patriar- *Jus Epiſc. extra Diœceſin.*

triar-

triarchas etiam ipſos denegandum eſſe, rati fuerunt, quippe quibus cura unitatis Eccleſiaſticæ ab Eccleſia maxime fuerit commiſſa.

§. XI.

Admonitio fraterna mutua.

Haud nefas igitur fuit, quod qvum *Gregorius* de pallio flagitaretur, Eccleſias Franciæ utriusque admoneret de duobus Eccleſiæ *abuſibus*, Simonia & appetitione ſacerdotii à Laicis, excitans quoque Reges & Epiſcopos, ut Synodum cogerent. Sed non ut Dominus, verum ut Epiſcopus: Quibusdam, inquit, narrantibus agnovi, quod in Galliarum vel Germaniæ partibus nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi datione perveniat. Quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuncio, quia cum ſacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non potuit. Et poſt: Alia quoque res nobis eſt nunciata valde deteſtabilis &c. Qua de re neceſſe eſt, ut veſtra fraternitas præcellentiſſimum filium noſtrum Childebertum R. admonere ſtudeat, ut hujus peccati maculam à regno ſuo funditus repellat. „ Et ad regem ipſum ſcribens ſtylum ſic temperat: „Quæſumus ut poteſtatis veſtræ annuente cenſura modis omnibus emendetur. Hortamur, ut tam deteſtabile facinus regno ſuo Excellentia Veſtra prohiberi præcipiat. Hæc igitur Præcellentiſſime fili idcirco admoneo, quia animam veſtram ſalvari deſidero. Quæ etiam dudum ſcribere volui, ſi voluntatem meam imminere occupationes minime præpediſſent. At poſtquam congruum reſcribendi tempus ingeſſit, quod facere me oportuit, non omiſi.„ & quæ ſequuntur lectu haud indigna. adde & *Ep. CVIII. l. VII. & Ep. CVII. & ſeqq. l. IX. Ep. 49. l. XI. c. VIII. l. XII. Ep. XII.* quæ ſi utriusque ſucceſ-

ſores

ſores tam in ſacerdotio, quam in Imperio obſervaſſent, fortè & utriusque libertatem, & doctrinæ puritatem, ſchiſmate procul retinuiſſemus. Cæterum viciſſim ſi Eccleſiæ animadverterent abuſus in Sede Patriarchiali, & ipſæ fraterne admonebant eam, id quod in Pelagio ſine dubio contigit, qui ob id, ut §. V. tetigimus, ad Regem & Eccleſias Francorum ſeſe excuſavit.

§. XII.

Non poſſum non adſcribere notabilem Gregorii noſtri ſententiam de titulo *Univerſalis Papæ*, ex quo liquet, quantum mutati ab illo Hectore ſucceſſores, ita vero ille ad Eulogium Epiſc. Alexandrinum *l. I II. Ep. XXX.* non minori modeſtia, quam gravitate: *Indicare quoque veſtra Beatitudo ſtuduit, jam ſe quibusdam non ſcribere ſuperba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt; & mihi loquitur dicens: SICUT IUSSISTIS. quod verbum Juſſionis peto à meo auditu removere: quia ſcio, quis ſum: qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres. Non ergo juſſi: ſed quæ utilia viſa ſunt, indicare curavi. Non tamen invenio veſtram Beatitudinem hoc ipſum, quod memoriæ veſtræ intuli, perfecte retinere voluiſſe. Nam dixi nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere. Et ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui probibui direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum UNIVERSALEM me PAPAM dicentes imprimere curaſtis. Quod peto dulciſſima Sanctitas veſtra ultra non faciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus: nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt ut honor univerſalis eccleſiæ: meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego vere honoratus ſum, quum ſingulis quibusque honor*

Gregorii M. exemplũ.

Jubendi vox.

Tit. Univ. Papa.

debitus non negatur. Si enim univerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum. Sed abſit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, charitatem vulnerant. Et quidem in S. Chalcedonenſi Synodo, atque poſt à ſubſequentibus Patribus, hoc deceſſoribus meis oblatum veſtra ſanctitas novit: Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut, dum in hoc mundo honorem ſacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem DEUM cuſtodirent ſuum. Proinde debitum ſalutationis alloquium ſolvens, peto, ut in ſanctis orationibus veſtris mei memores eſſe dignemini, quatenus à peccatorum meorum nexibus, quia meis meritis non valeo, veſtris interceſſionibus me Dominus abſolvat. Scripta fuit hæc epiſtola Indict. I. A. C. 598. Cæteroquin de titulo *Oecumenici* non minus accurate, quam ſufficienter tractat Blondell. *de la primauté de l'Egliſe. p. 1073. ſeqq.* & de reliquis titulis Papæ Romani prolixe *p. 33. uſque ad 44. p. 1096. 1104. ſeqq. uſque ad p. 1175.*

§. XIII.

Teſtimonia orthodoxias publ. Pallium.

Denique, ut de Pallio hoc addamus, ſicuti hodie orthodoxias teſtimonia publica ab *Academiis & Facultatibus Theologicis* impetrantur & *graduum* quoque inſignia ob id conferuntur; quam poteſtatem tum ab Imperatore ipſo, tum à Pontifice Romano accepere: ita quoque idem Pontifex ex conceſſione Principum *jus Pallii* conferendi jam tum exercuit, veluti publicum orthodoxias teſtimonium. Apprimè hanc rem illuſtrant Geſta Aldrici Cenomanicæ urbis Epiſcopi: *Præfatus igitur Aldricus Epiſcopus tantæ fuit dignitatis & honoris amorisque ut usque ad Romanam Sedem ejus rumor pervenerit, eique Domnus Gregorius (IV.) Romanæ ſedis Eccleſiæ venerabilis Apoſtolicus*

Roma

Roma in pago Cenomanico ſuum veſtimentum ſacerdotale miſerit, illud ſcilicet veſtimentum, quo in Paſcha indutus fuerat. Miſit ei etiam baculum paſtorale, quod ferula nuncupatur, unà cum ſua epiſtola, vocans eum ut, ſi poſſibile foret, usquam ad eum perveniret, eique conceſſit ut qualemcunque petitionem & benedictionem à ſede S. Petri accipere vellet, aut per ſe ipſum aut per ſuum miſſum ei voluntariè & libenti animo mitteret atque concederet. Fuit ſcilicet pallium ipſius Pontificis Rom. paſchale, adeoque ſpecialis gratia, quâ deliniendus videbatur hic Epiſcopus & Conſiliarius Ludovici Pii Imp. quamquam de ejus acceptatione nihil ibi memoratur. Porrò *Johannes VIII.* Guliberto Agrippinenſi Epiſcopo reſcribit: *Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus, quàm oporteat, continere reperimus, qvum videlicet in ea nullam ſanctarum univerſalium Synodorum, in quibus fidei noſtræ ſymbolum continetur, nec decretalium Pontificum Rom. Conſtitutionum ſecundum morem feceris mentionem: ſed nec illam propria ſubſcriptione munieris, nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret, miſeris.* Quibus poſtea præſtitis pallium cum literis transmiſit, quas exhibet Baronius *ad A. C. 873. n. 2.* Sed illo tempore jam cœperat exactio obedientiæ & jurisjurandi, de qua Paſchalis II. *cap. ſignificaſti X. de Elect.* Edm. Richer. *Hiſt. Concil. General. cap. XIII. 4.*

CAPUT VII.

De

DE GRADIBVS POTENTIÆ S.R. ANTE CAROLVM M.

SUMMARIA.

Regnum Francorum diviſum, modò redunitum. Ejus Officiales. Major domus. Patriciatus. Comes Palatii: Stabuli, Conſtablus: Mareſchallus. Seneſcallus, qui Majori domûs ſucceſſit. Camerarius. Barones. Leudes. Dux. Lehmannus notat. Referendarii. Potentia Epiſcop. R. gradus ante Carolum M. Conſulatus Rom. Clodovæi: Caroli Martell. Patriciatus Rom. Clodovæi cautio in ſuſceptione Conſulatus R. Gregorii II. intentio.

§. I.

COnſtat Eccleſias Chriſtianas per Regnum Franciæ utriusque & ſpeciatim Auſtraſiæ atque Germaniæ, & unitate & libertate ſuâ ſibi ſic ſatis conſtitiſſe, præterquam, quod ſæpe malis moribus tum Regum, tum Antiſtitum, bellisque hinc civilibus, æque ac Respubl. conquaſſatæ fuerint. Has libertatis remoras qvum felix *Pipini* utriusque ac Caroli Martelli *Principatus* ultra ſeculi ſpatium fere removiſſet, eo amplior Eccleſiarum libertas & his principibus & horum tandem propagine feliciſſima, CAROLO MAGNO, imperante fuiſſe judicari poteſt. Erat Regnum Francorum in tria Regna inter poſteros Merovei & Clodovæi diviſum Auſtriæ, Neuſtriæ, & Burgundiæ. *Blondell. de la Primautè de l' Egliſe p. 680.* quæ partitio, ut fieri ſolet, maximas turbas Reip. dederat.

Regni Francorum diviſio.

Chlo-

Chlotarius tandem ſolus ſuperſtes A. C. 616. totius regni potitus Warnharium Majorē domus Burgundiæ, Radonē Majorem domus Auſtriæ, Pipinum Ducem Brabantiæ conſtituit, *Supplem. Greg. Turon. c. XLI. Annal. Friſ. ad A. C. 620.*

§. II.

Erant autem Majores Domus Regiæ in Regno Francorum inſtar Præfectorum Prætorio in Imperio Romanorum. *Præfectos Palatii* appellat Lupold. de Bebenb. *de J. Regn. c. XII. ubi Freber.* Sic Chilperici ni fallor Major Domus Badechiſilus, poſtea Epiſcopus Cenomannorum refertur à Gregorio Turon. *l. 6. c. 9.* Et idem Warnarius ſub R. Theodoberto fuerat Major domus Auſtriæ, & alius ejusdem nominis ſub R. Theodorico, *Suppl. Greg. Tur. c. XVIII.* Landericus Major domus & adulter Fredegundis uxoris Chilperici, *Adonis Chron. p. 177.* & plures alii. Poſt hanc dignitatem videtur fuiſſe Patriciatus, & ipſe antiquior Majoratu Domus. Guntheramnus R. cum Regni partem ſicut fratres ſui, obtinuiſſet, amoto Agrœcula Patricio, Celſum honore Patriciatus donavit, Juris lectione peritum, *Gregor. Turon. l. IV. c. XXIV.* Ejus ſucceſſor Pericius, quo infeliciter adverſus Longobardos pugnante, Ennius Mummolus, Patriciatus culmen meruit, *idem l. IV. c. XXXVI. l. V. c. XIII.* qui Præfectus appellatur *l. VII. c. XV.* erat quidem militiæ præfectus ſummus. Theodoricus R. præter Majorem domus Warnharium, Quolenum Patricium ordinavit, *Append. Turon. c. XVIII.* Guntheramnus R. Leugiſiſtum Patricium partibus Provinciæ ordinavit, quod filius Childeberti R. Theodobertus natus fuiſſe nunciaretur *ib. c. V.* Chlotarius R. præter duos Majores, quos diximus, habebat Alethieum Patri-

Officiales Maj. dom.

Patriciat.

cium, *ib. c. XLI.* Gregor. quoq; M. Papa meminit Patriciorũ Galliarũ. Dinamius patricius Galliar. miſerat Papæ reditus Gallicanos, ſolidos quadringentos, *l. 2. Ep. LXXII.* Arigiꝰ Patricius de Gallia, ei commendatur Candidus Presbyter qui Patrimonium Papæ in Gallia adminiſtrare debuerat, & ab Epiſcopo Arelatenſi repetere *l. V. Ep. CLIV. ſequentib.* Aſcelpidatus Patricius Gallorum memoratur *lib. XII c. XVII.* ſed & in Romano Imperio Patricii iidem tum qui *Exarchi.* Idem Gregorius Papa *l. 2. ep. XC.* meminit Priſci Patricii Orientis *l. 3. c. VII. & l. V. c. CLXI.* Patricii & Exarchi Italiæ: itemque Africæ. conf. *Gutb. de offic. D. A. l. 2. c. 19.*

§. III.

Comes Palatii.

Tertius dignitatis Aulicæ ordo erat penes *Comites Palatii* Regii Childebertus R. in Pictavos miſit deſcriptores ſeu Cenſores Florentianum Majorem Domus Regiæ, & Romulſum Palatii ſui Comitem, *Greg. Tur. l. IX. c. XXX.* Lites & cauſas minores aut pauperum & minus potentum dirimendi jus habebant regulariter, majores aut potentium non niſi juſſu Regis, ſeu vigore commiſſionis, *Capit. 77. l. 3. Eginh. vit. Carol. c.* XXIV. Erant autem duo vel plures eodem tempore, quod Bignonius *ad Marculph. pag. 914.* & Baluz. *ad d. c. 77. pag. 1187.* obſervarunt, quibus addo Evindicationem Ludovici Pii Imp. in Geſtis Aldrici, cui ſubſcripſerunt poſt Comites & Abbates, Fulco Vaſſus Dominicus & Comes Palatii. Ragenarius Vaſſus Dominicus & Comes Palatii. Alia dignitas erat apud Romanos Comitis S. Palatii, ſive Caſtrenſis *t. C. de off. Com. S. Palatii. vid. Jac. Goth. Not. Dignit. C. Th.*

§. IV.

Comes ſtabuli.

Comes ſtabuli, ſeu Comeſtablus, ut vocatur *App. Greg. Tur. c. XXX.* poſtea dictus Conſtablus & Conſtabularius, i. e. Magiſter ſtabuli, *Voſſ. de Vit. Serm. l. 3. c. 6.* etiam ampliori

priori ſignificatione, ut teſtatur *Marſilius Patavin. P. 1. Defenſ. Pac. c. 9.* dicens: *Vocatur autem officium hoc in Communitatibus modernis Capitaneatus aut Conteſtabiliaria.* Vocatus etiam fuit Mareſcallus, *Voſſ. de Vit. Serm. l. 2. c. 12. & 17.* Magnæ dignitatis fuit & *Seneſcallus* ſive *Dapifer*, aut princeps coquorum, de quo Hincmarus *Epiſt. 3. c. 23. Quæ videlicet cura, quanquam ad Buticularium vel ad Comitem ſtabuli pertineret, maxima tamen cura ad Seneſcallum reſpiciebat, eo quod omnia cætera, præter potus vel victus caballorum, ad eundem Seneſcallum reſpicerent.* quæ minus rectè intellexit Voſſius *d. c. 17.* potus enim cura non ad eundem, ſed ad Buticularium, & victus caballorum ad Comitem ſtabuli pertinebat. *Buticularius* verò erat *Pincerna.* Hinc Galliis hodieque *Bouteillerie*, Italis *Bottigliaria*, Kellerey/ *Bouteille* Gallis eine Flaſche. Cæterum *Seniſcalli* nomen à *ſente* ſive *ſennete* deducit P. Pithæus *Gloſſar. L. Salica*, quo in LL. Ripuariorum & Angliorum *Armenta* ſignificantur. Dicitur quoque *Præpoſitus Menſæ Regis.* Hunc in locum Majoris domûs ſucceſſiſſe, obſervatum eſt. *Bignon. ad Marculph. p. 912.* Camerarius hos ſequebatur. Ludovici VI. Regis diploma donationis ad S. Dionyſium: *Præſentibus ex palatio noſtro quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. S. Ancelli tunc temporis Dapiferi noſtri. S. Giliberti Buticularii. S. Hugonis Conſtabularii. S. Widonis Camerarii. Stephanus Cancellarius relegendo ſubſcripſit. Anno M. C. XII.* Conſiſtorio Eccleſiaſtico præerat Apocriſiarius & Archivo *Cancellarius.* Capellani vox etiam hic uſurpata: *Capella* enim Archivum notabat, ut obſervavit *P. Lambecius Biblioth. Vindobon. l. 2. p. 323.* Et videtur in hac ſignificatione uſurpari hæc vox in Vita B. Geraldi Archiepiſcopi Bracarenſis §. *XIV. in lib. III. Miſcellan. St. Baluzii.*

Mareſcallus.

At-

Atque hæc erant officia Palatinorum majorum præcipua.

§. V.

Duces Comit. Bar. Diverſæ ab his fuerunt dignitates Provinciales Ducum, Comitumque & reliquorum Dominorum ſive ordinum, qui communi *Procerum*, *Baronumque* vocabulo veniebant, & *Leudum* aut Vaſſorum. App. Gregorii Tur. c. XLI. *Burgundiæ Barones vero tam Epiſcopi quam cæteri Leudes Warnarii conſilium inientes tractabant, ut neque unus ex filiis Theodorici evaderet.* Et c. LIV. *Eo anno Clotharius cum Proceribus & Leudibus Burgundiæ Trecaſinis conjungitur, cum eos ſollicitaſſet, ſi vellent mortuo jam Warnbario alium in ejus honoris gradum ſublimare. Sed omnes unanimiter denegantes, ſe nequaquam velle Majorem domus eligere, Regis gratiam obnixe petentes cum Rege tranſigere.* Ducis tamen nomen etiam Palatinæ fuit dignitatis quandoque. Stephanus Abbas Leodienſis in vita B. Modoaldi: *Eâ tempeſtate Dagobertus rerum potiebatur: ſub quo idem Dux, dignitate modicùm à ſublimitate regia differente præditus, omnia regni negotia prudentiſſima diſpoſitione ordinabat.* P. Pithæus *Gloſſar. ad libros Capitularium.*

§. VI.

Sed hæc ſufficiant, nec plane aliena ab hoc argumento, id quod deinceps patebit. Et liquet jam exinde, *Pipinum* non fuiſſe primum, qui Major domûs appellatus, ut habet *Calviſ. ad A. C. 625.* Deinde etiam iſtud, Majoris domûs & Comitis Palatii non fuiſſe eandem functionem, ut viſum fortè Lehmanno *Chron. Spir. l. 2. c. IX.* *Referendarius quis?* Denique *dubitari poteſt, Referendarium* tum temporis fuiſſe Principem Majorum Palatinorum, quem hodie vocamus

mus *Archicancellarium*, quod non modò idem Lehmannus *l. 2. c. VII.* ſed & Hieron. Bignonius *Not. ad Marculph. pag. 912.* aſſerit. Meminit Gregorius Turon. Referendarii *Marci*, Chilperici R. deſcriptiones novas & graves in omni regno agentis *lib. V. c. XXVIII.* quarum tabulas Rex & Regina, ex morſu conſcientiæ in ignem projecerunt, *c. XXXIV.* & ipſe tandem Marcus, poſt congregatos de iniquis deſcriptionibus theſauros, ſubito lateris dolore detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens Spiritum exhalavit, resque ejus fiſco conlatæ ſunt, *l. VI. c. XXVIII.* Deinde *Flavii* Referendarii Guntheramni R. qui Agrœculæ Cabillonenſi Epiſcopo ſucceſſit *l. V. c. XLV.* Denique Vrſinici, qui quondam Referendarius Vltrogothæ Reginæ fuerat, poſtea Cadurcenſis Epiſcopus electus *l. V. c. XLII.* Sed nullibi apparet, ex quo Principis miniſtrorum Aulicorum munus Referendarii fuiſſe judicari poſſit. Contrarium inde colligo, quod & plures fuerint ſimul Referendarii, & Reginæ etiam habuerint ſuos referendarios. Verius igitur videtur Referendarii munus in Regno Francorum tum fuiſſe *Fiſcale*. Id quod etiam *Aimoinus l. IV. c. XLI.* docet: *Referendarius ideo eſt dictus, quod ad eum univerſæ PVBLICÆ deferrentur CONSCRIPTIONES, ipſeque eas annulo Regis, ſive ab eo ſigillo ſibi commiſſo muniret ſeu firmaret.* Conſcriptiones vocat, quas Gregorius deſcriptiones ἀπογραφὰς, cenſus; Logoriſtas vocarunt CPolitani, quorum munus qvum ſit omnia in rationes referri curare inde Referendarii dicti. Sed ad rem.

§. VII.

Gradus potentiæ Epiſcopi Rom. ante Carol. M.

Diximus antea, Epiſcopum Romanum exiſtimaſſe utique curæ ſuæ eſſe, ut orthodoxia & diſciplina canonica

per Eccleſiam Occidentis, & in Francia quoque & Auſtraſia obſervaretur: atque actus etiam hanc in rem ibi exercuiſſe, non dubito. Imperium autem aliquod, aut Principatum, multo minus tyrannidem ab anteceſſoribus ſuis affectatum, pernegat Gregorius ille Magnus, qui ob id nec titulum *Oecumenici* admittere voluit. At deſcivit ab hac abſtinentia, & ſanctitate Bonifacius III. qui A.C. 606. juſſu Phocæ non Imp. ſed tyranni, ſynodo coactâ promulgavit decretum: *Non Patriarcham CPolitanum, qui titulum hunc jam multis annis obtinere conatus fuerat, ſed Romanum Pontificem dicendum OECVMENICVM.* Ado *Chron. A. C. 604. Phocas rogante Bonifacio ſtatuit ſedem Romanam caput eſſe omnium Eccleſiarum, quia CPolitana Eccleſia primum ſe omnium ſcribebat.* Cui acceſſit A. C. 684. quod Conſtantinus Imp. confirmans Benedictum II. Papam remitteret Clero Romano neceſſitatem *impetrandæ Confirmationis* deinceps: Exarchi tamen Poteſtas adhuc interceſſit, ut ex Sergii electione ſatis apparet.

1. Tit. Occ.

2. Remiſſio Confirm.

§. VIII.

Denique qvum Leo Iſauricus Imp. A. C. 725. Edictum de imaginibus demoliendis promulgaret, & contradicenti *Gregorio II. Papa* vi obtrudere conaretur, hic arrepta occaſione fidem atque *obedientiam Imperatori renunciavit* non tantum, ſed etiam tributa Imperatoris per Italiam inhibuit, & Longobardorum amicitiam ambiit, qua occaſione hi Ravennam, & alias Imperatoris ditiones invaſerunt, & præterea legatos ad *Carolum Martellum* miſit, fœdus faciens ad Romam defendendam, ſed & imperatorem excommunicavit, atque obedientia totius Italiæ, & occidentis imperio orbare ſategit. *M. A. Marcell. de Jur. ſec. R. Pont. c. XI.* Petrus de Marca *l. III. c. XI.* non à Gregorio

3. Renunciat. obedient.

gorio II. ſed à ſucceſſore excommunicationem eſſe factam, eamque ſolum inter cæteros, haud nominatim aſſerit. Anaſtaſius: *Anathemati Paulum Exarchum vel qui eum direxerat, ejusque conſentaneos, ſubmittunt, ſpernentes ordinationem ejus, ſibi omnes utique in Italia duces elegerunt, atque ſic de Pontificis, deque ſua immunitate cuncti ſtudebant.*

§. IX.

De iſta Pontificis Legatione ad Francos *Continuator* Gregor. Turon. *c. ult.* hæc refert: *Eo tempore bis à Roma, ſede S. Petri Apoſtoli beatus Papa Gregorius claves venerandi ſepulchri, cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis & infinitis legatione, quod antea nullis auditis aut viſis temporibus fuit, memorato Principi deſtinavit. Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum Conſulatum præfato Principi Carolo ſanciret. Ipſe itaque Princeps mirifico ac magnifico honore ipſam legationem recepit, munera pretioſa contulit, atque cum magnis præmiis cum ſuis ſodalibus miſſis Grimonem Abbatem Corbenſis Monaſterii, & Sygebertum recluſum Baſilicæ S. Dionyſii Martyris Romam ad limina S. Petri & S. Pauli deſtinavit.* Ait, Romanum Conſulatum Carolo fuiſſe à Papa ſancitum. 4. *Fœd. cum Francis.*

§. X.

Simile jam tum de Chlodoveo Rege Gregor. Turonenſ. *l. 2. c.* XXXIIX. refert: *Igitur ab Anaſtaſio Imp. codicillos de Conſulatu accepit, & in Baſilica B. Martini tunica blatea indutus eſt, & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc adſcenſo equo aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii, & Eccleſiam Civitatis eſt, præſentibus populis manu propria ſpargens, voluntate benigniſſima erogavit, & ab ea die tanquam CONSVL & AVGVSTVS* *Conſulatus Chlodovæi.*

eſt vocitatus. conf. Adon. *Chron. p. 169.* Hunc Conſulatum index capitum de Patriciatu interpretatur, quod verius, quam de nudis triumphi inſignibus, ut vult *Calviſius ad A. C. 508.* Inter decretos Principi Romano Honores à S. P. Q. R. etiam erat Conſulatus, itemque Proconſulare imperium, *Guther. de O. D. A. l. 1. c. XII. XL. ſeqq.* Sed & Opilium Macrinum, delato à militibus Imperio, in Patricios allegavit Senatus, teſte Capitolino. Idque unum de Patriciatu Imperatori collato exemplum putat Gutherius. Sed de *Patriciis* antiquis, qui *novis hominibus* & familiis *plebejis* opponuntur loqui Capitolinum, patet, & Patriciatum de quo quæritur, à Conſtantino M. poſtea inventum fuiſſe conſtat, qui Conſulatui additus, omnes omnino dignitates præcedebat *Guth. c. XI. & l. 2. c. XIX.* Anaſtaſius igitur Imp. voluit Chlodovæo R. Francorum dignitatem Conſularem, h. e. ſummam poſt imperatoriam, offerre, & eo ipſo amicitiam cum illo contrahere, dignam Imperio Rom. h. e. inæqualem, & qua Imperium Regum Francorum in Galliis quaſi proconſulare atque ab Imperatoribus Rom. dependens intelligeretur. At Chlodovæus rem ipſam arripiens, titulum ita interpretatus fuit, ut dependentiam agnoſceret nullam, nomine A V G V S T I eum in finem adjecto.

Patriciatꝰ.

Francorum cautio.

§. XI.

Gregorii II. intentio.

Enim vero Gregorius II. excuſſo Imperatoris jugo ſummam Imperii poteſtatem Romæ, & per Italiam Imperatoriam non jure, ſed reipſa & effectu exercebat, immane quantum mutatus à primo & M. Gregorio! Equidem Anaſtaſius de illo narrat: *Cognita Imperatoris nequitia omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem & CPolim ducerent. Sed compeſcuit tale conſilium*

Ponti-

Pontifex ſperans converſionem Principis. Et infra: *Ne deſiſterent ab amore vel fide Rom. Imperii admonebat.* Verum res ipſa edocuit, cauſam hujus rei non fuiſſe ſpem converſionis, & amorem Imperatoris, ſed ambitum ipſius Imperii per mediatores Francos. Nam ut Petrus de Marca *l. III. c. XI. 2.* judicat, ea erat ſummi Pontificis *auctoritas*, ut illi in ducis creandi negotio licuerit, quod libuerit. Cæterum ſi de ordinario jure agatur, ea omnia à ſenatu P. Q. R. peracta ſunt. Nullum enim *imperium* in Italia vel in Romana Provincia exercebat R. P. Verum tanta ejus erat apud *omnes reverentia*, ut difficiliores Principum controverſias componeret, & Bellorum Paciſque momenta temperaret. Non diffitetur Gregorius II. *in Ep. 1. ad Leonem Imp.* Pontificis ſolium Romæ eo conſilio conſtitutum, ut pacem orientis, & occidentis conciliet, ſeque medium veluti parietem quendam intergerinum Principum colliſionibus interponat. Vniverſum occidentem oculos ad ſe converſos habere, & ab omnibus Occidentis regnis B. Petrum Θεὸν ἐπίγειον terreni cujusdam Dei loco haberi.

§. XII.

Itaque tum ad hanc auctoritatem ſtabiliendam, tum ad acquirendam etiam potentiam ac vim Imperii & Longobardorum, & cumprimis Francorum, quibus iſti ferè tributarii amicitiam ac defenſionem affectabat Gregorius. Igitur *Conſulatum Romanum* offerens Carolo, *Caroli Martelli Conſulatus.* Majori Domûs, non tam id intendebat, ut confirmaret Reges Francorum in Poſſeſſione Galliarum: id fecerat jam tum Anaſtaſius Imp. ſed ut *Principem Senatus Romani* Carolum declararet, dignitate ac poteſtate ſumma *in urbem & partem Italiæ* per S. P. Q. R. collatâ, proxima tamen

men ab Imperatoria, utpote, quam vel ſibi Pontifex reſervari cupiebat, vel Imperatori CPolitano, ſaltem titulotenus. Certe in fine Epiſtolæ XIV. ad Bonifacium, Leonem & Conſtantinum Imperatores appellat. At mortuo poſt quadriennium Gregorii II. Succeſſore III. ejus nominis, Sedes Romana ad obedientiam Imperatori Romano debitam regreſſa, precibus inſtitit, pro reſtituendis Imaginibus, tandemque eodem anno & Imp. & Papa defuncti, quorum ſucceſſores ita ſibi invicem conciliati, ut Conſtantinus Imp. vocato Legato Zachariæ Papæ, D. Petro aliquot prædia donaret A. C. 743. Atque ſic gradum aliquamdiu ſtitit, & ſedis Rom. & Francorum potentia.

Caput VIII.

De ECCLESIIS GERMANIÆ TEMPORE BONIFACII CONDITIS.

Eccleſia Friſiorum. Primus Archiepiſcopus in Germania. Epiſcopus Ultrajectinus. In Novis Archiepiſcopatibus ſedi R. ordinatio conceſſa. Eccleſia Wurzburgi Franconiæ. S. Kilianus, Wilibaldus. Eccleſia Weſtphalica: Verdenſis. Bonifacius Archiepiſcopus & primus Vicarius Papæ. AltSaxones qui? Holſatorum nomen. Monaſterium Ordurfenſe in Thuringia. Dependentia Bonifacii à S. R. ſine opinione infallibilitatis. can. ſi Papa. 6. diſt. 40. itemque ſalvo jure Majeſtatis circa ſacra. Concilium I. Carolomanni Ducis Germaniæ. Concilium II. Liptinenſe

Leptinæ,

Leptinæ Concilium III. Moguntia prima Metropolis in Germania à Carlom. Vicariatus Rom. per Germaniam ceſſat morte Bonifacii; ſed mox ejus effectus varii, in libertatis præjudicium.

§. I.

INterea Eccleſiæ Chriſtianæ in Germania ampliora per *Eccleſia Fri-*
Francos jacta fundamenta. Pipinus Caroli Martelli *ſiorum.*
Pater, & Major domus per univerſam Franciam, Rege
Friſiorum Rabdoo victo A. C. 692. *Willibrordum* Anglum,
qui ante biennium ex patria in Germaniam cum XI. ſociis,
Trajectum ad Rhenum venerat, auctoritate publica ad
docendam religionem Chriſtianam miſit, & oratorium
Trajecti fecit ædificari, mox & templum S. Cæciliæ. Etſi *Vltraject.*
enim jamtum Dagoberti R. tempore Eccleſia Vltrajecti
fuit, Eccleſiæ Colonienſi incorporata; Paganiſmo tamen
rurſus prævalente, diruta & à Willibrordo demum reſtaurata. Atque qvum *Epiſcopatus* Vltrajectenſis inſti-
tutus eſſet, Willibrordus à Pipino Romam miſſus *Archie- Ordinatio*
piſcopus Friſiorum à Sergi[illegible] ordinatur & *Clemens* ap- *Papa.*
pellatur. *Ado Chron. A.* [illegible]. *&* *Beda.* Etſi enim Metropoles in Belgio & Germania minore, Moguntia, Treveris & Colonia Epiſcopos habebant, jura tamen Metropolitanorum aut Archiepiſcoporum ſub imperio Francorum nondum obtinuerant hoc tempore. Etſi Guil. Beveregius Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter *in Codice Canonum Eccleſiæ Primitivæ lib. 2. cap. V. §. XVIII.* tradit: *Civitas,* inquiens, *quæ à prima Eccleſiæ cujusvis, fundatione Metropolis fuit, eundem in Eccleſiæ Notitiâ honorem, etiamſi Imperii Metropolis eſſe deſinat, plerumque retinere ſolet, & ex Canonum Eccleſiaſticorum præſcripto ſemper retinere debet.* Intendit canonem XII. concilii Chalcedonenſis. Qua

in

in re conſilium Pipini veriſimile eſt fuiſſe, non, ut plus juris ſedi Romanæ in has Eccleſias Friſiorum tribueret, quam in reliquis imperio Francorum ſubjectis Eccleſiis illa haberet, ſed imò, ut novæ Eccleſiæ in noviter quæſita Provincia eo majorem auctoritatem inter recens converſos populos conciliaret, ſi à Papa Rom. potius, quam ab Epiſcopis Auſtraſiæ ordinari faceret Epiſcopum.

§. II.

Cum igitur hic primus in Germania Archiepiſcopus conſtitutus eſſet, itaque & hæc altera ratio accedebat, quâ novum Archiepiſcopatum inſtitui, in Eccleſia occidentali, absque Patriarchæ Occidentalis conſenſu atque conſecratione, Palliique conceſſione ſolenni, minus decorum Pipino videbatur. Unde qvum *Eccleſiæ Bulgarorum* ſibi Patriarcham, ſive Archiepiſcopum vellent conſtitui, *Nicolaus Papa c. 73.* ipſis reſpondit: *Scitote, quin in loco ubi nunquam Patriarcha vel ArchiEpiſcopus conſtitutus eſt, à majori eſt primitus inſtituendus, quoniam ſecundum Apoſtolum: minus à majori benedicitur. Deinde vero accepta licentia, & pallii uſu ordinat ipſe ſibi deinceps Epiſcopos, qui ſucceſſorem ſuum valeant ordinare. Vos tamen ſive Patriarcham, ſive Archipieſcopum vobis ordinari poſtuletis, à nemine nunc velle congruentius, quam à Pontifice ſedis B. Petri, à quo & Epiſcopatus & Apoſtolatus ſumſit initium, hunc ordinari valetis.* Cæterum Friſiorum Archiepiſcopus mox Wilibaldum, S. Walpurgis fratrem in Franciam Orientalem miſit ad prædicandum Evangelium, interfecto à Gaila, Gosberti Ducis uxore pariter & fratris filia, S. Kiliano A. C. 789. in vetuſtiſſimo Germaniæ opido Wurzburgi Eccleſiam conſtituente.

Ecclеſ. Wurzburg.

§. III.

§. III.

Suidbertus, & ipſe Anglus, Bructuarios & Weſtphalos eodem tempore religionem Chriſtianam docere aniſus fuit, & qvum ſibi aliquid profeciſſe videretur, abiens in Angliam, ab Epiſcopo Merciorum ordinatus fuit Epiſcopus Weſtphalorum A. C. 695. Sed qvum Saxones Brunone duce converſos per Suibertum Chriſtianos perſequerentur, nec doctori locum relinquerent propagandi religionem, Coloniam iſte rediit ad Pipinium, anno 708. nec deſtitit tamen ceſſantibus turbis ad ſuos redire, & Eccleſiam Chriſto ex Bructuariis & Saxonibus colligere, quo in munere etiam tandem A. C. 717. in Cœnobio ſuo *Verdenſi* obiit. *Eccleſ. Weſtphal. & Saxon.*

§. IV.

Cum igitur Trajecti ad Rhenum doctrina Evangelii in Germaniam Magnam jubare coruſcaret illuſtri, inter alios etiam *Vinofridus* ſtudio religionis ex Anglia eo trajecit, & Willibrordi Archiepiſcopi doctrinâ ab A. C. 704. per annos XIIJ. fuit uſus. Is poſtea à Papa Romano Gregorio II. primum per literas excitatus, ut religionem Chriſtianam in Germania Magna propagaret, nomine *Bonifacii* indito. deinde Romam evocatus *Archiepiſcopus* aut verius *Vicarius ſedis Rom. per Germaniam*, novo exemplo, conſtitutus, novâque jurisjurandi formulâ ad obedientiam & ſubjectionem ſedi Romanæ obſtrictus fuit, Caroloque Martello commendatus, ut & Epiſcopis & Principibus Germaniæ; inprimis vero ad Thuringos, & *AltSaxones* docendos atque pariter ſedi Romanæ ſubmittendos literis inſtructus fuit. A. C. 723. *Bonif. Archiepiſcop. Germaniæ*

V.

AltSaxones quod obiter obſervo, vocari putat eum *AltSaxon.*

Baronio Calviſius, quod qui ex his propagati erant in Angliam, etiam adhuc Saxones vocarentur. *D. Eyben Diſquiſ. de titulo Nobilis* §. *VII. in Not.* Mihi ſimpliciter videntur Saxones trans *Albim*, vicini Thuringis intelligi; vetus enim Saxonia ab Albi verſus Septentrionem, ad Oceanum protenſa, *Thuringia vero usque ad Albim*, quæ poſtea à Saxonibus occupata diſcrimen dedit *Saxoniæ Veteris & novæ*, & neſcio an vox *Holſatorum* veteres Saxones innuat? Cæterum rem ipſam *Sifridus* Presb. Miſn. l. 1. de Erinfrido Rege Thuringorum ita refert: *Saxones tum* (tempore Anaſtaſii Imp.) *nondum poſſederunt illam provinciam, quæ nunc Saxonia dicitur, terraque Turingia tunc ad fluvium Albim terminabatur, in iis metis, quibus nunc Magdeburga Metropolis eſt conſtructa, quæ nondum erat civitas: & Saxones nec dum fidem Chriſtianam receperunt, nec baptisma, eratque tunc Turingia terra ſpacioſa, quæ à natione Francorum protendebatur usque ad Oceanum, contra Septentrionem.* Et mox relato bello inter Theodoricum R. Francorum, & Erinfridum ducem Turingorum, *Saxones*, inquit, ſocii ſcilicet Francorum, *irruentes in civitatem*
A. C. 524. Schidingen, *Regem* Francorum, qui ipſis invitis pacem feciſſet, *& Ducem Thuringorum cum univerſo populo, qui in civitate repertus fuerat, occiderunt. Deinde in reliquum vulgus Turingorum ſævientes, quicquid maſculini ſexus inter fluvios Albim & Vngeſtrute proſtraverunt, & ſic illas partes Thuringiæ usque in hodiernum diem Saxones poſſederunt.* Witichindus *lib. I.* ait, Saxones diviſos fuiſſe in orientales, Angarios atque Weſtvalos. Capitulare Saxonum, anno 797. à Carolo M. ſancitum tres pagos vocat, Weſtfalahos Angrarios & Oſtfalahos. Orientales itaque *veteres* Saxones hic vocari arbitror, qvum jam antea Weſtphalis Epiſcopus conſtitutus eſſet.

§. VI.

§. VI.

Sed ad rem. Bonifacius licet Pontificis Rom. literis inſtructus, non tamen negotium ſuum aggreſſus eſt, niſi poſtquam à Carolo Martello conceſſionem & literas ſecuritatis impetravit, itaque per Heſſos in *Thuringiam* perrexit, & in pago Ordurff, opido hodie ad Sylvam Thuringiacam ſito, Monaſterium ad S. Michaelem exſtruxit, ac poſtea multas Eccleſias inſtituit. Hic igitur Germaniæ Archiepiſcopus, *& Sedis Romanæ* Vicarius conſtitutus & ſingulari homagii ſpecie obſtrictus, non potuit non ab eadem in commiſſo ſibi officio *dependere;* Id quod tamen ea ratione factum licet obſervare, ut neque *auctoritatem Regum* atque Principum Francorum, in quorum Provinciis Eccleſias ordinaret, excluderet, neque *infallibiles* crederet reſponſiones Romanæ Sedis, quoties eam in rebus arduis conſuleret. Quorum poſterius hinc pateſcit. Etenim cum quis *filium adoptaſſet*, & poſtea ejus *matrem* viduam factam *uxorem duxiſſet*, quæſitum: An conjugium hoc diſſolvendum? affirmabat hoc ſedes Romana, & capite inſuper virum plectendum cenſebat: Bonifacius tamen de hac deciſione dubitans, Epiſcopos *Anglicanos* conſulebat, ut eſt ap. Baron. A. C. 734. Clariùs Deusdedit, Ivo, & Gratianus quoque, licet mutilatè, ſententiam Bonifacii de fallibilitate Pontificis Rom. prodiderunt, ut conſtat ex *can. ſi Papa 6. Diſt. XL.* ubi etſi maximam poteſtatem huic ſedi tribuit, adeò ut videatur eam planè ἀνυπεύθυνον & ἀκατάκριτον judicare, dum ait: *Hujus culpas iſthic* (Romæ) *redarguere præſumit mortalium nullus: quia cunctos ipſe judicaturus, à nemine eſt judicandus:* fatetur tamen *Papam poſſe ſuæ & fraternæ ſalutis negligentem, inutilem, remiſſum in operibus ſuis, à bono taciturnum deprehendi; innume-*

Bonifacius

Monaſt. Ordurff.

Depend. Bonif. à S. R.

Sine opin. infallibil.

numerabiles populos catervatim ſecum ducere primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturos. Atque quod ejus culpas dicit neminem Romæ redarguere audere, id non de jure, ſed de facto facilius ad mentem Bonifacii intelligitur ex modò recitatis, ita ut adjecta ratio, *quia cunctos ipſe judicaturus à nemine eſt judicandus*, textui & ſententiæ usque adeò non congruere & *gloſſema* recentiorum temporum eſſe videatur. Quidquid ſit, etiam hoc adjicitur: *deprehendi poſſe Papam etiam à Fide devium*, atque eatenus *judicandum* omninò eſſe.

§. VII.

Et ſalvo jure maj. circa ſacra.

Alterum vero vel exinde conſtat, quod Carolomannus *in Receſſu Synodi Germanicæ A. C. 742.* qui à Benedicto Levita præfixus eſt *l. V. Capitularium* Carolinorum, Bonifacium quidem pro *miſſo S. Petri* agnoſcit, ſed ſimul asſerit, *ſe conſtituiſſe eum Archiepiſcopum ſuper Epiſcopos Germaniæ per conſilium ſacerdotum & Optimatum ſuorum per Civitates ordinatos.* Habita fuit iſta Synodus XI. Kalend. Majas in Germania, cujus locus non proditus ita autem infit: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti; Ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab incarnatione Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, XI. Kal. Majas, cum conſilio ſervorum DEI, & optimatum meorum Epiſcopos, qui in regno meo ſunt cum presbyteris ad concilium & Synodum pro timore Chriſti congregavi: id eſt, Bonifacium Archiepiſcopum & Burchardum, & Regenfridum, & Wintanum, & Wilbaldum, & Datanum & Eddanum, ac reliquos Epiſcopos cum Presbyteris eorum, ut mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei & Eccleſiaſtica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum diſſipata corruit, & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ pervenire poſſit, & per*

falſos

falſos ſacerdotes deceptus non pereat. Itaque per conſilium ſacerdotum & optimatum meorum ordinavimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt Miſſus Sancti Petri. Statuimusque per annos ſingulos Synodum congregare, ut nobis præſentibus canonum decreta, & Eccleſiæ jura reſtaurarentur, & religio Chriſtiana emendaretur. Fraudatas pecunias Eccleſiarum eccleſiis reſtituimus, & reddidimus, falſos verò Presbyteros & adulteros, vel fornicatores diaconos & clericos de pecuniis Eccleſiarum abſtulimus, & degradavimus & ad pœnitentiam coëgimus.

§. IIX.

Anno ſequente alia eſt ſecuta ad Liptinas Kal. Martiis, qui locus palatium Regium fuit ſitus inter Procaſpidem ſuper Moſam & inter Monaſterium, hodie civitatem, S. Quintini, adeoque in Pago Cameracenſi, ut ex Aimoini lib. V. c. 25. apparet, & Sirmondus aliique obſervarunt; & ſic non eſt in Gallia, ſed in Germania inferiori ad fines Galliæ, atque cum etiam *Liſtinæ* vocetur, videtur eſſe locus *Lesdain* prope Crevecœur & Vinchy in Cambreſio. Hic omnes Epiſcopi & Comites & præfecti, prioris ſynodi decreta obſervaturos ſe promiſerunt. Et obſervatu dignum, quod ne minima mentio fiat in utraque ullius juſſionis Romanæ aut commonitionis, ut quidem id præ ſe fert *Epiſtola Zachariæ Papæ*, ſynodum & relationem Bonifacii ſeqvuta. Nec veriſimile id eſt, qvum in fine anni 741. Gregorius III. obiiſſet, & Succeſſor vix dum electus eſſet. Petrus de Marca *lib. VI. de C. S. & J. cap. XXIV.* § 2 ait: *Exiſtimari poſſet, Bonifacio Pontificiâ preceptione fulto competiviſſe auctoritatem congregandi concilii Epiſcoporum Galliæ. Verum ætatis illius politia aliud obtinebat, quæ nihil de jure*

Synod. Liptin.

Regio detrahi patiebatur in gratiam Eccleſiæ Romanæ, cui ſatis concedi videbatur, ſi legatus concilium celebraret cum Epiſcopis.

§. IX.

Cæterum quod in illa Epiſtola Zacharias Papa Synodum illam etiam *Pipino* adſcribit, & eum Carolomanno majori natu, quique ſolus dux erat Germaniæ, præpoſuit, ſed & eandem ad univerſos Epiſcopos per *Gallias* & Francorum Provincias inſcripſit, qvum tamen ad illos non pertineat hæc Germanica Synodus, nec verba ſequentia iisdem conveniant, ſcribentis: *Obſecro enim vos omnes, coram DEO, ut ejus commonitionibus firmiter obediatis. Ipſum enim vice noſtra in partibus illis ad prædicandum conſtitutum habemus, ut vos DEO propitio ad viam perducat rectitudinis.* Iſtud quidem non ita habendum eſt, quaſi à Pipino potius, quàm à Carolomanno, aut ab utroque hæc Synodus habita; ſed quod Pontifex hoc demum anno ad literas Bonifacii etiam *Vicariatum per Galliam* ipſi contulerit. Ita enim Epiſtolâ CXLIII. *Nos ea quæ tibi largitus eſt deceſſor & prædeceſſor noſter, non minuimus, ſed augemus, & non ſolum Bajoariam, ſed omnem Galliarum provinciam, donec te divina juſſerit ſupereſſe Majeſtas, noſtrâ vice per prædicationem tibi injunctam, quæ repereris contra Chriſtianam religionem vel canonum inſtituta, ſpiritualiter ſtudeas normâ rectitudinis reformare.* Miſſus itaque hactenus erat ſeu Vicarius Papæ non ad Gallicanas Eccleſias, jamdudum conſtitutas, ſed ad Germanicas. Pariter autem in Gallia Sueſſione ſynodum Pipinus Dux anno 744. celebravit.

§. X.

tquamvis Epiſcopi Galliæ in Artiniaco congregati

gati anno 858. ad Ludovicum Germaniæ Regem ſcripſerint, Synodum Liptinenſem *juſſu Pipini* habitam fuiſſe, & *Georgium* Legatum Apoſtolicæ ſedis cum Bonifacio ei *præfuiſſe*; auctoritas tamen iſtius epiſtolæ propterea magna non eſt, quod, ut Sirmondus & Baluzius notarunt, tota illa narratio valdè ſit confuſa & fabuloſa, & multa habeat contradicentia & repugnantia. Hincmarus quidem in epiſtola XXXVII. cap. 5. ſcribit: *In Synodo apud Liptinas habita, cui ſub Karlomanno Principe Georgius Epiſcopus & Joannes Sacellarius ac Sanctus Bonifacius ex præcepto Zachariæ Papæ præſederunt, legitur.* Sed ſi legati iſti præſediſſent, ſine omni dubio & horum mentio facta fuiſſet unà cum cæteris. Vnde alii *duas Liptinenſes* Synodos ſtatuerunt, præſertim qvum canon quem ibidem allegat Hincmarus, inter canones hos Liptinenſes non legatur. Sed hanc ſententiam reprobat St. Baluzius *Notis ad Capitular. pag. 1021.* Et potuit fieri, ut canon ille poſtea à collectoribus canonū huic ſynodo fuerit adjectus; quod & aliis contigit interdum. Daniel Papebrochius acta horum Conciliorum pro genuinis haberi non vult, & Baronium eâ in re reprehendit, quòd quæ hic decreta, excederent poteſtatem ſecularem & Principem laicum facerent conventui Eccleſiaſtico præſidere. Sed hæc ejus argumenta adeo nullius momenti eſſe judicat St. Baluzius *Notis ad Capitular. pag. 1200.* ut ſupervacaneum eſſet, his refellendis occupari; ſatis enim conſtare Principes olim præfuiſſe per ſemetipſos pluribus conventibus Eccleſiaſticis, pluribus etiam per ſuos legatos. Denique circa annum 744. alia Synodus habita, ſed & huic unus Bonifacius ut legatus Romanæ Sedis interfuiſſe memoratur. Edita illa nunc primum eſt à Baluzio, rei literariæ Tutano, *Tom. 1. Capitular.*

§. XI.

§. XI.

Jus Regum. Bonifacius qvum vellet ſibi conſtituere ſucceſſorem eum, cujus frater occiderat avunculum ducis Regis Francorum, conſulit Papam, addens, *quia hoc non videtur poſſe fieri, ſi contrarius Princeps fuerit.* Pariter cum Epiſcopatum *Wurzburgenſem & Aichſtetenſem* ordinaret, iſti Burchardum, huic Wilibaldum præficiens, factum id fuit conſentiente & confirmante eodem Carolomanno, Caroli Martelli filio, Pipini II. fratre, cui in diviſione Patris, tanquam Primogenito Auſtria, Alemannia, atque Thuringia obvenerat, Pipino vero ſecundo filio Burgundia & Neuſtraſia, *Appen. Greg. Tur. c. fi.* Quare nec aliter judicari poterit de cæteris, veluti qvum A. C. 739. Bojariam in IV. Epiſcopatus diviſit, & Epiſcopatum *Ratisbon. & Salisburgenſem* & Eccleſiam Fuldenſem, inſtituit.

§. XII.

Metrop. Mog. Atqueqvum hactenus, ut antea dictum, nulli Archiepiſcopi in Germania eſſent, præter Friſium noviter inſtitutum, anno DCCXLV. Synodo habitâ, & Epiſcopo Wormatienſi & Moguntino depoſito, Eccleſia *Moguntina* jus *Metropoleos* à Karlomanno obtinuit. De quo Othlonus in Vita Bonifacii: *Gevvilieb depoſito ſtatim S. Bonifacius à ſupra dictis Principibus, Karolomanno videlicet & Pipino, fratre ejus, Eccleſia Mogontiacenſi præficitur: & ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem Principes, Eccleſiam Mogontiacenſem, quæ prius alteri ſubjecta erat Metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum facere.* Zacharias Papa poſtea approbavit hoc inſtitutum, ait: *Autoritate D. Petri ſancimus, ut Eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in Metropolim ſit confirmata, habens his ſub ſe civitates, id eſt, Tungris, Coloniam,*

am, Wormatiam, Spiratiam & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen cognoſcere fecit. Quod verò Otlonus dicit Eccleſiam Moguntinam *prius alteri ſubjectam* fuiſſe, alterà illa, Wormatia non per id pro Metropolitana vendidatur, ſed qvum Gevvilibus utramque Eccleſiam obtinuiſſet, & Wormatiæ ſedem Epiſcopalem haberet, quod Reges & duces ibidem verſari ſolerent, itaque ſubjecta & *quaſi incathedrata* dicitur tum fuiſſe. *conf. Lebmann. Chron. Spir. lib. 2. cap. XVIII.* Denique qvum Friſii religionem Chriſtianam iterum abjeciſſent, *ipſe cum conſenſu Pipini*, jam Regis Francorum *& Papæ Rom.* Lullum ſibi ſucceſſorem in ſede Moguntina ſuffecit, & in Friſiam abiit ad rem Eccleſiæ reſtituendam, quo in negotio etiam trucidatus eſt, A. C. 755. *Conf. P. de Marca lib. VIII. c. XI. & V. cap. XLIII. VI. c. XXIX. I.*

§. XII.

Quanquam verò noviter introductus *Vicariatus* Romanus per Germanias cum morte Bonifacii ceſſaverit: *Libertas minuitur.* effectus tamen ſuos libertati Eccleſiarum noxios poſt ſe reliquit. Ex quo enim ſemel hæc conſtitutio admiſſa fuit, etiam poſt ceſſationem *prætenſio juris* non ceſſaſſe videtur. Imprimis verò auxit potentiam ſedis Rom. quòd Bonifacius ſe ſedi Romanæ peculiari ſubjectionis & *obedientiæ juramento* addixerit, quo effectum tandem, ut hoc exemplo omnes Epiſcopi & Clerici ad obedientiam & & ſubjectionem ſedi Rom. jurej præſtandam adacti fuerint. Formulam Juramenti Baronius ann. 723, 4. aliique exhibent. Quæ ſequioribus ſeculis ſubinde aucta & dominatui magis magisque accommodata videtur. Atque ipſe Bonifacius ſuo exemplo ac ſvaſionibus effecit,

ut & cæteri Epiſcopi decreto Synodali obtulerint ſedi Rom. obedientiæ & ſubjectionis obligationem. Scribit enim Epiſt. CV. ad Cuthbertum: *Decrevimus in noſtro Synodali conventu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & unitatem & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ, fine tenus vitæ noſtræ, velle ſervare S. Petro & Vicario ejus velle ſubjici, &c. Et iſti confeſſioni univerſi conſenſimus & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri Principis Apoſtolorum direximus, quod gratulando Clerus & Pontifex Rom. ſuſcepit.*

Caput IX.

De Regno Pipini et Donatione Sedi Rom. Facta.

Summaria.

Periodus Romana. Exarchatus Italiæ deſinit. Occaſio Sedis Rom. occupandi imperii. Longobardi & Franci comparati. Stephani III. ingenium. Mos, humeris portari. INNOCENTIUS XI. P. M. Pipinus Rex Francorum à Papa declaratus. Papæ intentio. Pronunciati juſtitia cau. 15. q. 6. c. alius. Intentio & interpretatio Procerum. cap. per venerabilem. X. qui filii ſ. leg. Papa acquirit Exarchatum Rom. per Pipinum, præſentibus Legatis CPol. Regnum Italiæ à Carolo M. conſtitutum. Donatio Conſtant. M. quando ficta & quâ occaſione. Patriciatus Francorum & Advocatia Eccleſiæ ut differant

rant. Donatio Pipini quid Sedi Rom. acquiſiverit. Scholæ Romæ nationales. Pipini Conſtitutio, Scholæ in German.

§. I.

IMminebat jam fatalis illa ſedis *Romanæ* evectio, qua *Hierarchiæ* Romanæ moles in iſtum duceretur verticem. Hinc omnium rerum mira conſpiratio. Furebat *Conſtantinus* Imp. iconomachiâ non minus Leone Patre, convocato ob id Concilio, quod Oecumenicum VII. vocabat, A. C. 754. quod perſecutio dira ſequebatur. Hinc odium omnium *Patriarcharum*, Romani inprimis adverſus Imperatorem. Accedebat quod *Exarchi Italiæ* Imperatorum à *Longobardis* expulſi eſſent, & captâ Ravenna Aiſtulphus rex, vindicaturus ſibi omnem Exarchatum, urbis Romæ dominium cum cenſu Imperatoribus hactenus ſoluto poſtularet; Papa autem Stephanus I. preces ac Legatos pro auxilio ferendo ad Imperatorem fruſtra mitteret. *Deſertum* igitur reputans ſe, & Exarchatum Italiæ cum urbe pro derelicto habitum, id quod IMPERII ROMANI nomine per occidentem adhuc reliqvum erat, ſummam poteſtatem tam in urbe, quam in cæteris quæ ad Exarchatum Italiæ pertinuerant, partibus & Longobardis & Francis invidens, ſibi ac ſedi ſuæ appropriari deſiderare videbatur.

Periodus Romana.

Exarchatus Italiæ deſinit.

§. II.

Qvum vero vires & occupandi, & retinendi deficere videret, neceſſe erat, ut amicitia ac fœdere cum potentiore vicino jungeretur. Sed ad ſcopum hunc obtinendum, *Longobardos* haud quaquam idoneos exiſtimabat. Nimium enim & vicini erant, & ipſi cupidi harum rerum, & rigidiores in ſervanda ſumma poteſtate circa ſacra.

Longob. & Francor. compar.

Namque qvum poſt aliquot annos etiam facta jam pace inter Longobardos & Francos, matrimonium inter Carolomannum fratrem Caroli M. & filiam Deſiderii Romani Longobardorum intenderetur, Stephanus III. Papa id omnibus modis diſſvaſit, prætendens Longobardorum gentem non dignam, quæ gens diceretur, eſſe perfidam, fœtentiſſimam, horridam, horribilem, perjuram, de cujus natione Leproſorum origo duceretur. Sed hæc Calviſius ad A. C. 770. referens, adjicit, *aliam cauſam habuit Stephanus Papa, ne Franci cum Longobardorum gente affinitate juncti, edocerentur de ſceleribus Pontificum & aliquid ita Pontificiæ dignitati detraheretur.* Aptiores igitur huic rei Longobardorum & æmuli, & Domini ſæpe etiam, nec tam vicini, atque adverſus Sacerdotes mitiores *Franci* videbantur.

§. III.

Stephani III. papæ ingenium. In hæc fatalis mutationis tempora incidebat *Stephanus Papa*, natione Romanus, cujus ingenium Romanæ potentiæ faſtigio non ineptum, primus, qui ad Lateranum humeris ſubeuntium portari voluit. Anaſtaſius: *Quem omnes ſincera mente cum laudis præconiis in Baſilicam Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, deportaverunt, & in Patriarchium juxta morem intromiſerunt.* Quem faſtum ſervo ſervorum indignum primus ni fallor reſpuit in Coronatione ſua hodiernus Pontif. Max. Innocentius XI. Bono utinam omine, ut reformata in univerſum Eccleſia deploranda ſchiſmata tandem aliquando tollantur! Stephanus igitur temporum Gregorii II. & conſiliorum non immemor, ea præſenti rerum ſtatui comparabat. Et hoc maximè commodum acciderat, fundamentumque perenne habebatur arctioris cum Regno Francorum amicitiæ,

citiæ, quod anteceſſor Zacharias Papa Pipinum Regi Hilderico ſucceſſorem in Regno dari conſuluerat.

§. IV.

Pipinus Rex Francorum

Enimverò gubernatum hactenus fuerat Regnum Francorum à Pipino, Carolo Martello, Carolomanno, & Pipino nepote, ultra ſeculi ſpatium, Regum auſpicio, ipſorum ductu atque vicariatu. Sed *junioris* Pipini ingenium fervidius, miniſtri ac ducis nomen cum Regio commutare appetebat. Igitur primo *Carolomannus*, frater primogenitus, erat perſuadendus à Clero, Monachatum ad piè vivendum merito præferri principatui: deinde qvum hic adminiſtrationem Regni relinquens, in Italia Monaſticæ vitæ eſſet mancipatus, *Grypho* frater particeps gubernationis fieri cupiens, occupata jam Bojaria, & ejecto Taſſilone capiendus, tandemque trucidandus, Taſſiloni autem Bojaria *per beneficium* committenda, ut ait *Ado Chron. A. C. 727.* h. e. jure feudi, atque interim, ut idem Ado auctor eſt, Pipinus ambire titulum Regis cœperat, quod factum A. C. 751. Pipinus itaque memor veteris inclinationis Sedis Romanæ erga patrem Carolum Martellum, decrevit per legatos conſulere Zachariam Papam, *Anne Hildricus Rex, ſtupidi ingenii, voluptarius, ad miniſtrationis regni incurius, atque ἄπαις, à regno removendus, & Pipinus, qui hactenus omnia rectiſſime adminiſtraſſet, etiam titulo Regis dignus eſſet?* Legatione à Burchardo Epiſcopo Wirzburgenſi & Volrado Capellano ſuſcepta, reſponſum Papæ refertur anno inſequenti: *Hildericum indignum Regno,* ſed & quaſi, non per modum conſilii, ſed ſententiæ pronunciare rogatus fuiſſet, Pipinum à Jurejur. quod Regi ſuô & proceribus Regni dederat, abſolvit, eique Regnum tradit, & Hildericum monaſterio man-

mancipandum decernit. Huic reſponſo qvum proceres acquieſcerent, Hildericus in Monaſterium removetur, & Pipinus à Bonifacio Epiſcopo in Sueſſionum civitate Rex Francorum inungitur.

§. V.

Papæ intentio.

Philoſophorum πολιτικώτατος *Ariſtoteles l. VII. Pol. c. VII.* duas requirit naturæ dotes, easque præeminentes ad acquirendum, tuendumque imperium in populos, διανοίαν καὶ θυμὸν, ſingularem *ingenii* ac prudentiæ ſagacitatem, & *animi* magnitutinem, bellicamve fortitudinem. Nam & *Plato l. II. de Republ.* hæc duo ad imperium requirebat, Iracundiam & ſagacitatem. *Clerus* autem tum temporis *Laicos, & Romani, Italique Francos Germanosque* τῇ διανοίᾳ tantum ſuperabant, quantum hi τῷ θυμῷ omnibus nationibus formidabiliores. Quare ad Hierarchiam Romanam fundandam, τῇ διανοίᾳ Romani Cleri æterno fœdere jungendus erat ὁ θυμὸς Francorum atque Germanorum, ex artis Politicæ præceptis. Atque hoc maximè intendiſſe videtur Romanus Pontifex in depoſitione Hilderici Regis, ut & amicitiam Francorum ſibi certiorem redderet, & ſuam potentiam ex ipſorum potentia adaugeret. Etſi verò Proceres Francorum nonniſi per modum conſilii videntur conſuluiſſe Papam, hic tamen reſponſum ſuum per modum *ſententiæ* voluiſſe reddere & non tam *jus reſpondendi* de jure ſacro circa vim jurisjur. & homagii, quam *jus deponendi* reges & abſolvendi ſubditos alienos à juramento fidelitatis, inaudito antea exemplo, exercere voluiſſe omnino videtur. Hujusmodi enim verbis non modo Gratianus *can. XV. q. 6. c. alicuj. 3.* ſed etiam omnium Chronicorum ſcriptores, *auctore Lupoldo de Bebenburg de Jur. Regni c. XII*, rem referunt.

ferunt. Otto quoque Friſingenſis tradit, ex hoc facto Romanos Pontifices regna mutandi auctoritatem trahere. Anaſtaſius verò Bibliothecarius Pontificius rem totam reticere, quàm ſedis conſilia proſtituere maluit.

§. VI.

Verum uti hæc intentio invadendi Imperium Rom. Juri divino ac Legi Chriſtianorum Epiſcoporum non fuit conſentanea: Interdixit enim Rex Chriſtianorum Apoſtolis, ne affectarent dominari gentibus, ſed ut is, qui Primatum cupiat in Regno Cœlorum, debeat eſſe, non ſolum dici, ſervus reliquorum *Matth. XX. 25.* Ita quoque juſtitia facti hujus ſecundum intentionem agentis, & interpretationem compilatoris Juris Pontificii, ex vera & non ſimulata Jurisprudentia defendi vix poteſt. Neque ratio ſolida allata fuit, ex qua jus deponendi Reges & liberandi ſubditos à Principum ſuorum obligatione legitimè jurata, vindicari Patriarchæ ſive Romano, ſive alii, aut divino aut humano jure poſſit. Agnoſcit hoc *Gloſſator* Gratiani, unde, quod cauſa deponendi, & pro decidendi ratione affertur, *inutilem fuiſſe Regem tantæ poteſtati*, quod ſine dubio de *inſufficientia* ingenii & naturæ ſtupore in adminiſtrando regno intelligendum eſt, iſte tamen non vult ita intelligi, *tunc enim & debuiſſet dari Coadjutor*, ait, & utique habebat Coadjutorem, ipſum Pipinum, Majorem domus & regni adminiſtratorem: ſed ſic inutilitatem illam exponit, *quod diſſolutus eſſet cum mulieribus & effœminatus*, quaſi vero aut nulli ante Hildericum, & poſt eum Reges diſſoluti in mulieres vixerint, & tamen Regni adminiſtrationi haud inidoneos ſeſe præſtiterint, aut ob pravos mores domeſticos Jus regium Principes amittere poſſint.

Juſtitia Papalis pronunciati.

cau. 15. q. 6. c. alius.

§. VII.

§. VII.

Intentio & Interpretatio Procerum.

Quare etſi *Proceres* Regni *Clerici* ex parte in favorem ſedis Romanæ: *Laici* verò in gratiam Pipini juxta reſponſum Sedis Romanæ procederent, nec hi tamen ipſi illud aliter, quam pro *Conſilio* acceperunt. Ado Epiſc. Vienenſis rem ita refert: *Interim dum copiæ parantur*, (contra Griſonem) *miſit Pipinus Vtgardum Wisburgenſem Epiſcopum, & Fulradum Capellanum ſuum ad Zachariam, tunc temporis Pontificem Rom. ut interrogarent eum, ſi ita manere deberent Reges Francorum, cum pene nullius poteſtatis eſſent, jam ſolo Regio nomine contenti. Quibus Zacharias Pontifex reſponſum dedit, Regem potius illum debere vocari, qui Rempubl. regeret. Reverſis Legatis, abjectoque Childerico, qui tunc Regium nomen habebat, Franci per CONSILIVM Legatorum & Zachariæ Pontificis electum Pipinum, Regem ſibi conſtituunt. Childericus tonſuratus, & in monaſterium miſſus eſt.* Quod enim nullum *jus decernendi, mandandi* in his rebus Civilibus Papa Romanus in Regno Franciæ & Germaniæ habeat, ipſi etiam Epiſcopi Franciæ A.C. 870. Hadriano II. demonſtrarunt. Inter Epiſcopos vero Germaniæ maximè id egit laudatus Lupoldus de Bebenburg, Epiſcopus Bambergenſis, qui A.C. 1363 obiit. Quanquam porro hic, & poſt eum *Fr. Hotomannus Francogall. c. 15.* per *c. per venerabilem. §. rationibus X. qui filii ſint legit.* concedere videatur ſedi Romanæ, auctoritatem & *jus declarandi* ita Reges quarumcunque gentium inidoneos & indignos axiomate regio: aliiſque eorum dignitatem ſalvo jure præſtiti homagii, ac bona conſcientia eſſe attribuendam: tamen & ſic juſto liberaliores eſſe videntur, quum tale jus declarandi, ſit idē ac jus ferendi *ſententiam declaratoriā*, atq; hoc porro ſit ſpecies Jurisdictionis

nis

nis ſuperioris ſeu *poteſtatis judiciariæ* : At hæc nemo unquam vel Regum Franciæ atque Auſtraſiæ, vel procerum Regni, Papæ Romano aſſeruerat aut tum temporis aſſeruit.

§. IIX.

Relinquitur igitur, Concilium atque Informationem ex Jure ſacro petiiſſe proceres à Papa. Neque teſtimonium Innocentii III. ex *c. per venerabilem.* petitum, utpote *domeſticum* ullius roboris poteſt eſſe adverſus Reges atque Principes ſuperiorem non recognoſcentes, de quo capitulo & frivolis ejus rationibus exacte egit B. Strauch *ſingulari diſſert. præſertim c. 5.* Advertit hæc auctor tractatus Gallici Latine redditi, & cum Antonii Marcelli *de Juribus ſecularibus Pontif. Rom.* editi, *cap. 3.* ſcribens: *Nullus eſt actus quem non cum multorum aliorum jactura & damno Papa (licet illi, qui* CONSILIA *eorum exequebantur, eo neque per febrim, imo neque cominus, neque eminus cogitarant) ad ſuam utilitatem & elevationem traxerint. Regni Proceres conſuluerunt Zachariam Papam, an deberent regem exturbare &c. Licet primus actus non eſſet, niſi communicatum conſilium, & ſecundus applicatus, ut hac ratione conciliaretur plus ponderis & auctoritatis invaſioni Regni, quam ſuper Carolum Simplicem ſibi uſurparunt: Pontifices tamen accipientes hos duos actus pro titulo poſſeſſionis tranquillæ, exinde ſibi ſunt imaginati, ſe poſſe Reges noſtros excommunicare, diſpenſare & abſolvere ipſorum ſubditos à juramento, ſe etiam jus habere coronandi, &c. Ludovicus Craſſus cupiens Galliam magno Procerum (qui Pipino & ejus ſucceſſoribus faventes ad ſummum auctoritatis faſtigium pervenerant, & qui ipſi tot ſocii in Regno erant:) cumulo exonerare, ſolicitavit Papam, ut Concilium Univerſale in*

c. per venerab. x. qui fil. legit.

Galliam convocaret, & ut in eodem Nobilitatem, & omnes alios excitaret ad bellum ſanctum &c. Quanquam verò hoc non erat niſi exiguum ſpecimen & officium, tamen in poſterum hoc ipſo & ſolo facto & actu Papæ ita ſunt abuſi, ut credant pro lubitu ſe poſſe publicare cruciatas cohortes non tantum contra infideles, ſed & contra Reges Chriſtianos &c. Adeò verum eſt, quod Ariſtoteles inculcavit τὸ μικρὸν φυλάττειν.

§. IX.

Papa acquirit Exarchatum per Pipinū. Hæc vero etſi ita ſint, alterum tamen effectum Zacharias ad minimum obtinuerat, nempe arctiorem amicitiam cum Rege Pipino, ejusque poſteris: Quo nixus fundamento jam ſucceſſor Stephanus, deſertus ab auxiliis Imperatoris, non tantum clanculum *literis* Pipinum R. ad ſui defenſionem contra Longobardos evocavit: ſed & qvum anno ſequente DCCLIII. Legati Imperatoris à Rege Longobardorum Romam obſidente nihil impetraſſent, *Legatos* ipſe ad Pipinum miſit. Cum vero nec Francici Legati aliquid æqui obtinuiſſent, *ipſe* cum iis *in Gallias abiit*, ubi ſequente anno Pipinum cum filiis Carolomanno, & Carolo *denuo inunxit* reges Franciæ. *Ado Chron. Anaſtaſ. in Steph. III* fœdus intimius contraxit, & hoc *impetravit*, ut Pipinus R. expeditione bellica ſuſcepta Longobardorum R. Aiſtulphum cogeret omnia *loca* quæ *Imperii* antea fuerant, *libera Papæ Rom.* tradere, *Ado Chron. p. 205.* Inſuper Pipinus *R. Ravennam, totamque Pentapolin SS. Apoſtolis Petro & Paulo tradit*, nempe Ravennam cum univerſo Exarchatu, cum provinciis Venetiarum & Iſtriæ, Ducatum Spoletanum & Beneventanum, Mantuam, Rhegium, Parmam, Soranum, Corſicam inſulam, & regiones à Lunis, quibus mox Deſiderius Longobardorum addidit

Duca-

Ducatum Ferrariæ, Faventiam & alia. *Anaſtaſ. in Steph. III.* Vid. M. A. Marcell. *de Jur. Secul. Rom. Pont. c. XI.* ubi ſingulari cura diſcutit fines atque terminos Territorii à Pontifice Rom. per Pipini donationem acquiſiti, adverſus Julii II. Papæ prætenſiones inde usque arceſſitas.

§. X.

Cumq; Legati Imperatoris iterum adeſſent, & à Pipino peterent, ut loca hæc Longobardis erepta, Imperio reſtituerentur, Pipinus reſpondit: *ſeſe hosce labores ſuſcepiſſe, & ſumtus tantos feciſſe, non ut Imperium defenderet, ſed ut ſi quid Longobardis eriperet, id D. PETRO ADQVIRERET.* Vid. Anaſt. aliique. Non ita multo poſt *Conſtantinus Imp.* miſſis donis Regi Pipino, ſimul organo Muſico, pacem cum Francis ſtatuit, ut habet Ado, itaque in factam à Pipino traditionem conſenſit. Denique qvum Deſiderius Rex Hadriano Papæ pleraque iterum auferret, *Carolus M.* Rex Francorum A. C. 774. Deſiderio cum ſuis capto, *regno Longobardorum finem* impoſuit, omnia vero quæ pater Pontifici conceſſerat, reddidit, retenta ſibi ditione Longobardorũ, quæ *Italiæ regni* nomine poſtea venit, & ſalva ſuperioritate in Exarchatu & Romano ducatu, quam anno ſuperiore communi Procerum Romanorum conſenſu acquiſierat Carolus, de qua poſtea. Circa hæc tempora, & ad repellendos Legatos Impp. Græcorum, repetentes A. C. 767. regiones Italiæ, juſſu Pauli Papæ & conſenſu Pipini effectam fuiſſe donationem Conſtantini, arbitratur Petr. de Marca *l. III. de C. S. & J. c. XII.*

Præſentib. Legatis Imp.

Regnum Italia.

Donatio Conſtant.

§. XI.

Patriciatus Regum Francor.

Videndum jam quam poteſtatem in hæc loca Italiæ acquiſiverit ex donatione Pipini tunc SS. Petrus & Paulus

h. e. Patriarchalis ſedes Romana, præſertim qvum mox ex veteri Gregorii II. inſtituto Pipino Rom. atque filiis, ne quid altius forte prætenderent renovatus à Papa atque Senatu Rom. jus Patriciatus, & is recipi ſe cum filiis paſſus fuerit inter Patricios urbis Romæ, & ita in Gallias redierit. Fuiſſe enim *Patriciatus* dignitatem non paris poteſtatis, ac fuit *Exarchatus*, multo minus abſolutam poteſtatẽ, vel ex eo conſtat, quod Exarchi habuerunt Jus in eligundo Epiſcopo Rom. & ſede ordinanda: At Patriciatus id non habuit, ſed poſt collatum *Pipino* Patriciatum demum Jus hoc in *Carolum* fuit delatum, ut in ſequentibus videbimus. Patriciatus autem & *jus advocatiæ*, ſeu defenſionis, eodem tempore fuit Regibus Francorum quæſitum, nec reipſa differunt. Leop. à Bebenburg de Zelo vet. Princ. Germ. c. XV. ait: *Stephanus Papa II. dum A. D. 753. eundem Pipinum, & duos filios ejus Carolum, & Carolomannum, unxit in Reges Francorum, ipſos ſpecialiter elegit ad ſedem Apoſtolicam defendendam, ut in hiſtoria Francorum, & Chronico Euſebii continetur. Ex hac electione puto, quod Reges & Impp. Rom ſint usque in hodiernum diem Rom. Eccleſiæ Advocati, de qua Advocatia loquuntur Jura Canonica. Licet autem defenſioni prædictæ ſit grande onus annexum, certum tamen eſt, quod hujusmodi ſpecialis Apoſtolicæ ſedis electio ſeu aſſumtio ejusdem Pipini & filiorum, ſucceſſorumque ſuorum honoris ceſſit augmentum, ut videlicet defenſio Eccleſiæ Rom. ſit ab ipſa Eccleſia quadam ſpeciali prærogativa & per quandam Excellentiam his Regibus attributa.* Atque id etiam arguit Patriciatum, & Advocatiam idem fuiſſe tum, quod Carolus ante aditum Imperii utroque uſus, poſt neutro. Et obſervat Goldaſtus *Ration. Conſtit. Imp. T. 1. p. 10.* qvum Patricii officium eſſet defendere ac tueri

Advocat. Eccleſ. R.

popu-

populum paternum in modum, definiente Suida: Πατρίκιος, ὁ πατὴρ τοῦ κοινοῦ. Papa vero eſſet Pater vi nominis, quo auctoritatem erga populum curæ ſuæ commiſſum obtueretur, ſuarum defenſionem rerum eſſe voluiſſe nomine ſegregatam à Populi: itaque quem ſibi Populus Patricium elegerit, eum Papa Advocatum maluiſſe appellare. Quemadmodum vero Patricii titulus à quibusdam Impp. ita etiam *Advocati nomen* fuit reductum ea intentione, ut præter generalem Imperatoris obligationem etiam *ſpeciali pacto* Imperator teneretur ad Jura Eccleſiæ tuenda etiam extra limites Imperii. Sed ad rem.

§. XII.

Diſſentiunt in propoſita quæſtione de donatione Pi- *Donatio*
pini Regis alii aliter. Sunt qui ſupremam Exarchatus *Pipini.*
ac Romanæ urbis poteſtatem à ſede Rom. nunquam ac- *1.*
quiſitam contendunt, ſed eam penes Impp. & poſtea pe- *Sent.*
nes Pipinum ac ſucceſſores Reges Francorum ſub titulo Patriciatus permanſiſſe. *Lehmann. Chron. Spir. l. III. c. XXIV.* Alii ac præcipuè Petrus de Marca *l. III. de C. S.* 2.
& l. c. XI. aſſerit, nec Pontificem, nec Pipinum Jus Imperii tenuiſſe, ſed adhuc agnoviſſe Papam & Romanos ſupremum Imperium Impp. CPolit. unde titulo tantum Patriciatus uſos fuiſſe, nec urbis Romæ mentionem in donatione Pipini factam dominio urbis CPolitanis reſervato, usque dum Carolus M. & Leo III. Pontifex Rom. & urbis dominiũ ſibi appropriaverint. Vtraq; ſententia ſuis premitur difficultatibus. Poſterior quidem in hoc verior priori, quod titulo Patriciatus Jus imperatorium haud venerit. Viciſſim poſterior perſuadere mihi nondum poteſt, Pipinum ut Patricium, & Stephanum Romanosque agnoviſſe

adhuc Imperium CPolitanum, & ipſi reſervaſſe dominium urbis. Aliter enim reſpondiſſet Pipinus Legatis CPolitanis quam refert Anaſtaſius : *Nulla penitus ratione easdem* (exarchatus) *civitates à poteſtate B. Petri, & jure Eccleſiæ Romanæ, vel Pontificis Apoſtolicæ ſedis quoquo modo alienari ſe paſſurum, nec imperiali ditioni tribui.* Igitur imperialem ditionem ſive imperium non agnovit Pipinus ſed imo Jus Eccleſiæ Romanæ ipſi contradiſtinxit. Nec ad rem facit, quod Anaſtaſius Paulum cubicularium in Græciam deportari facturus, deportationis locum ab Impp. CPolit. poſtulaverit, & aliàs quoque verbis honorificis ad eos ſcripſerit. Eo ipſo enim non agnoſcit imperium illorum in urbem.

§. XIII.

3. Sent. Verius igitur videtur ſummum atque independens imperium urbis & Italiæ à Longobardis liberatæ à Pipino fuiſſe relictum; porro Exarchatum & quidquid Longobardis eripuerat Rex ſedi tribuit, cæterum de urbe nihil diſpoſuit, forte quod viderit, & S. P. Q. R. imperium Pontificis reſpuere, atque ad vetuſtam Reipubl. libertatem anhelare, & ipſum Pontificem imperio urbis inhiare; maluit itaque rem quantum ad ſe in ſuſpenſo linquere, ſed & eo ipſo jus imperii, quod bello acquiſiverat ſibi ac Regno Francorum reſervare integrum. Interea jure Patriciatus Superioritatem territorialem in ipſa urbe exercuit, nec minus tamen & ipſe Pontifex; idque ex conceſſione Pipini. Hadrianus I. *Epiſt. XXXV.* id fatetur : *Quaſumus veſtram regalem potentiam, nullam novitatem in holocauſtum quod B. Petro S. recordationis genitor veſter obtulit, & veſtra Excellentia amplius confirmavit, imponere ſatagat: quia ut fatieſtis, honor Patriciatus veſtri à nobis*

irre-

irrefragabiliter conſervatur, etiam & plus amplius honorifice honoratur. Simili modo ipſe Patriciatus B. Petri fautoris veſtri tum à S. recordationis domno Pipino Magno Rege genitore veſtro in ſcriptis in integro conceſſus, & à nobis amplius confirmatus irrefragabili jure permaneat. Hinc obſervavit Petrus de Marca Romam ac provinciam Romanam duobus Patriciis in ſolidum fuiſſe ſubditam, nam & S.P.Q.R. *Epiſt. XV. & XXXVI.* juxta Pipini monita profitentur *ſe fideles ſervos eſſe Rom. Eccleſiæ & Pauli Papæ*, quemadmodum ſe *fideles Pipini* inſcribunt : Et Paulus Papa, Spoletanum Ducem ejusque ſatrapas IN FIDE B. PETRI ET PIPINI ſacramentum præbuiſſe refert. Etſi vero hoc pacto, ad magnum potentiæ, opumque faſtigium Romana ſedes ſubito pervenit, nihil tamen per id augmenti ei acceſſit in Francia & Germania, ſed retinuerunt Reges & Proceres Francorum, atque Eccleſiæ Franciæ & Germaniæ relictam poſt Bonifacium *libertatem* tam in doctrina, quam in diſciplina. *Lib. Eccl. G*

§. XIV.

Cæterum Romam, ut in Academiam undique excurri ſolebat, certis Nationum ſcholis ibi conſtitutis. Anaſtaſius Leoni III. occurriſſe refert, omnes *ſcholas peregrinorum*, videlicet Francorum, Friſorum, Saxonum atque Longobardorum. Quarum inſtauratio neceſſaria quidem fuit Romanis, qvum Gregorii M. ætate magna utramque Romam barbaries obruiſſet, ut non haberent, qui CPoli Latinè, & Romæ Græcè intelligeret, *Gregor. lib. VI. Epiſt. XXIX.* Sed tamen videri poteſt modus aliquis etiam politicus ſubliteſcere conciliandi & alliciendi Romam clerum & juventutem nationum cæterarum, ut mori Romano adſveſcerent. Hoc perpendiſſe videntur Pipinus Rex & *Roma ſchola nationũ.*

Epi-

Epiſcopi in Synodo Vernenſi anno DCCLV. cap. X. ſancientes: *Vt monachi qui veraciter regulariter vivunt, ad Romanam ſedem vel aliubi vagari non permittantur, niſi obedientiam Abbatis ſui exerceant.* Mox Carolus M. ſollicitus fuit de Scholis per ſingula Epiſcopia & Monaſteria inſtituendis, qua de re ſupereſt Conſtitutio Caroli Anno 788. ad Baugulſum Abbatem Fuldenſem edita. *V. Baluzii Capitular. Franc. T. I.*

CAPVT

CAPVT X.

De CONCILIO FRANCOFVRTANO.

SVMMARIA.

De cultu Imaginum controverſia continuata. Adoratio ſtabilita in Concilio Niceno II. Condemnata in Concilio Francofurtano Caroli M. invitis Legatis Rom. Ratio decidendi. Surio & aliis reſponſum. Synodus Nic. II. etiam CPolitana dicta. Aimoini lib. V. c. 28. expoſitum contra Baron. Synodus Oecum. VIII. duplex. confirmatur autoritate Sirmondi: P. de Marca. Edm. Richerii.

§. I.

NOndum ſopita erat controverſia de cultu imaginum, quarum oſor Conſtantinus Imp. per legatos perſvadere voluerat Pipino Regi, ut & ipſe imagines demoliretur. Orſus fuerat hanc demolitionem pater, Leo Imp., idque ea occaſione, tradente Cedreno, quod promiſſum erat Imperatori Imperium ac vita vel ad centum annos, ſi ſimulacra everteret. Sed poterat huic controverſiæ & anſam dare nimietas honoris ac ſuperſtitioſa adoratio imaginum ſanctorum, quæ tum jam cœperat. Atque Pipinus A. C. 767. in villa Gentiliaco hac de re Synodum coëgit, sed neque hic, neque in Oriente lis ſopita fuit. Tandem anno 787. Conſtantinus Imp. cum matre Irene

Lis de cultu Imaginum.

A. 767.

Concil. Oecum. VII. 787. *Concilium Oecumenicum VII.* ut vocant, Niceæ celebravit, cui interfuerant Legati Sedis Romanæ, & damnata fuit ſententia Iconomachorum, ac confirmata fuit non modo *erectio* Imaginum, ſed etiam earum veneratio & *adoratio.* Et *Baſilius* Epiſcopus Ancyræ, & iconomachus hac *revocatione*, & confeſſione in Concilio uſus: *Eodem modo venerandas imagines, atque Oeconomiam IESV CHRISTI Domini & DEI noſtri, qui propter ſalutem noſtram homo factus eſt, & inviolatæ virginis dominæ noſtræ Deiparæ, ſanctorumque Apoſtolorum, Prophetarum, martyrum, & omnium ſanctorum ſuſcipio, & amplector, eisdemque honorem debitum exhibeo.*

§. II.

Concil. Francofurt. A.C. 794. de adoratione imag. Verum Libertas Eccleſiarum per Germanias & Gallias, ſub Regno Caroli M. actis Synodi Eccleſiæ orientalis, etiamſi œcumenicæ, ſeſe obligari ſine conſenſu ſuo non credens, poſtulabat, ut & ipſæ hac de re cognoſcerent, & certum quid decernerent. Convocavit itaque Rex A.C. 794. Francofurti magnam Synodum, convenerunt enim Epiſcopi fere trecenti, itemque Abbates & alii ex toto regno Caroli. Et aderant quoque Legati Pontificis Rom. Hadriani, imo & præſidebant, ut Ado refert in Chronico: *Synodus iterum facta ſupra dictam hæreſin, in Francanofurt, Legatis Apoſtolicæ ſedis præſidentibus Theophylacto, & Stephano Epiſcopis.* Carolus autem Rex auditorem ſe & arbitrum dicit in Epiſt. ad Elitpandum: *Ecce ego veſtris petitionibus ſatisfaciens congregationi Sacerdotum auditor & arbiter ſedi.* Regino A.D. DCCXCIV. *Celebravit Rex paſcha in Franconofurt, ibique congregavit Synodum magnam Epiſcoporum Gallorum, Germanorum, & Italorum, ubi fuerunt miſſi Apoſtolici, Theophilus & Stephanus*

phanus Epiſcopi. In hac Synodo tertiò condemnata eſt hæreſis Feliciana. Pſeudo Synodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant à Pontificibus rejecta eſt. Eoque pertinet, quod *Alcuinus* ad Abbates & Monachos Gothiæ ſcripſit: *Sed in manibus majus modo habemus opus propter alias cauſas, quæ in libello venerandi Felicis legimus, & illum volente DEO vobis dirigimus, poſtquam lectus & comprobatus fuerit ab Epiſcopis noſtris & domno REGE. ap. Baluz. l. 1. Miſcell. p. 378.* Etſi autem Hadrianus Papa per legatos petiit, ut decretum concilii orientalis de adorandis imaginibus ab Eccleſiis Occidentalibus reciperetur, & hanc ſententiam quadraginta & quinque argumentis propugnavit, id tamen haud impetravit, ſed ſtatutum fuit à Concilio contra Hadriani & Legatorum ejus ſententiam; *Cultum & adorationem imaginum eſſe impiam, & Synodum Nicenam ſecundam eſſe abolendam.* Idem Ado Epiſcopus Viennenſis: *Sed Pſeudo ſynodus, quam ſeptimam Græci appellant pro adorandis imaginibus abdicata penitus.* *Deciſum.*

§. III.

Nimirum mediam ſententiam amplexa Eccleſia Germanorum, & Francorum, rejecta & iconomachia, & imaginum adoratione, uſum imaginum verum ac genuinum ab Eccleſia primitiva traditum approbans. Etſi enim actus per ſe videtur indifferens, *ſalutare imaginem* DEI Chriſti aut Sanctorum, *coram ea* non modo reverentiam DEO, aut ſanctis exhibere, ſed etiam preces ad DEUM fundere, *& DEUM adorare:* Hoc ipſum tamen ſub anathemate & tanquam articulum fidei Eccleſiæ obtrudere, ut factum in definitione Synodi II. Nicenæ: *Si quis has non ſalutaverit in nomine domini & ſanctorum ejus, Anathema.* Id quidem contra Libertatem Eccleſiæ eſſe recte *Ratio dec.*

 atque

atque ordine cenſuerunt Epiſcopi Germani Franci atque Itali Regno Caroli M. ſubjecti. Denique adverſatur id etiam prudentiæ Sacræ, dum hâc ἀναγωγῇ ad verum cultum, Satanas inverſo ordine abu ti, & in ἀπαγωγὴν ab eodem ad idololatriam, & ſuperſtitionem rudi multitudini convertere, ab origine rerum ſolitus fuit. Id quod & hîc poſteri ſenſimus. Vnde in Hebræorum Eccleſia hic imaginum uſus prohibitus.

§. IV.

Diſſentientibus reſp. Quæ *Surius, Coriolanus, Caranza,* alii contrà adſerunt, veritatẽ hiſtoricam pervertentes, ea & veteres hiſtorici refellunt, & Capitularia Caroli M. & vide ſis *Chemnitii Examen Conc. Trid. p. IV.* Eadem ſententia denuo in *Concil. Pariſienſi* à Ludovico Pio A. C. 825. celebrato fuit confirmata, cujus acta extant. Hac de re *Annales Regum Franc.* ſive *Adelmi Benedictini*, ſive alius ſint, ad A. C. 794. ita referunt. *Rex propter condemnandam hæreſin Felicianam æſtatis initio, quando & generalem populi ſui conventum habuit, conſilium Epiſcoporum ex omnibus regni ſui provinciis, in eandem villam (Franconovurd) convocavit. Affuerunt etiam in eadem Synodo, & Legati S. Romanæ Eccleſiæ, Theophylactus & Stephanus Epiſcopi, vicem tenentes ejus à quo miſſi ſunt, Adriani Papæ. In eo Concilio, & hæreſis memorata condemnata eſt, & liber contra eam, communi Epiſcoporum auctoritate compoſitus, in quo omnes propriis manibus ſubſcripſerunt. Synodus etiam quæ ante paucos annos Conſtantinopoli ſub Helena, & Conſtantino filio ejus congregata, & ab ipſis non tantum SEPTIMA, verum etiam VNIVERSALIS eſt appellata, ut nec ſeptima, nec Univerſalis diceretur, haberetúrque quaſi ſupervacua, in totum ab omnibus abdicata*

cata eſt. Conſtantinopolitanam vocant Annales Synodum, quæ in hoc Concilio fuit condemnata. Hinc *Surius* arguit, haud *Nicenam*, quæ adorationem Imaginum comprobavit, ſed eam intelligi, quæ CPoli à Conſtantino Copronymo *contra* cultum Imaginum fuit habita. Verum quoniam additur, *ſub Helena & Conſtantino filio ejus ante paucos annos habita*, exinde ſatis conſtat, non iſtam CPolitanam intelligi, quippe quæ habita fuerat jamtum ante annos XL. A. C. 754. & ſub Conſtantini hujus avo. Quod autem *CPolitana* vocatur ab Hiſtorico Francico, non magis minuit veritatem rei, quàm quod Synodus CPolitana vocatur *Epheſina*, & quidem in actis ipſius hujus Nicenæ Synodi *Act. 1.* obſervante etiam *Fr. Sylvio.* Nec tamen hæc appellatio ex mero errore nata eſt, ſed habuit rationem, quoniam Irene, quam Helenam vocant, cum filio anno præcedenti Synodum hanc *CPoli* revera indixerat, ibique ea cœperat, ſed qvum ab Iconoclaſtis diſturbaretur, anno 787. ſequente *Niceam translata fuit*, ibique continuata & confecta, ut itaque & *CPolitana & Nicena* non male appelletur. Eadem ratione in Concilii Lateranenſis Seſſ. IV. concilium *Piſanum* dicitur, quod Piſis cœptum, *Mediolanum* fuerat translatum.

Synodus Nicena II. etiam CPolit. dicta.

§. V.

Sed totam mentem ſuam apertius paulo poſt aperiunt Annales iidem cap. XXVIII. *Synodo congregata* (CPoli) *quam octavam univerſalem Synodum illuc convenientes appellaverunt, exortum Schiſma de Ignatii depoſitione. In qua ſynodo de imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi doctores ante diffinierant, ſtatuerunt: & quædam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos canones, &* con-

Aimoin. l. V. c. 28. exp. contra Baron.

contra ipſam ſuam Synodum conſtituerunt, ſicut qui eandem Synodum legerit, patenter inveniet. Baronus equidem ad A. C. 869. n. 66. *Aimoini delirium hic* notaturus ait: *Ex quibus plane qualis ipſe fuerit, cujusvis dogmatis, manifeſtatur, nempe ex Gallis illis unus, qui negabant cultum ſanctarum imaginum. Porro in hac octava Synodo nihil præterea de cultu ſacrarum imaginum eſſe decretum, quam quod in pluribus Romanis Conciliis, & in Oecumenico Niceno II. ſtatutum fuerat, certum eſt.* Verum hautquaquam intelligit auctor quinti libri Aimoini Synodum Oecumenicam, quam *Romani* vocant *octavam*, A. C. 869. celebratam adverſus Photium, ſed ipſam illam Photii adverſus Ignatium A. C. 861. quæ *Græcis Octava* itemque *duplex* vocatur, & in qua de cultu imaginum actum fuiſſe conſtat, idque ſine dubio in favorem Romani Pontificis ad deliniendum ipſum, ejusque Legatos ut à partibus Photii contra Ignatium eſſet. Agnoſcit hanc appellationem ipſe Baronius A. C. 869. n. 91. ibi *Græcos Synodum à Photio celebratam Octavam & Oecumenicam nominare ac venerari, ſed & Latinum Collectorem Canonum ex eadem quædam deſcripſiſſe.*

§. VI.

Confirm. autorit.

Denique inſtar omnium ſit exquiſitum Jacob. Sirmondi è S. J. judicium, quod præfixit Canonibus Concilii Francof. Tom. II. *Quæſitum eſt,* inquit, *à multis noſtra & patrum ætate doctiſſimis viris de canone iſto* (Francof. Concil. II.) *& de libris Carolinis, an falſi & ſubdititii, deinde an Synodus illa Græcorum, cui adverſantur, Nicæna pro Imaginibus Synodus fuerit, an alia. Nec injuria fortaſſe de utroque capite, re nondum comperta, dubitabatur. Nunc vero & Synodi Canones libroſque Caroli omnes fere agnoſcunt,*

ſcunt, & de Synodo Nicæna, quæſtionem fuiſſe ſimiliter conſentiunt. Et illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis *lib. XI. de C. S. & J. c. XVII. 2.* ingenue fatetur; Synodum VII. Niceæ congregatam à Concilio Francofurtenſi, (cujus magnam eſſe auctoritatē, idem *lib. VI. c. VII. §. 1.* aſſerit) fuiſſe exploſam; quanquam ex errore *vitioſæ interpretationis* potius, quam jure factum id arbitretur. Ita enim conciliat Græcos cum Latinis ſive Germanis: Græcos *venerationem* tantum τιμητικὴν ſive *bonorariam* imaginibus tribuiſſe, quemadmodum magiſtratus quidem honorarii vocentur, qvum in actu rerum tales non ſint: generale vocabulum προσκύνησις à materia ſive objecto modum recipere: definitionem itaque Synodi orientalis bonam eſſe nec damnatam à Synodo Germanica, ſed tantum dictum Conſtantini Epiſcopi, quod tamen ipſum interpretatione corruptum, vitioſaque interpunctione. Infauſte, *inquit Carolus in Capitul. l. III. c. XXII.* & præcipitanter ſive inſipienter Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus dixit: *Suſcipio & amplector bonorabiliter ſanctas & venerandas imagines, & quæ ſecundum ſervitium adorationis, quæ ſubſtantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* At Græca hæc: Κ᾽ ἐγὼ ὁ ἀνάξιος τούτοις συντίθημι, καὶ ὁμόφρων γίνομαι, δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας, καὶ σεπτὰς εἰκόνας, καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω. Eaque ſic efferenda: *Cum in nulla ſententiæ parte alienas eſſe videam, quæ nunc lecta ſunt, literas ab oriente miſſas ad Taraſium ſanctiſſimum Archiepiſcopum, & Patriarcham Oecumenicum ab ea definitione Fidei, quam ipſe antea profeſſus fuerat, ego etiam in-*

indi-

indignus his conſentio, & ejusdem ſententiæ, ſuſcipiens & honorarie amplectens ſanctas & venerabiles imagines. Et adorationem ſecundum latriam ſoli ſuperſubſtantiali, & vivificæ Trinitati impendo. Atque imperitiam interpretis etiam Anaſtaſium aperuiſſe, eumque juſſu Hadriani aliam interpretationem aggreſſum. Verum quicquid ejus ſit, tanti non eſt, ut ab errore omni Concilium hoc defendi poſſit, ut jam tum latius demonſtravit M. Ant. de Dom. *l. VII. de Republ. Eccleſ. c. XII.* §. *LV. ſeqq.* Atque Edm. Richerius *Hiſtoriâ Concilior. Gener. cap. XI.* §. *13.* ait: Caroli M. ſeculo, cum ritus imagines adorandi introduceretur, ſicut omnia nova ſemper aliquid habent admirabilis, inſoliti, ac ſuſpecti: ideò hoc multos perculiſſe, quousque uſu diuturno ritus novus adorationis miteſceret. Allegat hanc in ſententiam Gregorii M. teſtimonium *lib. VIII. Ep. LIII. ſi. Ep. CIX. lib. IX. Ep. IX.* Hinkmari *cap. XXV. contra Hincmarum nepotem*, ex eoque colligit: conſvetudinem adorandi imagines ne tum quidem uſitatam fuiſſe in Galliis, ut ipſemet teſtetur Anaſtaſius, nec continuò receptam fuiſſe Synodum VII. ac veriſſimum eſſe tempore Caroli M. adorationem imaginum Synodo Pariſienſi (& ante hanc Francofurtenſi) prohibitam. Addit alia plura contra abuſum adorationis imaginum lectu digna.

CAP.

CAPVT XI.

De IMPERIO CAROLI MAGNI.

SVMMARIA.

Independentia Sedis Rom. non diuturna. Jus ordinandi Sedem R. oblatum Carolo M. Poteſtas Exarchalis Carolo refutata à P. R. Jus Caroli M. in ſacrum ſepulchrum & Hieroſolym. Jus ejus regium in urbem Romam. cap. Hadrianus. diſtinct. 63. expoſitum. Bulla Hadriani P. R. Lex Regia. Carolus Rex Romanorum, tandem & Imp. Auguſtus declaratus, Imperio Romano ad Francos tranſlato. Quid per hoc Carolo collatum ſit, inquiritur. Jus & Titulus Vniverſalis. quomodo Regnum ab Imperio differat. Item Jus occupandi pertinentias Imperii Occid. Jus Concilii Vniverſalis. Directorium inter Reges Chriſtianos in cauſis communibus. Catalogus Ordinum Imperii apud Goldaſtum. Jus quod Papa in urbem retinuit. A quibus collatum Carolo imperium. Libertas Eccleſ. G. hoc tempore. Concil. Aquisgranenſe, anno 809. Controverſia de clauſula Symboli: Filioque *contra P. R. deciſa. Libertas Conciliorum. Aſſeſſores etiam Laici. Materia proponi ſolita. Mos parilis Gothorum. Græcorum Gentilium.*

§. I.

Independentia ſedis Rom. inſtabilis.

PОrro haut diu perſiſtere poterat iſta ſedis Romanæ independentia à Rege Pipino relicta, tum propter inteſtinas diſcordias, quæ in electione novi Papæ maxime ſeſe prodere ſolebant, de quibus Gratianus diſt. *63. P. 3.* conqueritur, tum quod Senatus Populusque Romanus liberam optare Rempubl. videbantur. *Sigon. de Regn. Ital. l. 3. A. 790.* Pontifex contra Monarchicum ſibi affectabat ſtatum; imprimis vero Longobardi his Imperii Rom. reliquiis inhiabant. Hinc denuo recurrendum ad Francos erat, ut & tranquillarent res Pontificis domeſticas, & averterent jugum Longobardorum. Ac primo quidem qvum à Deſiderio Rege Longobardorum Papa Hadrianus in ſummas anguſtias eſſet redactus, ut & ſtatum reipubl. & ſimul Caroli Regis Francorum amicitiam atque auxilia ſibi eo certius firmaret, detulit Carolo *jus eligendi Pontificem Rom. & ordinandi ſedem Apoſtolicam*, idque factum communi conſilio Synodi Romanæ A. C. 773. ab 173. Epiſcopis & Abbatibus celebratæ, teſte *Sigeberto.* Id quod in alia Synodo A. C. 785. repetitum. Vide *Diſt. 63. c. Hadrianus 22.* Malmesbur. *l. 11. c. 13.* Onuphr. Panvin. *Vit. Gregor. VII.* Aventin. *l. IV.* Huld. Mut. *l. VII.* Goldaſt. *Tom. 1. Conſt. Imp. 1.* Petr. de Marca *lib. VIII. de C. S. & J. cap. XIX. 7.* ubi contra Baronium & Binium demonſtrat, dictum *cap. Hadrianus* nequaquam eſſe ſuppoſititium, ſed revera tributam fuiſſe Carolo poteſtatem eligendi Pontificem Romanum. At non eſt intelligendum merum jus eligendi aut confirmandi, ſed imo totum jus ordinandi ſedem Apoſtolicam, adeoque ſummam poteſtatem in eam. Id vel ſucceſſoris Pontificis factum clarè arguit, qui non ſolum confirmationem petiit, ſed ſubjectio-

Jus elig. Papam.

jectionem ſedis Rom. ſub Regno Francorum ſolenniter conteſtatus fuit.

§. II.

Etenim mortuo Hadriano Leo Papa finiente A. C. 795. electus, ſtatim initio anni ſequentis transmiſit Carolo Regi per Legatos *claves confeſſionis D. Petri cum Vexillo urbis.* Ado: *Mox ut Leo in ejus locum ſucceſſit, miſſis legatis ad pium Regem Carolum, claves confeſſionis S. Petri ſimul & vexillum Romanæ urbis direxit.* Quibus ſymbolis ſummam poteſtatem circa ſacra & civilia in urbe Roma & dominio Pontificis Italico in Carolum à ſede Romana transtulit. Eleganter Jo. Mariana *lib. VII. de reb. Hiſp. c. XI.* ſcribit: *Præmiſſæ fuerant ad Carolum claves confeſſionis S. Petri, & urbis Romæ vexillum: indicio, cives & pontificem ſe in ejus poteſtatem contradere: quoniam parum opis in ea temporum perturbatione fore videbatur in Græcis Imperatoribus: res Francorum reſurgere & confirmari conſiderabant. Itaque quod abſenti decreverant, urbis Romæ imperium præſenti delatum.* Sic olim Pontifex maximus ſeu Pontificum *gentilium* princeps ſolebat Imperatori afferre *ſtolam Sacerdotalem* in ſignum ſubjectionis & translati ſummi pontificatus in Imperatores, teſte Zoſimo, *V. ſupra lib. 1. c. 2. §. 10.*

Poteſtas Exarchalis Carolo refutata.

§. III.

Pari ratione Patriarcha *Hieroſolymitanus* quinquennio poſt *claves ſacri ſepulchri cum vexillo* Carolo transmiſit: Ado: *Eodem die receptus eſt Zacharias Legatus ab Hieroſolymis revertens, ſimul & cum ipſo Patriarchæ legato, cum clavibus ſepulchri dominii, civitatis quoque, & montis Oliveti, deferentes etiam vexillum urbis.* Eginhardus *in Vit. Carol. c. XVI.* hanc rem ſic refert, ut de poteſtate ſumma

Jus Caroli in S. Sepulcrum.

in Carolum in locum ſacrum translata ſatis conſtet: *Cum Aaron Rege Perſarum, qui excepta India totum pene tenebat Orientem, talem babuit in amicitia concordiam, ut is gratiam ejus omnium, qui toto orbe terrarum erant, Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ſolumque illum bonore ac munificentia ſibi colendum judicaret: ac proinde cum Legati ejus, quos cum donariis ad ſacratiſſimum Domini ac Salvatoris noſtri ſepulcrum, locumque reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, & ei domini ſui voluntatem indicaſſent, non ſolum quæ petebantur fieri permiſit, ſed etiam ſacrum illum ſalutarem locum, ut ILLIVS POTESTATI ADSCRIBERETVR CONCESSIT, & revertentibus Legatis ſuos adjungens, inter veſtes & aromata & cæteras orientalium terrarum opes ingentia illi dona transmiſit, cum ei paucos ante annos eum, quem tunc ſolum babebat roganti mitteret elepbantem.* Hinc origo fabulæ de expeditione Caroli in Orientem.

§. IV.

Jus Caroli Regium in Rom.

Apparet ex his, Carolum R. plus acquiſiviſſe per decretum Pontificis Hadriani & Synodi Rom. quam Pipinus Rex nomine Patriciatus, aut Defenſoris Eccleſiæ, nempe totam poteſtatem Exarchalem, ſed *independentem* tamen, & qualem ſedi Romanæ Pipinus reliquerat, ita eandem ſedes *refutavit* filio, nec tamen ſub titulo Exarchi, ſed priori Patricii nomine. Vnde *quod in d. c. Hadrianꝰ, 22. diſt. 63.* dicitur: *dignitatẽ quoq; Patriciatus ei conceſſerunt,* illud de extenſione Patriciatûs dudum *conceſſi* ad ſupremã in ſedẽ Vrbemq; poteſtatẽ, & reliquias Imperii Romani in Italia, eſt intelligendum: Idq; eſt, quod *αὐτόπτης* Paulꝰ Diaconus *de Epiſcopis Metenſis Eccleſia cap. de Arnulpho* dicit: *Romanos præterea ipſamque urbem Romuleam, jam pridem ejus*

c. 22. diſt. 63.

præ-

præſentiam deſiderantem, quæ aliquando mundi totius domina fuit, & tunc à Longobardis depreſſa gemebat, duris anguſtiis eximens, ſuis addidit ſceptris, cunctaque nihilominus Italiâ miti dominatione potitus eſt. Et recte *Goldaſtus* Bullam Adriani, à Thiederico à Niem nobis aſſervatam, in verbis: *omne ſuum jus & poteſtatem*, non de abſoluta totius Legis Regiæ vi ac dynami, ſed limitatè intelligendam dicit ſuper illis, quæ prius Exarchi Ravennates Romæ, nomine Impp. exercebant, ut ea tantum Carolus abſoluta poteſtate adminiſtraret. Obſervari enim meretur, quod in dicta Bulla Carolus REX ROMANORVM appelletur. Nempe poteſtas Exarchalis independens nihil aliud erat quàm Regia, licet Carolus adhuc tum ROMANI nominis abſtemius ad evitandam Impp. C.Polit. invidiam.

§. V.

Duraverat hic rerum ſtatus per XXV. annos ſatis tranquillus, usque dum A. C. 799. ſeditio Romæ orta Procerum Rom. adverſus Pontificem, cujus cauſam Abbas Stadenſis reddit, *quod Papa reſiſteret Romanis, volentibus uſurpare ea, quæ erant Caroli.* Papa igitur ſemivivus vix elapſus in Franciam à Carolo, jurejurando prius purgatus de criminibus incuſatis, reſtitutus fuit. *V. Anaſtaſ. in Leon. III.* Et gratus igitur volebat eſſe Leo Papa, & rebus domeſticis magis conſulere, majori Caroli auctoritate in Romanos conciliatâ. Atque nihil erat reliqvum, niſi ut Carolus jus & dignitatem Imperatoris Romani in Occidente acquireret, & nomen Patricii Romani, quæſita jam tum ſumma poteſtate, in urbem & territorium Romanum, deponeret. Vt ut vero iſtud Carolus non ambiebat, ſummum tamen beneficium, meritumque Caroli

Occaſio quâ

Dignitas Imp. collata Carolo.

roli in Leonem & urbem Romam, illum in ſedem reſtituentis expulſum, hanc vero quietam & tranquillam reddentis : Pontificem populumque Rom. adegit ad hoc conſiilium, ut neſcium & invitum Carolum Regem, ſolennia ſacra Nativitatis JESV CHRISTI Romæ accedentem A. C. 800. pronunciaret IMPERATOREM AVGVSTVM. Ado: *In die ſancto Nativitatis Domini, ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli, cum glorioſus Rex Carolus ab oratione ſurrexiſſet, Leo Pontifex capiti ejus coronam impoſuit, ſicque ab univerſo Romanorum populo acclamatum eſt:* CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM VITA ET VICTORIA. *Perfectis laudibus à Pontifice more Principum antiquorum, adoratus eſt, atque ablato* PATRICII *nomine, quod primum in eadem urbe acceperat,* IMPERATOR & AVGVSTVS *appellatur.* Eginhardus *c. XXVII. & c. XXVIII. Nec ille toto regni ſui tempore quicquam duxit antiquius quam ut urbs Roma ſua opera ſuoque labore, veteri polleret auctoritate, & Eccleſia S. Petri non ſolum per illum tuta ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus Eccleſiis eſſet ornata ac ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra XLVII. annorum, quibus regnaverat ſpatium, quater tantum illò votorum ſolvendorum ac ſupplicandi cauſſa profectus eſt. Vltimi adventus ſui non ſolum hæ fuere cauſæ, verum etiam, quod Romani Leonem Pontificem multis affectum injuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens, propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Eccleſiæ ſtatum, ibi totum hyemis tempus protraxit. Quo tempore Imperatoris & Auguſti nomen accepit: quod primo tantum averſatus eſt, ut affirmaret, ſe eo die, quam-*

vis præcipua ſolennitas eſſet, Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet. Invidiam tamen ſuſcepti nominis, CPolitanis Impp. ſuper hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe præſtantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epiſtolis fratres eos appellando. Confer. *Ann. Franc. Adelmi A. C. 800. ſeqq.* & Reginon. *Ann. eod.* Anaſtaſ. *in Leon. III.*

§. VI.

Non obſcurum ex his eſſe poteſt, quid iſtud ipſum ſit omnino, quod tanquam apex honoris ac poteſtatis à Pontifice S. P. Q. R. in Carolum fuit delatum. Ex *intentione* enim *deferentium* & ex *natura* amplitudine & univerſalitate quadam *tituli*, & axiomatis IMPERII ROMANI apparet, non merum nomen, neque ſolam ſuperioritatem in urbem Romam & Eccleſiam Remque publicam Romanam voluiſſe eos Carolo conferre, iſtud enim fuiſſet vanus honor, hoc vero jam tum habebat ille ultra XX. annos. Sed imo ſcopus erat Pontificis præſertim atque Populi (Senatus enim nimium Libertatis avidus videtur fuiſſe, *Sigon. l. 3. de Regn. Ital. A. 790. 798.*) ut major *auctoritas*, & quæ maxima fieri poſſet, Carolo conciliaretur. At hæc *dignitate* continetur, qvum Tullio auctore, dignitas ſit alicujus honeſta, & cultu & verecundia, & honore digna auctoritas. Porro major eſt ea dignitas, quæ poteſtatem complectitur, quam quæ *honoraria* dicitur *l. ult. C. de dignit.* illius denique ſpecies optima maxima, *Majeſtas imperii* eſt, quæ à Majeſtate Regia, ut totum à parte diſcrepat. Dignitas igitur Imperii, & Jus Vniverſale, atque *titulus univerſalis* ab Impp. CPolitanis pro derelicto habitus in Vrbem Romam, in S. P. Q. R.

Quid per Imperium collatum Carolo.

in

in Sedem Patriarchalem occidentis, in Regna hactenus iure ſingulari poſſeſſa, nunc jure imperii univerſalis unita: erat id, quod reliqvum erat Populo Romano, quodque Carolo conferretur. Hoc eſt illud *plantarium ferri*, quod ultimo huic imperio ineſſe Nebucnezar viderat, & Daniel explicat, *cap. 2. 41.*

§. VII.

Quemadmodum nempe Jus Patriarchiatus ac Primatus Rom. ab Epiſcopatu Vrbis Romæ differt, ita differt Jus Imperii à jure regio in urbem Romam, & provinciam exarchalem. Non enim acquiſivit Carolus, nova regna aut provincias hoc titulo, ſed *novum jus, idque univerſale*, cujus *matrix*, quam fontem Imperii vocat H. Grot. radicatur in *ſumma poteſtate in urbem* & Populum Romanum, ſed amplitudo integri *corporis* extendatur oportet per provincias & *Regna* à Carolo jure *particulari* quæſita, jure ac titulo imperii unita, quæ nova poſſeſſionis forma univerſalis ſingulis fuit ſuperaddita. Unde apparet utique ad rem facere, ac reipſa differre *imperium* Romanorum, & *Regnum* Francorum vel Germanorum, quod tamen non credidit *H. Grotius de J. B. 2. 9, 11.* Cum enim plurium populorum unio alia fiat per conſociationem duorum aut plurium corporum, & totidem capitum, *quæ Reſp. confœderata* dicitur; alia per conjunctionem plurium corporum ſub uno capite, ut maneant disjuncta corpora; alia denique per redactionem corporum in unum corpus, & unum caput, quas ſpecies H. Grotius *J. B. 2. 9. 9.* attingit; ad *poſteriorem ſpeciem* referri Imperium Rom. non poteſt, qvum remanſerint nihilominus Regnum Germaniæ, Franciæ, Italiæ, diverſa Regna, & cuique ſui ordines

Imperium à Regno ut differt.

Unionis ſpecies. 1. 2. 3.

ac

ac ſtatus: neque *ad priorem*, quum caput ſit unicum: relinquitur ergo ut ad ſpeciem *mediam* referatur.

§. IIX.

Sed hæc unionis ratio iterum variat, *primo* enim ita poteſt fieri, ut præter caput, nihil habeant partes commune, veluti Imperium Romanum & Regnum Hiſpaniæ in Carolo V. unitum cernebatur: aut ut quædam jura habeant communia, & ſub uno capite quædam ſit ſocietas & *communio generalis*. Sic in vetus iam tum Imperium Ronum coierunt & Reipubl. Romanæ veluti matrici accreverunt Regna ſocia, Reſp. αὐτονομίᾳ ſuæ relictæ Provinciæ, Coloniæque, omnes tamen unum Imperii Rom. corpus atque σύστημα conſtituerunt, propterea, quæ habebant *communia* inter ſeſe, veluti caput ſeu ſubjectum ſummæ poteſtatis, Jus belli & pacis, Protectionis, Cenſus, Provocationis, alia. Pariter itaque etiam cum Carolo M. contigit, qui & Regnum Francorum, Germanorum, Lombardorum, & dominium urbis & Exarchatus tenuerat jure regio, & accedebat jam titulus & jus Imperii, quo hæc regna & provinciæ ſuo modo unirentur, & ſingula à titulo Imperii univerſali dependerent, uno gauderent capite, communi jure pacis & belli & ſimilibus. Nec obeſt, quod regna Franciæ & Lombardiæ diſtincta re & titulis ab Imperio Romano adhuc fuerint. Nam & titulum dominationis in Friſiones, itemque in Saxones diſtinctum à Regno Francorum uſurpavit Carolus, & tamen utraque fuit adjectio Regni Francorum, & Longobardorum Imperii Rom.

(1)

(2)

§. IX.

Jus occupandi pertinentias Imperii occident.

Denique effectum hujus juris Carolus ipſe rebatur hunc quoque, ut Nuceriam & alias urbes in Italia, quæ imperio

perio Græcorũ ad huc *ſubjecta* erant,*occuparet*,quibus deditis claſſem adornabat,ad occupandam quoque Siciliam; ſed cui rei mox intervenit tractatus atque conventio cum Imp. orientali. Tandem & hunc quoque effectum Imperatorium *ἀξίωμα* habuit, ut in ſacris *Jus Concilii Univerſalis* per occidentem convocandi haberet, & *directorium* in cauſis etiam mixtis *totam Chriſtianitatem occidentalem* concernentibus. Hinc Reges Hiſpaniæ, Angliæque etſi Imperio Rom. tum non ſubjecti, tamen ut amici & ſocii Imperatores comiter habuerunt, in comitiis per Legatos, non ut ordines Imperii, ſed ut ordines Eccleſiæ occidentalis & Patriarchatus Romani, qui Imperio Rom. ſubjectus, comparuerunt, Receſſibus ſubſcripſerunt. Hinc fluxit relatio Regum vicinorum quorundam in *Catalogum ordinum Imperii apud Goldaſtum, & Limnaum*. Hinc compellati Impp. *vicarii Chriſti:* & Imperium *Regnum Chriſtianiſſimum*, de quo alias. Quemadmodum enim Reges Francorum ante adeptum Imperii axioma jure Patriciatus ſeu *Advocatia* Eccleſiæ Patriarchalis per Occidentem, gaudebant *poteſtate tuendi ſedem*, ejusque jura per univerſum occidentem: ita poſtea *jure imperii Romani*, adepti fuere etiam *jus dirigendi, & ordinandi* eandem ſedem & jura Eccleſiæ per occidentem. Atque ita recte jam tum diſtinxit *Imperiũ Rom. à Regno Francorum* Ludovicus II. Imp. in Epiſt. ad Baſilium Imp. & ſe per *totam* Franciam quantumvis diviſam imperare aſſeruit. *Baron. ad A. C. 871. n. 58. 59.* quo de loco inferius.

§. X.

Jus Pontificis in urbem.

Petrus de Marca *l. III. d. C. S. & J. c. XI. §. 9. & 10.* etſi nobis cum per omnia non facit, illud tamen fatetur, *Pontificem Rom. ſummo Imperio nunquam, ſed Patriciatu*

cum

cum Regibus Francorum ſimultaneo, itemque dominii in Vrbem conſortio uſum fuiſſe, delato autem imperio in Carolum, etiam de ſuo aliquid contuliſſe. Etenim qui antea conſortes, inquit, *erant & ſocii ejusdem dominii, nunc inæquali fœdere conjungi videntur in detrimentum aliquod pontificiæ dignitatis.* Certè id quod Leo ac S. P. Q. R. per claves & vexillum reipſa detulerat, illud jam reſtitutus in ſedem etiam collatione tituli IMPERATORIS & AVG. declaravit. Quam etiam in ſententiam recte, arbitror, Nicolaus Alemannus picturam Lateranenſem interpretatus eſt, qua Petrus in ſolio dextrâ porrigit Orarium Leoni, ſiniſtrâ vexillum Carolo, de translatione Imperii ad Carolum, & reſtitutione Caroli in ſedem ſuam. Cæterum conſortium aliquod urbis manſit, & Pontifex Principatum in urbe retinuit, ſed ſalvo jure Imperatoris, & non tam communio fuiſſe in ſolidum pro indiviſo, quam dominium ſubalternum mihi videtur.

§. XI.

Vt igitur non nudum nomen Carolo & poſteris delatum, ita nec à ſolo Papa, ſed ab OMNIBVS conſtitutus eſt Imp. Rom. ait Anaſtaſius. Nempe Imperium Romanum Francorum, & Germanorum initium cepit *à Pontifice Rom.* robur addidit Senatus Populusque Romanus ultra XX. annos jam tum liber ab Imperio Græcorum: complementum & perfectionem *Carolus ipſe*, poſſeſſioni ſuæ novam ſuperaddens formam & particulari univerſalem; quemadmodum ſi ei, qui pro emtore poſſidebat, hæres ſim, eandem rem & pro emtore, & pro herede poſſideo. *l. 3. §. 4. D. de Acquir. poſſ.* Atque ut hæc reipubl. forma etiam poſteris ſtabilis eſſet, *Imperator inter filios ſuos*, inquit Ado, *regna divìdit, ut quisque ſciret, ſi ſuperſtes eſſet,*

A quibus delatum Imperium Carolo.

mam dirigerent, teſte Anaſtaſio. Enimvero addiderant Eccleſiæ Francorum ſymbolo Niceno verbum FILIOQVE, de eo quæſitum in Concilio Aquisgranenſi A.C. 809. an recte? & cum ſententia ipſa per ſe ſit vera, num liceat id canendo proferre, etiamſi id vel Romæ, vel alibi inuſitatum eſſet? Legatis ad pontificem deſuper miſſis, ſuaſit ille, *ſymbolum in Eccleſia aliquamdiu intermittendum, & obliterandum, & poſtea iterum absque additione canendum*, ipſe quoque ſymbolum ſine iſta adjectione Græce & Latine argenteis tabulis deſcribi fecit. Sed Eccleſiæ Francorum id conſilium non ſuſceperunt. Ado: *Synodus magna Graniaquis congregatur, anno incarnationis Domini DCCCIX. in qua ſynodo de Proceſſione Spiritus Sancti quæſtio agitatur: utrum ſicut procedit à Patre ita procedat à Filio? Hanc quæſtionem Ioannes Monachus Hieroſolymitanus moverat, cum regula & fides Eccleſiaſtica firmet, Spiritum S. à Patre & filio procedere non creatum, non genitum, ſed Patri & Filio coæternum, & conſubſtantialem. Nomen autem Proceſſionis à Patre & Filio in Apocalypſi ita aperte eſt poſitum: ET OSTENDIT MIHI, haud dubium quin Angelus, FLVMEN AQVAE VITAE SPLENDIDVM TANQVAM CRYSTALLVM, PROCEDENTEM DE SEDE DEI ET AGNI. In eodem etiam Synodo quæſitum eſt, & ventilatum de ſtatu Eccleſiarum, & ordine ſingularum, cujusque converſationis etiam clerici eſſe debent.* Quod tandem & Pontifex Rom. recipere fuit coactus, teſte Concilio Florentino Seſſ. VII. *Maximo in Gallia & Hiſpaniis ſchiſmate imminente, cum jam EX FILIOQVE paſſim celebraretur: Romano Pontifici fuit neceſſe, in multorum Occidentalium ampla dignitatis, magnique conſilii patrum conventu, addito: EX FILIOQVE.*

Symbolum magis illuſtrare. Conf.Baron. *ad Annum C.791. & 883. n. 4.*

§. XIII.

Libertas Conciliorũ Hic igitur Eccleſiarum noſtrarum ſub Imperio Caroli M. ſtatus atque libertas fuit, ut Jus Patriarchale Pontificis Rom. quidem agnitum, & jus concedendi pallii relictum, ſed ſalva poteſtate ſumma Imperatoris circa ſacra, ſalvaque libertate, ſeu ſuperioritate Concilii Vniverſalis Eccleſiæ Occidentalis, aut Synodi Nationalis, & ſalva itaque regula formulaque ſalutis, credendi & vivendi ſecundum inſtitutum CHRISTI & Apoſtolorum. *Aſſeſſores* Atque hæc maxima Libertatis Sacræ Germaniæ & Franciæ videtur ſpecies, quod uti penes Regem aut Imperatorem fuit jus Concilii convocandi, ita jus deliberandi & decernendi non penes ſolos Epiſcopos, ſed penes ſtatus atque ordines utroſque & Sacros & Civiles ſive Laicos: *Status etiã ſecul.* Nam quemadmodum iſti in ſocietatem cauſarum quoque civilium recepti, ita hi merito quoque in cauſis ſacris admiſſi. *Materia.* Nam utrumque genus in iisdem conventibus tractatum cernimus. Vid. Concil. Aurel. V. Concil. Turon. Concil. Matiscon. II. Concil. Francofurt. Aquisgranenſe, & pleraque omnia. conf. Petrum de Marca *l. VI. c. XIV. 6. & c. XXV.* St. Baluz. *Præf. Capitul. Franc.* §. *VII.* *Sic apud Gothos & Græcos.* Nec aliter *Gothi* conſueverunt, ut apparet ex Concilio Agathenſi de A. C. 506. Concilio Tolet. III. IV. V. VI. XII. Sed etiam *Græcarum* gentium eadem juris hujus ratio fuit. Teſtis Plutarchus in Pericle eſt; referens, Periclem, *ad majorem gloriam excitando populum Atticum, & ad ingentia conanda, rogationem tuliſſe, ut omnium undique Græcorum indiceretur concilium, utque civitates tam magnæ, quam exiguæ mitterent Athenas Legatos εἰς σύλλογον, ad conventum,*

acturos

actūros de fanis Græcorum, quæ Barbari inflammaſſent, & de ſacris, itemque de mari: Cum his mandatis legatos XX. miſſos, qui quinquageſimum exceſſiſſent annum, ſuaſiſſe συμβούλους, ut ad Concilium coirent ad conſultandum in medium de pace & rebus Græciæ novatis. Etſi vero id vanum fuit tum, nec convenerunt civitates adverſantibus Lacedæmoniis, tamen modus procedendi & materia conſultanda fuit non inuſitatum quid. Vide elegantiſſimam Alb. Rubenii *de urbibus Neocoris Diatriben.*

CAPUT XII.

De LIBERTATE ECCLES. GERMAN. IMPERANTE LVDOVICO PIO.

SVMMARIA.

Libertas Eccleſiæ & Reipubl. conſpirat. Stephani IV. ſubmisſio. D. 63. c. 28. itemque ſucceſſorum. Diſt. 63. c. 30. Pactum Ludovici cum Paſchali ſubleſtæ fidei. Romani homagium Germanis præſtiterunt. Paſchalis quo modo conceſſerit S. Poteſtatem Lothario. Mos Papæ occurrendi Imperatori & Regibus. Ludovici Pii donatio Paſchali facta, cujus valoris. Perſona P. R. an exemta? Sergii electio. Sigebertus defenſus Anaſtaſius explicatus. Leonis IV. electio. D. 63. can. 31. Homagii natura & origo. Papa

dici-

dicitur amicus Imperatoris, & hic Filius Papæ: ſalvâ ſuperioritate. Probedria P.R. Obſequium ergà clerum non liberat hunc à ſubjectione. Diſt. 63. can. 28. Mores Clericorum corrupti. Reformatio à Ludovico Pio cœpta. Seditio adverſus eum. an Papa particeps illius? Hierarchia fundamenta. Germani Imperatorem reſtituunt. D. 19. c. nulli fas. can. decreto. cau. 2. q. 6. Archiepiſc. Hamburgicus.

§. I.

Lib. Eccl. & Reip. conſpirat. DIgnum obſervatu eſt, quod Libertas Eccleſiaſtica cum ſumma poteſtate Imperatoria Regiaque pari paſſu ambulavit. Atque uti amplitudo potentiæ Francorum & Germanorum illam nihil imminuit, ita etiam Caroli M. filius atque ſucceſſor in Imperio, LUDOVICUS cognomento Pius, eandem in flore ac vigore conſervavit ſuo, *amator totius pietatis ac religionis omnem ordinem Eccleſiaſticum pio ſtudio exornans* uti cluit Adoni Epiſcopo Vienn. *Epiſcopales etiam ſynodos*, inquit idem, *propter redintegranda S. S. Patrum ſtatuta & Chriſtianarum regularum obſervationem ubique fieri decrevit.* Quare *diſt. 36. c. 28.* quum mortuo Leone III. Pontifex Rom. Stephanus IV. electus fuiſſet, & conſecratus *absque Imperiali notitia, nec canonico ritu, & conſuetudine ab Imp. directi interfuiſſent nuncii*, ipſo fatente, *Diſt. 63. c. 28.* ſtatim ipſe Imperatorem acceſſit, & ſicut is ab Imp. approbatus, ſic Imperator cum Conjuge Rhemis ab eo coronatus fuit A. C. 816. reverſus autem Stephanus decretum fecit: *Ut cum inſtituendus eſt Pontifex, convenientibus Epiſcopis & univerſo CLERO eligatur præſente ſenatu & populo, qui ordinandus eſt, & ſic ab omnibus electus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur. d. c. 28. D. 63.*

§. II. Ste-

§. II.

Stephanum ſequutus eſt Paſchalis de quo incertus auctor Vitæ Ludovici, coævus tamen, *à P. Pithæo cum Annal. Franc. editus*, alias *Aimoino* ſub *tit. l. 5.* aſſignatus, refert: Paſchalem miſiſſe legatos cum maximis muneribus, & *epiſtola Apologetica, & petita impetraſſe, ſuper confirmatione ſcilicet pacti & amicitiæ more prædeceſſorum ſuorum.* Quare qvum mortuo Paſchali Papâ, *duo Papæ* à Romanis electi eſſent, jure ſuo Imp. Ludovicus uſus, filium Lotharium, ſocium Imperii, Romam miſit, qui, *quæ neceſſaria viderentur in ſtatu Populi Rom. jamdudum quorundam Præſulum perverſitate depravato, corrigens ordinaret*, A. C. 824. teſte Adelmo. Atque Gregorius IV. eodem referente, electus A. C. 827. *non prius ordinatus fuit, quàm Legatus Imp. veniſſet Romam, & electionem Populi examinaſſet.* Conf. *Auct. Anonym. vita Ludov. Pii.*

Stephani & ſucceſſorum ſubmiſſio.

§. III.

Quæ cum ita ſint, certe apertum eſt, veritati hiſtoricæ omnino adverſari Pactum Imp. Ludovic. I. cum Paſchali Papa, quod refert Gratianus *c. 30. diſt. 63.* quo renunciaſſe dicitur Imperator juri ſuo in ordinanda ſede Romana. Certe exercuit illud & hic Imp. & ſucceſſores poſt Paſchalis obitum & deinceps. Et quod urbs & Ducatus Romanus non ita ſub poteſtate Romani Pontificis tempore Paſchalis Papæ fuerit, ut hic Imperatorem duntaxat pro amico & ſocio, non pro rege & ſuperiore habuerit, itidem contra hiſtoriæ fidem eſt. Nam ex iisdem Annalibus ad A. C. 823. conſtat, Imperatorem de interfecto Theodoro, & Leone, *quod ſe in omnibus fideliter ergapartes Lotharii juvenis Imperatoris geſſiſſent*, etiam contra ipſum Papam, *cujus juſſu vel conſilio* ſcelus perpetratum

Diſt. 63. c. 30

ferebatur, inquiſitores Romam miſiſſe, quo factum, ut Pontifex ſemel atque iterum per Legatos Imp. ſe excuſaverit, *& ſe ab hujus facti communione cum magno numero Epiſcoporum JVREJVRANDO purificaverit.* Salvum igitur eſt imperatori Francorum & Germanorum jus & ſuperioritas in Sedem & urbem Romanam & in ipſius Pontificis Rom. perſonam. Confer. *Gl. margin. M. ad d. can.*

§. IV.

Homagium Romæ præſtitit Impp.

Sed res magis clara propter præſtitum à Romanis homagium Imperatori Ludovico I. & Lothario. Continuator Chronici Pauli Diaconi de Epiſcopo Metenſi in Corpore Hiſt. Franc. à M. F. A. 1613. Hanoviæ edito. „ A. DCCCXXV. Lotharius Imp. iterum ad Italiam veniens miſſam S. Martini Romæ celebravit. Et hoc eſt juramentum quod Romano Clero & populo ipſe & Eugenius Papa facere imperavit: Promitto ego ille per DEVM omnipotentem, & per iſta ſacra quatuor Evangelia, & per hanc crucem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per corpus beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero dominis noſtris Imperatoribus, HLudovico & HLothario, diebus vitæ meæ, juxta vires & intellectum meum, ſine fraude atque malo ingenio; SALVA FIDE, QVAM REPROMISI DOMINO APOSTOLICO: & quod non conſentiam ut aliter in hac ſede Romana fiat electio Pontificis, niſi canonice & juſte, ſecundum vires & intellectum meum: & ille, qui electus fuerit, me conſentiente conſecratus Pontifex non fiat, priusquam tale Sacramentum faciat, in præſentia miſſi domini Imperatoris & populi, cum juramento, quale Dominus Eugenius

„ genius Papa ſponte pro conſervatione omnium factum,
„ habet perſcriptum.

§. V.

Idemque ad A. 823. refert: *Lotharius Imp. primo ad Italiam venit, & diem Sanctæ Paſchæ Romæ fecit. Paſchalis quoque Apoſtolicus POTESTATEM, QVAM PRISCI IMPERATORES habuerunt, ei ſuper POPVLVM ROMANVM conceſſit.* Quod ait, *conceſſiſſe*, id quidem cum grano ſalis intelligendum, & eo modo, quo tunc pro rerum ſtatu concedendi jus habebat Pontifex. Sicut enim jus concedendi ſummam Imperii Rom. poteſtatem Carolo M., non penes ſolum Papam fuiſſe ſupra fuit demonſtratum; ita *eandem* ſemel quæſitam & in Ludovicum transmiſſam, filioque Lothario communicatam, *declarare* ſolenni conſecratione & unctione utique potuit Pontifex Rom. Cæteroquin ſatis clarè teſtatur auctor, *eandem* imperii poteſtatem Regibus Francorum competiiſſe, quam habuerunt *priſci Imperatores* Romani & CPolitani. Atqui hi habuerunt ſummam poteſtatem circa ſacra, etiam in perſonam Papæ Rom. & CPolitani. Igitur & Impp. Francorum atque Germanorum. Hinc Carolus inauguratione facta more Principum antiquorum adoratus dicitur Adoni. Et ſimiliter Adelmus, vel qui eſt auctor libri V. Aimoini, ad A. 801. *Poſt quas laudes ab eodem Pontifice, more antiquorum Principum adoratus eſt.*

Paſchalis ut conceſſerit imperium Lothario.

§. VI.

Atque Ludovicus I. urgebat, ut ipſi occurreret Gregorius, more prædeceſſorum ſuorum. *Auct. Vitæ Ludovici.* de quo occurrendi more etiam Herembertus ap. *Baron. ad A. C. 872. n. 3.* teſtatur: *Nicolaus Papa Vir DEO*

Papa occurrit Imperatorib.

plenus, ſecundum antiqvum morem ei (Ludovico II. Imp. Romam venienti) *obviam venit, cum CANDIDATO SACERDOTALI AGMINE.* Quid quod & *Regibus* Francorum ad fines occurrere mos fuit, teſte Hugone Capeto Rege, *epiſt. ad Joban. XV.* ſcribit: *Gratianopolis civitas in confinio Italiæ, & Galliæ ſita eſt, ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere ſoliti fuerunt, hoc ſi vobis placet iterare, poſſibile eſt.* Baron. ad A. C. 994.

& Regibus.

§. VII.

Ludovici donatio Paſcali facta.

Quare ex his judicari poteſt, quid habendum ſit de *Epiſtola Ludovici Pii, ad Paſchalem Papam,* qua Civitates ad Romanam Eccleſiam ſpectantes ab eis ſecrevit, quæ ad Imperium pertinerent. Refert eam Ivo *P. 5. c. 51.* Gratianus *diſt. 63. c. Ego Ludovicus. 30.* St. Baluz. *T. 1. Capitular. Francor. p. 591.* Ex ea *Blondus* quædam refert, & *Andreas Dandulus Venetiarum* dux in Chronicis ſuis, teſte M. A. Marcello *de Jur. Secul. Pont. Rom. C. XI.* Carolus Molinæus *in Notis ad hoc,* putat hanc conceſſionem æquè falſam eſſe, ac illam quæ ſub Conſtantini nomine circumfertur. Atque huic ſententiæ adſtipulatur harum rerum callentiſſimus St. Baluzius Notis ad Gratianum. Quicquid ejus ſit, quantumvis totus Ducatus Romanus & vetus Exarchatus conceſſus fuiſſet Pontifici Romano, tamen id non niſi ſalva majeſtate & ſumma Imperatoris poteſtate intelligi poteſt. *In ipſa Roma jus magiſtratus conſtituendi* Ludovici filius, Lotharius Imp. exercuit. ut idem Marcellus ſcribit: *In hiſtoricorum literis habemus Lotharium hunc Eugenii temporibus primo Romæ magiſtratus conſtituiſſe, qui Populo jus dicerent. Quare opinantur aliqui ab Caroli ad usque Lotharii tempeſtatem Romanis libertate uti fuiſſe conceſſum, qua tamen nefarie abutebantur.* Petrus de Marc. *l. III.*

de

de C. S. & J. c. XI. §. fi. donationem hanc Ludovicii Pii tantum de Jurisdictione, quam in gravibus cauſis Pater reſervaverat, interpretatur, ſalvâ Imperatori poteſtate LLatoriâ & homagii exactione, quâ Lotharius uſus.

§. VIII.

Quantum tamen ad *perſonam* Pontificis Rom. dubitari poſſit, annon ipſa ut Papa Vniverſalis à poteſtate & Jurisdictione Imperatorum Francorum & Germanorum exempta jam tum fuerit? Primo quidem ex eo, quod ipſe non legitur feciſſe homagium, ſed conceſſiſſe Romanis, ut ipſi præſtiterint Imperatoribus. Id non obſcure innuere, quæ geſta in Comitiis Romanis A. C. 844. Anaſtaſius refert, expoſtulaſſe Proceres Imp. cum Pontifice Rom. Sergio II. *de obedientia & ſuperioritate, quod ſcilicet Papa eſſet modis omnibus Cæſari ſubjectus, nec ſine ejus nutu conſecrari, multo minus regnare deberet.* Sed ait Anaſtaſius: *Nec ſermones Pontificis, nec prudentiam ſuperare voluiſſe, & adeo ſuperatos pudore & opertos confuſione diſceſſiſſe.* Illis peractis poſtularunt à Pontifice, ut omnes Primates Romani fidelitatem ipſi Ludovico Regi per ſacramentum promitterent. At neque id Pontificem permiſiſſe, ſed, *ſi vellent, domino Lothario magno Imperatori hoc ſacramentum ut faciant, ſolummodo ſe conſentire, atque permittere; nam Ludovico ejus filio ut hoc peragetur, neque ſe, neque omnem nobilitatem Romanorum conſentire.* Itaque factum ut fidelitatem Lothario promiſerint Primates Romani, Papa permittente, & ut antea viſum, ſalva fide, quam Romani promiſerant Pontifici.

Perſona papa an exemta R. dub. 1.

è Synodo Rom. A. 844

Sergii electio.

§. IX.

Enim vero omittit & hic, ut alias in favorem Papæ, Anaſtaſius, ſuper quib9 prior quæſtio fuit agitata, de *jure ſc. Impe-*

Reſp. in

Imperatoris circa ordinandam ſedem Romanam, & de inde dependente *ſubjectione perſonali Pontificis Rom.* Quantumvis autem rem non exprimat, ex cæteris tamen relatis facile judicare poteſt, non de alia re niſi de hac ipſa fuiſſe controverſiam. Porro etſi à Pontificis miniſtro Anaſtaſio, dicatur Pontifex in ſua ſententia perſtitiſſe, nec cedere voluiſſe Legatis Imperatoris, reipſa tamen hoc videtur fuiſſe geſtum: ut Legati conſenſum quidem Imperatoris de Electione Sergii & ratihabitionem non amplius cohiberent, poſtquam Sergius perhonorifico apparatu Ludovicum & legatos recepiſſet, nihilominus tamen de diſplicentia Imperatoris teſtarentur, & jus ejusdem per omnia ſalvum atque integrum ſolenni proteſtatione reſervarent, tam quoad electionem, quàm ſubjectionem Pontificis. Quo facto poſtularunt à Primoribus Romanis homagium: quod eatenus deprecati tantum fuerunt Romani atque Pontifex, ne homagium in perſonam Ludovici filii, ſed in Patris Lotharii tantùm conciperetur, quod & factum, & non tantum *omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi, cum reliquis optimatibus Romanorum & Francorum*, ſed etiam *Pontifex* Sergius & Ludovicus Rex *fidelitatem Lothario M. Imperatori ſemper Auguſto promiſerunt*, ut habent verba ipſius *Anaſtaſii.*

X.

Sigebert. defens. Atque hoc erat finis, ob quem miſerat Imperator filium cum Legatis atque exercitu in Italiam, quod recte retulit *Sigebertus*, cui non contrarius *Ado*, qvum coronatio & conſervatio juris in ſedem Romanam mutuo ſeſe contineant, ut temere Sigebertus impudentiæ & ſchiſmatis heic arguatur, niſi & Anaſtaſium eodem pari facilitate argui poſſe dixeris. Idem quoque fuit effectus hujus expeditio-

peditionis, nam mortuo Sergio, & electo à Romanis Leone IV. *Romani*, inquit Anaſtaſius, *novi electione Pontificis congaudentes cœperunt iterum non mediocriter contriſtari, eo quod ſine Imperiali non audebant auctoritate futurum conſecrare Pontificem: periculumque Romanæ Vrbis maxime metuebant, ne iterum ut olim aliis ab hoſtibus erat obſeſſa, hoc timore & futuro caſu perterriti, quod eum ſine permiſſu principis Præſulem conſecraverunt, fidem quoque illius † ſibi honorem poſt DEVM per omnia & in omnibus conſervantes.* Signo crucis ibi addito Baronius corruptum textum notat, non emendat, *ad A. C. 847. n. IX.* Editio Moguntina habet: *Hoc timore & futuro caſu perterriti, eum ſine permiſſu Principis præſulem conſecraverunt, fidem quoque illius ſivè honorem* &c. Senſus autem ſine dubio eſt, Romanos pœnitentes emendaſſe delictum ſuum adverſus Imp. commiſſum præſtatione homagii. Id etiam Theganus de geſtis Ludovici teſtatur: *Leo Papa, ſtatim poſtquam Pontificatum ſuſcepit, juſſit omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludowico.*

Anaſtaſ. explic.

Leonis IV. electio.

§. XI.

Argutus hic eſt *Baronius n. X.* probans ex *c. 31. diſt. 3.* Leonem Papam *obſtitiſſe Impp. vindicantibus ſibi confirmationem Pontificis Rom. quia conſenſerint, ne electio niſi ex canonum præſcripto fieret.* Quaſi verò Electio canonice facta non admitteret confirmationem. Atque totam rem admodum dilucide aperit ſucceſſoris Benedicti III. electio & confirmatio A. C. 855. de qua Anaſtaſius, ipſo Baronio n. XXXVIII. referente: *Romanos electum Benedictum Pontificali ſolio poſuiſſe,* ait, *ut mos eſt Pontificum, anáque conſuetudo demonſtrat. His ita peractis* pergit,

c. 31. d. 63.

Cle-

Clerus & cuncti Proceres decretum (electionis) *componentes, propriis manibus roboravere, & ut CONSVETVDO PRISCA EXPOSCIT inviĉtiſſimis Lothario ac Ludovico deſtinavere Auguſtis.* At miſſi Imperatoris primo difficilem reddidere confirmationem, rejecto tamen ab aliis in contrarium electo Anaſtaſio, tandem conſenſerunt, & tunc primò *in Pontificale ſolium*, velut electus fuit reſtitutus deinde *die dominico in Baſilica B. Petri*, ut confirmatus jam, *in præſentia miſſorum in Apoſtolica ſede, ut mos eſt, & antiqua traditio dictat, conſecratus, ordinatusque eſt, Pontifex.*

§. XII.

Reſp. 2. Homagii natum. Denique etſi probetur non ſemper à Pontificibus exactum fuiſſe Homagium, aut præſtitum, nihilominus tamen fidelitatem atque obedientiam non debuiſſe eos Imperatoribus Romanis, quorum Imperii, ac Reipubl. pars erant, per id nondum fuit probatum, qvum etiam aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ à præſtatione homagii ſoleant eſſe *immunes*, nihilominus tamen fidelitatem, & *obedientiam* Jure divino Principi aut Reipubl. ſuæ debentes, *Rom. XIII. 1. Maul. de Homag. tit. 1. numer. 7.* præſertim qvum homagii præſtatio non ſit de eſſentia ſubjectionis, & in veteri Imperio Rom. fere ignorata. Neque enim ſpecialis promiſſio obligationem ſubjectionis introducit, ſed lex ipſa & divina, & Civilis de parendo ſummæ poteſtati Reipubl. Eaque ipſa poteſtas per ſe & vi *τȣ̃ κυρίȣ*, poteſt ad obligationis iſtius complementum quaſcunque reipubl. partes adigere, tam primas, quam ultimas. Homagii vero exactio fere cum Gothis atque Francis orta videtur, occaſione migrationum, & occupationum alienarum terrarum, adeoque ex ſacramento

mento militari, Romanis quoque uſitato. Simile quid in Rep. Judæorum *Nehem. X. 19.* obſervare licet. Vnde nec obſtat, quod Romani fidelitatem Pontifici juraverint, & homagium quoque Imperatori jurantes, exceperint juramentum, & fidem pontifici ſuo repromiſſam; Idem enim fit adhuc quotidiè in Imperio noſtro; Ita Civitates Imperiales homagium præſtant Imperatori, ſed ſæpe etjam Epiſcopo ſuo, veluti de Colonia ad Rhenum teſtis *Limnæus. J. P. l. VII. c. X. 7. 9.* & ſemper homagium poteſtati mediatæ atque ſummæ præſtitum intelligitur ſalva fide immediatæ poteſtati ac ſubordinatæ factâ, quod indubitati eſt juris. Denique agnoviſſe Pontifices Rom. ſe fidelitate Imperatoribus ſuis eſſe obſtrictos, faſſus eſt Hadrianus II. in literis ſecretis ad Carolum Calvum, promittens ipſi Imperium poſt mortem Ludovici II. ut eſt ap. Baron. *ad A. C. 871. n. 82. Igitur ergo integra fide, & ſincera mente, devotaque voluntate, ut ſermo ſit ſecretior, & litera clandeſtina, nullique niſi fidiſſimis publicanda, vobis confitemur devovendo, & noteſcimus affirmando. SALVA FIDELITATE IMPERATORIS NOSTRI, quia ſi ſuperſtes ei fuerit veſtra nobilitas, vita nobis comite, ſi dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum nunquam acquieſcemus, expoſcemus, aut ſponte ſuſcipiemus alium in Regnum & Imperium Romanum, niſi te ipſum.* Atque continetur hæc ipſa juramenti præſtatio in formula homagii Lothario facti, antea allegatâ. *Conf. ſupra lib. 2. cap. IV. §. 3.*

§. XIII.

Quæ qvum ita ſint, facilius ad id, quod porro objici poſſet, reſpondebitur, & quod in *can. Ego 30. diſt. 63.* legitur, nempe inter Papam & Imperatorem tantum amici- *R. dub. 2.*

dicitur amicus Imperatoris, & hic Filius Papæ: ſalvâ ſuperioritate. Probedria P. R. Obſequium erga clerum non liberat hunc à ſubjectione. Diſt. 63. can. 28. Mores Clericorum corrupti. Reformatio à Ludovico Pio cœpta. Seditio adverſus eum. an Papa particeps illius? Hierarchiæ fundamenta. Germani Imperatorem reſtituunt. D. 19. c. nulli fas. can. decreto. cau. 2. q. 6. Archiepiſc. Hamburgicus.

§. I.

Lib. Eccl. & Reip. conſpirat.

DIgnum obſervatu eſt, quod Libertas Eccleſiaſtica cum ſumma poteſtate Imperatoria Regiaque pari paſſu ambulavit. Atque uti amplitudo potentiæ Francorum & Germanorum illam nihil imminuit, ita etiam Caroli M. filius atque ſucceſſor in Imperio, LUDOVICUS cognomento Pius, eandem in flore ac vigore conſervavit ſuo, *amator totius pietatis ac religionis omnem ordinem Eccleſiaſticum pio ſtudio exornans* uti cluit Adoni Epiſcopo Vienn. *Epiſcopales etiam ſynodos*, inquit idem, *propter redintegranda S. S. Patrum ſtatuta & Chriſtianarum regularum obſervationem ubique fieri decrevit.* Quare

diſt. 36. c. 28. quum mortuo Leone III. Pontifex Rom. Stephanus IV. electus fuiſſet, & conſecratus *absque Imperiali notitia, nec canonico ritu, & conſuetudine ab Imp. directi interfuiſſent nuncii*, ipſo fatente, *Diſt. 63. c. 28.* ſtatim ipſe Imperatorem acceſſit, & ſicut is ab Imp. approbatus, ſic Imperator cum Conjuge Rhemis ab eo coronatus fuit A. C. 816. reverſus autem Stephanus decretum fecit: *Ut cum inſtituendus eſt Pontifex, convenientibus Epiſcopis & univerſo CLERO eligatur præſente ſenatu & populo, qui ordinandus eſt, & ſic ab omnibus electus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur. d. c. 28. D. 63.*

§. II. Ste-

§. II.

Stephanum ſequutus eſt Paſchalis de quo incertus auctor Vitæ Ludovici, coævus tamen, *à P. Pithao cum Annal. Franc. editus*, alias *Aimoino* ſub *tit. l. 5.* aſſignatus, refert: Paſchalem miſiſſe legatos cum maximis muneribus, & *epiſtola Apologetica, & petita impetraſſe, ſuper confirmatione ſcilicet pacti & amicitiæ more prædeceſſorum ſuorum.* Quare qvum mortuo Paſchali Papâ, *duo Papæ* à Romanis electi eſſent, jure ſuo Imp. Ludovicus uſus, filium Lotharium, ſocium Imperii, Romam miſit, qui, *quæ neceſſaria viderentur in ſtatu Populi Rom. jamdudum quorundam Præſulum perverſitate depravato, corrigens ordinaret*, A. C. 824. teſte Adelmo. Atque Gregorius IV. eodem referente, electus A. C. 827. *non prius ordinatus fuit, quàm Legatus Imp. veniſſet Romam, & electionem Populi examinaſſet.* Conf. *Auct. Anonym. vitæ Ludov. Pii.* *Stephani & ſucceſſorum ſubmiſſio.*

§. III.

Quæ cum ita ſint, certe apertum eſt, veritati hiſtoricæ omnino adverſari Pactum Imp. Ludovic. I. cum Paſchali Papa, quod refert Gratianus *c. 30. diſt. 63.* quo renunciaſſe dicitur Imperator juri ſuo in ordinanda ſede Romana. Certe exercuit illud & hic Imp. & ſucceſſores poſt Paſchalis obitum & deinceps. Et quod urbs & Ducatus Romanus non ita ſub poteſtate Romani Pontificis tempore Paſchalis Papæ fuerit, ut hic Imperatorem duntaxat pro amico & ſocio, non pro rege & ſuperiore habuerit, itidem contra hiſtoriæ fidem eſt. Nam ex iisdem Annalibus ad A. C. 823. conſtat, Imperatorem de interfecto Theodoro, & Leone, *quod ſe in omnibus fideliter erga partes Lotharii juvenis Imperatoris geſſiſſent*, etiam contra ipſum Papam, *cujus juſſu vel conſilio* ſcelus perpetratum *Diſt. 63. c. 30*

Gg fere-

ferebatur, inquiſitores Romam miſiſſe, quo factum, ut Pontifex ſemel atque iterum per Legatos Imp. ſe excuſaverit, *& ſe ab hujus facti communione cum magno numero Epiſcoporum JURE JURANDO purificaverit.* Salvum igitur eſt imperatori Francorum & Germanorum jus & ſuperioritas in Sedem & urbem Romanam & in ipſius Pontificis Rom. perſonam. Confer. *Gl. margin. M. ad d. can.*

§. IV.

Homagium Romæ præſtitit Impp.

Sed res magis clara propter præſtitum à Romanis homagium Imperatori Ludovico I. & Lothario. Continuator Chronici Pauli Diaconi de Epiſcopo Metenſi in Corpore Hiſt. Franc. à M. F. A. 1613. Hanoviæ edito. „ A. DCCCXXV. Lotharius Imp. iterum ad Italiam veniens miſſam S. Martini Romæ celebravit. Et hoc eſt juramentum quod Romano Clero & populo ipſe & Eugenius Papa facere imperavit: Promitto ego ille per DEUM omnipotentem, & per iſta ſacra quatuor Evangelia, & per hanc crucem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per corpus beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero dominis noſtris Imperatoribus, HLudovico & HLothario, diebus vitæ meæ, juxta vires & intellectum meum, ſine fraude atque malo ingenio; SALVA FIDE, QUAM REPROMISI DOMINO APOSTOLICO: & quod non conſentiam ut aliter in hac ſede Romana fiat electio Pontificis, niſi canonice & juſte, ſecundum vires & intellectum meum: & ille, qui electus fuerit, me conſentiente conſecratus Pontifex non fiat, priusquam tale Sacramentum faciat, in præſentia miſſi domini Imperatoris & populi, cum juramento, quale Dominus Eugenius

„ genius Papa ſponte pro conſervatione omnium factum,
„ habet perſcriptum.

§. V.

Idemque ad A. 823. refert: *Lotbarius Imp. primo ad Italiam venit, & diem Sanctæ Paſcha Romæ fecit. Paſchalis quoque Apoſtolicus POTESTATEM, QVAM PRISCI IMPERATORES habuerunt, ei ſuper POPVLVM ROMANVM conceſſit.* Quod ait, *conceſſiſſe*, id quidem cum grano ſalis intelligendum, & eo modo, quo tunc pro rerum ſtatu concedendi jus habebat Pontifex. Sicut enim jus concedendi ſummam Imperii Rom. poteſtatem Carolo M., non penes ſolum Papam fuiſſe ſupra fuit demonſtratum; ita *eandem* ſemel quæſitam & in Ludovicum transmiſſam, filioque Lothario communicatam, *declarare* ſolenni conſecratione & unctione utique potuit Pontifex Rom. Cæteroquin ſatis clarè teſtatur auctor, *eandem* imperii poteſtatem Regibus Francorum competiiſſe, quam habuerunt *priſci Imperatores* Romani & CPolitani. Atqui hi habuerunt ſummam poteſtatem circa ſacra, etiam in perſonam Papæ Rom. & CPolitani. Igitur & Impp. Francorum atque Germanorum. Hinc Carolus inauguratione facta more Principum antiquorum adoratus dicitur Adoni. Et ſimiliter Adelmus, vel qui eſt auctor libri V. Aimoini, ad A. 801. *Poſt quas laudes ab eodem Pontifice, more antiquorum Principum adoratus eſt.*

Paſchalis ut conceſſerit imperium Lothario.

§. VI.

Atque Ludovicus I. urgebat, ut ipſi occurreret Gregorius, more prædeceſſorum ſuorum. *Auct. Vitæ Ludovici.* de quo occurrendi more etiam Herembertus ap. *Baron. ad A. C. 872. n. 3.* teſtatur: *Nicolaus Papa Vir DEO*

Papa occurrit Imperatorib.

plenus, ſecundum antiquum morem ei (Ludovico II. Imp. Romam venienti) *obviam venit, cum CANDIDATO SACERDOTALI AGMINE.* Quid quod & *Regibus* Francorum ad fines occurrere mos fuit, teſte Hugone Capeto Rege, *epiſt. ad Johan. XV.* ſcribit: *Gratianopolis civitas in confinio Italiæ, & Galliæ ſita eſt, ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere ſoliti fuerunt, hoc ſi vobis placet iterare, poſſibile eſt.* Baron. ad A. C. 994.

& Regibus.

§. VII.

Ludovici donatio Paſcali facta.

Quare ex his judicari poteſt, quid habendum ſit de *Epiſtola Ludovici Pii, ad Paſchalem Papam,* qua Civitates ad Romanam Eccleſiam ſpectantes ab eis ſecrevit, quæ ad Imperium pertinerent. Refert eam Ivo *P. 5. c. 51.* Gratianus *diſt. 63. c. Ego Ludovicus. 30.* St. Baluz. *T. 1. Capitular. Francor. p. 591.* Ex ea *Blondus* quædam refert, & *Andreas Dandulus Venetiarum* dux in Chronicis ſuis, teſte M. A. Marcello *de Jur. Secul. Pont. Rom. C. XI.* Carolus Molinæus *in Notis ad hoc,* putat hanc conceſſionem æquè falſam eſſe, ac illam quæ ſub Conſtantini nomine circumfertur. Atque huic ſententiæ adſtipulatur harum rerum callentiſſimus St. Baluzius Notis ad Gratianum. Quicquid ejus ſit, quantumvis totus Ducatus Romanus & vetus Exarchatus conceſſus fuiſſet Pontifici Romano, tamen id non niſi ſalva majeſtate & ſumma Imperatoris poteſtate intelligi poteſt. *In ipſa Roma jus magiſtratus conſtituendi* Ludovici filius, Lotharius Imp. exercuit. ut idem Marcellus ſcribit: *In hiſtoricorum literis habemus Lotharium hunc Eugenii temporibus primo Romæ magiſtratus conſtituiſſe, qui Populo jus dicerent. Quare opinantur aliqui ab Caroli ad uſque Lotharii tempeſtatem Romanis libertate uti fuiſſe conceſſum, qua tamen nefarie abutebantur.* Petrus de Marc. *l. III.*

de

de C. S. & J. c. XI. §. fi. donationem hanc Ludovicii Pii tantum de Juriſdictione, quam in gravibus cauſis Pater reſervaverat, interpretatur, ſalvâ Imperatori poteſtate LLatoriâ & homagii exactione, quâ Lotharius uſus.

§. VIII.

Quantum tamen ad *perſonam* Pontificis Rom. dubitari poſſit, annon ipſa ut Papa Vniverſalis à poteſtate & Juriſdictione Imperatorum Francorum & Germanorum exempta jam tum fuerit? Primo quidem ex eo, quod ipſe non legitur feciſſe homagium, ſed conceſſiſſe Romanis, ut ipſi præſtiterint Imperatoribus. Id non obſcure innuere, quæ geſta in Comitiis Romanis A. C. 844. Anaſtaſius refert, expoſtulaſſe Proceres Imp. cum Pontifice Rom. Sergio II. *de obedientia & ſuperioritate, quod ſcilicet Papa eſſet modis omnibus Cæſari ſubjectus, nec ſine ejus nutu conſecrari, multo minus regnare deberet.* Sed ait Anaſtaſius: *Nec ſermones Pontificis, nec prudentiam ſuperare voluiſſe, & adeo ſuperatos pudore & opertos confuſione diſceſſiſſe.* Illis peractis poſtularunt à Pontifice, ut omnes Primates Romani fidelitatem ipſi Ludovico Regi per ſacramentum promitterent. At neque id Pontificem permiſiſſe, ſed, *ſi vellent, domino Lothario magno Imperatori hoc ſacramentum ut faciant, ſolummodo ſe conſentire, atque permittere; nam Ludovico ejus filio ut hoc peragetur, neque ſe, neque omnem nobilitatem Romanorum conſentire.* Itaque factum ut fidelitatem Lothario promiſerint Primates Romani, Papa permittente, & ut antea viſum, ſalva fide, quam Romani promiſerant Pontifici.

Perſona papa an exemta R. dub. 1. è Synodo Rom. A. 844

Sergii electio.

§. IX.

Enim vero omittit & hic, ut alias in favorem Papæ, Anaſtaſius, ſuper quib9 prior quæſtio fuit agitata, de *jure ſc.* *Reſp. 1.*

Imperatoris circa ordinandam ſedem Romanam, & de inde dependente *ſubjectione perſonali Pontificis Rom.* Quantumvis autem rem non exprimat, ex cæteris tamen relatis facile judicare poteſt, non de alia re niſi de hac ipſa fuiſſe controverſiam. Porro etſi à Pontificis miniſtro Anaſtaſio, dicatur Pontifex in ſua ſententia perſtitiſſe, nec cedere voluiſſe Legatis Imperatoris, reipſa tamen hoc videtur fuiſſe geſtum: ut Legati conſenſum quidem Imperatoris de Electione Sergii & ratihabitionem non amplius cohiberent, poſtquam Sergius perhonorifico apparatu Ludovicum & legatos recepiſſet, nihilominus tamen de diſplicentia Imperatoris teſtarentur, & jus ejusdem per omnia ſalvum atque integrum ſolenni proteſtatione reſervarent, tam quoad electionem, quàm ſubjectionem Pontificis. Quo facto poſtularunt à Primoribus Romanis homagium: quod eatenus deprecati tantum fuerunt Romani atque Pontifex, ne homagium in perſonam Ludovici filii', ſed in Patris Lotharii tantùm conciperetur, quod & factum, & non tantum *omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi, cum reliquis optimatibus Romanorum & Francorum*, ſed etiam *Pontifex* Sergius & Ludovicus Rex *fidelitatem Lothario M. Imperatori ſemper Auguſto promiſerunt*, ut habent verba ipſius *Anaſtaſii.*

X.

Sigebert. defens.

Atque hoc erat finis', ob quem miſerat Imperator filium cum Legatis atque exercitu in Italiam, quod recte retulit *Sigebertus*, cui non contrarius *Ado*, qvum coronatio & conſervatio juris in ſedem Romanam mutuo ſeſe contineant, ut temere Sigebertus impudentiæ & ſchiſmatis heic arguatur, niſi & Anaſtaſium eodem pari facilitate argui poſſe dixeris. Idem quoque fuit effectus hujus expeditio-

peditionis, nam mortuo Sergio, & electo à Romanis Leone IV. *Romani*, inquit Anaſtaſius, *novi electione Pontificis congaudentes cœperunt iterum non mediocriter contriſtari, eo quod ſine Imperiali non audebant auctoritate futurum conſecrare Pontificem: periculumque Romanæ Urbis maxime metuebant, ne iterum ut olim aliis ab hoſtibus erat obſeſſa, hoc timore & futuro caſu perterriti, quod eum ſine permiſſu principis Præſulem conſecraverunt, fidem quoque illius † ſibi honorem poſt DEUM per omnia & in omnibus conſervantes.* Signo crucis ibi addito Baronius corruptum textum notat, non emendat, *ad A. C. 847. n. IX.* Editio Moguntina habet: *Hoc timore & futuro caſu perterriti, eum ſine permiſſu Principis præſulem conſecraverunt, fidem quoque illius ſive honorem* &c. Senſus autem ſine dubio eſt, Romanos pœnitentes emendaſſe delictum ſuum adverſus Imp. commiſſum præſtatione homagii. Id etiam Theganus de geſtis Ludovici teſtatur: *Leo Papa, ſtatim poſtquam Pontificatum ſuſcepit, juſſit omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludowico.*

Anaſtaſ. explic.

Leonis IV. electio.

§. XI.

Argutus hic eſt *Baronius n. X.* probans ex *c. 31. diſt. 3.* Leonem Papam *obſtitiſſe Impp. vindicantibus ſibi confirmationem Pontificis Rom. quia conſenſerint, ne electio niſi ex canonum præſcripto fieret.* Quaſi verò Electio canonice facta non admitteret confirmationem. Atque totam rem admodum dilucide aperit ſucceſſoris Benedicti III. electio & confirmatio A. C. 855. de qua Anaſtaſius, ipſo Baronio n. XXXVIII. referente: *Romanos electum Benedictum Pontificali ſolio poſuiſſe*, ait, *ut mos eſt Pontificum, canaque conſuetudo demonſtrat. His ita peractis* pergit,

c. 31. d. 63.

Cle-

mento militari, Romanis quoque uſitato. Simile quid in Rep. Judæorum *Nehem. X. 19.* obſervare licet. Vnde nec obſtat, quod Romani fidelitatem Pontifici juraverint, & homagium quoque Imperatori jurantes, exceperint juramentum, & fidem pontifici ſuo repromiſſam; Idem enim fit adhuc quotidiè in Imperio noſtro; Ita Civitates Imperiales homagium præſtant Imperatori, ſed ſæpe etjam Epiſcopo ſuo, veluti de Colonia ad Rhenum teſtis *Limnæus. J. P. l. VII. c. X. 7. 9.* & ſemper homagium poteſtati mediatæ atque ſummæ præſtitum intelligitur ſalva fide immediatæ poteſtati ac ſubordinatæ factâ, quod indubitati eſt juris. Denique agnoviſſe Pontifices Rom. ſe fidelitate Imperatoribus ſuis eſſe obſtrictos, faſſus eſt Hadrianus II. in literis ſecretis ad Carolum Calvum, promittens ipſi Imperium poſt mortem Ludovici II. ut eſt ap. Baron. *ad A. C. 871. n. 82. Igitur ergo integra fide, & ſincera mente, devotaque voluntate, ut ſermo ſit ſecretior, & literæ clandeſtinæ, nullique niſi fidiſſimis publicandæ, vobis confitemur devovendo, & noteſcimus affirmando. SALVA FIDELITATE IMPERATORIS NOSTRI, quia ſi ſuperſtes ei fuerit veſtra nobilitas, vita nobis comite, ſi dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum nunquam acquieſcemus, expoſcemus, aut ſponte ſuſcipiemus alium in Regnum & Imperium Romanum, niſi te ipſum.* Atque continetur hæc ipſa juramenti præſtatio in formula homagii Lothario facti, antea allegatâ. *Conf. ſupra lib. 2. cap. IV. §. 3.*

§. XIII.

Quæ qvum ita ſint, facilius ad id, quod porro objici poſſet, reſpondebitur, & quod in *can. Ego 30. diſt. 63.* legitur, nempe inter Papam & Imperatorem tantum amici- *R. dub. 1.*

Papæ amicus Imp. am aut fœdus amicitiæ fuiſſe, nullam ſuperioritatem; unde fingitur Ludovicus I. Imp. renunciando dixiſſe: *Dum conſecratus fuerit* (Papa) *Legati ad nos vel ad noſtros Succeſſores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam & charitatem ac pacem ſocient.* Plane etſi iſtam renunciationem adverſari veritati hiſtoricæ antea oſtendimus, illud quidem verum eſt, legatos mitti ſolitos à recens electis Pontificibus ad conciliandam Imperatoris amicitiam, ut vel de Paſchali conſtat; & patet id ex Luitprando, ex Adelmo, ad A. C. 876. & aliis. Quo referri etiam poterit, quod Papa Imperatorem *filium* compellare ſolitus, interdum etiam *Compatrem* Spiritualem, ſed illud forte ad ſpecialem S. Baptiſmatis cauſam pertinuit. Certe ipſi Papæ Imperator *Imperium* tribuit, ſic enim Ludovicus II. ad Baſilium Imp. orientalem: *Et certe quum primi Rom. Pontifices IMPERARE cœperunt, novum fuit, ſed de die in diem devenit in vetuſtatem. Baron. ad A. C. 871. n. 56.* Hinc mox aliter de urbe, aliter de Eccleſia Romana ſive ſede pontificia verba facit idem n. 59. *Romanorum gentem & urbem divinitus gubernandam, & Matrem omnium Eccleſiarum DEI defendendam atque ſublimandam ſuſcepimus.* Ditmarus quoque l. 2. Chron. Papam dicit *valentiorem Imperatore in Chriſto.*

Filius.

§. XIV.

Reſp. Cæterum agnoverant Impp. Chriſtiani *Eccleſiam Univerſalem pro Matre*, & ſe eſſe ejus *filios* profeſſi ſunt. Vnde & Papa una cum *ſynodo generali*, repræſentans Eccleſiam, non invitis Impp. eodem titulo uſus. Plane Papæ filius Imperator tantum abeſt, ut jure dicatur, quod Papa (ut perſona ſingularis & membrum Eccleſiæ, idque Imperatori ſubordinatum Jure divino, *Rom. XIII.*) potius ſit

ſit filius Imperatoris dicendus, & Patris Patriæ atque Eccleſiæ ſummi, & poſt DEVM O. M. unici. Neque vel ex divino, vel ex humano jure probari poteſt, Papam per ſe absque Concilio univerſali, univerſam repræſentare Eccleſiam, & ſæpe peſſime actum fuiſſet cum Eccleſia, ſi eam Papæ, inter quos aliquot monſtra & diabolorum victimæ notantur, repræſentaſſent. Denique quemadmodum Imperator non ut Imp. ſed ut Chriſtianus, h. e. non ut caput Reipubl. ſed ut membrum Eccleſiæ, matri filialem obtulit reverentiam, ita viciſſim Eccleſia, & primus proin Patriarchatus, in Rempubl. ut pars illius recepta, agnoſcit Imperatorem pro capite ſui TOTIVS, Reipubl. Atque hæc eſt illa amicitiæ ſpecies, quam ſolenni legatione novus Papa ab Imperatore non velut ſocio aut amico, ſed ut à capite Reipubl. & Eccleſiæ Defenſore ac receptatore ſolicitare habebat. Eſt enim etiam inter Imperatorem atque ordines Reipubl. Eccleſiaſticos amicitia, ſed quæ ſubjectionem haud excludit, quippe ad eam referenda ſpeciem non quæ ἐν ἰσότητι, ſed quæ ἐν ὑπεροχῇ dicitur Philoſopho *VIII. Nicomach. VII.* facile autem dijudicari poteſt, utra pars in hac amicitiæ ſpecie τῇ ὑπεροχῇ gaudeat; ſine dubio quippe non illa, quæ amicitiam ambit, ſed ea cujus ambitur hoc eſt *Imperatoria Majeſtas*, ad quam nimirum ipſe fundator Romanæ Eccleſiæ Paulus Apoſtolus, omnes ſedis iſtius adminiſtratores obligatos eſſe jure ſubjectionis docuit, *Rom. XIII.* & Petrus *I. Epiſt. II, 13. 14.* & agnoſcit Pelagius Papa, *Epiſt. 16.* ad Regem Childebertum Francorum. *cau. XXV. q. 1. c. ſatag.* Denique *honoris* ergo perſonam Eccleſiaſticam patrem, & ſe filium, compellari poſſe ab eo, qui nullam propterea agnoſcit *poteſtatem*, ſed ipſe ſumma gaudet,

exemplo ſuo docet Rex Syriæ Benhadad. *2. Reg. VIII. 9.* Vid. omnino Edm. Richer. *Hiſt. Concil. Gen. c. X. 6.*

§. XV.

R. D. 3. προεδρία. Exinde etiam intelligi poteſt, quod tertiam occupat objectionem, cur Otto Imp. Leoni Pontifici Rom. à ſe ordinato in Synodo altera Romana primum locum dederit, teſte αὐτόπτῃ Luitprando. Idemque antea Lotharius Imp. fecerat, ut patet ex ſubſcriptione Synodi Rom. A. C. 853. ſub Leone I. deponendo Anaſtaſio coactæ, ubi primum locum Leo Papa, alterum Lotharius Imp. occupat. Itemque quare in Litaniis Papa priorem præ Imperatore locum habuerit, ut ex Litania *Monaſterii Corbeienſis* videre eſt, quam *H. Meibomius ad Chron. illud* exhibuit.

§. XVI.

Reſp. Etenim primo pro diverſa actuum celebratorum natura, etiam diverſa ceremoniarum civilitate uſi ſunt Impp. Preces atque Litanias *ad actus Liturgiæ ſacræ referri*, indubium eſt. Eſt ergo actus Eccleſiæ, ut Eccleſiæ, non ut ſtatus. Atque in his προεδρίαν Pontificibus ſummis concedi ſalva majeſtate ſua, ſtatuere poterant Impp. Imò etiam *Epiſcopus* loci in Litaniis præpoſitus fuit *Regi* in Regno Franciæ, propterea tamen nulla conſecutio eſt ad Regis ſubjectionem. Illud autem apparet ex Eccleſiæ Bellovacenſis Litaniis veteribus, quas exhibet St. Baluzius *lib. 2. Miſcell. p. 143.* Similiter & Synodi Eccleſiaſticæ circa ſtatum Eccleſiæ proprium occupatæ, actus ſunt, qui magis ad Eccleſiam quàm Rempubl. pertinent, igitur & in his Impp. ſalva majeſtate ac poteſtate ſumma, digniorem locum cedere potuerunt. Eodem modo Ludovicus XII. Rex Franciæ, Academiam Ticinenſem honoris cauſſa viſi-

viſitans, qvum ad collegium perveniſſet Jaſoni ſiniſter adequitaſſe his verbis refertur : *Nunc Jaſon incipit Regnum tuum.* Et Carolus V. Imp. Rectori Lovanienſi latus ceſſiſſe fertur Joſ. *Nolden. de ſtat. Nob. Civ. c. IX. 409. ſeqq.* Quanquam omne id, quod objicitur, jus univerſale haud faciat, præſertim qvum etiam in contrarium exempla proſtent, & non tantùm Impp. ſed & reges, nec dum coronati unctive, dextram tenuerint Pontificis. *Anaſtaſius* de Ludovico Lotharii I. filio: *Tunc mutuo ſeſe amplectentes, tenuit idem Ludovicus Rex dextram ante dicti Pontificis. Baron. A. C. 844. n. VI.* Idem ad *A. C. MCXI.* §. *XI.* ex Actis Sutrinis refert de Henrico V. *Ad cujus* (Papæ) *veſtigia cum Rex corruiſſet, poſt pedum oſcula clevatus eſt. Ter ſe invicem amplexi, ter ſe invicem oſculati ſunt, & ſicut mox, DEXTERAM Pontificis tenens cum magno populi gaudio & clamore ad portam venit argenteam.* Ais: Qui dextræ Regis aſſidet, dicitur locum à Rege proximum obtinere, *Reg. II, 19. Pſ. 43, 10. Matth. XX. 20. 21.* Igitur Pontifex non Ludovicus aut Henricus ſupremum tum obtinuit locum. Regero; eodem modo etiam Ottonis & Leonis ſeſſionem prædictam interpretari me poſſe.

§. XVII.

Obſeq. erga cler. non liberat eum à ſubjectione.

Quæ denique Baronius ad A. C. 858. n. XII. de Ludovici II. humilimis obſequiis erga Rom. Pontif. urget ex Anaſtaſii relatione, quod *Imperator ſe jumento Pontificem vehenti ipſum freno ducens humilimum exhibuerit famulum,* partim non ſatis ſibi conſtant. Ait enim Anaſtaſius: *Excellentiſſimus quem cum vidiſſet Auguſtus obvius in adventum ejus occurrit, frenumque Cæſar equi Pontificis ſuis manibus apprehendens, pedeſtri more, quantum ſagittæ*

jactus extenditur, traxit. Partim nil niſi indicia ſunt civilitatis, atque comitatis inſignioris, quæ nec ſubjectionem, neque ſuperioritatem, ſed reverentiam erga ſummum Sacerdotem arguunt, & honorem carioribus hoſpitibus exhiberi non inſolitum. Ex his liquet etiam, quomodo intelligenda ſint quæ Ditmarus *l. IV. Chron. Merſ.* de Ottone 3. refert: *Omnes regiones, quæ Romanos & Longobardos reſpiciebant, ſuæ dominationi fideliter ſubditas, Româ ſolum, quam præ cæteris diligebat, ac ſemper excolebat, accepta, habebat.* Legendum utique, *Excepta*: at non hoc ſenſu, quaſi nullum in urbem Imperium habuiſſe dicatur Imperator, ſed quod non ita, ſicut in reliquas urbes & regiones Romanas & Longobardicas, hoc eſt, non *immediatè*; qvum dominium immediatum, atque ſubordinatum conceſſum eſſet Pontifici, ſummo Imperio Imperatori reſervato. Conf. ejusdẽ Ditmari carmen ad fin. l. VI. quod nos infra referemus. Et quid multis, etiam cæteris Epiſcopis ſuis Reges ac Impp. obſequium & obedientiam præſtitere in cauſis ſacris, ſalva nihilominus Majeſtate regis, & ſubjectione Epiſcoporum. Digna ſunt verba Impp. Francorum *l. V. Capitular. c. 222. Edit. Baluz. 375.* hac de re: *Volumus vos ſcire voluntatem noſtram, quod nos parati ſumus, vos adjuvare, ubicunque neceſſe eſt, ut miniſterium veſtrum adimplere valeatis: ſimulque vos admonemus, ut propter HUMILITATEM NOSTRAM, & OBEDIENTIAM, quam monitis veſtris propter DEI timorem exhibemus, honorem à DEO nobis conceſſum conſervetis, ſicut anteceſſores veſtri, noſtris anteceſſoribus fecerunt.* Denique in quanta auctoritate tum fuerit Imperatoria poteſtas & quàm ſubjecti pontifices judiciis imperialibus tam in cauſſis criminalibus, quam civilibus

libus egregiè demonſtravit St. Baluzius *Præfat. Capitular. Francor.* §. 26. *ſeqq.*

§. XVIII.

Poteſtatem circa ſacra ſic in Italia, atque Romæ ſtabilitam denuo, Ludovicus I. Imp. etiam in Germania exercuit libere & ſine Pontificis Rom. concurrentia. Felicitas horum temporum, atque abundantia opum Eccleſiaſticarum, potentiaque Epiſcoporum civilis ſtatum mores-que Eccleſiæ veræ atque internæ vehementer hactenus corruperat. Aperit hoc Paulinus Epiſcopus Aquileienſis, inter cujus fragmenta Epiſtolarũ ad Carolũ M Imp. *à Baluzio l. 1. Miſcell. nuperrime primum editarum*, hæc leguntur: *Primum eſt quod non verbis bene ſed exempis malè docent. Secundò, quòd contra divinam voluntatem & ſacram inſtitutionem atque Apoſtolicam & Canonicam autoritatem, non tribus ſaltim hebdomadibus ſed multo tempore ab eccleſia ſibi commiſſa, dimiſſis propriis ſedibus & plebibus, poſtpoſito divino conſilio, & autoritate, poſtpoſita etiam prædicatione doctrina, correctione, ſpiritus paracliti adſignatione, & ſacro ſancti chriſmatis conſecratione, omnique ſacra inſtitutione, iuretractabiliter abeſſe non erubeſcunt, & indifferenter, non ut cunque, ſed quaſi rapaces & milites armorum, ad excitandos & provocandos eos qui ſanguinem effundunt & multa flagitia committunt, diſcurrere non metuunt, & qui orando, docendo & prædicando populum DEI & eccleſiam ſibi commiſſam regere Deique clementiam circa genus humanum placare debuerant, ipſi è contra malè agendo, ut præfati ſumus, diſciplinam, ultionem, & iram divinæ animadverſionis exaggerare non deſinunt. Vt impleatur illud quod prophetia per Spiritum Sanctum comminatur:* Erit ſicut populus, ſic & ſacerdos. *Res Eccleſiæ, quæ vocatæ*

Mores cleri corrupti.

ſunt (vota) fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, quibus fideles fidei ardore & Chriſti amore ſucce nſi, ob animarum ſuarum remedium, & cœleſtis patriæ deſiderium ſanctam ditaverunt Eccleſiam, ut his eccleſia DEI exornaretur, & milites Chriſti alerentur, pauperes recrearentur & captivi pro temporum oportunitate redimerentur, rapientes, non ut paſtores ſed ut prædones, in militiam & vanitatem mundanam contra jus divinum expendere non detrectant. Unde facilimè conjici poteſt quod plus terrena quam cœleſtia diligunt, plus mortales homines quàm dominum metuunt, cum ſcriptum ſit: obedire oportet DEO magis quam hominibus. *Et iterum Apoſtoli inquiunt:* Non enim oportet nos relinquere verbum DEI & miniſtrare menſis: *Hinc eſt quod nec præcipuis feſtivitatibus & ſolennitatibus anni nec ſaltim diebus quadrageſimæ obſervationis, qui ſaluti & pœnitentiæ conſecrati ſunt, & magna devotione tranſigi debent, in quibus ſpecialiter circa animarum procurationem propenſius & adtentius invigilare debemus, in propriis non meremur reſidere parrœchiis ac civitatibus. pro quo & reſtitutio divini cultus & prædicatio in plebibus & cura ſubjectorum negligitur; præſertim cum nec ſacerdotali miniſterio hujusmodi congruant diſcurſus, nec Canonica ſit autoritatis.*

§. XIX.

Jus viſitandi & reformandi. Igitur Ludovicus filius Imp. *Comitia Aquisgrani.* A. C. 817. celebravit de reformatione abuſuum Cleri, & *formulas canonicæ inſtitutionis* ab eodem conventu ex SS. Patrum ſparſim congeſtis ſententiis colligi & edi fecit, easque Archiepiſcopo *Salzburgenſi*, Arnoni per Miſſum Othonem transmiſit, & in eodem conventu decretam viſitationem Eccleſiarum à Miſſis Imperatoris per imperi-

perium faciendam, intimavit. Epiſtolam exhibet Goldaſt. *in T. 1. Conſt. Imp.* & obſeruat, formulas has A.D. 1549. ab Electore Colonienſi fuiſſe publicatas, quas & ipſe T. III. edidit. Quæ reformatio Eccleſiarum per Gallias & Germanias, qvum nec ſimul nec ſemel perfici poſſet, & fieri uti ſolet, bono inſtituto facile remoræ invenirentur, ideo in pluribus poſtea conventibus eandem rem urſit Imp. piiſſimus, & *Abbatibus* quoque peculiaria Capitula ordinavit, quæ cum præfatione ſua ipſe exhibet Imperator *Capitul. Addit. 1.* Denique *tunc cæperunt deponi ab Epiſcopis & Clericis cingula balteis aureis & gemmeis cultris onerata, exquiſitæque veſtes, ſed & calcaria talos onerantia relinqui. Monſtro enim ſimile ducebatur, ſi Eccleſiaſticæ familiæ deputatus conaretur adſpirare ad ſecularis gloriæ ornamenta. At vero non tulit hanc Sanctam Deoque dignam Imperatoris devotionem humani generis inimicus, undique ſe impetentem, & ab omnibus Eccleſiæ ordinibus ſibimet bella indicentem, ſed cœpit totis virium copiis ſe expugnantem oppugnare, & per membra ſua, Chriſti fortiſſimum bellatorem vi & aſtu, quo potuit, laceſſere.* Sunt verba auctoris anonymi de Vita Ludovici Imp.

§. XX.

Atque offendiſſe utique videtur iſthæc Reformatio & Viſitatio multos ex Epiſcopis & ordinibus Eccleſiaſticis, adeo, ut tandem in manifeſtam rebellionem & publicum ſcandalum erumperent Epiſcoporum odia. Bernhardus, Rex Italiæ, Nepos ex fratre Imperatoris offenſus diviſione Imperii Paterna inter liberos à Ludovico facta A. C. 817. defecerat ab Imperatore & plures conſiliariorum Imperatoris quos inter & Epiſcopi, conſpiraverant cum illo, ſed imperator captis rebellibus, Bernhardo mortuo, *Seditio adverſus Imp.*

repetita. ignoverat in comitiis Triburienſibus A. C. 821. Sed octo annis poſt denuò adverſus ſeſe conſilia iniri ab iisdem illis potiſſimum, Imperator animadvertens, amicorum præſidiis ſeſe muniturus, Bernhardum comitem Hiſpaniæ, ſibi fideliſſimum, Cameræ præfecit. *Idem Auct. Vid. Lud.* Qua de re conſpiratores magis offenſi, *Pipinum Regem Aquitaniæ*, filium Imperatoris hac arte ad partes traxerunt, cauſantes Bernhardum illum Novercæ Judithæ Imperatricis adulterum eſſe; inde ad arma ventum, ſpesque imperii à Pipino concepta. Verum qvum in Comitiis Neomagenſibus fideles Germaniæ ordines (quibus, *diffidens Francis, magis ſe crediderat Imperator*, ut habet auctor vitæ Anonymus) ſeditionem diſturbaſſent, ſeditioſis in monaſteria detruſis, mox in Comitiis Ingelheimenſibus hos omnes iterum in gratiam recepit Imp. indulgentiſſimus, *ſed uſus, ut multis viſum eſt, leniori, quam debuit pietate*, ait idem auctor.

§. XXI.

Aucta. Atque ita per aſſiduam lenitatem paſſus hebeſcere aciem ſuæ auctoritatis, fomenta ſeditionis ipſe cumulaverat, quæ tertio erumpens A. C. 833. diſcrimen imperii Ludovico peperit. *Epiſcopi* querelis adverſus Imperatorem, ambitioſos filiorum animos impellebant, promtis jam & aliis ſeditionis miniſtris audacius agebant, *conſilia de deponendo Imperatore* piiſſimo conferebant, & copiis collectis, ſi ſponte in cœnobium ire nollet vim minabantur. Adſtrepebat his vulgus & quod in ſeditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere. Imperator videns fortem jam ſeditionem fortiora remedia poſtulare, copias quidem & ipſe colligebat, ſed per interpretem Bernhardum Epiſcopum placaturus turbatores, convenit

venit etiam *Pontificem* ab adverſa parte evocatum, qui Parenti filios reconciliaret. Sed Gregorius adventans totus fuiſſe viſus eſt adverſus Patrem & Imp. minatus etiam huic fertur *excommunicationem*, niſi Imperio ſe abdicet, *usque adeo crevit ſeditio, ut unà cum Pontifice Rom. non ſolum Proceres regni, ſed etiam Natos ejus adverſus Imperatorem promoverit. Nam ab eo univerſus populus deficiens, ad filios ejus ſe transtulit, ipſe tentus ſub cuſtodia, indecenter recluditur, ac arma ei auferuntur: uxor ipſius in Italia ſervanda committitur*, ſunt verba Adonis: At Auctor anonymus *Vita Ludov. Imp.* hæc refert: *Sed & Papam Rom. ſedis conveniebat: ut, ſi more prædeceſſorum ſuorum aderat, cur tantas necteret moras, non ſibi occurrendo. Quum verò rumor usque quaque diffuſus ſereret, de cæteris quod verum erat; de Papa verò Romano quod ideo adeſſet, ut, tam imperatorem, quam Epiſcopos, Excommunicationis vinculis irretire vellet, ſi qui inobedientes eſſent ſuæ filiorumque Imperatoris voluntati: parum quid ſurripuit Epiſcopis Imperatoris præſumtio audaciæ, aſſerentibus, nullo modo ſe velle ejus voluutati ſuccumbere, ſed ſi excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, quum aliter ſe habeat antiquorum canonum auctoritas.* Sed parum fidei etiam in his Epiſcopis.

§. XXII.

Pergit hiſtoricus: Tandem ergo conventum eſt „ feſtivitate S. præcurſoris Joannis Chriſti in locum, qui ab „ eo, quod ibi geſtum eſt perpetuâ nominis ignominia no-„ tatus eſt, ut vocetur campus mentitus (al. mendacii „ das Lügenfeld) quia enim ibi qui fidem Imperatori „ promittebant, mentiti ſunt, locus, in quo id contigit te-„ ſtis nequitiæ in ſuo nomine remanſit. Qvum autem „ haud

„ haud procul inde aciebus ordinatis conſiſterent, jam
„ jamque ruendum in arma putaretur, nuntiatum eſt Im-
„ peratori, advenire Papam Romanorum, quem veni-
„ entem Imperator in ipſa acie conſiſtens ſuſcepit, licet
„ indecentius, quam debuit, imputans ei, quod ipſe ſibi
„ talem ſuſceptionem præparaverit, qui inuſitato modo
„ ad ſe venerit. Ductus autem Papa in habitationem
„ caſtrenſem, multis aſſertionibus perdocuit, non ſe tan-
„ tum iter ob aliud ſuſcepiſſe, niſi quia dicebatur: Quod
„ inexecrabili diſcordia contra filios laboraret: ideoque
„ pacem in utramque partem ſerere vellet. Audita ve-
„ ro parte Imperatoris manſit cum eo aliquot diebus.
„ Remiſſus autem ad filios ab Imp. ut pacem mutuam ne-
„ cteret; qvum pene omnis populus partim donis ab-
„ ſtractus, partim promiſſis illectus, partim minis terri-
„ tus, ad eos populumque cum eis conſiſtentem, more
„ torrentis deflueret, nequaquam ut fuerat juſſus, eſt per-
„ miſſus redire. Tot ergo copiis inibi adductis, & Im-
„ peratori ſubductis, adeo defectio indies invaluit, ut in
„ feſtivitate S. Pauli, plebei contra Imperatorem, adulando
„ filiis ejus, irruptionem facere minarentur. Quibus
„ viribus Imp. obniti non valens, filiis mandavit, ne ſe
„ populari direptioni exponerent. Cui remandant, ut
„ caſtris relictis ad ſe veniat: ſe autem maturrime obviam
„ ipſi proceſſuros: Quibus altrinſecus ſibimet occurren-
„ tibus, Imperator filios admonuit, equis deſilientes, &
„ ſibi occurrentes, ut promiſſionis ſuæ memores, tam ſibi,
„ quam filio & uxori, illibata quæ olim promiſerant, con-
„ ſervarent. Quos congrue reſpondentes oſculatus,
„ & ad caſtra illorum eſt profectus. Quo pervenienti
„ uxor ſubducitur, & ad Ludovici tabernacula converti-
tur.

tur. Ipſum vero Lotharius ad ſua cum Carolo admo- „ dum puero deduxit: & cum pauciſſimis in papilione „ ad hoc deputato conſiſtere fecit. Poſt hæc autem jam „ populo juramentis adſtricto, imperium inter fratres „ terna ſectione partitur. Vxor patris à Ludovico Rege „ recepta, exilio iterum deportatur in civitatem Italiæ „ Tartonam. Gregorius Papa talia cernens cum maxi- „ mo mœrore Romam regreditur: & duorum fratrum „ Pipinus in Aquitaniam, Ludovicus in Baioariam rever- „ titur. Porro Lotharius Patre aſſumto, & ſeorſum cum „ deputatis equitante atque privatim manente Compen- „ dium venit. Nithardus Caroli M. nepos *lib. 1. de diſſens. filior. Ludovici ait*: Gregorius Papa itineris pœnitu- „ dine correptus, tardius quam vellet Romam revertitur. „ Conf. Petr. de Marca *l. IV. c. XI.*

§. XXIII.

Cæterum notabile eſt, quod Theganus *de Geſt. Ludew. Imp. c. 43.* ſcribit: *Omnes Epiſcopi moleſti fuerunt ei, & maxime hi, quos ex ſervili conditione honoratos habebat, cum his, qui ex barbaris nationibus ad hoc faſtigium perducti ſunt. Elegerunt tunc unum impudicum & crudeliſſimum, qui dicebatur Heba* (al. Hebbo: Ebbo) *Rhemenſis Epiſcopus, qui erat ex originalium ſervorum ſtirpe, ut eum immaniter afflixiſſet cum confictionibus cæterorum. Inaudita locuti ſunt, inaudita fecerunt cotidie, improperantes ei. Abſtulerunt ei gladium de femore ſuo, judicio ſervorum ſuorum, induentes eum cilicio.* Totam exauctorationis tragœdiam comprehenderunt Epiſcopi Literis ad perpetuam turpiſſimi facti memoriam, quas ſubſcriptas Lothario Principi obtulerunt. Eas P. Pithœus cum Annalibus Francicis editas Thegani libro ſubjecit. Is eſt ille *Ebbo,*

Molimina cleri.

Epiſcopus Durocorti, h. e. Rhemorum, *J. Cæſ. l. VI. de B. G.* qui præfuerat antea *Concil. Pariſienſi* A. C. 829. quod eſt unum ex illis quatuor, quæ Ludovicus Imp. per univerſum Imp. fieri juſſerat. In quo ipſo Concilio id egerunt Epiſcopi, ut diviſa poteſtate regia circa ſacra, & rempubl. hanc Imperatori ſolam relinquerent, illam ad ſe raperent: *Principaliter*, inquiunt, *totius Sanctæ Dei Eccleſiæ corpus, in duas eximias perſonas, in Sacerdotalem videlicet & regalem, ſicut à Sanctis Patribus traditum accepimus, diviſum eſſe novimus. De qua re Gelaſius Rom. ſedis venerabilis Epiſcopus ad Anaſtaſium Imp. ita ſcribit: duo ſunt quippe, inquit, Imp. Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur: Auctoritas ſacrata Pontificum, & regalis Poteſtas. In quibus tanto gravius pondus eſt ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus hominum, in divino reddituri ſunt examine rationem.* Scilicet ſic erat ſtatus Eccleſiæ corruptiſſimus reformandus, ut reformanti Imperatori ſummæ poteſtatis hæc præcipua pars eriperetur, & ſacerdotibus, qui reformari ſeſe nolebant, aſſereretur. Fuit hoc inſtitutum oligarchicum ad inſtituendam Hierarchiam: quam contra Monarchico niſu affectabat Romæ Pontifex. Sed de his infra: nunc ad rem.

in Concil. Pariſ. 829.

Hierarchiæ fundamenta

§. XXIV.

Germani Imperatorē reſtituunt.

Humanis remediis quum nullus reliquus eſſe locus videretur, & captivus Pater Imperator à filiis & ſubditis duceretur in conſpectu Legatorum Imperatoris CPolitani, Θεὶς ἀπὸ μηχανῆς *& nutu divino*, inquit Ado, *poſt tot adverſa, ſecunda ſuccedunt. Populi verſi ad pœnitentiam, cauſam facti in melius commutant, & eundem ipſum Imperatorem in honore priſtino reponunt, & priſtina dignitate reveſtiunt. Filii quoque ejus pro commiſſo veniam expoſcunt.* Comites enim

enim quidam in Germania, Burgundia, Aquitania & Francia fœdere de liberando Imperatore facto, rem eo redigunt, ut Imperator libertati & Imperio reſtitueretur, & Lotharius armis paternis intra Italiam coërceretur, qui ſe excuſabat, *non debere ſibi imputari culpam Senioris ſibi oblati, qvum ipſi eum deſtituiſſent, ac prodidiſſent: neque carceralis cuſtodiæ nævum ſibi jure inuri, qvum conſtaret hoc actum JVDICIO EPISCOPALI. Auct. Vit. Ludov.* ad illum multi ex rebellibus Epiſcopis aufugerunt à ſententia Conventus Metenſis condemnatoria. Ex quo ipſo apparet, quam inimica jam tum conſilia adverſus ſummam Impp. poteſtatē, juxta ac contra libertatem tum reipubl. tum Eccleſiæ Francorum & Germanorum agitari cœpta, quæ tamen fides Germanorum, atque virtus repreſſit.

§. XXV.

Refert Ivo & Gratianus epiſtolam decretalem Gregorii IV. quâ occaſione Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis *jus appellationis*, in præjudicium Eccleſiæ nationalis & Imperatoris, acriter urſit, & Aldricum vetuit alibi, quàm apud ſedem Apoſtolicam aut ante legatos à latere R. Pontificis miſſos judicari. *V. cau. 2. q. 6. c. 11.* Hanc epiſtolam CL. Baluzius *in præfatione Dialogorum A. Auguſtini de emend. Gratiani* §. *VII.* refert ad *novum jus canonicum*. Hactenus enim usque ad Caroli M. tempora Eccleſia noſtra uſa fuerat *Codice canonum Eccleſiæ univerſæ*, ex canonibus veterum Conciliorum collecto, quem Juſtinianus Imp. pro legibus valere juſſit *Novellâ VI. c. I.* §. *8.* quique in Eccleſiis Francorum Gregorii Turonenſis & Chilperici Regis ætate fuit receptus, *Gregor. l. V. c. XVIII.* At fatali Caroli M. ſeculo unâ cum republica & Eccleſia jus quoque mutationem pati cœpit. Hadrianus enim P. R. obtulit Carolo M. *Codicem canonum Eccleſiæ Romanæ* multis

cau. 2. q. 6. c. 11. diſt. 19. c. 5.

Jus canonicū vetus & novum.

tis

tis *ſuppoſititiis* Pontificum Rom. antiquorum epiſtolis *decretalibus* interpolatum & ad novam ſacram monarchiam inſtitutum; & mox novellis Pontificum conſtitutionibus auctum. Quanquam autem non ſine magnis contradictionibus hoc novum jus fuerit obtruſum Eccleſiis noſtris, ut *in præfatione ad Reginonem de Eccleſiaſticis diſciplinis* idem Baluzius demonſtravit, vicit tamen fatalitas; & novellarum decretalium auctoritas.

§.XXVI.

Ejus generis ſunt *Canones Alemannicæ Eccleſiæ veteris* ex Pontificum epiſtolis excerpti à Remedio Curienſi Epiſcopo juſſu Caroli M. Regis Francorum & Alamannorum, ut habet inſcriptio: quos edidit Goldaſtus *Tom. II. P. II. Rer. Alemannic.* inter quos canon XXXIX. definit, *quod inconſulto Romano Pontifice cauſæ Epiſcoporum non debeant definiri.* Idque ex epiſtola *Victoris* Papæ ſcripta Theophilo Epiſcopo. Sed nec Victoris, nec Caroli M. tempora hæc talia admittunt, ſed fortè Victoris II. & III. & ſequiora ſecula. Poteſt igitur fieri, quod & Gregorii IV. hæc Epiſtola eò pertineat. Planè non parum *ſuſpectam* eam reddunt *Geſta Aldrici* à diſcipulis ſuis deſcripta & nuper ab eodem Baluzio *lib 3. Miſcellaneorum* primùm edita; qvum enim *cap. XLIV.* referant, quomodo Aldrici fama ad Gregorium IV. Romam pervenerit, & is pallium receperit, Romamque invitatus fuerit; nihil tamen hac de re, quæ *in d. can. II.* continetur, commemorant, ſed hoc potius adjiciunt, quod Aldricus fuerit Conſiliarius Imperatoris Ludovici Pii & unus ex prioribus, cui tam Imperator quàm ſui Optimates & regni proceres obtemperaſſent. Niſi forte ad A.C. 840. referatur hæc epiſtola, tunc enim mortuo Ludovico Pio ſurrexiſſe

Geſta illa referunt tyrannicam quandam pravitatem in agro Cenomanico maximè, per quam Aldricus à ſede ſuâ dejectus fuerit. *cap. LVII.*

§. XXVI.

Archiepiſcopatus Hamburg.

Incidit in hæc quoque tempora *Eccleſiæ Hamburgenſis* dignitas. Conſtituit enim Ludovicus Pius circa annum DCCCXXXIII. paulo antè perſecutionem ſuam, novum *Archiepiſcopatum* in civitate Hamburgenſi ſuper Eccleſias trans Albim, & in omnes boreales Daniæ Norvvegiæ & Sveciæ, quem jam tum Carolus M. intenderat, ſed morte præpeditus fuerat, hunc Ludovicus *Ansgario* contulit, & per Drogonem, Caroli M. filium naturalem, Epiſcopum Metenſem & Archicapellanum, ſolenniter conſecrari fecit, adſtantibus Archiepiſcopis Ebbone Remenſi, Hetti Treverenſi, & Otgaro Moguntiacenſi cum plurimis aliis generali in conventu totius Imperii. Videatur Præceptum Ludovici Pii paganis ad Chriſtianitatem invitandis & de inſtitutione Epiſcopatus Hamburgenſis *in Capitularibus Francorum Tom. 1. p. 682. Conf.* Adam. Bremenſis *lib. 1. cap. 17.* Adelbertus *Archiepiſcopus Hamburgenſis in epiſtola ad Fulconem Abbatem Corbeiæ veteris: & in alia apud Adamum lib. 4. cap. 43. itemque in alia apud Lindenbrogium in Collectione privilegiorum Eccleſiæ Hamburgenſis pag. 164.* Helmoldus *cap. 22.* H. Conring. *de fin. Imp. l. 1. c. 4.* Poſtea circa annum 1064. mortuo Adelberto, Eccleſiæ Danicæ, Norvvegicæ & Svecicæ ab hac Metropoli fuerunt avulſæ & *Archiepiſcopo Lundenſi* auctoritate Sedis Romanæ ſubjectæ. *Saxo Grammaticus lib. XII. Hiſt. Dan.*

Add. ad libri hujus cap. I. §. IV.

De origine *Monaſterii S. Petri Erfurdia*, hactenus communem cum Calviſio & Lehmanno opinionem ſequimur: à qua diſcedit Jo. Mauritius Gudenus JC. *lib. I. Hiſt. Erffurt.* §. *VIII.* referens ejus initia potius ad annum MLXXIV. itidem Trithemio auctore, & quod Dagobertus Sacellum S. Dionyſii Palatio Mervvigii Regis ibi junxerit, ſubleſtæ fidei arbitratur: ait tamen, ipſum Sacellum cum ruderibus & nomine Merbisburgi, ſed extra Erfordiam ſupereſſe. Nos uti nemini litem in re obſcura movebimus: ita veriſimilior D. Gudenii videtur ſententia.

LIBER TERTIUS DE LIBERTATE ECCLESIARVM GERMANIÆ

SVB INITIIS REGNI GERMANICI VSQVE AD HENRICVM IV. IMP.

CAPVT PRIMVM. DE LVDOVICO REGE GERMANIÆ PRIMO.

SVMMARIA.

Diviſio Imperii Francorum. Formulæ ſacramentorum hinc inde factorum. Hierarchia & heterodoxia æmulæ. Indulgentiarum origo. Romæ præſtatur homagium Lothario Imp. Lotharingiæ origo. Lotharii Regis divortium & ſubmiſſio erga R. Pontif. Infallibitas hujus tunc ignorata. Ab eodem Vicarius in Gallia Germaniaque deſignatus in Synodo

Gallicana Vernenſi non admiſſus: conſenſus Eccleſiarum Germaniæ deſideratus. Origo Regni Germaniæ. Pax Confluentana. Prærogativa Regni Germanici: Moguntini Archiepiſcopi. Contradictio Gallicana recentior. Libertas Statuum Regni Germaniæ. Excommunicationis abuſus abrogatus. Garantatores Pacis Epiſcopi. Jus advocatiæ Romanæ commune Regi Germaniæ & Galliæ ac Imperatori. Autoritas Pontif. Romani in ſpiritualibus, in civilibus ſub initio Regni Germanici. Imperatoris auctoritas. Regni Germanici libertas. Jus conciliorum. Chriſtianiſſimi titulus. Jus Capitis familiæ. Præcedentiæ ratio. Jus Senioratus. Mos Sedis Romanæ. Controverſia de jure excommunicandi Reges ventilata.

§. I.

Diviſio Franciæ.

LAxum fuerat Imperatoris Ludovici Pii imperium, eoq; mortuo, non ſine civili cruore parta tandē fuit diviſio fraterna, anno 842. quā Lotharius Italiam cum nomine Imperii conſecutus eſt, Ludovicus Germaniam, Carolus Galliam; & Pipinus eorum nepos Aquitaniam. *Tritbem. anno 841. de orig. Francor.* Hic primò *Germania* in *Regni* formam redacta, cujus fines deſcribit H. Conringius *lib. 1. cap. 3. de Finib.* Facta fuit hæc diviſio in conventu apud Argentoratum, anno DCCCXLII. XVI. Kal. Martii, mutuoque ſacramento confirmata. Et Ludovicus, quoniam major natu erat, prior in conſpectu populi hæc ſe deinde ſervaturum teſtatus eſt in lingua Francica: *Pro DEO amur, & pro Chriſtian poblo & noſtro commun ſalvament diſt di in avant*

avant, in quant deus ſavir & podir me dunat, ſi ſalvarai io ciſt meon fradre Karlo & in adjudha & in cadhuna coſa, ſi com om per dreit ſon fradre ſalvar diſt, in o quod il mi altre ſi fazet. Et ab Ludher nul plaid numquam prindrai qui meon vol ciſt meon fradre Karle in damno ſit. Quod Latino idiomate tunc temporis uſitato ſic interpretemur: *Ad DEI voluntatem & ad populi Chriſtiani & noſtrum commune ſalvamentum, abhinc in ante, quantum mihi DEUS ſcire & poſſe donaverit, ſic adjutor ero ego iſti fratri meo Carolo & in auxilio & in omni cauſa, ſicut per rectum quis fratrem ſuum adjuvare debet, in hoc ut ipſe mihi viciſſim ſic faciat. Et à Lothario nullum unquam placitum acceptabo, quo mea voluntate iſte meus frater Carolus in damno ſit.* Quod cùm Ludovicus expleſſet, Karolus Teudiſca lingua ſic hæc eadem verba teſtatus eſt, ut acta hujus conventus in *Tom. II. Capitular. R. Francor. pag. 39.* referunt: *In Godes minna, ind durch tes Chriſtianes folches ind unſer bedhero gealtniſſi, fon theſemo dage frammordes ſo fram ſo mir Got geubizei indi madh furgibit, ſo hald ih teſan minan broudher .... ſoſo man mit rehtu ſinan brouder ſcal, inthi uthaz er mig ſoſo maduo. Indi mit Lutherem inno theinni thing ne gegango, zhe minan willon imo ce ſcadhen werhen.* Quod hodierno idiomate ſic effertur: *In Gottes liebe h.e. Gotte zu ehren, und zu des Chriſtlichen Volcks und unſer beeder Erhaltung oder wolfart, von dieſem Tage an und fernerweit ſo fern mir Gott wiz verſtant und die macht verleiht, ſo halt ich und ſtehe bey dieſem meinem bruder (ſupple ex Francico) Karln mit hulffe und in ieder ſache wie man mit rechte ſeinem bruder ſoll und ſchuldich iſt, dergeſtalt das ers auch gegen mich ſo mache und*

ſich verhalte. Und mit Lothari will ich in kein ding noch handel geben mit meinem willen ihm, dem bruder, zu ſchaden. Sacramentum cujusque populi in lingua Romana ſive Francica ita ſonuit: *Si Lodhuvigs ſacrament que ſon fradre Karlo jurat conſervat, & Karlus meos ſendra de ſuo part non lo ſtanit, ſi io returnar non lint pois, ne io ne veuls cui eo returnar int pois in nulla aiudha contra Lodhuuvig nun li iver.* In Germanica autem ita: *Oba Karl then eid, then er ſinemo bruodher Ludhuuvige geſuor, geleiſtit, ind Ludhuuvig min herro then er imo geſuor, forbrihchit, ob ih ina nes arvvenden ne mag, noh ih, noh thero theinhes iruvenden mag, imo ce folluſti vvidhar Karle ne vvirdhit.* Quæ hodie ſic pronunciantur: *Ob Karl den eid, den er ſeinem bruder Ludvvig geſchvvoren, leiſtet, und Ludvvig mein Herr den er ihm geſchvvoren verbricht, vvenn ich ihn nicht abvvenden kann, ſoll vveder ich noch vver es nicht abvvenden kann, ihm helffen vvider Karls vvürde und recht.*

§. II.

Hierarchia & Heterodoxia amula. Imminuit porrò iſta diviſio & potentiam, & auctoritatem Majeſtatis Imperatoriæ, tantoque magis incrementum ſumſiſſe potentiam & auctoritatem pontificiam non eſt in obſcuro. Quemadmodum etiam defectus purioris doctrinæ Evangelicæ iſthoc tempore increbeſcere cœpit; præter dogma enim *de adoratione imaginum* in Oriente & Italia antea approbatum, ab Eccleſiis vero Gallicis & Germanicis rejectum, circa hæc tempora, & *Abuſus indulgentiarum.* ſub Sergii II. Pontificatu, etiam *Abuſus indulgentiarum* ortum cepit, *indulgentia* ſiquidem *trium annorum & trium quadragenarum venientibus Romam, ad reliquias Sylveſtri*

veſtri Papæ & aliorum, fuerunt promiſſæ & exhibitæ: *Baron. ad A.C. 847. n. 4. & ad A.C. 878. n. 34.*

§. III.

Verum enim vero nondum fuit tanta Pontificis Rom. auctoritas, quin, qvum Sergius II. inconſulto Imp. electus & conſecratus fuiſſet, & peſſime ſuum Pontificatum adminiſtraret, resque ad defectionem ab imperio ſpectare videretur, Lotharius Imp. circa A.C. 844. Ludovicum Cæſarem cum Drogone Metenſi Archiepiſc. & magno exercitu Francorum Romam mittens, *ut Papam & Romanos ad obedientiam Imperii retraherent, & de aliis quoque delatis criminibus eum redarguerent*, rem eo redigeret, ut tandem tam beatiſſimus *Pontifex*, quam magnanimus Rex, & omne Archiepiſcopi, atque Epiſcopi ſedentes, ſtantibus reliquis ſacerdotibus, & Romanorum & Francorum optimatibus, *fidelitatem Lothario* magno Imp. ſemper Aug. *promitterent*, ut habent verba receſſus comitiorum illorum, relata à *Goldaſto T. 3. Conſt. Imp. p. 269. & Baronio A. C. 844. ex Anaſtaſio Bibliothecario.* *Sergii II. electio.* *Roma homagium præſtatur Imp.*

§. IV.

Lotharius Imp. anno 855. dividebat duobus filiis ſuis regna, & Ludovicum II. Imperatorem declarabat conceſſo Regno Longobardiæ unà cum Provincia in Gallia: reliquam Franciæ partem à ſe poſſeſſam dabat Lothario, & ipſe ingrediebatur Monaſterium. Lotharius hic *Lotharingiæ* nomen dedit, quanquam alii ad Patrem jamtum referant. Infauſtum hujus *divortium* à conjuge Teutberga, & *ſuperinductio Waldradæ* auctoritatem Pontificis Rom. non parum ſtatuminavit, Carolo Calvo Rege Franciæ, æmulo Lotharii Regis, frigidam ſuffundente, ut

ut apparet ex Lotharii Epiſtola ad Nicolaum Papam, *ap. Goldaſt. t. 3. Conſt. Imp. p. 286.* in qua *ſe nulli prorſus homini ſubjectum eſſe velle* conteſtatur *Rex, niſi DEO & S. Petro & cæteris Sanctis, & Pontificiæ Paternitatis culmini,* modo ne ipſi liberet *aliquem ſibi parem* (h. e. Carolum Calvum) *ſuper ſe extollere aut terræ præponere, tale enim quid tolerare ſe non valere, ſed pro regio munimine, inter ſe aliquod ſcandalum evenire poſſe*, cæteroquin, inquit, *uti anteceſſores noſtri Sanctiſſimorum Prædeceſſorum veſtrorum monitis obedierunt, ita nos etiam coram Excellentia Apoſtolatus veſtri nos humiliare, atque in omnibus veſtris paternis monitis, abſentibus ſive præſentibus promtiſſimo parere cupimus animo.*

V.

Verum mala Lotharii cauſa tam humilem Epiſtolæ ſtylum extorſerat, in quo tamen reipſa nihil, quod anteceſſores Regni atque Imperii Pontifici Rom. denegaverant, Lotharius ceſſit. Cæterum quid de *infallibilitate Sedis Romanæ* tum ſenſerint Eccleſiæ Francorum ex Adone Archiepiſcopo Viennenſi docemur. Is referens hanc Lotharii cauſam, & quod Carolus Calvus perſuadere niſus Lothario, ut Romam accederet, *ſi forte vel conſilio Pontificis Rom. ſuperatus tandem à re illicita quieſceret;* adjicit, *primos plurimos Epiſcopos Gallorum contradixiſſe, qui Spiritu DEI,* inquit, *tacti, periculum generale in Eccleſia DEI oriri timebant, ne Pontifex Rom. favoribus inclinatus, à definitionibus pietatis exorbitando, Romanæ Eccleſiæ vulnus erroris infligeret.* De iſta infallibilitate generatim verò M.A. de Dominis l. VII. c. V.

Infallib. dogma ignoratum.

§. VI.

Vicarius Romani

Drogonis Archiepiſc. Metenſis mentio antea facta eſt.

eſt. Is erat filius Caroli M. naturalis atque patruus Regum Germaniæ ac Galliæ; quorum ſtudiis effectum dicam, an potiùs, quòd ſub Ludovici I. imperio omni clero præfuerat, ut à Sergio II. Vicarius Sedis Rom. in Gallia & Germania deſignaretur, id edita ea de re Epiſtola Sergii, contigit A. 844. Verum enim vero, hanc rem contra canones eſſe, & libertatem Metropolitanarum Eccleſiarum minuere nec his invitis poſſe admitti vicarium in concilio Vernenſi II. anno 854. *c. XI.* viſum fuit, & decretum: *De prælatione reverendiſſimi Drogonis definire aliud non audemus, niſi expectandum, quam maximus cogi poteſt, Galliæ Germaniæque conventum, & in eo Metropolitanorum, reliquorumque antiſtitum requirendum eſſe conſenſum, cui reſiſtere nec nolumus, nec audemus. Nobis tamen, ſi quid tale alicui committi poteſt, & non alia quàm quæ prætenditur latet cauſa, illi potiſſimum convenire videtur, qui & communione ſacerdotii nobis, & excellentia veſtræ propinquitatis privilegio ſociatur.* Hac ratione factum fuit, ut Drogo pro ſua prudentia abſtineret ipſe ab ulteriori Vicariatus ambitione. *Hincmar. Epiſt. VI. c. 30. Petr. de Marca l. 4. de C. S. & J. c. 4. & l. VI. c. 29. 3. & Steph. Baluz. ſupplem. l. V. c. 44, 7. 8.*

Pont. in German.

§. VII.

Sed ad Germaniam noſtram; quæ ut dixi, qvum Ludovico, Ludovici Pii Imp. filio, regio titulo, obvenisſet, *Regnum Germanicum* primo fundatum fuit. Et quanquam turbæ novæ inter fratres ortæ, pax tamen firmior tandem in caſtello & Monaſterio S. Caſtoris propè Confluentes ad Rhenum in conventu ipſorum Principum, & horum ordinum Eccleſiaſticorum & Laicorum A. C. 860. Nonis Juniis, inter fratres Ludovicum, & Carolum,

Origo Regni Germ.

Pax Confluentana.

nepotemque ex fratre Lotharium ita fuit conſtituta, ut perpetuum fœdus inter ſeſe atque unionem jurejurando ſanciverint. Hujus formula ex parte Ludovici Germaniæ
„ Regis fuit hæc: A modo & quamdiu vixero, iſtum fra-
„ trem meum Karolum, & nepotes meos HLudovicum,
„ HLotharium atque Karolum, ad DEI voluntatem &
„ Sanctæ ejus Eccleſiæ ſtatum & honorem atque defenſio-
„ nem, & ad noſtram communem ſalutem & honorem,
„ & ad populi Chriſtiani nobis commiſſi ſalvamentum
„ & pacem, & ad legis ac juſtitiæ atque rectæ rationis
„ conſervationem, quantum mihi Deus ſcire & poſſe
„ donaverit, & ipſi me obaudierint, & à me ipſi quæſie-
„ rint, vero conſilio, & ſecundum quod mihi rationabi-
„ liter & ſalubriter poſſibile fuerit, ſincero auxilio adju-
„ tor ero ad regnum illorum continendum, & nec in vita,
„ nec in membris, neque in regno illorum eos forcon-
„ ſiliabo. In hoc ut ipſi erga me ſimilem promiſſionem
„ faciant & conſervent, Si me DEVS adjuvet & iſtæ ſanctæ
„ reliquiæ.

§. VIII.

Praced. Reg. Germ. Ex his obſervare licet, inter Reges Germaniæ Franciæ occidentalis & Lotharingiæ, *præcedentiam* fuiſſe datam Regno Germaniæ. Ea enim fuit Germaniæ prærogativa, ut in diviſionibus Juri primogenitorum cederet. Itaque etiam jam tum *Carolus Martellus*, conſilio optimatum ſuorum filiis ita diviſerat regnum, ut primogenito Carolomanno Auſtriam, Sueviam, & Thuringiam; h. e. Germaniam magnam, juniori vero Pipino, Burgundiam, Neuſtriam, & Provinciam, i. e. Gallias dederit. *Fredegar. Scholaſt. Chron. c. CX.* Similiter & Pipinus Rex, Auſtraſiorum regnum Carolo ſeniori filio, Carolo-

manno vero filio juniori, Regnum Burgundiæ, Provinciæ; & partem Germaniæ ſuperioris, Alſatiam, Sueviam, cæteris diviſis, ut ex eod. & Adelmo Benedictino conſtat. *St. Baluzii Capitular. Francor. Tom. 1. p. 187.* Cauſam ejus prærogativæ, ni fallor, Aimoinus *l. 1. de Geſt. Franc. c. 1.* aperit: *Quæ gens usque ad hoc tempus his ſedibus ſe continet: ſummamque habet juſtitiæ, & bellicæ laudis opinionem, nuncque in eadem inopia, egeſtate, patientia, qua Germani* (veteres Julio & Tacito deſcripti) *permanent: eodem victu & cultu corporis utuntur. GALLIS autem provinciarum propinquitas, & transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atque uſus largitur, qui paulatim aſſuefacti ſuperari, multisque victi prœliis, nec ſe quidem ipſi cum illis VIRTUTE comparant.*

§. IX.

Pertinet etiam huc, quod in coronatione Pipini regis, omnibus Galliæ Archiepiſcopis Moguntinus fuit prælatus, teſte *Mariano Scoto, l. 3. A. C. 750.* *Pipinus*, inquit, *in civitate Sueſſionum, à S. Bonifacio Archiepiſcopo in regem unctus, Regni honore ſublimatus eſt, & deinde ob id poſt Papam ſecundus habetur Moguntinus Archiepiſcopus, usque in hodiernum diem.* Diſſentire videtur CL. Salmaſius *in Apparatu ad libr. de Primat. Papæ. p. 281.* ait: *Inter ipſa regna etiam ſuus eſt Primatus ex antiquitate originis, ut Gallicum omnium quæ hodie ſunt, vetuſtiſſimum eſt, ita & primatus ei competit regnorum. Primas ergo Galliarum ſive Gallici Imperii inter omnes occidentis Primates τὸ πρωτεῖον iure ſuo ſibi vindicat.* At revera non diſſentit: quippe loquens de integro Franciæ utriusque regno, quatenus Germaniam ſeu Franciam orientalem comprehendit. At utraque ſecum comparatâ, verum eſt, quod ante vidimus. *Moguntini. prærogat.*

mus. Quæ Chiffletius *Vindic. Hiſp. cap. XI. pr.* & *Lumin. Prærog. XVI. pag. 414.* itemque Wendelinus *de LL. Salic. cap. V.* in hanc rem adferunt, etſi non diſſentiant, noſtra tamen non facimus, cum cauſæ magis inſervire videantur, quàm veritati hiſtoricæ. Aliter tamen poſtea ex ſucceſſionis diverſitate ſenſerunt Galliæ proceres, cum Pontifex Romanus Friderico Imperatore excommunicato ſufficere vellet Robertum Comitem Arteſiæ, fratrem Regis Galliæ, reſponſum ab illis tulit: *Nec nos pulſat ambitio. Credimus enim, dominum noſtrum Regem Galliæ, quem linea Regii ſanguinis provexit ad ſceptra Fransorum regenda, excellentiorem eſſe aliquo Imperatore, quem ſola electio provehit voluntaria. Sufficit domino Comiti Roberto, fratrem eſſe tanti Regis. referente Matthæo Pariſ. ad A. 1239.*

§. X.

Libertas ordinum Regni G.

Deinde ex ejusdem Pacificationis Confluentanæ capitulis obſervatu dignum, *libertatem* Eccleſiaſticam pariter & politicam Reipubl. & *ordinibus* Eccleſiaſticis atque laicis fuiſſe confirmatam, ita ut absque eorum velut adjutorum, & cooperatorum conſilio. atque auxilio nihil eſſet agendum. Ita enim. cap. X. habet: Ut noſtri fideles unusquisq; in ſuo ordine & ſtatu (*hinc ordinum & ſtatuum* „ *denominatio*) veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abhinc in antea contra legem & juſtitiam vel au„ ctoritatem, ac juſtam rationem aut damnabimus, aut „ dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machi„ nationibus affligemus, ſed illorum ſcilicet veraciter no„ bis fidelium COMMVNI CONSILIO, ſecundum „ DEI voluntatem, & commune ſalvamentum, ad reſtitu„ tionem Sanctæ DEI Eccleſiæ & ſtatum Regni, & ad ho„ norem Regium, atque pacem populi commiſſi nobis „ pertinenti ASSENSVM PRÆBEBIMVS; in

hoc

„ hoc ut illi non ſolum non ſint nobis CONTRA-„DICENTES & RESISTENTES ad iſta exſe-„quenda, verum etiam ſic ſint nobis fideles & obedien-„tes, ac veri adjutores, atque COOPERATORES „ vero conſilio, & ſincero auxilio ad iſta peragenda, quæ „ præmiſimus, ſicut per rectum unusquisque in ſuo ordi-„ ne & ſtatu ſuo Principi & ſuo Seniori eſſe debet. Namque & jamtum Ludovicus Pius Imp. anno 823. in admonitione generali ad utriusque ordinis homines cum inſtructione Miſſorum dominicorum quos Imperator in diverſas regni provincias deſtinaverat, capitulo tertio omnes fideles ſuos h. e. ſtatus Imperii adjutores ſuos & ſe admonitorem eorum profeſſus erat: *Quanquam ſumma bujus miniſterii in noſtra perſona conſiſtere videatur, tamen & divina auctoritate & humanâ ordinatione ita per partes diviſum eſſe cognoſcitur, ut unusquisque veſtrum in ſuo loco & & ordine partem noſtri miniſterii habere cognoſcatur.*

§. XI.

Excomm. abuſus abrog.

Ad ſtatum, & libertatem Eccleſiæ ſpeciatim pertinet, quod in iisdem comitiis univerſalibus Confluentanis de vero uſu *Excommunicationis* fuit ſancitum *c. VI. Ut nemo Epiſcoporum hominem peccantem ab Eccleſia & Chriſtiana communione alienet, donec illum ſecundum Evangelicum præceptum, ut ad emendationem & pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccans ſi commonitus inobediens, & incorrigibilis permanſerit, & ad emendationem redire noluerit, REGIAM vel REIPUBL. poteſtatem per ſe Epiſcopus vel per miniſtros ſuos adeat, ut conſtringatur, & ad emendationem ac pœnitentiam peccator redeat. Qui etiam ſi ita ad correctionem perduci nequiverit, tunc ſecundùm leges Eccleſiaſticas medicinali ſeparatione à communione Eccleſiaſticâ ſegregetur.*

§. XII.

Denique etſi Carolus Calvus ab hac pacificatione mox recedere velle viſus, unde cæteri apud Nicolaum Pontif. Rom. per literas, quas habet Baronius & Goldaſtus *T. 2. Conſt. Imp.* ſe excuſarunt, quadriennio tamen poſt Ludovicus atque Carolus fratres Coloniæ denuo ſocietatem fraternam jurantes, vades ſeu Garantatores pacis binos Epiſcopos invicem dederunt, qui libere de hac fraternitate utrumque admonere deberent. Illud tandem etiam advertendum, quod etſi Imperiale *ἀξίωμα* penes Lotharium & Ludovicum II. Impp. & Reges Italiæ esſet, tamen *Jus Advocatiæ* & defenſionis ſedis Romanæ omnibus fuit commune. Id præceperat Ludovicus Pius Imp. in charta diviſionis Imperii anno 837. Aquisgrani in Comitiis facta cap. XI. *Ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ S. Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam à proavo noſtro Karolo & avo noſtro Pipino & beatæ memoriæ genitore noſtro Karolo Imp. & à nobis poſtea ſuſcepta eſt, ut eam cum DEI adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet & ratio poſtulaverit, habere faciant.* Idem anno 868. Ludovicus R. Germaniæ & Carolus Calvus in conventu Metenſi pacti ſunt: *Mundeburdem & defenſionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pariter conſervabimus; in hoc ut Romani Pontifices nobis debitum honorem conſervent, ſicut eorum anteceſſores noſtris anteceſſoribus conſervaverunt.*

Garantatores pacis Franc. & Germ.

§. XIII.

Auctoritas Papæ in ſpiritual. quæ

Interea Rex Ludovicus Sclavos & Regno ſuo, & Eccleſiæ Chriſtianæ adjecerat, per Methodium ad religionem Chriſtianam converſos. Hi in ſua lingua ceremonias religionis Chriſtianæ peragi volentes, ex dicto:

OMNIS

OMNIS SPIRITVS LAVDET DOMINVM, à Nicolao Papa adverſus anteceſſorum decreta diſpenſationem impetrarunt, A. C. 862. qua de re etiam poſtea. Etenim in his talibus auctoritas Patriarchatus Romani etiam in Regno Germanico ejusque provinciis tum fuit agnita: Sic tamen, ut haut abſoluta & ſupra Concilia vel Nationalia crederetur. Id ſatis aperte profeſſi Epiſcopi Francici in literis ad Hadrianum II. quas habet *Flacius in Catalogo teſt. Verit.* & inde *Goldaſt*. Et qvum ejus ſucceſſor Johannes IIX. *Primatem* in Francia, & Germania, Anſegiſum Epiſcopum Senenſem conſtituere vellet, Epiſcopi in concilio Pontigonenſi A. C. 876. reclamantes haud admiſerunt. Sed & *Hincmarus* Archiepiſcopus Rhemenſis qvum accuſatus in Synodo Trecenſi A.C. 878. quod nollet auctoritatem recipere decretorum Pontificum Sedis Rom. publice teſtatus eſt: *Se decretalia Pontificum Rom. à Sanctis Conciliis recepta, & approbata recipere & ſequi, diſcrete, prout ſunt ſequenda.* teſte *Frodoardo l.3. c. 21.* & in Epiſt. adverſus Hincmarum Laudun. Epiſc. *Eas ſuſcipiendas dico, & ſcribo, & ſacros ſanctorum Conciliorum Canones cum Decretis Apoſtolicæ ſedis ex iisdem ſacris canonibus promulgatis, & recipiendos & cuſtodiendos, & ſervandos profiteor.* Atque huic confeſſioni Papa præſens acquievit, ut malè alicujus fallaciæ Hincmarus à *Baron.* inſimuletur *ad A.C.878.n.27.* qui aperte dixit veritatem. Idẽ dogma Arnulphus Epiſcop. Aurelianenſis, & Gerbertus Archiepiſcopus Rhemenſis in cauſa Arnulphi ab Hugone Rege & Synodo Gallica à ſede Rhemenſi remoti, acriter defenderunt ut habet *Baron. ad A. C. 992. & nos inferius. Conf. Petr. de Marca, l.3. de C. S. & J. c. VIII. l. 4. c. 5. l. V. c. 44. l. VI. c. 29.*

§.XIV. Por-

§. XIV.

In Civilib9. Porro in rebus civilibus, & ſummam Reipubl. concernentibus nulla poteſtas Pontificis Rom. tum conſtitit. Mortuus erat Lotharius Rex in itinere Romano A.C. 868. unde ſucceſſio regni illius ad fratrem Ludovicum II. Imp. & regem Italiæ devoluta. At Patruus Carolus Rex Franciæ ſucceſſionem affectabat, & anno ſequente diſſuadentibus licet conſiliariis, Metim venit, & Regem Lotharingiæ ſe facit coronari. *Baron. A. C. 869. n. 93.* & Ludovico Regi Germaniæ fratri majori natu partem regni cedit, utpote Metim, Treviros, Trajectum, Argentinam, & alia. Ludovicus verò Imp. frater defuncti, qvum in debellandis Saracenis occupatus eſſet, *Hadrianus II.* Pontifex Rom. ejus cauſam ſuſceperat & ad Carolum & Ludovicum, & ſtatus Regni Lotharingici, ſemel atque iterum literas dehortantes ab occupanda Lotharingia, & minantes excommunicationem miſerat: eas exhibet *l. V. Aimoini cap. XXIV. & Baron. ad A. C. 868. num. 15. & 53. & A. 869. num. 93. ſeqq.* Sed fruſtra, namque nec Reges, nec ſtatus etiam Eccleſiaſtici, agnoſcebant Jus Pontificis Romani in cauſis civilibus, *Baronio teſte A. C. 870. num. 18. 25.* Atque Carolus Synodum Duziacenſem coegit, in qua Epiſcopi ad Pontif. Rom. literas dederunt, poſſe Epiſcopos ſingularum Provinciarum cauſas ſuæ Eccleſiæ finaliter dijudicare, nec neceſſe eſſe, ut ad Papam hujusmodi controverſiæ dijudicandæ mittantur. Et Carolus ad eundem Hadrianum graviſſime ſcripſit: ſe non agnoſcere majorem, nec eſſe Epiſcoporum Vicedominum aut Villicum, Pontificis vero neutiquam eſſe imperare Regibus, aut pro lubitu appellationes ab iis recipere. videas Epiſtolam lectu digniſſimam apud Baronium. *A. C. 871. num. 93.* & Golda-

ſtum

ſtum *T. 1. Conſt. Imp.* vindicantem eandem ab injuriis Baronianis: & epiſtolam Synodalem *Tom. 3. p. 289.* Conf. quoque Petr. de Marca *l. IV. de C. S. & J. c. XII.* Ludovicus vero Rex German. etſi pari jure gauderet, inſpecta tamen cauſæ juſtitia, reſtituit partem ſuam Lotharingiæ Ludovico Imp. tanquam heredi proximo, atque ita juſtitiam ſine ſervitute, & libertatem ſine juſtitia exercuit, fruſtra exprobrantibus id Ludovico Annalibus Francicis, *lib. V. c. XXVIII. Aimoini.*

§. XV.

Imperatoris auctoritas.

Enim vero qvum diviſio Imperii & Regnorum inter Lodovici Pii poſteros inſtitueretur, & ex uno Imperio, quatuor regna ſumma inſtituerentur, Italiæ cum Imperii dignitate, Germaniæ, Franciæ, & Lotharingiæ, id agebant Reges, ne imperialis poteſtas ſuper ipſos & regna ſua extenderetur, ſed ſalva prærogativa ἀξιώματος in reliquis pari poteſtate ſinguli in ſuis gauderent regnis. *Regni German. Libert.* Hinc Carolus Rex Franciæ in dicta Epiſtola ad Hadrianum II. Ludovicum II. Imp. appellat, *dilectiſſimum nepotem noſtrum, Imperatorem veſtrum, contra cujus dilectionem, & debitum honorem, ſi tamen mutuam dilectionem & congruum honorem nobis exhibere ſtuduerit, illuc (Romam) ire non volumus.* Et recte reprehendit Trithemium *Baronius,* dicentem juſſu *Lotharii Imp.* Synodum Moguntiacam A. C. 848. fuiſſe coactam, qvum id factum *ſecundum juſſionem Ludovici* Regis Germaniæ, ut ex epiſtola ipſius Synodi ad Ludovicum R. conſtat; *Jus Concil.* in cujus ſalutatione Ludovicus appellatur *Chriſtianiſſimus Rex*, & *Strenuiſſimus Rector, & defenſor ſanctæ DEI Eccleſiæ.* *Tit. Chriſtianiſſ. & Defenſ. Eccleſ.* Et bene Baronius, *nullam,* inquit, *Lotharium Imp. facultatem habuiſſe diſponendi aliquid in Regno Germaniæ ſpectante ad Ludovicum,* cer-

certum eſt. Atque objecerat hoc ipſum Ludovico II. Imp. Baſilius Imp. Orient. cui ita reſpondit Ludovicus: *Porro de eo, quod dicis, non in tota nos Francia imperare. Accipe frater breve reſponſum. In tota nempe imperamus Francia, quia nos procul dubio retinemus, quod illi retinent, cum quibus una caro & ſanguis ſumus, & unus per Dominum Spiritus. Baron. ad A. C. 871. n. 58.* Id Imperator vult dicere, ſe eſſe *caput familiæ* regnatricis per univerſam Franciam, pro diviſo licet, atque eo ipſo, & ſe per totam Franciam imperare eatenus, ut caput & director in cauſis communibus, etſi cæteroquin Reges per omnia eſſent æquales poteſtate. Atque ita accipienda videtur & emollienda duriuſcula aliàs aſſertio J. Jac. Chiffletii *Vindiciar. Hiſpan. cap. XIII.* quod Regnum Franciæ perpetuo Cæſares & coluerit & recognoverit.

Jus Capitis familiæ.

§. XVI.

Præcedentiæ ratio.

Senioratus.

Porro hoc etiam tum ratione *Præcedentiæ* fuit obſervatum, ut non attenderetur proximior gradus ad ἀξίωμα Imperatoris, ſed jus potius *Senioratus;* etſi enim Lotharius II. Rex Auſtraſiorum ſive Lotharingiæ eſſet frater Lodovici II. Imp. nihilominus Patrui Ludovicus Rex Germaniæ, & Carolus R. Galliæ priori loco poſiti cernuntur in Annunciationibus & Receſſu Comitiorum, in villa apud Sablonarias celebratorum A. C. 862. quæ exhibet Baluzius *Tom. II. Capitular. p. 169.* Goldaſtus *T. 2. Conſtit. Imp.* qui ipſe in Rationali obſervat, ad majorem cautelam hujus ſuæ libertatis, Regem Germaniæ atque Lotharingiæ maluiſſe *Pontificis Rom.* quam *Imperatoris* arbitrio in controverſiis ſuis ſeſe ſubmittere. Scilicet qvum notorium eſſet, Pontificem Rom. nihil ſuperioritatis in Reges obtinuiſſe, nec quicquam poteſtatis Civilis in Regnis Germaniæ

Germaniæ atque Franciæ; tutius arbitrati fuerunt, ipſius arbitrium & auctoritatem ſacram ſequi, quàm Imperatoris Poteſtatem aliàs Vniverſalem, diviſione tamen fraterna reſtrictam. Ex eodemque principio Lotharius Rex in cauſa divortii & Digamiæ adpellaverat ad Pontificem Rom. tum ut eluderet Carolum Regem, cui promiſerat, ſe præſtiturum, quod juſte fuerit judicatum, tum ut & ipſum Pontificem deciperet, obſervante Baronio *ad A. C. 862. n. 43.*

§. XVII.

Verum neque ſic ſatis cautum fuit, quin & hos tales actus pro argumentis neſcio cujus ſuperioritatis in Reges atque Principes, ſucceſſores Sedis Rom. venditarent. Ex hac ipſa enim occaſione Pontifici Nicolao I. in cauſa Lotharii oblata, obſervari licet initia imperii Papalis, qui immediatam *Conciliorum* generalium convocationem in ſe traxit, absque literis Principis. Inde porro miſſio *legatorum* per Provincias, quibus etiam extra cauſam Conciliorum, cauſas, quæcunque tandem illæ eſſent, committendas eſſe credidit, ut Provincialium ingenia & inſtituta penitus cognoſcerent, dum litigantes ſtudio defenſionis aut victoriæ, partium arcana, vitamque omnem apud Judices, ut vulgo fit, detegunt. Vnicũ hoc vinculũ retinendæ auctoritatis, verba ſunt *Steph. Baluzii* in ſupplemento Petri de Marca *l. V. de C. S. & J. c. XLV. 3.* qui egregia illo & ſeqq. capp. de arcano Legationum Papalium diſſerit. *Mos Pontif. Rom.*

§. XIIX.

Anſam nobis hic ſuppeditat *Baronius ad A. C. 870. num. 22.* immorandi controverſiæ inter Pontificem Rom. & Reges Epiſcopos & ſtatus Germaniæ, Galliæ, & Lotharingiæ hoc tempore agitatæ: *An jus habeat Pontifex ex-* *Qu. de Jure Excomm. Reges.*

 com-

communicare, ejicere Reges de Eccleſia, præcipere ſtatibus & & ſubditis, ut ſe ſeparent à Regibus? aſſeruit id Papa jam tum fervidius, quam antea, unde & *inuſitatum atque aſperum* id regibus viſum. Reſpice *l. II. c. IV.* §. *VIII.* Porro quod ad cauſam ipſam attinet, iſtius juſtitiam ex capite rei inuſitatæ & aſperæ haud propugnandam cenſemus pro Regibus : Ea enim ex eo potiſſimum dependebat, an haberent ſtatus Regni Lotharingiæ jus & facultatem *eligendi* ſibi Regem alium, quam legitimum defuncti heredem, fratrem & Imperatorem Ludovicum II. id quidem recte cum Imperatore Pontifex improbabat. Recte & hoc curabat ſummus Eccleſiarum Occidentalium Patriarcha, ut reges in ſuo Patriarchatu dominantes de factis ſuis injuſtis *paternè admoneret*, qvum & ipſorum animarum curam gereret. Nam & Epiſcopi ſingulares id poterant, & ſacerdos privatus, cujus curæ animam Rex ſuam commiſerat. Atque contra contumaces poſſe quoque jurisdictionem ſpiritualem, & munus *clavis ligantis* exercere, largiamur, vel exemplo S. Ambroſii. Et hactenus etiam non inuſitatum fuerat hoc admonendi jus, quanquam modo cautius, ſanctiusque, modo impetuoſius & non ſine affectibus carnalibus exercitum fuiſſe appareat.

R. dub.

§. XIX.

R. Dec.

Verum quod Pontifex hanc Jurisdictionem Spiritualem eo extenderet, & clave Petrina ſic abuteretur, ut *obligationem* ac vinculum fidei, quo *ſubditi* Regi ſuo ſunt devincti jure divino & humano, ſolvere attentaret, id quidem in *θέσει* tum urgebant & Reges & Epiſcopi ipſi, atque alios utroque jure eſſe *modos acquirendi imperia*, quam *Excommunicationem* Eccleſiaſticam. Petit autem Baro-

Baronius id quod in principio poſitum eſt, quod illis reponit: *Ipſum Imperium Rom. excommunicatione Impp. Orientalium ad Francos perveniſſe: conceſſione Pontificum ad poſteros prorogatum.* Aliud ex veritate hiſtoriæ antea demonſtrata liquet. Porro diſtinguunt Reges atque Status inter *ordinem Eccleſiaſticum*, & inter *Rempubl.*. Illum, non hanc gubernari à Pontifice Rom. Approbat hanc diſtinctionem Jus divinum & humanum & praxis veteris & orthodoxæ Eccleſiæ. Argutatur Baronius: *Ergo licere Regibus impune contra legem DEI agere, ſi nullus Sacerdos exiſtit vindex regalium delictorum.* Equidem ſi intelligit *vindictam ſpiritualem* adverſus inobedientiam fidei, de qua Apoſtolus *2. Cor. X. 6.* concedi poterat vis argumenti, ſed iſtud vindictæ genus haud quaquam continet ſolvendi facultatem ſubditos à legitimo homagii vinculo ob peccata Principis; id enim eſt labefactare Rempubl. & invadere poteſtatem ſummam Reipubl. cui Eccleſiaſtici ſubeſſe tenentur Jure divino, non præeſſe. Sanè *ſubjici Reges poteſtati Eccleſiaſticæ clavium, ratione delictorum*, non negandum: itaque & *tyrannum, ſchiſmaticum, hæreticum, Eccleſiaſtica cenſura poſſe notari, & fortaſſis ab Eccleſia pelli.* Sed non à regno ſuo, non à Republ. in quam Eccleſia nullam accepit à DEO poteſtatem.

Caput II.

De
KAROLI CALVI EREPTIONE IMPERII.

Summaria.

Imperium Rom. in poſteros Caroli M. transmiſſum & ſpeciatim in Reges Germaniæ. quos defraudat Carolus & P.R. Capitulatio. Jus de non evocando ad Sedem Rom. Goldaſtus notatus. Cleri Gallicani hierarchia. Vicariatum admiſſurus Carolus impeditur. Primatus Arelatenſis. Senonenſis.

§. I.

Tranſmiſſio Imperii Rom. in poſteros Caroli M.

ISTam rerum faciem, quæ ſuperiori capite expoſita, Ludovicus Germaniæ Rex transmittebat in liberos, quorum ſuperſtes *Carolus*, cognomento *Craſſus* fatis ita dantibus Regno Germaniæ impoſuit *Imperii Rom.* quoque apicem eoque ipſo ſummam poteſtatem in urbem ſedemque Romanam, & totum Romanorum ſive Regnum ſive Principatum una cum regno Lombardiæ, atque Lotharingiæ. Certe enim Dignitas Imperialis ab Carolo M. per Electionem liberrimam ſemel acquiſita, idque *more Principum antiquorum, ut Ado* hac de re loquitur, una cum Dominio ac poteſtate ſuprema in urbem ac territorium Romanum, ac pertinentias Exarchales jure ſucceſſionis fuit transmiſſa ad poſteros, æque ac cætera Regna & Provinciæ. Atque in pactis diviſoriis tabulisve paternis *natu maximus*, vel ex naturæ lege, maximam quoque dignitatem Imperatoriam una cum ſumma poteſtate in

Vr-

Vrbem Romam accepit. Itaque *Ludovicus Pius*, ita *Lotharius*, ita *Ludovicus II.* Imperium acquiſiverant (unde Nicolaus Papa *regna* Ludovici II. Imp. *hereditaria* vocat, *Baron. A. C. 865. n. 68. A. C. 870. n. 16.*) & partim vivi adhuc, ſine Romanorum electione, in Comitiis Francorum Imperii conſortes ſibi fecerant. De Ludovico Pio Annal. Franc. Adelmi Bened. ad A. C. 817. *Generalem Populi ſui conventum Aquisgrani habuit, more ſolito: in quo filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque imperii ſui ſocium ſibi conſtituit. Cæteros REGES appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Baioariæ præfecit.* Nithardus *l. IV. de diviſione Lotharii Imp. & fratrum*, refert Lotharium à fratribus poſtulaſſe, *Si vellent aliquid illi ſuper tertiam partem regni propter nomen Imperatoris quod illi Pater illorum conceſſerat, & propter dignitatem Imperii, quam avus regno Francorum adjecerat, augere.*

§. II.

& conſequenter in R. Ludovic. & Carolomann. R. German.

Defuncto itaque Ludovico II. tota hereditas Imperatoris ita inter defuncti Patruos, Ludovicum Regem German. & Carolum Calvum R. Franciæ veniebat dividenda, ut *Ludovicus*, tanquam *ſenior* frater, & hactenus præ Carolo πρεσβεία gaudens ejusve primogenitus Carolomannus Rex, Majeſtatem Imperii cum urbe & Principatu Romano adipiſceretur: *Baron. ad A. C. 876. n. 9.* idque intendebant Proceres & ipſe voluerat Imp. defunctus, *teſte Eutropii continuatore Paulo Longobardo lib. de ſtatu Romano*, ait: *Eo* (Imp.) *infirmante, & ad extremum propinquante, quia non habebat filium, voluit ſibi ſuccedere Carolomannum ad ſuſcipienda Imperialia ſceptra.* Et mox: *Mittitur miſſus ab uxore Imp. Engelberga, vel à ſuis Primatibus ad Carolomannum oſtendens ei vota defuncti. Et*

quia

quia longius erat, noluit tam cito venire, ut impedire poſſet iter Calvi.

§. III.

Carolus Calvus & Papa Joh. IIX. partituri inter ſe Imperii & Eccleſiæ Libertatē.

At promiſerat jam tum Hadrianus II. Carolo Imperium, ſi deceſſerit Ludovicus II. Imp. Quo defuncto jam & nimia Caroli ambitio, & ſucceſſoris Pontificis Joh. IIX. à Carolo pecunia corrupti, & avaritia, & rerum novarū molitio, rem eo redigebant ut Carolus occupando Romā & Italiam, aſtu præveniret Ludovicum & Carolomannum, & à Pontifice coronaretur. Duo nempe moliebatur Pontifex Romanus adverſus Imperii Jura ac libertatem, primum, ut non *jure ſucceſſionis* amplius transmitteretur Imperium, ſed *electione libera Pontificis Rom.* Conf. L. Maimburg. *de la decad. de l' Empir. ad ann. 856.* deinde *ut jus eligendi aut confirmandi Papam*, & ordinandi ſedem Romanam eriperetur Imperatoribus. His ſcilicet fundamentis ſuperſtruenda erat affectata Superioritas in Impp. atque reges, & conſequenter abſoluta Monarchia in Eccleſiam Chriſtianam. His rebus exequendis aptum organon erat Carolus Calvus, qui qvum jure ſucceſſionis excluderetur ab Imperiali dignitate, omnia conceſſurus videbatur Papæ, ſi modo ratione obliqua Imperium Ludovico debitum ambitu ſuo ipſe adipiſceretur. Et ſpes fefellit neutrum.

§. IV.

Caroli capitulatio.

Turpem *Capitulationem Caroli* refert *Eutropii continuator Paulus Diaconus*, qvum prius conſilia & *machinationes* Pontificis & Cleri Rom. expoſuiſſet *rogantium & invitantium, ut superveniret B. Petro, & de Servitutis jugo ad propriam libertatem reduceret ſuam Eccleſiam, ut quaſi per vim ab aliquo eſſet oppreſſa; qui,* inquit, *veniens Romam renova-*

novavit Pactum cum Romanis, perdonans illis jura Regni & conſuetudinis illius, tribuens illis ſumtus de monaſteriis quamplurimis fiſcalia Patrimonia. Patrias autem Samniæ & Calabriæ, ſimul cum omnibus Civitatibus Beneventi, eis contulit: inſuper ad dedecorem Regni totum Ducatum Spoletanum, cum duabus Civitatibus Thuſciæ, quod ſolitus erat habere ipſe Dux i.e. Aricium & Cluſium, quatenus ut is, qui præerat Regia vice ante, Romanis videretur poſt eſſe ſubjectus. Removit etiam ab iis Regias legationes, aſſiduitatem vel præſentiam Apoſtolicæ electionis. Quid plura? cuncta illis contulit, quæ voluerunt, quemadmodum dantur illa, quæ nec recte acquiruntur, nec poſſeſſura ſperantur.

V.

Goldaſtus *T. II. Conſt. Imp. Rational. ad Conſtit. Caroli bujus de Presbyteris crimine diffamatis*, ait *Carolum Imp. etiam conceſſiſſe jus recipiendi appellationes Pontifici Rom. in dicta Conſtitutione, quod tamen antea, ut Rex Franciæ Hadriano pernegaſſet.* Sed nequid diſſimulemus, etſi longe mollius jam loquitur Imperator Imperii ſui nondum ſatis certus, & *canonem Concilii Sardicenſis* agnoſcit, *de quo lib. I. c. 10. §. 1.* tamen jus recipiendi appellationes Sedis Romanæ reſtringit ad Eccleſias Ciſalpinas, excipiens *Eccleſias*, earumque decreta *Transalpinas*, & hujus interpretationis confirmationem à Papa petit. Ait cap. XXII. *Legimus etiam quamvis rariſſime præceptum à Sede Apoſtolica, quosdam de longioribus Parochiis ſpecialis Diœceſeos Rom. Pontificis, ad cujus ſollicitudinem univerſalis Eccleſiæ pertinet, propter contumaces contentiones aliquos invitatos fuiſſe: Sed de Transalpinis regionibus, QVIBVS DECRETA PRIVILEGIA SERVARI DEBENT, tale quid pro Presbyterorum, & Diaconorum appellatione,*

Jus de non Appell. Ecclef. Transalp.

Gold. not.

à ſede Apoſtolica praceptum fuiſſe non legimus. De Eccleſiaſticis nihilominus privilegiis in Epiſtolis B. Gregorii legimus ad Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum: Veſtra Fraternitas, *inquit*, hoc poſt poſita dubitatione retineat, quia ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibusq; Eccleſiis ſua jura ſervamus. Nec cuilibet favente Chriſti gratia, ultra, quam meretur, impertior, nec ulli hoc, quod ſui juris eſt, ambitu ſtimulante derogabo, ſed fratres meos honorare per omnia cupio: Sicque ſtudeo eos in honorem ſubvehi, dummodo non ſit, quod alteri jure ab altero poſſit opponi. *Et alibi idem hinc dicit:* Quod vero dicitis, veſtris temporibus debere reſervari, quæ à meis quoque deceſſoribus tradita atque cuſtodita ſunt: abſit hoc à me, ut ſtatuta majorum Conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam, quia mihi injuriam facio, ſi fratrum meorum jura perturbo. Hæc Carolus Imp. etſi multa largitus Pontifici pro impetrando imperio, tamen & libertatem Eccleſiarum Transalpinarum adhuc urgebat, & Pontificem Johannem, ad imitationem Gregorii M. hic adhortatur. Eo minus nec *Rhotaldi* Epiſcopi Sueſſionenſis *appellationem* ad Pontificem admiſerunt Franci *Baron. ad A. C. 863. n. 83. A. C. 865. n. 4.* De quo alias plura Petr. de Marca *l. VII. c. 23. de C. S. & J.*

§. VI.

Hierarchia Cleri Gallici.

Diximus libri II. cap. XII. quam *Hierarchiæ* ſpeciem affectâſſe *Sacerdotium Gallicanum* viſum fuerit ſub Ludovico Pio Imp. Iis inhærentes tum principiis *Carolus Calvus in Synodo Tullenſi* A. C. 859. in libello proclamationis ut vocatur, cap. 3. adverſus Wenilonem Archiepiſcopum Senonenſem Synodo oblato, non parum confirmaſſe

maſſe videri poteſt, ſubjiciens ſe & regnum judicio Epiſcopali, ait: *A qua conſecratione, vel regni ſublimitate ſupplantari vel projici à nullo debueram, ſaltem ſine audientia, & judicio Epiſcoporum, quorum miniſterio in Regem ſum conſecratus, & qui throni DEI ſunt dicti, in quibus DEVS ſedet, & per quos ſua decernit judicia, quorum paternis correptionibus, & caſtigatoriis judiciis me ſubdere fui paratus, & in præſenti ſum ſubditus.* Poteſt enim hinc colligi: Regem à regni ſui ſublimitate poſſe projici ſaltem judicio Epiſcoporum. Certè cum bellum inter Regem Germaniæ & Galliæ poſtea oriretur, non dubitarunt Epiſcopi Gallicani ſub ſpecie ſacræ Abſolutionis, & Eccleſiæ unitatis, tale quid etiam extra fines Regni Gallicani adverſus Regem Germaniæ Ludovicum exſerere, quanquam non ſine meticuloſa cautione, ita ut S. abſolutionem Regi offerrent ſi arma ponere vellet, ſi minus excommunicationem quidem non exſequerentur, ſed tamen eo ipſo ac tacitè minarentur. Ita enim in *Commonitorio* ſuo, ſeu inſtructione Legatorum ſuorum ad Regem: *Tandem ſi ſe promiſerit adjutorem & cooperatorem Dei pro viribus de cætero & rationabiliter futurum, qualiter Eccleſia DEI, quæ in ſuo Regno, ac Regno noſtrorum Principum una eſt, ſicut & unum ſacerdotium, ſecundum qualitatem periculoſi temporis, in uno quoque ordine reſtituatur, congregatis vobis & noſtro, imo divino ſpiritu, qui eſt remiſſio omnium peccatorum per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, illi peccata in noſtris Parochiis per illum & ab illo remiſſa, Eccleſiaſtica pietate, & canonico more dimittite, eique indulgentiam poſtulanti donate, atque illum S. communioni, qua ſe ipſe privaverat, excommunicatis communicans reſtituite. ſin alias,* (aliter Regem diſpoſitum inveneritis) *vos nullo modo cum*

eo quem abſolvere non poteritis ligare nolite: quoniam nec coram DEO, nec Synodo nos in eo auctores habetis. Si agere aliter, quod abſit, præſumſeritis, vos & in Synodo & coram DEO pro facto irrito dabitis rationem. At mox A. C. 875. qvum Ludovicus iterum Franciam jure erepti Imp. Romani invaderet, Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis Epiſcopis Franciæ reſcripſit, ut reges libere de ſuis erratis monerent, & ſi parere nolint, excommunicarent. *Baron. ibid. n. 5.* Scilicet his gradibus oligarchia quædam ſacra propullulaſſe videri poſſet; cujus tamen impatiens poſtea Carolus Calvus maluit ſe uni Pontifici ſubmittere, quam tot Clericis ſuis, hos vero ipſos ejusdem Vicario.

§. VII.

Carolus Calv. Vicariatum reducturus impeditur.

Enimvero non parum Carolus libertatem Eccleſiarum Franciæ & Germaniæ imminuere laboravit in *Synodo Pontigonenſi;* cum enim à nunciis Pontificis Rom. proponeretur inſtitutio *Primatus per Gallias & Germanias,* qui Apoſtolica vice frueretur, Epiſcopi verò libertatem Eccleſiæ defenderent, & obedientiam debere ſe ſedi Romanæ non niſi ſalvo jure Metropolitano profiterentur, commotus Imperator dixit, quod *dominus Apoſtolicus ei vices commiſiſſet in Synodo* (ſed aderant tamen ejus Legati) *& quod iisdem præceperit, ille exequi ſtuderet, & acceptam Epiſtolam Papæ dedit Anſegiſo, Archiepiſcopo Senonenſi, quaſi Primati, & juſſit ſellam plectilem poni ante omnes Archiepiſcopos Ciſalpini Regni ſui, juxta Johannem Tuſcanenſem, qui ad dextram ejus ſedebat: & præcepit Anſegiſo ut ſupergrederetur omnes ante ſe ordinatos, & ſederet in eadem ſella.* Quamvis verò Imperator omnes vires adhiberet Primatum hunc inducendi, tamen Epiſcopi, uno excepto, omnes

omnes in omnibus ſeſſionibus reclamarunt, & *poſt multas ab Imp. & Legatis Apoſtolici contra Epiſcopos querimonias habitas, tamen tantum in noviſſmo, quantum in principio Synodi*, h. e. nihil contra libertatem Eccleſiarum, *Anſegiſus obtinuit*, ut habent Acta Synodi relata *in lib. V. Aimoini de reb. geſt. Franc. c. XXXIII. Baron. ad A. C. 875. & 876. n. 24. Goldaſt. T. III. Conſt. Imp. p. 291. Petr. de Marca l. IV. c. 5. de C. S. & J.* Hinc apparet, quàm dudum evanuerat tunc *Primatus Arelatenſis*, de quo ſuperius diximus. conf. *Baron. ad A. C. 864. n. 27.* quem tamen renovare aggreſſus eſt *Johannes VIII.* Româ profugus Arelatenſi Archiepiſcopo pallium tribuens, Legatum ſuum in Galliis eſſe voluit, *Epiſt. 95. Baron. ad A. C. 878. n. 15.* Sed nec iſtud diuturnum. Nam fatentur Epiſcopi Gallicani in Synodo Rhemenſi A. C. 995. in cauſa Arnulphi & Gerberti, *Senonenſem Archiepiſcopum vices per Gallias ſibi creditas Romæ innovaſſe, & ita à latere Apoſtolici cum Decreto privilegii venientem, ejus vices omnium Epiſcoporum Galliæ conſenſu proſecutum eſſe. Baron. d. A. n. 10. & A. C. 1003. n. 13.* *Primatus Arelat.*

CAPUT III.

De VNIONE IMPERII ROMANI REGNIQVE GERMANICI.

SVMMARIA.

Imperium non rite quaſitum, vindicatum jure à Regibus Germaniæ. Baronio reſponſum. Pontif. Rom.

 agno-

agnovit jus hoc regum Germaniæ. Carolomannus Imperator cedit imperium fratri natu minori Carolo Craſſo. Papa illum coronat. Gallia Germaniæ unita. Transmiſſio. Succeſſio Carolinæ ſtirpis ceſſat, nec dum ipſa ſtirps ceſſare putatur. Origo sereniſſimæ domûs Bavaricæ & Palatinæ ad Rhenum. Electio Conradi Imp. Francorum ſedes, diviſio & origo. Regnum Germaniæ potior pars Regni Francorum.

§. I.

POrro quod non jure partum erat, ſtabile ac diuturnum eſſe non poterat. Annales Francorum, & ex his Baronius *ad A. C. 875. n. 3.* rem atque titulum ita referunt: *Carolus dum negotium ferro decernendum timuiſſet, eſt enim lepore timidior, ad calliditatem ſolitam convertitur. Nam aurum & argentum, gemmasque pretioſas infinitæ multitudinis Carlmanno obtulit, ut eum ſibi placare, & à paterna fidelitate ſegregare potuiſſet: juravitque ſe de Italia cito exiturum & Ludovici fratris ſui judicio illud regnum diſponendum ſervaturum, ſi Carolomannus inde diſcederet. Quo inde diſcedente, & promisſionibus illius credente ille, quæcunque pollicitus eſt, mentitur & quanta potuit velocitate Romam profectus eſt, omnemque Senatum populi Romani more Iugurthino corrupit, ſibique ſociavit, ita ut etiam Johannes Papa votis ejus annuens, corona capiti ejus impoſita, eum Imperatorem, & Auguſtum appellare præcepiſſet.*

§. II.

A Regibus Germaniæ vindicatũ. Ludovicus itaque jure ſuo uſus, bellum indixit Carolo. Sigebertus Gemblacenſis A. C. 876. *Ludovicus Imp. in Italia moritur, & Patruus ſuus Carolus Rex Francorum Romam pergit, & Joanne Papa & Romanis per munera*

nera ſibi conciliatis, Imperator creatur. Sed ei ſtatim à Ludovico fratre ſuo bellum paratur, quod ſe inconſulto ſolus Imperiũ fratruelis uſurpaverit. Morte & Ludov. R. Germaniæ an. 876. & ipſius quoq; Caroli Calvi anno ſequente interveniente jus ſuũ porro perſecutus eſt Ludovici Germanici filius, Carolomannus. Nec eum deterruit decretum Synodi Romanæ: *ut electio & promotio ad Imperialia ſceptra anno præterito Romæ celebrata, extunc, & nunc, & in perpetuum firma, & ſtabilis maneat. Quam ſi quis perturbare aut violare tentaverit, cujuscunque ſit ordinis, dignitatis, aut profesſionis, anathemate usque ad ſatisfactionem teneatur omni tempore adnoxius. Aimoin. d. Lib. V. c. XXXV.* Nam jus Ludovico, & Carolomanno ſemel quæſitum intervertere non erat in poteſtate Synodi Romanæ.

§. III.

Induſtrius etiam hic eſt *Baronius ad A. C. 876. n. 9.* ut evincat *auctoritatem & poteſtatem Papæ in creandis Imperatoribus, ut non nudum exhibeant miniſterium in ipſis ungendis, & coronandis, ſicut facere ſoleant Patriarchæ CPolit. in Coronatione Orientalium Impp.* Sed pro fundamento utitur ipſis Papæ verbis in actu Coronationis prolatis. *Baronii obj.* *Et quia pridem Apoſtolicæ memoriæ deceſſori noſtro Papæ Nicolao id ipſum jam inſpiratione divina relevatum fuiſſe comperimus: Elegimus merito & approbamus una cum annisu & voto omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum, atque aliorum S. Rom. Eccleſiæ miniſtrorum, amplique Senatus, totiusque Rom. Populi, gentisque togatæ.* Sic enim inquit Baronius, arbitrio Papæ collatum eſt Imperium. Verum enim vero primo hoc quidem ex illis verbis non ſequitur, non magis, ac ſi ſolius arbitrio Archiepiſcopi *Reſp. I.*

Mo-

Moguntini vellem adſcribere electionem Imperatoris hodiernam. Deinde nec *jus eligendi* exinde probatur,
2. quod id habuerit de jure Pontifex Rom. & non in præjudicium & fraudem legitimorum heredum & ſucceſſorum exercuerit. Etenim eadem ratione utebantur paulo ante Epiſcopi & ordines Lotharingiæ, qvum Carolum Calvum excluſo fratre herede legitimo, Regem eligerent, ut ipſe *Baronius ad A. C. 869. n. 102.* recitat: *Quia denique voluntatem Dei unanimitate noſtra videmus hunc regni hujus heredem eſſe legitimum, cui nos ſponte commiſimus, videtur nobis, ut ſigno certisſimo demonſtremus, quia illum à Deo electum, & nobis datum Principem credimus.* Nihilominus Papa tunc reſcripſerat Regi Carolo Calvo, *ut ſe ab invaſione Regni ſubtraheret, & compeſceret, aliena non concupiſceret; & quæ ſibi non vellet fieri, id non faceret,* quas ad ſequentem annum prolixas literas idem recitat. Atque eſt hic color omnium ſecedentium ſubditorum communis, tantum abeſt, ut exinde factum pontificis in eligendo Carolo defendi poſſit, ſicut & ipſe *Baronius mox n. XVII.* hoc Papæ factum reprehendit, & ad male ſuadam prudentiam carnis rectiſſime refert. Sed ad hiſtoriam.

§. IV.

Obtentum. Carolomannus Rex Germaniæ poſtquam anno 876. mox ab obitu Patris paucis copiis ingentem Caroli exercitum viciſſet, quanquam infirmitate deſperata & ipſe teneretur, *teſte Aimoino c. 35.* tamen anno 878. miſit, mortuo interim Carolo, exercitum in Italiam Ducibus Lamberto & Adelberto, *qui Romam ingreſſi, & Joanne Pontifice ſub cuſtodia retento, Optimates Romanorum fidelitatem Carolomanno ſacramento firmare cœperunt.* ut habent Annales Ful-

Fuldenſes. Nec invitis Romanis id factum, diffidente hac in parte populo à Papa, ut conſtat ex Sigeberto Gemblacenſi: *Johannes Papa injuriatus à Romanis, ita, ut etiam in cuſtodia teneretur, pro eo, quod Carolo (cui frater Carolomannus cedebat Imperium) non favebat, in Franciam veniens cum Rege Ludovico Balbo pene annum moratus eſt.* *A. 879.* Papa quidem fuga elapſus in Franciam ad Ludovicum Balbum excommunicavit cum Epiſcopis Galliarum & Belgicarum Lambertum atque ſocios: Sed qvum Ludovicus per Epiſcopos Papæ offerret præceptum ſive tabulas, *per quod pater ſuus Ludovico Regnum tradiderat*, petens, *ut privilegio ſuo ipſum præceptum confirmaret*, Papa contra protulit *exemplar, quaſi facti præcepti à Carolo Imp. de donanda Abbatia S. Dionyſii Romanæ Eccleſiæ, quod compilatum conſilio eorundem Epiſcoporum & aliorum conſiliariorum Ludovici à plurimis credebatur*, ut ait Aimoinus vel ejus continuator, *ut ſi vellet Ludovicus, ut ſuper illius præceptum privilegium faceret, ſuo præcepto illud patris ſui præceptum firmaret. Quod argumentum, ſicut factio, & non ratio, imperfectum remanſit*, ſunt ejusdem Hiſtorici verba. Itaque Papa coronavit quidem Ludovicum Regem Franciæ, ut uxorem autem in Reginam ordinaret, obtinere non potuit. *Aimoin. d. l.* Ludovicus vero Balbus cum Ludovico Rege Germaniæ, Carolomanni fratre juniore, anno 878. pactus fuit de finibus *Regni Lotharii*, ut quomodo à Carolo Calvo & Ludovico rege diviſum fuiſſet, ita maneret. Illa diviſio facta fuerat anno 870. & extat Tom. II. Capitular. Franc. & apud H. Conring. *l. 1. de Fin. c. VII.* De *Regno* autem quod Ludovicus Imp. in *Italia* habuerat, quia nondum ex illo aliqua diviſio facta erat, hác formulâ uſi: *Quicunque modo illud tenet, ita teneat,*

donec, Domino volente iterum ſimul venientes cum communibus fidelibus noſtris inveniamus & diffiniamus, quod ex hoc melius & juſtius nobis viſum fuerit. Aimoin. d. l. V. c. XXXVIII. Extat hæc conventio Tomo II. Capitulariun Francor. ad annum 879. & adjicitur: *De regno autem Italiæ quia modò nulla ratio eſſe poteſt, omnes ſciant, quia partem noſtram de illo regno & requiſivimus & requirimus, & domino auxiliante requiremus.* Confirmata ſic poſſeſſione Italiæ, ac Romæ à Carolomanno arrepta, deceſſit Ludovicus Galliæ Rex, A. C. 879. d. 10. April.

§. V.

A Papa agnitum. Interea Papa redierat in Italiam, Carolomanni autem adverſa valetudo aucta erat. Papa igitur etſi cavere ſibi de attentato electionis Imperatoriæ jure in caſum mortis Carolomanni Regis Romanorum voluit, & ea de re Epiſcopos ſuos monuit per literas: non potuit tamen evitare, quin Carolomanni jura atque Regnum Romanorum, vi veritatis coactus, in iiſdem literis agnoſceret. Sic enim ad Anſpertum Archiepiſcopum Mediolanenſem *Epiſt. 155.* ſcripſit: *Quia Carolomannus corporis ſicut audivimus, incommoditate gravatus, Regnum retinere jam nequit, de novi Regis electione, ut omnes pariter conſideremus, vos prædicto adeſſe tempore, nempe ad Kal. Majas valide oportet, & ideo antea nullum abſque noſtro conſenſu Regem debetis recipere. Nam ipſe, qui à nobis eſt ordinandus in Imperium, à nobis primum atque potiſſimum debet eſſe vocatus atque electus.*

§. VI.

Fratri ceſſit. Sed non expectata iſta electione, *Carolomannus* Rex Germaniæ & Romanorum, quem jure merito *inter Imp.* cum Goldaſto retuleris, atque inter eos relatus fuit à Ludovico IV. Imp. in Conſtitutione A. C. 901. quam *vide in Tom.*

Tom. III. Goldaſti p. 299.) *Carolo fratri* cognomine Craſſo, *Regnum Romanorum* & Italiæ *cedit*, Ludovico alteri fratri Bavariam, & Arnulpho fratri Auſtriam & Carinthiam, annoque ſequente moritur. Carolus autem „ qui ſe una cum conſobrinis ſuis (Regibus Galliæ perſe- „ quentibus rebellem Boſonem) Viennam obſeſſurum „ promiſerat, mox ut quædam ſacramenta utrinque in- „ ter eos facta fuerunt, illis valedicens, ab ipſa obſidione „ receſſit, & in Italiam perrexit: indeque citato itinere „ Romam veniens, à Joanne Papa in Die nativitatis Do- „ mini in Imperatorem ungi obtinuit.„ Sunt verba Annalium Aimoini. Id factum A. C. 880. die ſolenni, quo ante octoginta annos Carolus M. Imperium primus ſibi, poſterisque acquiſiverat, ut contra Baronium oſtendit Calviſius. Atque ita non ex arbitrio Pontificis Romani ſed more Majorum, & jure ſucceſſionis acquiſivit Rex Germaniæ Imperium Romanorum, & utrumque æterno junxit connubio. *Inde ad poſteros.* Hoc Imperatore commendavit ſe Eccleſia Gallicana fidei & libertati Germanicæ. Scripſit *Hincmarus* Pontifex Rhemenſis Carolo Imp. ejusque Epiſtolæ ſummam refert Baron. ad A. C. 881. *ut Imperator Eccleſiam Gallicanam pene collapſam reſtituat, Regni diſſidia tollat, Ludovici Balbi filiis idoneos Conſiliarios tribuat, qui eos doceant privilegia Eccleſiaſtica tueri.* Atque frater Imperatoris Ludovicus Rex filios Ludovici Galliæ Regis in tutelam recepit & Regnum paternum inter eos diviſit. Karolomanno Rege Franciæ mortuo, anno 885. Franci Carolum Imp. ad auxiliandum ſibi contra Northmannos invitantes, *Franciam ei ſubjiciunt*, ait Sigebertus. Cum quo convenit Otto Friſingenſis lib. VI. c. 8. *occidentales Franci Principibus amiſſis, Karolum Imperatorem, qui*

tunc ſolus ex ſtirpe Karolorum ſupereſſe videbatur, ultrò invitant, eique venienti ſubjiciuntur. Vnde non amplius tutorio nomine, ſed jure Imperii electionis ſucceſſionisve Franciam occidentalem & orientalem ſive Germaniam redunitam colligunt Alphonſus Delbeneius, Jacob. Alex. Tenneurius, H. Conring. *l. 1. de Fin. c. IIX.*

§. VII.

Arnulphus Imp. Octo annis poſt quàm Carolus Craſſus Imp. Auguſtus Romæ coronatus eſſet, dederunt ipſi Germanici Imperii Proceres imperii conſortem, nepotem ex fratre Carolomanno, *Arnulphum*, in Comitiis Francofurtenſibus, anno 887. Hic anno ſequente Odonem Comitem Andegavenſium Regem *Galliæ* conſtituit. *H. Conring. d. c. VIII.* A Papa tertium imploratus adverſus Guidonem, quem ipſe Papa vitio creaverat Imperatorem, Romam tyranno eripiens, Imperator à Pontifice coronatus & anno 899. mortuus fuit. *Ludovicus Minorennis* Transmiſit Imperium Rom. ac Regnum Germaniæ in filium *Ludovicum*, quem A. C. 900. minorennem ſtatus Imperii Forchemiæ convenientes Imperatorem declarant, & Hattonem Archiepiſc. Moguntinum ac Ottonem Ducem Saxoniæ Tutores conſtituunt. De eo *Luitprandus l. 2. Rer. Geſt. c. 1.* ait: *Poſtquam vitalis calor Arnulphi Regis membra deſerens, corpus reddidit exanime, ejus filius Ludovicus Rex cunctis à populis ordinatur.* Obiit mærore animi ob bella in Hungaria infeliciter geſta, anno ætatis decimo nono à Chriſto nato 911. In hoc tandem maſcula Caroli M. proles deſiit, ut communis eſt opinio. Quanquam contra alii ſentiant, continuari hodienum in Sereniſſima Domo Electorali utraque Bavarica & Palatinâ, ex progenie aut Ludovici, fratris Caroli Craſſi Imp. ut aſſerit Elias Reusnerus *de*

Fami-

Familiis Præcipuis pag. 126. aut Pipini Caroli M. filii Regis Italiæ, ut Limnæus *J. P. lib. V. c. V. 5.* Sed ſucceſſioni in imperio renunciarant Pipini nepotes, ad juſſum Ludovici Pii Imp. ob defectionem patris, Bernhardi, ut habet Aventinus *lib. IV. p. m. 291.* Deſierat itaque ſucceſſio in ſtirpe Carolina.

§. VIII.

Quamborem res iterum ad electionem rediit; quia porrò filia Ludovico Imp. ſuperſtes *Conrado*, Duci Franconiæ nupſerat, Proceres Germaniæ pietate in ſanguinem Carolinum ducti, generum ſocero ſucceſſorem elegerunt. De quo Luitpr. *l. II. c. 7.* dicit: *Hac tempeſtate Ludovicus Rex moritur: Conradus ergo Francorum ex genere oriundus, vir ſtrenuus, bellorumque exercitio doctus, Rex cunctis à Populis ordinatur. Verum niſi pallida mors eum citiſſime raperet, is eſſet, cujus nomen multis mundi nationibus imperaret.* Et Regis Galliæ Caroli Simplicis legatus ad Henricum Imp. A. C. 920. ut *Witichindus* refert: *Ex quo res Francorum cœperunt minui, Saxonum vero creſcere, donec dilatatæ ipſa jam ſua magnitudine laborant, ut videmus in amore mundi, & totius orbis capite, Patre tuo, cujus potentia majeſtatem non ſolum Germania, Italia, atque Gallia, ſed tota fere Europa non ſuſtinet.* Eum IMPERATOREM appellatum conſtat ex Ditmari lib. I. pr. *Conradus Imp.*

§. IX.

Non debet autem aures offendere, quòd Luitprandus Conradum Imp. ex genere *Francorum* oriundum dicit, Legatus verò Caroli Simplicis ad *Saxones* refert. Nam ut Luitprandus Francorum vocabulo preſſius utitur, pro Francis orientalibus, quos *Francones* appellamus hodie, ita Gallus ille Saxoniæ vocem laxius uſurpat pro Germania. *Francorum ſedes & diviſio.*

nia. Verius autem ad Francos origo Conradi refertur, qvum non tantùm Franconia, quam nunc appellamus, ſed & tota ferè Germania magna unà cum tota Auſtraſia transrhenana, non minus ac Gallia & Neuſtria *Francorum* ſit *ſedes*, & hi propterea in *occidentales* & *orientales* fuerint diviſi. Unum itaque fuit regnum Francorum, cui Saxoniam ſubdidit Carolus M. idque diviſum poſtea à Ludovici Pii poſteris in regnum Franciæ occidentalis ſive Galliæ, & quod *καθ' ἐξοχὴν regnum Franciæ* dici conſvevit, & in regnum Franciæ Orientalis, quod *Germaniæ regnum* proprio nomine dicitur. Trithemius de Orig. Francor. ait: „ Ab illo tempore cœpta Regni Francorum diviſio bipartita manſit jam per annos DCLXXIII. usque in præſentem diem, manebitque deinceps perpetua. Quæ quidem diviſio literis & jure confirmata Majorum ex uno Regno Francorum fecit duo, quorum älterum eſt Germaniæ, alterum verò Celticæ duntaxat & Aquitaniæ. Nam Galliæ Belgicæ major pars in diviſione poſtea Regno fuit adjudicata Germaniæ.

§. X.

Origo. Nec immerito Francorum nomine etiam Germani gloriamur, qvum prima eorum ſedes poſtquam ex illa gentium vagina egreſſi, in Germania magna fuerit. Teſtis eſt Panegyricus Conſtanti Conſtantini filio dicatus, cujus *Facerem* initium eſt; *Quid loquar* ait, *rurſus intimas Francorum nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romana*, (Bataviam, Menapiam, Taxandriam) *invaſerant, ſed à propriis ab origine ſuis ſedibus, atque ab ultimis barbariæ litoribus avulſas, ut in deſertis Galliæ regionibus collocatæ, etiam pacem Romani Imperii cultu juvarent, & armato delectu.* Hieronymus in vita Hilarionis: *Inter Saxo-*

Saxones quippe & Alemannos gens non tam lata, quàm valida, apud hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur. Ab his Franciæ & Germaniæ incolis diſtinguit *Gallos* Comment. in cap. 3. Joëlis : *Nec mirum ſi unaquæque gens certa viarum ſpacia ſuis appellet nominibus : cum & Latini mille paſſus vocent, & Galli Leucas, & Perſæ paraſangas, & raſtas* (à noſtro *Raſten*, quieſcere, Latinè dixeris ſtationes) *univerſa Germania : atque in ſingulis nominibus diverſa menſura ſit.* Et paulo poſt coujungit Francos & Alemannos. Procopius *lib. 1. de bello Gothor.* teſtatur, Francos quondam vocitatos fuiſſe *Germanos* & Gallias deinde invaſiſſe. Idemque lib. 3. de bello Vandalico : *Vandali interea circa Mæotidem conſidentes, ubi fame preſſi ſunt, in Germanos irruunt, qui nunc Franci dicuntur, ſimulque Rhenum fluvium trajecerunt.* Jornandes lib de orig. Getarum : *Gothi Germanorum terras, quas nunc Franci obtinent, depopulati ſunt.* Agathias lib. 1. de bello Gothorum : *Francorum nationem proximam eſſe Italiæ & terminis junctam. Veteres hos Germanos dixiſſe. nam circa Rhenum habitare, Gallorumque magnam partem occupaſſe, qui quanquam, ut reliqui Germani, ſunt barbari, Romana tamen politia & aliis inſtitutis uti eſſeque omnes Chriſtianos & rectiſſimæ inter cæteros omnes opinionis.* Cum igitur Germania noſtra propriè ſedes ſit Francorum, horumq; regnum, ultra Rhenum per Gallias univerſas in fines Hiſpaniæ usque dilatatum, fuerit in duo Regna diviſum, & orientale ſive Germaniæ regnum majori natu ceſſerit; conficitur, eadem jura, libertates ac prætenſiones illud & quidem cum *prærogativâ Senioratûs*, habere, quibus altera occidua regni Francorum pars gaudet.

CA-

Caput VI.

De
LIBERTATE IMPER. REGNIQVE GERMANICI CIVILI ET SACRA.

Summaria.

Attentata contra Imperii Germanici libertatem. Impp. Papales. Gvido contra Arnulphum: pœnitente & revocante Papâ. Lambertus. Ludovicus. Berengarius. Hugo. Lotharius. Germani Impp. jus ſuum conſervarunt. Henricus I. Conrad. I. Synod. Altheimenſis. cau. 18. q. 1. c. 1. Arcanum Roman. Libertas Eccl. German. Epiſcopi ſubditi Regis. 1. Petr. II, 13. In Bavaria ducis. Archiepiſcopatus Treverenſ. Synodus Erfordienſis. uſus vitæ Monaſticæ & Canonicæ. Quedlinburgenſe & Gandersheimenſe Monaſterium. Schola Germaniæ. Vſus linguæ vernaculæ in ſacris. Synodus Triburienſis. Triburium ubi? Diſt. 19. c. 3. Prætextus S. Petri.

§. I.

Attentata contra Imperii Germ. libertat.

QVarto anno imperii Conradi I. Imp. Joannes X. à Theodora in ſedem evectus, Berengarium Regem Italiæ Imperatorem coronavit, cum diſtuliſſet Conradus Imp. coronationem Romanam, bello inteſtino impeditus.

tus. Idem jamtum anno 891. Formoſus Papa attentaverat, Guidonem R. Italiæ Imperatorem pronuncians in præjudicium Arnulphi Imp. At nihil hæc talia etiam ſibi ipſis contraria Pontificum Romanorum attentata circa dignitatem Imperatoriam, juri quæſito Regum Germaniæ detrahere potuerunt. Regna enim Carolina omnia erant hereditaria, ipſum etiam Romanorum, eique ſemel annexa Imperatoria eminentia. Igitur quemadmodum vitio & cum injuria Imperatoris Germanici *Guido* pro Imp. Rom. à Papa fuerat declaratus: ita hunc errorem idem Formoſus anno 896. unctione Arnulphi ſuſceptâ emendavit; ut itaque Formoſus, *ſurreptionis* inſimulari haut poſſit, cum vitio unxiſſet Guidonem & Lambertum filium : inque præjudicium regnantis jam tum Arnulphi multo minus ſcriptores Germani *privatæ affectionis* hic incuſari debuerunt, *Baron. ad A. C. 896.* qvum veritas ipſa, & jus Francorum quæſitum, neque à Papa, & à nemine homine interverti potuit. Injuſte itaque, qvum Arnulphum Imperatorem Papa Formoſus coronaſſet, ſimul ac abiiſſet ex Italia, & *Lambertus* filius Guidonis Romam rediiſſet, à ſucceſſore Formoſi Imperator iterum confirmatus eſt, ut annotat Calviſ. *ex Annal. Svev.* ad A. C. 897. mox A. C. 900. Papa, *Ludovicum* Boſonis filium victorem Berengarii invadentis Imperium, Imperatorem coronavit: triennio poſt *Berengarium* Ludovici victorem Johannes IX. Imperatorem creavit: cui ſequente mox anno imperium abrogatum , & Lambertus iterum pro imperatore declaratus fuit. Is Legem fundamentalem *de non conſecrando Papa, abſente Imperatoris Legato, & libertate provocandi ad Imp.* renovavit. *Goldaſt. Conſt. Imp. Tom. III. p. 297.*

Minuti Impp. Papales.

§. II.

Mortuo Lamberto *Berengarius* invaſor imperii à Johanne X. ut dixi, coronatus, qvum Conradus revera imperaret & multo potentior eſſet Berengario legitimèque electus. *Calviſius ad A. C. 915.* Hunc anno 931. ſecutus *Hugo* & filius *Lotharius.* At nec Baronius iſtos Impp. Hugonem & Lotharium agnoſcit. Guidone & Hugone expulſo Albericus Marchio Tuſciæ Romam anno 933. occupavit, & Iohannem XI. fratrem, Pontificem Rom. Nothum Sergii Papæ in cuſtodia tenuit. Papam Stephanum, virum Germanum ab Ottone M. promotum, per ſubornatos anno 940, tam male tractavit, & in vultu adeo deformavit, ut per totam vitam domo exire non auſus. Ita in ſumma rerum confuſione res Imperii, & Italiæ habitæ, & tot invaſores Imperii ſimul gubernarunt, dicam an turbarunt, *quos tyrannidem verius exercuiſſe* aſſerit Luitprandus *l. IV. c. VI.* donec mortuo Lothario Rege, *Otto Magnus* tandem aliquando in Italiam veniret, & Regnum avitum Berengario, novo invaſori, eriperet, *Adelbeidam* Lotharii viduam uxorem duceret, & denique coronam Imperialem Romæ A. C. 962. imponeret.

§. III.

Jus Germaniæ ab Impp. non derelict.

Turbas iſtas dederant peſſimi Romæ mores, quos Principes Germaniæ, pectora gerentes imbuta honeſto, adeo averſati, ut ne facile Romam venirent, quanquam *Henricus Imp.* A. C. 936. *omnia ad iter Romanum apparaverat*, ne objici poſſet Imperium à Regibus Germaniæ pro derelicto habitum fuiſſe, ſed morte præventus, rem reliquit filio Ottoni expediendam. Etſi enim videri poſſit, piiſſimos Germaniæ Principes de imperio Romano cogi-

cogitaſſe, quod *Cicero pro Deiotaro* habet, ea magna eſſe onera, & quæ non bene adminiſtrata hominem divinæ iræ reddant obnoxium; vix poſſe autem bene adminiſtrari tam improbis illorum moribus; ſed & durum eſſe, qui ſe tutores dicerent, damno pupilli litigare, uter ad tutelam jus habeat, *Grot. J. B. & P. II. 4, 8.* Vnde eſt, quod Otto prius tentavit ad ſedem Romanam hominem Germanum promovere h. e. honeſtorum morum: deinde cum ab ejus ſucceſſore Agapeto II. ad coronam ſuſcipiendam invitaretur, conſenſum Alberici, Marchionis Thuſciæ deſideravit per legatos A. C. 952.

§. IV.

Tamen exinde haud conficitur probabilis ad dereli- *R. Dec.* ctionem præſumtio, qvum *intra tempus* memoriam hominis excedens utique *idoneam ſignificationem* requirendi imperium, ejusve exercitium, temporis cauſſa aliquandiu omiſſum, ediderint Impp. Germanici & ſpeciatim Henricus I. Imp. Romam viſitaturus. Atque agnoviſſe ipſos Pontifices Jurisque Canonici compilatores Henricum I. pro Rege Romanorum æque ac Othonem M. conſtat ex can. *Conſtitutio Henrici primi 32. diſt. 63. Conf. Baron. ad A. C. 964. n. 29.* *can. 32. diſt. 63.* neque hoc omne quidquid eſt, fictum eſſe crediderim, quaſi nullum unquam negotium cum Papis Henricus geſſerit, ſed imo quemadmodum poſterior pars hujus canonis revera eſt Lotharii Imp. ut patet ex *lib. 3. LL. Longobard. t. de Pontificibus. L. 3.* Ita prior pars non quidem Conſtitutionis perfectionem, credo, unquam obtinuit, ſed à Pontifice inſtar tractatus ac conditionis Henrico & Ottoni fuit propoſita acceſſuris Romam, & poſtulaturis ſolennitatem Conſecrationis. Solenne enim fuit Pontificibus tunc ita paciſci velle. Verum

rum uti conſtat Ottonem Imp. contrarium conſtituiſſe *c. in Synodo 23. b. diſt. 63.* ita veriſimile eſt, neque Henricum Imp. alium ſeſe geſturum, ſi iter perfeciſſet.

§. V.

Henricus Auceps.

De quo notanda hæc *Witiebindus l. 1. Annal. ad fi.* refert: *Deinde* (Vngaris cæſis) *Pater Patriæ, rerum Dominus Imperator ab exercitu appellatus, famam potentiæ, virtutiſque cunctis gentibus & regibus longe lateque diffudit. Vnde & aliorum regnorum Proceres eum adierunt, gratiamque in conſpectu ejus invenire quærentes, fidem talis ac tanti viri probatam habentes dilexerunt. Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus poſtremò ROMAM PROFICISCI ſtatuit, ſed infirmitate correptus iter intermiſit.* Hinc Henricum recte *primum* & *Imperatorem* appellari, auctoritate Henrici II. *Paulus Langius in Chron. Citizenſi* comprobat: *Henricus iſte* (ſecundus) *Primus appellatur ab Hiſtoricis Italicis. Ipſe tamen ſemel ſecundum aſſerit, ut ſyngrapha ſua, quæ Babenbergæ extat, clare indicat. Primus equidem Henricus fuit Pater Ottonis M. Hic quia Romæ coronatus non fuit, ab Italis non numeratur, & ita cum Conradis & Lothariis faciunt. Noſtrates autem hiſtoriographi Henricum memoratum Ottonis M patrem, primum ponunt, quia in Germania ſtrenue & optime imperavit. Et ita de aliis. Plures equidem venirent rejiciendi, ſi ſolum Imperii corona inſigniti poni deberent, etiam fortiſſimi & laudatiſſimi Cæſares ſive Romanorum Reges. Quod quum abſurdum foret, & indignum, nemo ſapiens perpendere nequit.* & quæ ſequuntur de Maximiliano Imp. ad A. C. 1014. Neque officit, quod Henricus hic nihil tum poſſederit in Italia. *L. Maymburg. de la decad. de l' Empir. A. 936. pag. 34.* Sufficit enim quod jus ac prætenſionem retinuerit, inque ejus rei ſignum

gnum titulo Auguſti & Imperatoris haud temerè uſus ſit. Eidem Carolus Simplex R. Franciæ anno 923. poſt victoriam de Odone partam, & SE & FRANCIAM ſubmiſit, ut refert Sigebertus, ſcilicet non ut Regi, ſed ut Imperatori, quem ipſe comiter haberet, ut mihi videtur; ſicut & Odo gratiâ Imperatoris regnaverat.

§. VI.

Quod de Henrico demonſtratum eſt, idem de *Conrado I.* Imp. verum eſt. Anno enim ſequente poſtquam Pontifex Anticæſarem Berengarium conſtituiſſet, nempe A. 916. Concilium Imperator Conradus convocavit in Rhætia in opido Altheim, quod Straboni *Aldinum* vel potius Aldimum, in paludibus ſitum & palis ſuperſtructum, ex quo præter nomen & tenuia rudera apud Silim fluvium nihil nunc reliqvum eſſe Cluverius tradit. Ivo *Part. 14. cap. 116.* de hoc concilio refert iſta: *Regno* (Regni anno) *Conradi piiſſimi & Chriſtianiſſimi Regis quinto congregata eſt ſancta generalis Synodus apud Altheim in pago Rhetia, præſente videlicet domini Joannis Papæ Apocriſiario S. Oſtienſis Eccleſiæ Petro venerabili Epiſcopo.* In hoc concilio deciſa eſt quæſtio de Monacho, qui Epiſcopus eligitur, utrum monaſterio poſtea quoque acquirat, an Eccleſiæ ſuæ? atque poſterius fuit approbatum, ut habet Gratianus *cau. 18. q. 1. c. un.* Et eodem in Concilio, credo, Imperator à Pontifice excommunicari fecit duces Sveviæ rebelles & Epiſcopatibus atque monaſteriis infeſtos. Nec dubium itaque eſt, quin in eodem quoque cauſa Berengarii cum Legato Pontificis tractata fuerit & jus Conrado integrum manſerit, donec mores Italiæ corrigi poſſent.

Conradus I.

Synod. Altheim.

cau. 18. q. 1.

§. VII.

Arcan. Rom. Porro de corruptiſſimis tum Romanorum moribus inter alios teſtis eſt αὐτόπτης Luitprandus, Diaconus Ticinenſis *l. II. Rer. Impp. & Reg. c. XIII. & paſſim; ſpeciatim lib. 1. c. X.* ait: *Italienſes ſemper geminis uti Dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coerceant.* Egregium hoc arcanum à Pontificibus Rom. ad ſcopum obtinendum inventum, Proceribus Italiæ, & tandem etiam Epiſcopis Germaniæ perſvaſum fuit. Sigonius *lib. VI. de Regn. Ital.* Romanos atque Italos illos ita deſcribit: *Seipſos prorſus unà cum Eccleſia perdiderunt, ea tempora in Rempubl. inferentes, quibus nulla alia tetriora ac fœdiora fuiſſe Principum nequitiâ, vel populorum inſaniâ, in tota antiquitate reperiuntur.* Baronius ingenuè fatetur, *hoc tempore ad Pontificatum perveniſſe intruſos à Tyrannis Tuſciæ Principibus homines monſtroſos, vita turpiſſimos, moribus perditisſimos & undiquaq; fœdiſſimos*, ad A. C. 897. n. 4. *conf. Aventin. lib. IV. L. Maimb. de la decadenze de l' Empir. l. 1. p. 39.*

§. IIX.

Libertas Eccleſ. German. Has inter turbas ac miſerias Italiæ Reſpubl. tamen & Eccleſia Germaniæ ſua uſa eſt libertate. Summa circa ſacra poteſtas erat penes Imperatores & Concilia. Epiſcopi non modo ut ſtatus Regni, ſed etiam ut *Epiſcopi* & Magiſtratus Sacri *ſubditos* ſeſe profitebantur *Regis*, nec invito Pontifice Rom. Nicolaus Papa in literis ad Adventium Epiſcopum Metenſem: Illud vero quod dicitis, Regibus & Principibus vos eſſe ſubjectos, eo quod dicat Apoſtolus: ſive Regi tanquam præcellenti, placet. Veruntamen videte, utrum reges iſti & Principes, quibus vos ſubjectos eſſe dicitis, veraciter Reges & Principes ſint. Videte, ſi primum ſe bene regunt, deinde ſubditum

tum populum. Nam qui ſibi nequam eſt, cui alii „ bonus erit? Ergo Regi quaſi præcellenti virtutibus „ ſcilicet & non vitiis, ſubditi eſtote, ſed ſicut Apoſto- „ lus ait, propter DEVM & non contra DEVM. „ refert Baronius *ad A. C. 863. n. 60.* Quod de præcellentia *virtutis* addit, id quidem non eſt ad mentem Apoſtoli, qui de regibus ſui temporis & Impp. gentilibus turpiſſimis loquitur maxime, quare potius de præcellentia poteſtatis in Republica eſt intelligendum. Et ſi mores improbi tollerent obligationem inter ſuperiorem & ſubjectos: certe ſoluta fuiſſet dudum *obedientia* Eccleſiarum Germanicarum, quam jure humano debuerunt *Sedi Romanæ*, eamque præſtiterunt etiam monſtroſis iſtis & usque quaque perditiſſimis Papis, ut obſervat *Baron. ad A. C. 897.* Verum non vita ac mores ſolvunt obligationem, ſed obtruſio falſæ doctrinæ, & prohibitio veræ, idque jure divino & exemplis Apoſtolorum, *DEO magis obediendum quam hominibus.*

§. IX.

Jus Epiſcopos inſtituendi uti apud Impp. & Reges hactenus erat, ita Principi Boiariæ *Arnoldo*, à rebellione adverſus Henricum I. pœnitenti conferebatur iure ſingulari. Teſtis *Luitprandus l. II. c. VII.* ubi ſtatus Bavariæ ita ad Ducem ſuum: Æquum autem juſtumque nobis videtur, ut à cæteris non diſſentiens hunc Regem eligeres: „ ipſe vero te, ut tam fortunatum, & prædivitem virum „ hoc pacto bearet, animique tui feritatem mulceret, ut „ quod prædeceſſores tui non habuere, tibi concedatur, „ ſcilicet quatenus totius Bajoariæ Pontifices tuæ ſubjaceant ditioni; tuæque ſit poteſtatis, uno defuncto alterum ordinare. Connivens igitur Arnoldus, ait idem „ huic

Jus Ducis Bavar. in Epiſcop. Bavar.

„ huic optimo ſuorum conſilio, Henrici Regis miles effi-
„ citur ; & ab eo, ut jam dictum eſt, conceſſis totius
„ Bajoriæ Pontificibus honoratur. Confer. Aventin.
„ lib. IV.

§. X.

Archiepiſc. Trev. Eccleſia Metropolitana *Treverorum* ad Regnum Lotharii pertinuerat, æqualis Rhemenſi Metropolitanæ, inter quorum Archiepiſcopus præcedentia ex prioritate ordinationis dependebat. Hincmarus epiſtola ad Nicolaum Papam, referente Flodoardo lib. 3. *Inter quas, Rhemenſem & Trevirenſem Eccleſiam, hæc ſemper diſtinctio fuit, ſicut in Eccleſiaſticis monumentis invenimus, & vetuſtiſſimam conſuetudinem ſemper obtinuiſſe comperimus, ut iisdem Epiſcopus non loci, ſed dignitate ordinis prior ſecundum ſacras regulas haberetur, qui foret in qualibet iſtarum Eccleſiarum metropoli antea ordinatus.* Vide eundem Flodoardum *lib. 3. c. 20.* Porro cum inter Ludovicum R. Germaniæ & Carolum Calvum Lotharii regnũ divideretur, Colonia & Treveris inter primas Ludovico ceſſerunt anno 870. *Capitular. Francor. T. 2.* Hanc cum regno Lotharii à Ludovico Simplice ereptam circa A. C. 912. *Vid. Capitular. Francor. Tom. II. pag. 299. & ibi Sirmond.* idem Henricus Imp. recuperavit Imperio cum ſuffraganeis ſuis, quæ hactenus fuerat ſub Regibus Galliæ, A. C. 922. teſte *Chronico Belgico.* Atque ita pars Galliæ Belgicæ Imperio Romano Germanico firmata fuit, & hinc Archiepiſcopus Trevirenſis in Aula & negotiis Imp. Germanici ſuſtinuit officium & dignitatem Archicancellariatus per Galliam Belgicam ad Imperium pertinentem, cui & Archicancellariatus per Regnum Arelatenſe acceſſit.

§. XI.

§. XI.

Anno 932. Kalend. Junii celebravit Henricus Imp. *Erfordiæ* univerſalem Synodum ſancivitque *certa Capitula Eccleſiaſtica*, quorum primum referente *Baronio* fuit, ut *Natalitia XII. Apoſtolorum* ſolenniter celebrarentur. Eodẽ tempore verus uſus *Monaſticæ & Canonicæ vitæ* in Eccleſiis viguit Germanicis. Qua de re *Theodorus Engelhuſius* in Chronico à V. CL. Joach. Joh. Madero primum ex MSS. Codd. edito, ait: Henricus iſte in factis armorum ſtre- „ nuiſſimus, inter cætera bona fundavit in Alemannia ul- „ tra XX. Eccleſias, quas & abundanter dotavit, pro do- „ minabus ſecularibus, quæ Canonicæ nominantur, uten- „ tes habitu Canonicorum regularium Ordinis S. Augu- „ ſtini, nullam tamen profitentes religionem, nubunt in „ Domino, quando volunt. Inventæ autem ſunt pro ſuſten- „ tatione Nobilium, pro fide Chriſti ab infidelibus oc- „ ciſorum, ne talium filiæ cogerentur mendicare, ſed in „ illis monaſteriis ſuſtentatæ, cum ad ſtatum nubilem pro- „ veniſſent, vitam eligerent, quam vellent. Poſſent enim „ ibidem profiteri & perpetuo manere vel recedendo ma- „ ritari. Quibus inter cætera voluit Quedlinburch, Pru- „ dentum Virginum intitulatum, ſicut & avus ejus Gan- „ derſem, fore principale. „

Synod. Erffurt.

Uſu Vitæ Monaſticæ & Canon.

Monaſt. Quedlinb. Gandersh.

§. XII.

Scholas item fuiſſe inſtitutas in Monaſteriis, & Eccleſiis Cathedralibus, patet ex *Ditmar. l. 3. Chron.* ubi de Adelberto Archiepiſc. Magdeb. & Ortrico Scholaſtico: *Cum Epiſcopus & Ortricus nunquam convenirent moribus, magna confratrum & hoſpitum, quia magiſter fuit ſcholæ, caterva bene elaborata maluit inde exire, quam in Monaſterio permanere.* Qui ipſe etiam *lib. IV.* refert: Mona-

Schola in German.

chas matrimonium contraxiſſe. Vide Paul. Langium *in Chron. Citiz.* ubi præclara de veteri veroque Monaſteriorum uſu, & inter alia hæcce: Nusquam eo tempore
„ *(Ottonum)* per Germaniam inſtituta literarum fuerant
„ Gymnaſia, imo & aliquot poſt ſeculis Academiæ, velut
„ ajunt, Vniverſitatis nomen illuſtre in omni pæne Occi-
„ dentis Imperio incompertum fuerat. Præter enim
„ Romanum vetuſtiſſimum, & Pariſienſe tunc novum,
„ utpote Caroli M. juſſu, opitulamine, & auctoritate per
„ noſtros doctores, Monachos fundatum, nullum in hi-
„ ſtoriis aliud univerſale legimus extitiſſe ſtudium.
„ Proinde Reges & Principes, cæterique nobiles, ad di-
„ ſcendum DEI Timorem cum literis, liberos ſuos Mo-
„ nachis intra clauſtra tradiderunt inſtituendos. Quo-
„ rum plerique manentes ſub regula, diſciplinæ magiſte-
„ rio in viros creverunt ſanctiſſimos: alii per parentes
„ revocati moderatores Reipublicæ ſtrenui, & prudentiſ-
„ ſimi facti ſunt.

§. XIII.

Lingua vernac. in Sacris.

Illud quoque obſervandum, ea libertate tunc gaviſam eſſe Eccleſiam *Moravicam* Gentis Sclavicæ recens à Methodio converſæ, ut *lingua Sclavonica* in Miſſa uterentur, & S. Scripturam in eam translatam legerent & audirent. Qua de re extat Epiſtola Joh. Papæ VIII. 247. ad Sfentum Comitem, ubi inter alia ſcribit: *Literas denique Sclavonicas à Conſtantino quodam Philoſopho repertas, quibus DEO laudes debitas reſonent, jure laudamus, & ut in eadem lingua Chriſti DEI noſtri præconia & opera enarrentur, jubemus: neque enim tribus tantum, ſed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate ſacra monemur. Nec ſane fidei vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive miſſas in eadem Sclavonica lingua*

lingua canere, ſive ſacrum Evangelium vel lectiones divinas N. & V. Teſtamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia pſallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſcilicet, Græcam, & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam. Jubemus tamen, ut in omnibus Eccleſiis terræ veſtræ propter majorem honorificentiam Evangelium Latine legatur, & poſtmodum Slavonica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis, annuncietur, ſicut in quibusdam Eccleſiis fieri videtur. Conſentanea ea ſunt doctrinæ Apoſtoliæc *1. Cor. XIV, 5.* quæ utique *regulam* conſtituit, ut adeò non per modum *diſpenſationis* demum hoc impetrare debeant Eccleſiæ. Confer doctrinam hodiernæ Eccleſiæ Romanæ *apud Jo. Bonam Cardinalem lib. 1. Rer. Liturg. c. V. §. 4.*

§. XIV.

Vno anno prius, quam coronatus fuit Arnolphus Imperator, nempe DCCCXCV, *Synodus magna celebrata eſt apud Triburias*, inquit Regino lib. 2. *contra plerosque ſeculares, qui autoritatem Epiſcopalem imminuere tentabant: ubi viginti ſex Epiſcopi cum Abbatibus monaſteriorum reſidentes plurima decreta ſuper ſtatum S. Eccleſiæ ſcripto roboraverant.* Eorum numerantur hodieque LVIII. In eadem controverſia agitata eſt de Eccleſia Bremenſi inter Archiepiſcopum Colonienſem & Hamburgenſem. refert *Adamus l. 1. c. 41.* An in eadem, vel in aliâ ibidem celebrata confirmatum *fuit matrimonium Sacerdotum?* Ejus canonem adhuc urgebat Eccleſia Laudenſis in Longobardia adverſus Legatum Pontificis *Petrum Damiani*, ipſo referente *in epiſtola ad Cunipertum Taurinenſem Epiſcopum*, Clericos Laudenſes dixiſſe: *Habemus*

Synod. Tribur.

de conj. Sacerd.

bemus auctoritatem Triburienſis (*ſi tamen ego nomen teneo*, inquit Damiani) *Concilii, quod promotis ad Eccleſiaſticum ordinem ineundi conjugii tribuat facultatem.*

§. XV.

Triburium ubi.

Triburium etiam *Friburgum* vocat Gryphiander *de Weichbild. c. XXXI. 12.* inepte omnino, & abſque auctoritate. Ad *Rhenum* ſitam fuiſſe docet Lambertus Schafn. *de rebus German. A. C. 1073. Ita aſſumtis ſecum qui advenerant Principibus, abiit Triburiam, & cætera circa Rhenum loca inviſere.* Ad *Moſellam* locat *Calviſius A. C. 821. ex Aimoino: Comitia,* inquit *aguntur Triburiæ ad Theodonis villam.* Villa autem Theodonis ad Moſellam jacet. de qua Chiffletius *ad Vindic. Hiſpan. Lum. Geneal. 2.* Sed Marq. Freherus *in originib. Palatinis* Triburium locum ad Rhenum ſitum fuiſſe monſtravit, vetuſtate tamen & dirutum & venerandum. Extat *Capitulare Triburienſe* à Ludovico Pio anno 821. conditum, & quidem ad petitionem Epiſcoporum ad Theodonis villam congregatorum. *Vid. Baluz. ad Capitular. T. 1. pag. 1107.* Sed diverſi fuerunt conventus, diverſa loca. Decreta enim Synodi in Theodonis villa congregatæ, Triburii Imperator confirmavit & publicavit, aut vice verſâ, ut Goldaſtus arbitratur.

§. XVI.

Diſt. 19. c. 3.

Ex eadem ſynodo Triburienſi Burchardus canonem 30. refert, de præſumtione ſedis Romanæ: *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus S. Romanam & Apoſtolicam ſedem; ut quæ nobis ſacerdotalibus mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas; ut licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur jugum, feramus, & pia devotione*

tole-

toleremus &c. Gratianus & Ivo inter Capitularia Carolina recenſent. Sed ſi Caroli M. eſt hoc capitulare, non poſſet eſſe hujus Synodi Triburienſis, aut patres Synodi hujus exiſtimandi eſſent mutuati illud eſſe ex legibus Caroli & ſuum feciſſe, ut St. Baluzio viſum *ad lib. II. de C. S. & J. c. XVI.* Verum qvum idem inter Capitularia Caroli M. ad annum 801. referret hoc capitulum, annotat: *Multa eſſe quæ dicere videntur, illud ab Epiſcopis conſtitutum fuiſſe, non autem ab Imperatore: deceptumque Ivonem fuiſſe, qui primus Carolo hæc tribuat.* Sed referri ſolent vulgò capitularia illa pleraque omnia ad auctorem illum principem, quod etiam de Jure Alemannico & Saxonico, quod in Germanico idiomate habemus, obſervare licet. Quicquid ſit Petrus de Marca *l. II. de C. S. & J. c. XVI. ſi.* hanc ejus interpretationem protulit: *Non vetat,* inquit, *quin Pontificum Rom. Decreta provinciarum uſibus obfutura repudiari poſſint, ſed modum quendam examini præſcribit, ſcilicet, ut quantum fieri poteſt, etſi jugum vix ferendum ſit, ſuſcipiatur tamen ob memoriam B. Petri. Sed ſi omnino ferendum non ſit, quia ſcilicet utilitati publicæ graviter obeſt, ex illo Decreto ſequitur, ſitum eſſe in populi poteſtate, ut à ſe jugum illud amoveat.* Cæterum *prætextum* ſanctæ memoriæ *B. Petri* Apoſtoli etiam jam tum ab Oſio in Synodo *Sardicenſi* ad introducendum jus appellandi ad ſedem Rom. itemque à *Bonifacio* ad extendendam illius Sedis per Germaniam poteſtatem, adhibitum fuiſſe, *ad d. l. de C. S. & J.* annotavit St. Baluzius: adeo is, qui Domini ac Magiſtri ſui nomen abnegaverat, ſui nominis tot ſeculis continuatum abuſum pati cogitur.

Caput V.

De Libertate Ecclesiar. Germaniae Imperante Ottone M. et Liberis.

Summaria.

Forma Reipubl. Germanica juncta Imperio Romanorum,
fuit ſtabilita ab Ottone M. etiam ante Coronatio-
nem Pontificis. Pacem facit in Gallia Otto in Co-
mitiis & Synodo Ingelheimi habitis: invaſor regni
Gallicani citatur & excommunicatur. Archiepi-
ſcopus Rhemenſis reſtituitur, itemque Epiſcopus
Lugdunenſis. Treverenſis Eccleſiæ dignitas. In
Italia contra tyrannos imploratur Otto, etiam à
Papa. Nummus Othonis. Jusjurandum Papæ &
Procerum Rom. De Ottonis jurejur. in can. tibi. 33.
diſt. 63. Papa perjurii & aliorum criminum à
Romanis accuſatus deprecatur. Receptat hoſtem
Eccleſiæ & Imperii. Civium Rom. homagium &
& SC. de jure Imperatoris in Sedem Rom. Baronii
exceptiones eliſæ. Poteſtas Populi R. ſupra Papam.
Papa judicatus & depoſitus à Concilio. Leo electus.
Mos abdicandi ſe magiſtratu. Lex Regia renovata.
cap. 23. diſt. 63. Bulla Leonis VIII.

§. I.

Forma Reipubl. Germ. qua.

CUm τὸ κύριον cujusvis Reipubl. duabus conſtet partibus principalibus, quarum altera rem civilem, altera rem ſacram ordinat, *Ariſt. l. VI. Pol. c. ult.* certe in corpore Reipubl. bene conſtituto altera augeſcente, altera non decreſcit. Atque erat jam *Regnum* Germaniæ *Procerum* ſtatuumve tam Eccleſiaſticorum, quàm civilium, *Libertate* & τοῦ κυρίου quadam communicatione ita *temperatum*, καὶ ἐπὶ τὸ μετριώτερον ἀγόμενον, ut idem loquitur Philoſophus πολιτικώτατος, ut & firmius jam, & diuturnius fore neceſſe eſſet; ſic enim Rex atque Imperator ἧττον δεσποτικὸς *minus dominanti ſimilis*, καὶ τοῖς ἤθεσιν ἴσος μᾶλλον καὶ ὑπὸ τῶν ἀρχομένων φθονεῖται ἧττον, & *vita moribusve par ſuis ordinibus magis, minusque ipſorum invidiæ expoſitus*, ex ejusdem Politici ſententia *l. V. c. 11.* Hinc vires ſumſit hic regni ſtatus, ut ſuſtinendo in alias quoque nationes, & in ipſam orbis Dominam, Romam, *imperio univerſali* non modo par eſſet, ſed etiam ex lege & jure à Carolo M. atque Craſſo Impp. ſemel quæſito, reipſa ſuſtinens *plures reſpubl.* ambitu ſuo complecteretur.

juncta Imperio Rom.

§. II.

ab Ottone Imp. ſtabilita.

Sed qvum Ludovico, Carolo, & Henrico Impp. curis Regni domeſtici diſtractis, Regnum Romanorum, & Italicum uſurpatoribus eripere nondum fuiſſet integrum, nec jus Imperii Rom. pro derelicto à Regibus German. habitum videri poſſet; idem à Francis jam *ad Saxones* communi Germanorum ſuffragio devolutum, de integro more majorum & *lege Regia* in æternum Germanis Ottone M. ſtabilitum fuit. Is cum A. C. 936. patri in Regno atque imperio ſuccederet, id egit, ut priſtinum libertatis Germanicæ tam in ſacris quam in civilibus ſplendorem

dorem undique reduceret, utriusque tum per Italiam, tum aliis invaſoribus oppreſſis. Et quoniam *à Libertate civili Libertas Eccleſiæ externa quodammodo dependet*, etiam ex iſta judicari de hac poterit. Sane ſive nomine IMPERATORIS ROM. uſus fuerit Otto ante coronationem Romanam, ſeu minus, nihil officit, qvum reipſa Imperio Vniverſali uſus fuerit, & inde dependens *Pacis ac Belli arbitrium in Comitiis Imperii univerſalibus* exercuerit. Fatentur hoc Galliæ, fatetur Italia, fatetur Roma ipſa.

& ante coronat. Rom.

§. III.

Invaſor regni Gallici.

In Gallia arma ceperant Francorum Proceres contra Ludovicum Regem, ſuper omnes autem Hugo Magnus, ut habet *l. V. Aimoinus c. 43.* Otto, imperatoris officium ſequens, coacto exercitu in Gallicam expeditionem profectus eſt, *vindicandæ cauſſâ injuriæ generi ſui Ludovici*, ut loquitur *Witichindus l. 3. Annal. pr. Generum* pro *affine* ponens; habebat enim Ludovicus Giſelberti Ducis Lotharingiæ viduam, Ottonis Imp. ſororem, Gerbergam in matrimonio, teſte eodem *Witichindo l. 1. & 2.* quanquam vero eò Hugonem Imperator redegiſſet, ut regem liberum dimitteret, retinuit tamen invaſor regnum. Imperator itaq; congregavit *Synodum Generalem* in comitiis *Ingelheimenſibus* A. C. 948. cui non modo Rex ipſe Ludovicus interfuit, ſed & nuncius Pontificis Rom. Agapeti II. Archiepiſcopus item Rhemenſis, Tungrenſis, Lugdunenſis, vel Litudunenſis, aut Laudunenſis in Diœceſi Rhemenſi, Metenſis, Tullenſis, Vuirdunenſis, Cameracenſis, & Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates Germaniæ. In qua Synodo cum Miſſus Sedis Romanæ ſignificaſſet, *ſe tali tenore ad noſtros fines directum fuiſſe*, ſunt verba Acto-

per Synodũ Imperii German.

Actorum, quæ exhibet Goldaſtus T. III. Conſt. Imp. *quo in omni Eccleſiaſticarum Legum diſcuſſione ipſius exiſtens vicarius, quæcunque liganda eſſent, Apoſtolica auctoritate ligaret & quæ ſolvenda viderentur, pariliſolveret poteſtate: dehinc* ex *ſeſſionis ſuæ loco ſe ſubrigens inclytus Rex Ludovicus ad præſentiam Sereniſſimi Regis Ottonis, totiusque Sanctiſſimi Concilii unanimitatem ſatis lacrymoſè conqueſtus protulit querimoniam, videlicet quod regia privaretur auctoritate à quodam Principe Hugone nominato, quondamque ſibi ſubjecto. Hujus anxietati & multimodæ reclamationi condolentes in unitate Spiritus coadunati SS. Patres ejusmodi ſuper hac re ſententiam protulere: Nullus deinceps REGIAM POTESTATEM præſumat populari* (violare) *ſeu aliquam perfidiæ maculam ſibi fallaciter exhibere. Decrevimus enim Toletani* (XII. nî fallor, A.C. 681. cujus primo canone Eringius ſeu Ervigius pro legitimo Regis Bambæ Succeſſore declaratus) *Concilii judiciũ exequendo, Hugonẽ Regis Ludovici Regni invaſorem, & raptorem EXCOMMUNICATIONIS gladio feriendum, niſi forte tempore ſtatuto ad Synodale concilium veniat, & à tam nefaria protervitate ſatisfaciendo reſipiſcat.* *citatus & excommunicatus.*

§. IV.

Secundo *ad querelam Ardoldi Epiſcopi Rhemenſis ab Hugone tyranno expulſi, ſuffecto alio Hugone, pronunciarunt: Ardoldus Rhemenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus propria de ſede expulſus ex Canonica auctoritate in priſtinum honorem inthronizatus: Hugo autem qui ejus ſedem contra fas ſibi uſurpat, anathematis eſt mucrone mulctatus: ejusque ordinatores, & qui ab ipſo ſunt ordinati, niſi VI. Idus Septemb. TREVIROS veniant, & ibi pro erratibus dignam ſatisfaciendo pœnitentiam ſubeant, ſimilem excommunicationis ſententi-* *AEpiſcopus Rhemenſ. reſtitutus & invaſor citatus* *Treviros*

tenti-

It. Epiſc. Lugdun. *tentiam ſuſtineant : Tertio denique ad querelam Rudolphi Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopi à Comite Hugone de ſua ſede expulſi, non alicujus criminis cauſa, ſed pro fidelitate Ludovici R. proprii ſenioris, decreverunt, Eum, Hugonem, pro hac re, ſicut de præſcripta, excommunicandum, niſi veniendo ſatisfecerit.* En illuſtre ſpecimen Imperialis & Eccleſiaſticæ auctoritatis Germanorum per Gallias, quo etiam vetuſtiſſimum jus Metropolitanum Archiepiſcopi *Treverenſis* per Gallias ſtabilitur, *de quo ſupra.* Auctor geſtorum Baldevvini de Luzenburg Archiepiſc. Trevir. *à St. Baluzio l. 1. Miſcell. editus in præfat.* appellat eum, *almum Galliæ, Germaniæ Primatem.*

§. V.

Executor Otto Sequente anno Synodus ibidem repetita, & expectatum per triduum, qui citati comparituri: tertia tandem die, inſiſtente præcipue Liutdulfo Legato & Capellano R. Othonis, quoniam idem Rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatus Hugo Comes inimicus Ludovici R. pro malis ab ipſo perpetratis, eo tamen modo, donec reſipiſcat, & ad ſatisfactionem coram Marino vicario vel Epiſcopis, quibus injuriam fecit, deveniat. Quod ſi facere contemſerit Romam pro abſolutione ſui proficiſceretur, ut refert *Frodoardus Presb.* Rhemenſis, ſed utriusque Synodi geſta ad A. C. 947. collocans, anno ſubſequente vero Papam in Synodo Romana Excommunicationem Ingelheimenſem confirmaſſe. Denique decreti hujus Synodalis ſtrenuus *executor* Otto, denuo in Galliam movit, & Ludovicum ſecundo liberavit, reſtituitque. Witichindus *l. 3. Annal.* ita hac de re: *Hugo autem expertus potentiam regis, virtutemque Saxonum, non paſſus eſt ultra terminos ſuos hoſtiliter intrare, ſed pergenti in eandem expeditio-*

peditionem anno ſequenti occurrit juxta fluvium, qui dicitur Car, manus dedit, juxtaque imperium Regis pactum iniit, utilisque proinde (fidelis deinceps) *permanſit.* Succeſſit Ludovico mox mortuo filius Lotharius R. *Aimon. l. 5. c. 43.*

§. VI.

Porro Italia omnis tot tyrannorum pertæſa, refugium unicum ad Imp. & Regem German. Ottonem ſumſit. *Hugo tyrannus* Italiæ qvum Berengario & Anſcario fratribus Marchionatum Spoletinorum & Camerinorum datum, per Sarlionem pecunia corruptum, eriperet & Anſcario occiſo *Berengarium* excœcationi deſtinaſſet, hic fuga elapſus in Germaniam venit, & ope Hermanni Suevorûm Ducis ab Ottone Imp. benigne ſuſceptus eſt. Quo audito Hugo per Legatos Ottoni auri argentique copiam offerens, petiit, ne Berengarium reciperet. His Imp. reſpondit: *Berengarium non ob dominii dejectionem, verum ob reconciliationem, ſuam adiiſſe pietatem. Gazas ſibi ab illo promiſſas non ſuſcipere, verum illi ſuas libentiſſime tribuere. Berengario verò ſeu cuilibet ſuæ pietatis clementiam imploranti, ſubſidium non præbere ſummæ dementiæ eſſe. Luitpr. l. 5. de Reb. Impp. c. 5.* Quo tandem eò res pervenit, ut omnis Italia ab Hugone deficeret ad Berengarium, Ottonis Imp. amicum & ſubditum, *teſte Witichindo l. III. Annal. & Frodoardo A. 952.* Poſſeſſionem enim regni Italici occupata Papia, & ducta in matrimonium vidua Lotharii, *Adelheida*, recuperaverat Otto Imp. A. C. 951. ſequente anno Berengario reconciliato Italiam jure feudi conceſſit. In memoriam recuperatæ Italiæ, & ductæ Adelheidæ cuſus *nummo*, Papiæ ſine dubio, cum inſcriptione in una facie: ALHETA OTTO in altera LEVAMEN DIVRA . . .

In cauſa Tyrannidis Italiæ Imperator imploratus, à Berengario

ab Hugone.

A. C. 945. 952.

§. VII.

à Papa. At tyrannidem mox & ipſo Berengario, *ut ait idem Luitpr. ipſius Secretarius l. VI. c. 6.* & Adelberto exercentibus, *A. C. 961.* Johannes XII. Pontifex Rom. cujus Eccleſia illorum ſævitiam experta, legatos ad Ottonem Imp. miſit, ſuppliciter literis & Regum ſignis orans, quatenus pro Dei amore, ſanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, quos delictorum ſuorum cupierat eſſe remiſſores, ſe ſibique commiſſam S. Romanam Eccleſiam ex eorum faucibus liberaret, *ab Epiſc.* ac ſaluti & libertati priſtinæ reſtitueret. Simul & Archiepiſcopus Mediolanenſis Walbertus, ex Berengarii & Adelberti rabie ſemivivus liberatus Ottonis potentiam adiit, indicans, ſe non poſſe pati Berengarii, Adelbertique nec non Willæ ſævitiam, quæ Manaſſen Arelatenſem Epiſcopum contra jus faſque Mediolanenſis Eccleſiæ ſedi præfeciſſet, petensque ut hanc Eccleſiæ ſuæ calamitatem *&* interciperet. Hunc ſecutus Epiſcopus Cumanus Waldo ſimilem perpeſſus contumeliam. Venerunt & alii ſecu-*Ordinibus ſecular.* laris ordinis viri ab Ottone Imp. conſilium, auxiliumque expetentes. Horum itaque rex piiſſimus lacrymoſis *Is ordinat regnum Italia.* queſtibus inclinatus, collectis copiis, in Italiam venit, Berengarium & Adelbertum celeriter regno expulit, & ut bonus Rex diſperſa colligens, & confracta conſolidans, quod cuique proprium fuit, reſtituit.

§. IIX.

Romam. Dehinc Romam ſimilia facturus adiit, ubi miro ornatu, miroque apparatu ſuſceptus, ab eodem ſummo Pontifice & univerſali Papa Johanne *unctionem* ſuſcepit *Im-*
Coronatur. *perii.* Cui non ſolum propria reſtituit, verum etiam ingentibus gemmarum auri & argenti muneribus ipſum honoravit. *Jusjur. Papa & Prot.* JVSJVRANDVM vero ab eodem

PAPA

PAPA Johanne ſupra pretioſiſſimum corpus Petri, atque OMNIBVS CIVITATIS PROCERIBVS, *ſe nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum*, accepit. Poſthæc in patriam (Papiam emendat Baronius) properanter repedavit. *hæc Luitprandus.* Flodoardus ad A. C. 962 *Otho rex Romam pacificè adiit, & amabiliter exceptus atque honore illic Imperiali ſublimatus eſt.*

§. IX.

Hinc patet & à Pontifice Rom. & ab utriusque ordinis ſtatibus Italiæ jus Ottonis imperiale & ipſum Ottonem pro Imperatore agnitum, antequam coronaretur, & imploratum ab his pro exſerenda ſua poteſtate adverſus tyrannos Italiæ, & denique ab ipſo Pontifice Rom. & Proceribus Ducatus Romani juramentum fidelitatis præſtitum Ottoni. Quamobrem formula *juramenti*, quod ab Ottone præſtitum Pontifici refert *Gratianus* non ſine cauſa ſuſpecta atque ficta, non minus ac pactum Ludovici cum Paſchali videatur, præſertim qvum & Luitprandus de hoc jurejur. taceat. Neque vetuſto aliquo, & coævo auctore res nitatur. *Anſelmi* enim quæ ſit auctoritas, ſeu potius *Collectionis Canonum*, quæ Anſelmi nomen præ ſe fert, videas in Amœnitatib9 J. Can. *Jo. Strauchii Eclog. I. c. VI.* Verum enim vero non totum mihi id fictum videtur, qvum *teſte Luitprando*, Otto ipſe faſſus, *ſe promiſiſſe Eccleſiæ reddere omnem terram S. Petri, quæ ſuæ poteſtati ſubjecta fuerit*; de quo mox: Et præterea *Diploma Ottonis* avtographum aureis litteris exaratum d 13 Februar. 962. Romæ adhuc extare dicitur, *de confirmatione jurium Eccleſiæ Romanæ*, quod exhibet poſt Baron. quoque *Goldaſtus Tom. II.* nec rejicit *Calviſius*, præſertim qvum ea, quæ Goldaſtus objicit, non tam ſuſpectum, aut fictum quam interpolatum arguant: & validū argumentū ex eo ſuppetat, quod

de jurej. Ottonis in can. tibi 33. diſt. 63.

Anſelmi Coll. Can.

Papa & Romani Ottonē etiā ante Coronationē,& recuperatā Romā pro imperatore agnoverint,& annos Imperatoris à ſuſceptione Regni Germaniæ numerari paſſi ſint. Quale quid etiam in alio diplomate, quod Otto Imp. Cœnobio Laureſheimenſi, Papiæ conceſſit A. C 963. Indict. 6. *regnante Pio Imp. Ottone anno XXIIX.* Et Sigebertus refert diploma monaſterio Gemblacenſi datum, *imperante Ottone à DEO coronato magno & pacifico Imperatore*, anno *decimoſexto, qui eſt, A. D. 953.* quanquam id diſpliceat *Baronio ad A. C. 946. n. 6.* Denique & ſi promiſſio quædam Pontifici viciſſim facta fuerit ante coronationem, tamen poſtea perfidia perjuri Papæ, profugi, & à ſede remoti ex communi ordinum conſenſu tota obligatio reſciſſa, & ſublata penitus, adeoque gratis Decretorum libro inſerta eſt.

§. X.

Papa perjurus. Etenim *Papa juramenti & promiſſionis oblitus, quam fecerat Imperatori; ad Adelbertum, ut ſe adeat, mittit; juramento ei affirmans, ſe illum contra Imperatoris potentiam adjuturum*, inquit Luitprandus. Imperator, qui cur Adelbertum Papa, quem prius vehementi odio inſequebatur, nunc diligeret, ſatis mirari non potuit, accerſitis quibusdam familiaribus, an hoc verum eſſet, Romam dirigit percontatum. Cumque illo nuncii perveniſſent, non à quibusdam & paucis, ſed à Romanis civibus omnibus querimonias contra Papam has accipiunt: *à Romanis accuſatus.* Non „ diſpar, dixerunt inter alia, videtur ratio, cur Johannes „ Papa ſanctiſſimum Imperatorem, ſuum ſcilicet ex Adel„ berti manibus liberatorem, & diabolus oderit creato„ rem. Imperator quemadmodum re ipſa experti ſu„ mus, ea quæ DEI ſunt, ſapit, operatur, diligit, Eccle-

ſiaſtica

ſiaſtica & ſecularia negotia armis tutatur, moribus or- „
nat, legibus emendat; Joannes Papa his omnibus ad- „ *Apoſtaſia.*
verſatur. Non clam eſt Populo, quod fatemur. Te- „
ſtis eſt Reinera ſui ipſius militis vidua, quam cœco ca- „
ptus igne, multis præfectam urbibus, SS. B. Petri dona- „ *Sacrilegii.*
vit aureis crucibus atque calicibus. Teſtis eſt Stepha- „
na, ejus amica, quæ in effuſione *(abortu)* quod ex eo con- „ *ſtupri abor-*
ceperat, recens hominem exivit *(exuit.)* Quod ſi „ *tus procu-*
cuncta taceant, Lateranenſe Palatium, ſanctorum „ *rati*
quondam hoſpitium, nunc proſtibulum meretricum „ *violenti*
non ſilebit amicam conjugem Stephanæ patris concu- „ *ſtupri.*
binæ ſororem. Teſtis omnium gentium præterquam „
Romanorum, abſentia mulierum, quæ SS. Apoſtolorum „
limina orandi gratia timent viſere, cum nonnullas, „
ante dies paucos, hunc audierint conjugatas, viduas, „
virgines vi oppreſſiſſe. Teſtes ſunt ſanctæ Apoſtolorum „
Eccleſiæ, quæ non ſtillatim pluviam, ſed totum intrin- „
ſecus, ſupra etiam ipſa S. altaria imbrem admittunt. „ *neglectus*
Quanto nos terrore tigna adficiunt, cum divinam opem „ *ædium ſa-*
eodem depoſcimus? Mors in tectis regnat, quæ nos „ *crar.*
orare multa volentes impedit, atque domum Domini „
mox linquere cogit. Teſtes ſunt non ſolum juncearum „
curatura, ſed & quotidianarum formarum mulieres. „
Cui eædem ſunt, & ſilicem pedibus quæ conterunt a- „
trum, & quæ magnorum ſubvehuntur adjutorio jumen- „
torum. Atque hoc rei eſt, quod tanta ei cum Imp. „ *Rebellionis.*
Sancto diſcordia eſt, lupis & agnis quanta ſortitò ob- „
tigit. Illi hoc ut impune liceat, Adelbertum ſibi tu- „
torem & defenſorem parat. „

§. XI.

Redeunti Imperatori igitur in Italiam, miſit Ponti- *Deprecatur*
fex

ſex Nuncios, qui deprecarentur: *Haud mirum eſſe, ſi hactenus juventutis igne devictus, quid puerile geſſerit: jam tempus inſtare, cum alieno cuperet vivere more.* Mandavit iiſdem ſimul exprobrare Imperatori, *quod quendam Leonem Epiſcopum & Joannem Diaconum Cardinalem, ſuos infideles ſuſcepiſſet; & quod Imp. promiſſionis ſuæ fidem violaret, dum eos qui eo loci manebant juramento non ipſi* (Papæ) *ſed ſibi adſtringeret.* Quibus Imp. reſpondit: *Pro correctione & morum immutatione, quam promiſiſſet, gratias agere; de promiſſis vero fidem ſe mutaſſe, verum non eſſe. Omnem terram S. Petri, ab ſe recuperatam, Eccleſiæ redditurum ſe promiſiſſe, atque id ipſum eſſe, quod jam ex hac munitione Montis Feretrati Berengarium cum omni familia pellere laboret. Leonem Epiſcopum & Joannem Cardinalem Diaconum, ſuos infideles ſe jam nec vidiſſe, nedum ſuſcepiſſe: Contra vero iſtos à Papa CPolim ad injuriam Ottonis miſſos, Capuæ captos eſſe, una cum quodam Bulgaro Papæ familiariſſimo, & Zachæo, viro reprobato, divinarum, & humanarum inſcio literarum, à Papa nihilominus Epiſcopo conſecrato, & Hungaris ad prædicandum, ut ſuper Germanos irruant, deſtinato. Hujus rei fidem feciſſe ipſius Papæ literas, quæ plumbo ſignatæ ejus nominis characteres monſtrent.* Interea Adelbertus Romam adveniens à Papa honorifice eſt ſuſceptus. Otto contra Romanis invitantibus, & ipſe Romam acceſſit. *Quid clam dixerim*, ſunt Luitprandi verba, *cum major Romanorum pars optimatum S. Pauli caſtellum invaſerit, ſanctumque imperatorem obſidibus etiam datis invitaverit?* Quid multis? juxta urbem Imperator caſtra metatus. Roma Papa & Adelbertus profugi. Cives vero Imperatorem cum ſuis omnibus in urbem ſuſcipiunt, *fidelitatemque promittunt*, hæc addentes, & firmiter

fingit de quo expoſtulet.

receptat hoſtem Eccleſiæ & Imperii.

Civium Rom.

ter jurantes: *Nunquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos, præter conſenſum, atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Cæſaris Auguſti, filiique ipſius Regis Othonis.* *Homagium & SC. Rom. de Jure Imp. in Sedem Rom.*

§. XII.

Excipit *Baronius ad A. C. 963. n. 11.* contra juratam hanc promiſſionem de electione Rom. Pont. primo, *non omnibus Ottonis Imperatoris ſucceſſoribus Auguſtis id à Populo Cleroq; juratũ eſſe, ſed ipſi duntaxat Ottoni uniq; ejus filio Ottoni juniori.* Arguere vult promiſſioné hanc fuiſſe tantũ *perſonalẽ*, adeoque ex ea nullũ jus ad ſucceſſores transmiſſum eſſe. Sed id quidem invita juris & gentium & civilis prudentia quis argutetur. Notum quippe eſt, plerumque atque *regulariter* perſonam pacto inſeri, non ut perſonale pactum fiat, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum factum eſt, *l. jure gentium. §. pactum. D. de pact. Hugo Grot. de J. B. & P. II. 16, 16.* omnia enim pacta natura ſua ſunt realia, eorumque obligatio ad heredes aut ſucceſſores tranſit, ſive horum mentio fiat, ſive minus, niſi per ſpecialem conventionem transmiſſio iſta ſufflaminetur, quæ ipſa conventio ab allegante eſt probanda, *Klock. P. III. Conſil. 154. n. 30.* Rationem ex intentione ejus, cui promittitur, eruit Celſus JC. quia plerumque tam heredibus noſtris, quam nobismet ipſis cavemus, *l. ſi pactum 9. D. de probat.* Porro ita jurisjur. & promiſſionis *interpretatio* fieri debet, ſicut ille, *cui juratur* intelligit, & ita DEUS quoque, qui conſcientiæ teſtis eſt accipit, *can. 9. q. 5. cau. 22.* Accedit, quod formula jurisjur. NUNQUAM SE ELECTUROS, perpetuum, adeoque reale pactum arguat, *Grot. J. B. & P. II. 16. 16.* Itemque quod materia ipſa, jus ſcilicet ordinandi ſedem Epiſcopalem in Imperio ſummam,

Baron. excepe. 1. eliſa.

pactũ perſonale quod

quæ eſt primaria pars τ̃ κυρ͂ιου ſeu juris circa ſacra, ſummæ Reipubl. Poteſtati naturaliter competens, & ab Impp. etiam Francorum & Germanorum acquiſita & exercita fuit.

§. XIII.

2. *Conſenſus Papæ.* Altera Baronii exceptio eſt: *Factam eſſe hanc promiſſionem absque conſenſu tum exiſtentis Rom. Pontificis, nec dum damnati atque ceſſare juſſi, ut ipſo inconſulto & non conſentiente nihil decerni potuerit in re præſertim tanti momenti.* Verum etſi hoc jusjur. de re magni momenti fuit, non tamen de re, quod nunc primo ſummæ poteſtati Imperatoriæ concederetur, ſed quæ hujus fuerat propria, hactenus autem à tyrannis & rebellibus uſurpata, ea jam ab imperatore repetita, iſto jurejur. hoc actum fuit, & hoc à clero & populo Rom. promiſſum, *per ſe non fore, quo impetratio conſenſus Imperatorii in electione Paparum, omittatur, & jus Imperatoris ſemel quæſitum intervertatur.* Atque qvum hi ipſi ſint Clerus & Populus Rom. qui & eligebant Papam & Jus Imperatoris violabant non concurrente Papa, utique potuerunt *de proprio facto*, etiam non conſentiente Papa, promiſſionem facere. Imo potuerunt præſtare *homagium* & fidelitatis Juramentum, atque ſimul præſtiterunt, & hanc tanquam partem præcipuam Majeſtatis Imperatoriæ expreſſe adjecerunt. Totum porro jusjur. factum fuit *ſalva fide Pontifici Romano præſtita*, ut ex antea allegata formula homagii Lothario Imp. dicti conſtat. Igitur & *ſub ſpe rati* habendi juramenti à futuro Pontifice Rom. præſtitum hoc fuit, qvum *Johanni* huic, invaſori ſedis, ut ipſi audit Baronio, accuſato & profugo, latentique omnis poteſtas Pontificia & civilis eſſet *ſuſpenſa*; poſtmodum vero Sede denuo conſtituta ratiha-

Reſp. non requiritur de facto proprio jurantium & alias debito.

tihabitio legitimi Pontificis Rom. ſine dubio fuit ſequuta.

§. XIV.

M. A. Marcellus *de Jur. Sec. Rom. Pont. c. XI.* de Populi Rom. & Pontificis poteſtate his tempeſtatibus ita ſentit: *At ex his omnibus, non temere videtur arguendum, penes Romanos ipſos regni jus tum temporis extitiſſe, licet in eis Pontificis auctoritas plurimum poſſet. Platina tamen aſſerit, Pontificem ipſum rebus his geſtis interfuiſſe. Et patet, Joanne XII. à nonnullis XIII. appellato Pontificatum obtinente, ad quem anno 956. fuit evectus, Romanis duos conſules, qui veteri more ſummam rerum adminiſtrarent, Pratorem ex Patritiorum genere, qui populo jus diceret, duodecim ex plebe viros qui capiundis conſiliis partes ſenatus ſuſtinerent ſibi creare in uſu fuiſſe.* Ait *jus regni* penes Senatum P. Q. Rom. tunc fuiſſe; hoc eſt ſummam Reipubl. poteſtatem, *auctoritate* Pontifici relicta. Id quod de adminiſtratione atque exercitio ſummi Imperii usque ad Ottonem Magnum recte intelligitur, atque etiam de poteſtate, quæ ſumma ſeu Imperatoria inferior eſt, quam & Patriciatum antea & regiam tum dicebant, quo etiam ſuperioritas Territorialis pertinet. Hac igitur poteſtate ac libertate gaudente Senatu P. Q. R. eo minus expectanda fuit Joannis Papæ conſenſio.

Poteſtas Populi ſupra Papam.

§. XV.

Stabilita ſic *Libertate* ac Jure Imperii Romano Germanici *Civili*, videamus porro, quàm egregie etiam Imperator aſſeruerit *Libertatem Eccleſiæ* occidentalis & ſpeciatim Germaniæ adverſus Joannem XII. Papam *in Synodo Romana*, quem illegitime electum, & intruſum Baronius fatetur. Is eſt, qui qvum Octaviani nomen habe-

Papa judicatur & deponitur à Concilio ejus

 ret,

ret, *primus nomen mutavit* ſuum. De hac Synodo *αὐτόπτης* & Imperatoris in hoc Concilio interpres Epiſcopus Cremonenſis *Luitprandus* porro refert, poſt triduum ab iterato homagio, rogantibus tam Romanis Epiſcopis, quam Plebe magnum in S. Petri Eccleſia factum fuiſſe conventum, ſediſſeque cum Imp. *ab Italia:* pro Aquileienſi Patriarcha ipſius Diaconum Archiepiſcopum Mediolanenſem, Archiepiſcopum Ravennatem; *à Saxonia* Adeldac Archiepiſcopum Hamburg. & Bremenſem, & Landhardum Epiſcopum Numendenſem; *à Francia* Epiſcopum Spirenſem, & Parmenſem (Paderbornenſem, Goldaſtus, fortè Warmenſem ſive Wormatienſem, aut transpoſitio eſt vocabulorum & pertinet poſt verba, *ab Italia.) ab Italia* Epiſcopum Cremonenſem, Regenſem; *à Tuſcia*, Epiſcopum Lucenſem, Aricienſem, Senenſem, Peſtruenſem, Camerinenſem, Spoletinum, Albanenſem, Hoſtienſem, Portuenſem, Cavenſem, Præneſtinum, Sylvæ Candidæ, Velitrienſem, Blebenſem, Serenſem, Nepeſinum, Tiburtinum, Forojulienſem, Ferentinenſem, Normenſem, Beruhenſem, Sutrinum, Narnienſem, Sapinienſem, Gallacenſem, Phalarenſem, Alaterenſem, Ortanum, Anagnienſem, Trebenſem, Salibatinum, Tarraconenſem, itemque *Cardinales* Archipresbyteros, Cardinales Archidiaconos & Diaconos, cum reliquo Clero: ſimiliter ex *Primatibus* Romanæ civitatis, quos nominavit: & ex *plebe*, Petrũ Imperiolam aſtitiſſe cum omni Romanorũ *militia.* Quibus deinde adhuc ſupervenere à *Lotharingia* Treverenſis Arichiepiſcopus; ab *Æmilia & Luguria*, Muzienſis, (Mutinenſis) Tertonenſis & Placentinus Epiſcopi.

Aſſeſſores

à Clero

Senatu.

Populo.

§. XVI.

§.XVI.

His itaque conſidentibus, propoſitionem fecit Imperator de cauſis abſentiæ Papæ, & juſſit, ut accuſationes nominatim exprimerentur, deinde quod agendum eſſet, communi conſilio pertractaretur. *Propoſitio Imp.* Hinc teſtis auditi. Petrus Cardinalis Presbyter *ſe vidiſſe Papam miſſam celebraſſe, & non communicaſſe*, teſtatus eſt. *Teſtes de Papæ Criminibus.* Crimen hoc fuit contra morem & *canonem Eccleſiæ univerſæ LXXXI.* πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δὲ εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφομένους τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας &c. *omnes qui ingrediuntur in Eccleſiam DEI, & ſacras ſcripturas audiunt, nec communicant in oratione cum populo, aut averſantur participationem ſanctæ Eucbariſtiæ, per quandam perverſitatem, hos ab Eccleſia ejici oportet.* Cum quo convenit *Canon Apoſtolorum IX. Siquis Epiſcopus aut Presbyter, aut diaconus vel quilibet ex ſacerdotali catalogo facta oblatione non communicaverit: aut cauſam dicat, ut ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur: aut ſi non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo cauſa læſionis extiterit, dans ſuſpicionem de eo, quod rectè non obtulerit.* Harmenopul. *l. 1. Sect. 2. t. 3.* Alii de ſimonia & inordinata ordinatione Epiſcoporum, & Clericorum: de adulteriis, & inceſtu; de homicidiis: de incendiis alii. *Diaboli in amorem vinum bibiſſe* omnes tam Clerici, quam Laici acclamarunt. His aliisque teſtimoniis auditis, Imperator piiſſimus per ipſum Luitprandum hunc, obteſtatus fuit omnes, *ut nulla in Dominum Papam jacularentur convicia, quæ non* *Imperatoris cautio.*

eſſent ab ipſo patrata, atque à viris probatiſſimis viſa. Tunc omnis Clerus atque populus ſolenni execratione ſeſe vindictæ divinæ ſubjecerunt, ſi non vera ea eſſent, quæ à teſtibus dicta, hisque turpiora & ampliora.

§. XVII.

Baronius vor. Miratur *Baronius ad A. C. 963. n. 18.* quod *de invaſione ſedis* nulla accuſatio habita, *ſed hanc magno artificio prætermiſſam, ne ſimul Ottonis Imperium, quod acceperat,* inquit, *à Johanne, fuiſſet illegitimum declaratum, utpote collatum ab eo, qui Pontifex non fuiſſet.* Verum non opus artificioſa hac fictione. *Jus imperii* dudum ad Ottonem pertinuerat, antequam à Johanne coronaretur: Exercitium ejus & *occupationem* quo ſuſciperet Otto Imp. tum Papa tum omnis populus flagitaverat. Johannis igitur invaſio illegitima ſedis nihil Juri Imperatorio demit, nihil contulit, ſed quod de ea in accuſatione nihil, hæc fuit cauſa, quod invaſor poſtea ab omnibus pro legitimo fuit habitus, & agnitus, *proprio igitur facto* contraveniſſent, ſi de occupatione ſedis accuſaſſent, quam *ratam* tamen *habuiſſent.*

§. XIIX.

Citatus Papa. Quo facto *Citatio Papæ* ad Concilium decreta fuit, quam cap. IX. Luitprandus exhibet ſtylo admodum modeſto.
1. Ad quam Papa reſpondit: *Nos audivimus dicere quod vos vultis alium Papam facere: ſi hoc facitis, excommunico vos de DEO omnipotente, ut non habeatis licentiam nullum ordinare & miſſam celebrare.* Sed Imperator
2. cum Patribus citatione repetita, excommnuicationem retorſuros ſeſe aſſeruerunt, dicentes: *Judas Domini noſtri Jeſu Chriſti proditor, imo venditor cum cæteris prius ligandi, atque ſolvendi poteſtatem à Magiſtro acceperat.*
Poteſtas Papalis ut amittitur.

Quam-

Quamdiu enim inter diſcipulos fuit, ligare atque ſolvere valuit, poſtquam vero cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit, quem poſtea ligatum ſolvere, atque ſolutum ligare potuit, niſi ſe ipſum, quàm infeliciſſimo laqueo ſtrangulavit. Sed non paſſus eſt Papa alteram citationem ſibi inſinuari, nullibi repertus.

§. XIX.

Reo itaque in contumacia perſeverante, rogatâ ſententia ab Imperatore: *quid ſuper hoc S. Synodus decernat, edicat.* Reſponſum fuit: *Inauditum vulnus inaudito eſſe cauterio exurendum, ſi corruptis moribus ſibi ſoli, & non cunctis obeſſet, quoquo modo tolerandum eſſe, ſed quot prius caſtos, hujus factos eſſe imitatione inceſtos? quot probos hujus exemplo converſationis eſſe reprobos? Petere itaq; Imperatorē, monſtrum illud nulla virtute redemtum à vitiis, à S. Romana Eccleſia pelli, aliumque loco ejus conſtitui, qui ipſis exemplo bonæ converſationis præeſſe valeret, & prodeſſe ſibi: recte viveret, ac bene vivendi ipſis exemplum præberet.* Quod qvum placeret Imperatori, omnium una vox: *Leonem venerabilem, S. Romanæ Eccleſiæ Protoſcriniarium, virum approbatum, ad ſummum ſacerdotii gradum nobis in PASTOREM ELIGIMVS, ut ſit ſummus, & VNIVERSALIS PAPA Romanæ Eccleſiæ, reprobato ob improbos mores Joanne APOSTATA.* Cum hoc omnes tertium dixiſſent, annuente Imperatore Leonem ad Lateranenſe palatium ſecundum conſuetudinem cum laudibus ducunt, & in Eccleſia S. Petri ad ſummum ſacerdotium *ſancta conſecratione* attollunt, & fideles ſe ei affuturos JVREJVRANDO promittunt. Etſi vero Romani à Johanne corrupti, Imperatori & legitimo Pontifici Leoni rebel-

Sententia adverſus Papam.

Leo electus A.C. 964. 6. Dec.

rebellarint, recepto Johanne; Deus tamen ſeveriſſimus vindex permiſit, ut Diabolus Johannem in adulterio deprehenſum in temporibus adeo percuſſerit, ut intra dierum octo ſpatium moreretur, Euchariſtiæ viatico non percepto, quemadmodum à ſuis cognatis, & familiaribus, qui præſentes fuerant, perſæpe ſub atteſtatione ſe audiviſſe Luitprandus teſtatur, neque inficiari audet Baronius. Sed & mox alium ſufficientes Papam Romani, una cum invaſore ſedis ab Imperatore ita ſunt coerciti, ut revocata denuo Synodo priori omnia in integrum, & Leo ſuæ ſedi reſtitutus, & invaſor ex miſericordia Imperatoris in exſilium pulſus fuerit.

aſſertus.

§. XX.

Baron.

Quæ *Baronius* adverſus hanc peſtilentiſſimi Papæ depoſitionem pro ſtabilienda Hierotyrannide Romana in medium protulit, ea jam pridem examinavit *Goldaſtus.* Certe id ex his veriſſime conſtat, *principia* iſta, ex quibus Jus Imperatoris atque Concilii impugnat Cardinalis, inde ab origine Eccleſiæ, usque ad hæc Ottonis tempora fuiſſe ignota, atque à praxi communis Eccleſiæ Catholicæ aliena. Hactenus enim & Majeſtas Imperatoris & Libertas Eccleſiæ, Conciliique ſalva fuit, atque integra. Quæ vero ex Synodo contra *Marcellinum* Papam de non judicando Pontifice Rom. adferuntur, tunc credam eſſe non ficta, qvum idoneo auctore fuerint probata. Theodorici R. & Epiſcoporum erga *Symmachum* Papam conniventia legem Imperatori Ottoni & Eccleſiæ Germanicæ figere haud potuit: Sed neque diffidentia cauſæ ſuæ Epiſcoporum accuſatorum adverſus *Leonem III.* quos jam dogma iſtud: *Epiſcopum Rom. non poſſe ab Imp. & Concilio judicari,* foviſſe, liquido haud conſtat. Et ſi id conſtaret, quid tum?

tum? error ipſorum non jus facit Epiſcopis Germaniæ & reliquis, nec Ottoni Imp. qui orthodoxæ ſententiæ inhærentes iſtud non admiſerunt præter unū forte *Ditmarum*, qui l. II. Chron. perperam de hoc judicio judicat. Ait: *Romanorum præpotens Imperator Auguſtus, VALENTIOREM ſibi in Chriſto Dominum Apoſtolicum, nomine Benedictum, quem NVLLVS ABSQVE DEO JVDICARE potuit, injuſte, ut ſpero, accuſatum deponi conſenſit, & quod utinam non feciſſet exilio ad Hammeburg relegari præcepit.* Obiit Ditmarus A. C. 1018. ſub Henrico II. Imp quo ævo, quid in commune de prærogativa Papali creditum à Germanis, ſuo loco dicemus.

§.XXI.

Cæterum hanc opinionem, *quaſi Papa à nemine judicari poſſit vel debeat*, ignorantia pravæ diſpoſitionis, quam Dialectici vocant peperit. Quod enim veterum exempla, veluti de *Marcellino, Symmacho*, & aliis proferuntur, non id arguunt, ſi vera ſunt, quod Papa Romanus non ſubſit judicio Eccleſiæ, ſed ea ex veteri *more Romanorum magiſtratuum* duxerunt originem, quo receptum fuit, ut quibus imperium certa de cauſa *abrogandum* erat, hi dignitati, & exiſtimationi ſuæ conſulentes, per ſe, & quaſi ſua ſponte magiſtratum deponerent, ſeſeque privatos redderent. *Vid. Tull. Orat. III. in Catilin.* Hinc formula Legis, qua Decemviri in Republ. Rom. conſtituti, de qua Pomponius *l. 2. §. 23. de O. J. Et cum placuiſſet leges quoque ferri, latum eſt ad populum, ut omnes Magiſtratu ſe abdicarent, & X. viri conſtituti anno uno.* Hic mos ad magiſtratus Eccleſiaſticos poſtea translatus, & ſpeciatim in Marcellini condemnatione obſervatus, qui faſſus crimen abdicavit ſe ſacro miniſterio: inde Epiſcopi & Presbyteri

Mos abdicandi ſe magiſtratu.

teri ſubſcripſere ſententiæ propriæ eam approbantes. Quod deinde præpoſtere à vulgo, malitioſe à ſtudioſis Hierotyrannidis fuit interpretatum, quaſi prima ſedes à nemine, ne quidem ab Eccleſia ipſa judicari poſſit, quum tamen Apoſtoli judicio Eccleſiæ & Apoſtolorum ſeſe ſubmiſerint. *Act. XV. Gal. 2.* Hinc etiam ab Henrico IV. & Epiſcopis in Concilio Wormatienſi formula de abrogando Hildebrandi Pontificatu ita concepta: *Vt Pontificatu quem contra Eccleſiaſticas leges uſurpaſſet, ſe abdicet; ſciatque poſt eam diem quidquid agat, jubeat, decernàt, irritum haberi.* tradente Lamberto. cujus formulæ vim, & originem *Baronius ad A. C 1076. §. XV.* non attendit.

§.XXII.

Papa an ſolutus legib. Neque officit Romanum Pontificem in eum dignitatis gradum adſcitum fuiſſe, ut inſtar Principis, etſi in leges impingat, pœnis legum coerceri non poſſit, exemplo Synodi *Romanæ III. A. 502.* de Symmacho Papa criminum atrociſſimorùm reo judicium detrectantis, quòd Rom. Epiſcopus ſit caput omnium Sacerdotum. item: Majorem ſedem à minori non judicari, ac conſequenter, primam à nemine. Enim vero etſi Synodus Decretum ſuum ita temperavit, ut liberum, & immunem à criminibus Symmachum pronunciaret, QVANTVM AD HOMINES RESPICIT; ſententiam tamen & judicium de Papa tulit, nam & abſolvens reum, judex de reo judicat. Neque etiam caput aut Director Collegii ita exſors eſt, ut à Collegio judicari non poſſit, ut in vulgus notum. Quare etſi ab inferioribus, & juriſdictioni ejus ſubjectis judicari facile non poſſit; poterit tamen, ac Jure Divino & Humano debebit à ſumma Eccleſiaſticæ Societatis Poteſtate

ſtate, à Concilio Generali, qualis non erat illa tum Romana Synodus, è Jurisdictioni Epiſcopi Rom. ſubjectis coacta, ſuburbicariis, atque Italicis. Et tamen ab his quoque in eum cognita cauſa ſententia lata. Quare quod ex Synodo Rom. ſub Sylveſtro vulgo jactatur, *ut Papa neque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo judicetur*, ut adulterinum nobiſcum rejicit Petrus de Marca *lib. I. de C. S. & J. c. XI.* Nec aliud quid in Synodo Rom. in cauſa Leonis III. coacta à Carolo M. vel hic, vel reliqui Franci egerunt, quam quod Conſtantinus M. in cauſa Cæciliani & Donatiſtarum: ſed & in octava Synodo Oecumenica, quæ dicitur, celebrata in cauſa Nicolai Papæ contra Photium, A. 870. non ſimpliciter prohibitum, ne adverſus Epiſcopos Rom. in poſterum ſententia feratur, ſed μὴ μέντοι θρασέως, *ne ita temere*, ut Photius fecerat, ſed εὐλαβῶς καὶ μετὰ τῆς προσηκούσης αἰδοῦς διαπυνθάνεσθαι, καὶ δέχεσθαι τὴν λύσιν *venerabiliter & cum debita reverentia cognoſcere, & cauſam dirimere.* Quamobrem & idem Archiepiſcopus fatetur non modo ab Epiſcopis moneri poſſe Papam, & illis ſatisfacere teneri à ſe male conceptam ſuſcipionem criminis amoliendo, aut ſi facti reus teneatur, in meliorem frugem ſe recipiendo: ſed etiam in cauſa hæreſeos publicæ profeſſæ, & Schiſmatis de eo judicium fieri poſſe, de eoque nullum unquam ſcriptorem dubitaſſe. Denique quod Pontifex Rom. non *omnia jura in ſcrinio pectoris ſui* habeat, ſecundum Bonifacii VII. apophthegma *cap. licet. de conſtit. in 6.* ſed & ipſe judicio humano ſubjaceat, oſtendit ex epiſtola Sylveſtri II. St. Baluzius *notis ad Gratiani Diſt. 40. c. ſi Papa 6.*

§. XXIII.

Quæ res ut minus dubii haberet, renovata fuit lex *L. Regia re-*

Regia Caroli M. à Leone Papa, Clero ac Populo Romano, quam retulit *Gratianus in c. 23. diſt. 63. & latius Goldaſtus T. 1. Conſt. Imp.* fictam vero vellet *Baronius ad A. C. 964. num. 21.* ſed vapulat à Petro de Marca una cum Binio *lib. VIII. de C. S. & J. c. XIX. 6.* Conf. L. Maimburg. *de la decad. de l' Empir. pag. 95. & 115.* Obſervatu autem dignum eſt, quod, ſicuti Carolo M. iſta lege non Imperium, quod poſtea adeptus, ita nec Ottoni, qui id antea habuit, atque exercuit, ſed hæc *tria* fuerant renovata, *Jus eligendi ſibi ſucceſſorem* in Patriciatu h. e. Regem Romanorum, Jus eligendi vel confirmandi *Papam*, & jus *inveſtiendi Epiſcopos.* Cauſa hujus renovationis fuit, quod exercitium horũ jurium invaſiſſent hactenus varii uſurpatores & Reguli Italici, & Imperatores Germanicos ab eorum exercitio prohibuiſſent. Hac igitur lege Pontifex, Clerus, Populusque Rom. *renunciarunt* denuo juri, ac libertati ſuæ, quam Pipinus Rex Francorum, ſibi jure belli partam ex pia liberalitate Romanis donaverat, & quam jam tum Carolo M. Regi ſeu Patritio Romanorum, ac Imperatori poſtea, reſtituerant Romani, qvum ſe tueri ipſi non poſſent.

§. XXIV.

Baron. Nihili igitur eſt, quod vult Baronius *ad A. C. 996. §. 41.* exinde conficere *ex præſcripto Romani Pontificis factum, ut non Rex eligeretur ab Electoribus ſed ipſi Impp. I. & II. Otto ſucceſſores Regni in Imperium promovendos filios nominaverint.* Primo enim non fuit *præſcriptum*, aut lex, qua Romani Imperatorem obligarent, ſed qua Romani, & imprimis Pontifex, renuncians libertati, ac juri à Pipino conceſſo, obligarentur Imperatori & qua reſtituerunt omne jus eligendi Ducem ſeu Patricium Regem-

ve Romanum, conſtituendi Pontificem Rom. & inveſtiendi Epiſopos Italiæ. Secundo de *jure eligendi* Regem Germanorum & Imperatorem, nihil neque hic Ottoni à Leone VIII. neque Carolo M. ab Hadriano datum redditumve fuit, ſed jam ſemel acquiſitum jus Imperii, & cum Regno Germaniæ perpetuo nexu conjunctum, jure *hereditario* ab Henrico Imp. Otto filius acceperat, & Ottoni II. communicarat, itaque ad poſteros transmiſit, ſalva tamen ſemper libertate ordinum ſolenniter eligendi, ſeu approbandi, ad heredes ſi qui eſſent idonei, hactenus reſtricta, donec *pragmatica Germanorum Sanctione* introductum, ut Rex Germaniæ atque Imperator non per ſucceſſionem ejusmodi amplius, ſed per *meram* electionem Statuum Germaniæ conſtitueretur.

§. XXV.

Sic enim habendum : In Carolo M. ſuſcipiente *Titulum Imperii Rom.* Regnum Francorum, & Saxonum, Regnum Italiæ vel Longobardiæ, & Regnum ſive Ducatus Romanorum ſingula univerſali illo titulo fuerunt unita. In Carolo Craſſo Regnum Germaniæ, Italiæ & Romanum eodem. Poſtquam Regnum Italiæ & Romanum à tyrannis invaderetur, *Regnum Germaniæ ſolum ſuſtinuit Imperii titulum,* jusque pro re nata exercuit, usque dum in Ottone utriusque & regni Italiæ & Romani poſſeſſio recuperata fuit, & magis quā Pipini & Caroli M. temporibus adaucta, dum communi Papæ & totius Populi Romani conſenſu *omnis poteſtas ſecularis* per Exarchatum & Ducatum Romanorum, atque inſulas Pontifici Rom. olim à Pipino, atque Carolo conceſſa, à Saracenis vero hactenus maxima ex parte occupata, *Ottoni Imperatori* ejusque ſucceſſoribus in Regno Italico, Romanoque, *reſignata* penitus

 fuit,

fuit, *ad uſus curiæ, & militiarum Imperatoriarum ad bellandum & expugnandum contra prædictos Paganos, & contra rebelles Rom. Imperii.* Huic reſignationi adjecta clauſula, qua ſucceſſores reſignantium ad obſervationem ejus ſub pœna anathematis, & criminis læſæ Majeſtatis, *Bulla Leonis VIII.* & Perduellionis obligati. Qua de re extat Bulla *Leonis VIII.* à Theodorico à Niem & Cranzio relata, & à Goldaſto contra Baronium aſſerta. Quanquam non diffitendum, jam tum Cranzii ætate dubitatum fuiſſe de Bullæ authentia, & ſcrupulum adhuc fovet, quod, qvum data ſit III. Kalend. Maji, Anno II. Leonis VIII. adeoque A. C. 965. Indict. VIII. non VI. conſtat tamen, Leonem tum mortuum fuiſſe, *nempe XVIII. April.* computo Calviſii. Sed quidquid ſit, parum id ad libertatem Eccleſiæ Germanicæ, quæ hoc tempore in magno vigore conſtitit.

CAPVT

CAPVT VI.

De
CONCILIO AVGVSTANO ET COELIBATV CLERICORVM.

SVMMARIA.

A. C. 952. Concilium fit Auguſtæ Vindel. canones ejus de cœlibatu Sacerdotum. Dogma hoc vetuſtum. Canon apoſtolicus VI. Canon Ancyranus. Doctrina Eccl. Germ. ante Bonifacium: poſt eum. Vdalrici epiſtola ſuſpecta. Lex cœlibatus ab Eccl. German. in praxin non deducta. Libertas hæc Eccleſ. German. demonſtratur ex Jure Canonico. Rigor canonis Juri divino haud conveniens. Votum cœlibatus laudatur, cum cautela. Lex cœlibatus improbatur. Lutheri conjugium defenſum.

§. I.

ANtequam expeditionem Romanam ſuſciperet Otto Magnus, auctoritate Imperatoria, & quantum ex actis apparet non concurrente Pontifice Rom. Comitia. Conventumque Synodalem Auguſtæ Vindelicorum decrevit, in eoque communi Pontificum, aliorumque Primatum ſuorum ex Germania, Francia, & Italia convocatorum, *Conc. Aug. A. C. 952.*

torum,

torum, inter quos Principes, Heroldus Archiepiſc. *Juvanenſis*, h. e. Salzburgenſis, *v. Laz. de Republ. Rom. l.12.9.* Manaſſe, Archiepiſc. *Mediolan.* Petrus Archiepiſc. *Ravennas*; & Vdalricus Epiſc. *Auguſtenſis Eccleſia*, aliique plurimi, ſub directorio *Friderici* Archiepiſcopi *Moguntini*, de ſtatu Chriſtiani Imperii, & totius Chriſtianitatis utilitatibus tractatum eſt, *Goldaſt. T. III. Conſtit. Imp. Baron.* In hoc Concilio inter alia *de conjugio Sacerdotum* aliquid ſancitum legitur, & quidem tum in 1. tum in *ult. can.* Illo: *Si quis Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque uxorem acceperit, à ſibi injuncto officio deponendus eſt, ſicut in Conc. Carthaginenſi tenetur can. XXV.* Hoc: *Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum eſt, quia divina miniſteria contrectant, ab uxoribus abſtineant. Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes ad continentiam cogantur.* Primus igitur canon repetit & confirmat *can. XXV. Concilii Carth.* Sed cujus, qvum multa ibi fuerint habita, non additum: Videtur intendi id, quod A. C. 397. habitum eſt, & vulgo *tertio* loco ponitur, fuitque in Sexta Oecumenica confirmatum, ejus canon XXV. in *lib. VII. Capitularium* Ludovici I. Imp. fuit receptus, *cap. XXVIII.* & à Gratian. *diſt. 81.* inſertus *can. Clerici.* Sed is non agit de Conjugio Sacerdotum, ſed de acceſſu ad viduas, vel virgines, isque prohibetur, ita tamen ut ab Epiſcopo vel Presbyteris poſſit permitti inferioribus Clericis. Idemque ſtatutum erat in *Concil. Carth. 1. vel potius II. c. 3. & 4.* & in quo allegatur etiam *Concilii Niceni canon. 3.*

c. 1. & fin. de conj. ſacerd.

§. II.

Cæterum in *Conc. Carth. II. vel III. c. 2.* qui eſt *canon*

cum

cum in præterito. diſt. 84.&can. Epiſc. diſt. 31. de conjugio Sacerdotum fuit ordinatum, ut quicunque ſacramenta adminiſtrent etiam ab uxoribus ſe abſtineant. Quem canonem *Harmenopulus in epit. l. 1. S. 2. tit. 3.* ita recitat; Ἐπίσκοπος, πρεσβύτερος καὶ διάκονος ἐγκρατεῖς ἐν ἅπασιν ἔστωσαν, ἵνα τῶν αἰτουμένων τυγχάνωσι, καὶ γυναίκων ἀπεχέσθωσαν. De reliquis in Concilio Carth. ſequenti can. XIX. placuit, *ut lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Ex quo ipſe tranſumtus canon ultimus noſtratis Concilii, ſed aut mutilatus fuit, aut emendandus erit, hoc modo: *Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, AD VXORES DVCENDAS, AVT ad continentiam cogantur.* Porro *primus* Canon aut idem repetit, quod *can. XXV.* Concilii *Carth. III.* & Capitulare; & tum itidem, emendandus eſt, & pro *uxorem acceperit*, legendum, *ad mulieres acceſſerit*, h. e. viduas, virgines, aut uxores alienas: aut ſi lectio conſtat, dicendum quod canon hic introducat alterius Eccleſiæ Canones de Sacerdotum conjugio. Vetuſto more introductum erat, ut ſuſcipientes Epiſcopatum vel alium ſacerdotii & S. miniſterii gradum, hac conditione ſeu expreſſa, ſeu tacita, & juxta conſuetudinem Eccleſiæ præſumta id ſuſciperent, ut ductis jam tum uxoribus poſt ſuſceptam ſacram adminiſtrationem abſtinerent: cœlibes adhuc in cœlibatu perſeverarent; id docet Martinus Papa *c. 1. diſt. 27.* aut ſi continere non poſſent ab ordine recedendi facultatem haberent, matrimoniumque de facto contractũ à Clerico validum eſſet, & non reſcindendũ. *c. 2. d. diſt. 27. c. 9. diſt. 28.* qui eſt *cap. 1. Conc. Neo-*

Cæſarienſis, quod Niceno antiquius fertur. Hunc canonem repetierunt, & ſuum fecerunt Patres Eccleſiæ Imperii Germanici *conf. can. 33. Concil. Elibert. Concil. Aurel. III. c. 1. Petr. de Marca. l. 1. de C. S. & J. c. VIII. §. IV. M. A. de Dom. l. 2. de Republ. Eccl. c. X.*

§. III.

Dogma de cœlibatu vetus. Cæteroquin fuit utique hæc macula quædam veteris Eccleſiæ poſt Apoſtolorum tempora ex Zelo ſcientia divina non ſatis formato adſcita. Nam etſi S. Paulus *Cœlibatum*, & virginitatem multis modis commendat, *1.Cor.7.* *1. Cor. VII*, tamen non præcipit; cæterum de *conjugum* converſatione non modo teſtatur, cæteros Apoſtolos & fratres Domini, & ſpeciatim Cepham ſive Petrum, ſedis Romanæ, ſi fors, conditorem, eadem uſos eſſe, ſed etiam expreſſe inhibet, ne conjuges à ſeſe invicem abſtineant, niſi ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν, *ex conſenſu*, & *ad tempus* non in perpetuum, ſed ut vacent jejunio, & precationi, & tunc *jubet* eos πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχεσθαι adjecta graviſſima ratione, *Ne tentet vos Satanas propter intemperantiam veſtram.* Quemadmodum autem mox ſubjicit, ea, quæ hactenus de jure ducendi uxorem dixiſſet, κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγὴν dixiſſe, non præcepiſſe conjugium, ſed permiſiſſe: Ita prohibitionem aut ne ducat quis uxorem, aut ne ducta utatur, expreſſe damnat, & inter dogmata futuræ Apoſtaſiæ & Antichriſtiana refert, *1. Tim. IV. 3.* quæ μόρφωσιν, non δύναμιν εὐσεβείας habeant, *2. Tim. III. 5.*

§. IV.

Can. Apoſt. Vnde etiam ſecundum *can. IV. Apoſt.* prohibetur repudiatio uxoris Epiſcopo vel Presbytero, ex cauſa ſacri miniſterii. Harmonopulus eum ita refert: ἱερεὺς ἢ διακό-

διάκονος ἐγκρατείας προφάσει τὴν ἰδίαν ἐκβάλλων γυναῖκα ἀφοριζέσθω. ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω. *Sacerdos aut Diaconus, qui continentiæ prætextu ſuam ejicit conjugem, ſegregator: in ſententia vero perſiſtens deponitor.* Quanquam Gratianus *diſt. 31. §. 3.* eo ſenſu accipit canonem Apoſtolicum, ut intelligat uxorem, non quam quis in ſacerdotio accepit, ſed quam dum adhuc eſſet laicus vel in minoribus ordinibus conſtitutus, ſibi copulavit, cum qua continentiam profeſſus eſt. Quam interpretationem probat A. Aug. *l. 1. Dial. VIII.* Et *Can. Apoſt. XXVII.* aliter in *vett. Codd.* legitur quam vulgo. Sic nempe: *Innuptis, qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus ut ſi voluerint uxores accipiant, ſed lectores, cantoresque tantummodo.* Mirum! ni ultima verba, *ſed lectores* &c. gloſſema ſint recentius textu. conf. can. Apoſt. 50. In Concilio *Ancyrano* in Gallæcià paulo ante Nicenum habito, confirmatum eſt Epiſcopo jus licentiam dandi Diaconis uxorem ducere, & miniſtris ipſis in ordinatione proteſtandi & ſibi hanc libertatem reſervandi, *can. X.* quem refert Gratian. *diſt. 28. c. 8.* & annotat ibi Fr. Sylvius: *Ordo ſacer non ſemper fuit impedimentũ, dirimens matrimonium; matrimonia eorum, qui erant in ſacris, non fuerunt ab initio irrita, ſed temporis progreſſu editi ſunt Canones illa irritantes.* Scilicet in Eccleſia Romana. unde Martinus Papa referens verba Concilii Ancyrani, ab archetypo diſceſſit, & cum in Occidente eſſet, noluit Orientis licentiam imitari, ait A. Auguſtinus *Dial. X. P. 1.* In *Synodo VI. CPolit. in Trullo* celebrata conjugium ſacerdotum tandem pro *illegitimo* contubernio pronunciatum, & diſſolutum fuit *can. 3.* Cauſam rei politicam prodit Pelagius Papa, ne ſubſtantia Eccleſiaſtica periclitetur, *vid. can. 13. diſt. 28.* rationem ſacram *canon 12.*

dictæ Synodi in *Trullo* à perfectione Chriſtiana petitam. Ex qua etiam *can. 30.* ibidem diſpenſatum fuit cum Sacerdotibus *Barbaricis*, ut non diſſolveretur, quoad vitæ conſortium, ſed quoad copulam tantum carnalem. magis adhuc diſpenſatum cum *Græcorum Clericis* in Concilio Florentino. *Gibb. de Burg. de Luth. Calv. reconcil. D. IV. Qu. 2. §. 7.*

§. V.

Quid de cœlibatu in Eccl. Germ.

Idem igitur Eccleſiæ Romanæ & aliarum mos de cœlibatu, aut continentia Sacerdotum etiam in Eccleſias Germaniæ à Bonifacio primum introductus videtur. Inde ejus querelæ de Sacerdotum & Diaconorum adulteriis & concubinatibus ad Zachariam Papam: *Notum ſit*, inquit, *ſimiliter Paternitati veſtræ, quod Carolomannus Dux Francorum me accerſitum ad ſe rogavit, in parte regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate, Synodum incipere, congregare, & promiſit, ſe de Eccleſiaſtica religione, quæ jam longo tempore, id eſt, non minus quam ſexaginta, vel ſeptuaginta annos calcata, & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Franci enim (ut ſeniores dicunt) plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates Epiſcopales ſedes traditæ ſunt Laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, Scortatoribus, Publicanis ſeculariter ad perfruendum. Si intervenero inter illos, Diaconos quos nominant, quia à pueritia ſua ſemper in ſtupris, ſemper in adulteriis, & in omnibus ſemper ſpurcitiis vitam ducentes, ſub tali teſtimonio venerunt ad Diaconatum, & modo in Diaconatu concubinas quatuor vel quinque vel plures noctu in lecto habentes Evangelium*

tamen

tamen legere, & Diaconos ſe nominare non erubeſcunt, nec metuunt, & ſic in talibus inceſtis ad ordinem Presbyteratus (provecti) officio fungentes, dicunt, ſe pro populo intercedere, & ſacras oblationes offerre: ac noviſſime, quod pejus eſt, ſub talibus teſtimoniis per gradus ſingulos aſcendentes, ordinantur, & nominantur Epiſcopi.

§. VI.

Sed uxoratum eſſe adhuc licuit, modo cum continentiæ profeſſione, ut patet ex iis, quæ reſpondit Zacharias: *Epiſcopos, Presbyteros, aut Diaconos contra canones vel ſtatuta Patrum excedentes, h. e. adulteros, vel plures uxores habentes nulla ratione permittendos ſacerdotio fungi, quum Apoſtolus dicat: Unius uxoris virum. & hoc ante ſuſceptum Sacerdotium uti licitum eſſe. Nam à die ſuſcepti Sacerdotii etiam ab ipſo proprio conjugio probibendos eſſe.* At clerum Germaniæ ante hæc tempora dogma de profeſſione continentiæ inter conjuges perpetua abhorruiſſe, ſed & ſucceſſivam polygamiam ſtatuiſſe clericis conceſſam eſſe, apparet ex his, quæ mox addidit Papa exprobrando: *Iſti enim è contrario non ſolum poſt ſuſceptum Sacerdotium abſtinere ſe ab una uxore nolunt, imo luxuria obvoluti, pejora ſecularium ſcelera committunt, ut plures uxores habere præſumant, quibus neque unam conceſſum eſt poſt ſuſceptum miniſterium attrectare.* Sed pervicit dogma Eccleſiæ Romanæ. Itaque in ipſa Synodo à Carolomanno atque Bonifacio Moguntiæ forte habita, decretum; Ut *nullus Clericorum in domo ſua mulierem habitare permittat.* Sic & in concilio *Moguntino* Caroli M. A. C. 813. cap. XLIX. *Omnibus Clericis fœminas ſecum in domibus ſuis habere ultra licentiam Canonum firmiter ſit contradictum i.e. prohibitum.* Eadem in Comitiis *Aquisgranenſibus* à Lu-

Conc. Carolom.

Mogunt.

Aquisgr.

à Ludovico Imp. repetita & in formula inſtitutionis Canonicæ uberius expoſita. Tandem & in Concilio generali Eccleſiæ Germanicæ *Wormatienſi* auſpicio Ludovici Regis Germaniæ A.C. 868. can. IX. *Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, abſtineant ſe à Conjugibus, & non generent filios, quod ſi hoc decretum violaverint ab honore Cleriatus pellantur.* Nihil igitur novi in noſtro concilio *Auguſtæ* ſancitum fuit, ſed priores Canones repetiti. Quod propterea factum videtur, quia Clerus Germaniæ recens hoc dogma non lubens amplexus, ſed ſubinde conjugia nihilominus à clericis inita.

Wormat.

§. VII.

Epiſt. Vdalrici.

Extat *epiſtola* quædam *Vdalrici* Epiſcopi Auguſtani *ad Nicolaum* Papam, quam etiam in Germanica lingua exhibet *Goldaſtus P. XIX.* Reichs-Händel. *t. 1. p. 766.* qua defenditur adverſus Papæ interdictum licentia conjugii Sacerdotalis. At nihil nec Nicolaus novi introduxit, ſed imo aliquo modo licentiam indulget; ita enim Odoni, ſeu Adoni Archiepiſcopo Viennienſi reſcripſit: *Clericum uxorem ducere non poſſe: Nullis enim dari licentiam; exceptis illis, quibus Eccleſiaſtica regula uxorem habere permittat. c. de illo 4. diſt. 32.* Et Vdalricus Auguſtenſis Epiſcopus huic ipſi Synodo interfuit, & hunc Canonem utrumque approbavit. Nicolaus autem Papa ultra octoginta annos antea jam mortuus fuerat. In modò allegati *Moguntini Concilii can. X.* quoque ſancitum legitur: *Contubernia fœminarum nullatenus appetant, caſtimoniam quoque inviolati corporis perpetuo conſervare ſtudeant.* Mart. Chemnitius *in Examine Conc. Trid. P. 3.* falſi hic arguit Conciliorum rapſodos, omittentes

Conc. Mogunt. c. 10.

tes quippe verba: *aut certe unius matrimonii vinculo fœderentur.*

§. VIII.

Plane etſi vetus lex de cœlibatu Sacerdotum auctoritate Canonum Eccleſiaſticorum Pontificis Romani, etiam Eccleſiis Germanicis fuit propoſita, nunquam tamen cum totius Eccleſiæ, & ipſius imprimis Cleri, cujus maxime intererat, conſenſu (qui tamen omnino ad hoc requiritur, ut pluribus docet Petr. de Marca *l. 11. de C. S. & J. c. XVI.*) ad executionem univerſalem fuit perducta. Vid. *Polyd. Virgil. l. V. de Rer. Inv. c. 4. Chifflet. ad vindic. Hiſpan. Lum. IX.* ita ut videri poſſit, magis in *vim conſilii*, quam *praecepti* canones hos ab Eccleſiis Germanorum fuiſſe intellectos, idque haud temere, ſed ſecundum ductum & normam S. S. Scripturarum. Nam ut non dicam de Eccleſia *Mediolanenſi*, in qua Sacerdotum conjugia publice recepta demum Petrus Damiani, Legatus Papæ, A. C. 1059. non abſque tumultu abrogare anniſus fuit. Neque dicam de aliis Eccleſiis Longobardicis, etiam poſt illud tempus, veluti *Laudenſi*, quæ etiam decretum *Concilii Triburienſis* allegavit, *quod promotis ad Eccleſiaſticum ordinem ineundi conjugii tribuat facultatem.* Quod Petrus non ad normam Sacræ Scripturæ, ut oportuiſſet, ſed Decretorum Pontificum Rom. perperam examinavit; Baronius vero male pro ſpurio habuit, atque dictum Apoſtolicum *1. Cor. VII.* quod urgebant Longobardicæ Eccleſiæ, haud θεοδιδάκτως *ex traditione* h. e. ex decretis iisdem Papalibus expoſuit ad *A. C. 1065.* Taceo de Eccleſiis *Taurinenſi* Diœceſi ſubjectis, quæque in duorum regnorum Italiæ videlicet & Burgundiæ non brevi confinio, quod *Adelheidis* regnabat, continebantur, in quibus Sacerdotes uxorati

Lex cœlibat. Cleric. in prax. non deducta.

in Eccleſ. Lombard.

Burgund.

rati

rati eodem tempore fuerunt, ut ex ejusdem Petri Epiſtolis apparet.

§. IX.

In German. Sed libertatem Eccleſiarum Germanicarum à jugo iſto duriori vindicamus. Certum autem eſt, usque ad Bonifacii non tantum tempora, ſed & ad Hildebrandi Pontificatum usque conjugia Sacerdotum in Eccleſiis Germanicis fuiſſe uſitata, nec dum omnino abrogata, neque ab omnibus Sacerdotia ſub conditione voti continentiæ ſuſcepta. Vocat enim Archiepiſcopus Moguntinus Sigfridus *hanc longo tempore inolitam conſuetudinem.* Operæ pretium eſt, ut rem *Lamberto Schaffnabrugenſi* refe-
A. C. 1074. „ rente audiamus: Hildebrandus Papa cum Epiſcopis „ Italiæ conveniens jam frequentibus ſynodis decreverat, „ ut ſecundum inſtituta antiquorum canonum presbyteri „ uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur. Nec quisquam omnio ad ſacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque „ cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam „ promulgato, crebras literas ad Epiſcopos Galliarum „ transmittebat præcipiens ut ipſi quoque in ſuis Eccleſiis ſimiliter facerent, atque à contubernio ſacerdotum „ omnes omnino fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Adverſus hoc decretum protinus vehementer „ infremuit tota factio Clericorum, hominem plane hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus „ ſermonis Domini quo ait: Non omnes capiunt hoc „ verbum, qui poteſt capere capiat. Et Apoſtolus: Qui „ ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere, quam „ uri; violenta exactione homines vivere cogeret ritu „ Angelorum, & dum conſuetum naturæ curſum negaret,

ret, fornicationi & immundiciei frena laxaret. Quod ,,
ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe Sacerdoti ,,
um, quam conjugium deſerere, & tunc viſurum eum, ,,
cui homines ſorderent, unde gubernandis per Eccleſiam ,,
Dei plebibus Angelos comparaturos eſſe. Nihilomi- ,,
nus ille inſtabat, & aſſiduis legationibus Epiſcopos o- ,,
mnes ſocordiæ ac deſidiæ arguebat, & niſi ocyus injun- ,,
ctum ſibi negotium exequerentur: Apoſtolica ſe cen- ,,
ſura in eos animadverſurum comminabatur. Archi- ,,
epiſcopus Moguntinus ſciens non parvo conſtare ope- ,,
ram hanc, ut tanto tempore inolitam conſuetudinem ,,
revelleret, atque ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſene- ,,
ſcentem jam mundum reformaret: moderatius agebat ,,
cum eis. Et primo eis in dimidium annum inducias ,,
& liberandi copiam dedit, hortans eos, ut quod neceſ- ,,
ſario faciendum ſit, ſponte faciant, & tam ſibi, quam ,,
Romano Pontifici neceſſitatem adimant aliquid in eos ,,
quod ſecus ſit, decernendi. At ultimum congregata ,,
Synodo in Erfordia, menſe Octobri preſſius jam immi- ,,
nebat, ut relegata jam omni tergiverſatione, in præſen- ,,
tiarum, aut conjugium abjurarent, aut ſacri altaris mi- ,,
niſterio ſe abdicarent, multas contra illi rationes aſſe- ,,
rebant, quibus inſtantis, perurgentisque improbitatem ,,
eludere, ſententiamque caſſare niterentur. Cumque ,,
adverſus Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, qua ſe ille ad ,,
hanc ſe actionem præter voluntatem propriam com- ,,
pulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplica- ,,
tiones, precesque proficerent: egreſſi tanquam ad con- ,,
ſultandum conſilium ineunt, ut in Synodum non rede- ,,
ant, ſed injuſſi omnes in domos ſuas diſcedant. Non- ,,
nulli etiam confuſis vocibus clamitabant, melius ſibi vi- ,,

„ deri, ut in ſynodum regreſſi ipſum Epiſcopum prius-
„ quam execrabilẽ adverſus eos ſententiam promulgaret
„ cathedra Epiſcopali deturbarent,& merita morte mul-
„ tato inſigne monumentum ad poſteros transmitterent,
„ ne quis deinceps ſucceſſorum ejus talem Sacerdotali
„ nomini calumniam ſtruere tentaret. Cum ad Epiſco-
„ pum relatum eſſet, hoc eos machinari, commonitus
„ à ſuis, ut tumultum, qui oriebatur matura modera-
„ tione præverteret, miſit ad eos foras, rogavitque ut ſe-
„ dato pectore, in Synodum regrederentur, ſe cum pri-
„ mum oportunitas arriſiſſet, Romam miſſurum, & Do-
„ minum Apoſtolicum , ſi qua poſſet ratione, ab hac
„ ſententiæ auſteritate deducturum ,poſtero die admiſſis
„ in adjutorium communiter laicis & clericis, veterem
„ illam de reddendis decimis querelam replicat, &c.
Atque idem Lambertus ſequente anno pergit:
„ Moguntinus Archiepiſcopus Synodum M. Octobri Mo-
„ guntiæ congregavit, ubi inter alios Epiſcopos qui con-
„ venerant aderat Curienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis
„ litteras & mandata deferens, quibus ei ſub intermina-
„ tione gradus & ordinis ſui præcipiebat, ſicut antea quo-
„ que multis legationibus præceperat, ut presbyteros o-
„ mnes, qui intra ſuam Diœceſim eſſent, cogeret, aut
„ impræſentiarum conjugibus renunciare , aut ſe
„ in perpetuum ſacri altaris miniſterio abdicare.
„ Quod dum facere vellet, exurgentes, qui undique aſ-
„ ſidebant clerici, ita eum verbis confutabant, ita mani-
„ bus & totius corporis geſtu in eum debacchabantur, ut
„ ſe vita comite Synodo exceſſurum deſperaret. Sic
„ tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps
„ tali quæſtione omnino ſuperſedendum , & Romano
„ Pontifici relinquendum, ut cauſam, quam ipſe toties
in

inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum quando & „ quomodo vellet peroraret.

§. X.

Sed & ipſe Papa *Hildebrandus* etſi ſcripturarum auctoritatem huic dogmati prætenderet, tamen remiſſius ſeſe acturum cum Eccleſiis Germanicis circa hoc argumentum ſe declarabat *in Ep. X. l. 3. A. C. 1076.* ſcripta ad Henricum IV. *Hujus autem Decreti, quod quidam dicunt, humanas divinis honoribus præponentes, importabile pondus & immenſam gravitudinem: nos autem magis proprio vocabulo recuperandæ ſalutis neceſſariam veritatem vocamus; Attamen ne hæc ſupra modum tibi gravia aut iniqua viderentur per tuos fideles tibi mandavimus, ne pravæ conſuetutinis mutatio te commoveret, mitteres ad nos, quos ſapientes & religioſos in regno tuo invenire poſſes, qui ſi aliqua ratione demonſtrare vel adſtruere poſſent, in quo ſalvo æterni Regis honore, & ſine periculo animarum noſtrarum promulgatam ſanctorum Patrum poſſemus temperare ſententiam, eorum conſiliis condeſcenderemus.* *Lib. Eccl. Germ.*

§. XI.

Etſi itaque dixeris, Poteſtatem LLatoriam hactenus in Eccleſiaſticis fuiſſe penes concilia, adeoque *Clerum Germanicum* per promulgationem horum Canonum in Conciliis Germanicis ab Impp. & Epiſcopis, fuiſſe obligatum ad parendum neque eorum conſenſum, apud quos non eſſet poteſtas leges ferendi deſideratum eſſe, aut expectari oportuiſſe. Enim vero & ipſi concedimus, Brocardicum *Legem non acceptatam non obligare.* de quo multa Petr. de Marca *lib. II. de C. S. & J. c. XVI.* ſimpliciter verum non eſſe, & demonſtravit illud D. Lud. Engel. *in Coll. Jur. Can. Proleg. t. 2. §. 3. & 4.* At docet idem *demonſtratur ex J. C.*

d.§. 4. n. 68. non minus bene, *non acceptari aliquando legem poſſe ex cauſa, quia continet aliquod notabile gravamen, propter quod utiliter in ſingulis locis obſervari non poteſt, & inſuper LLator, qui non ignorat, vel facile ſcire poteſt neglectum ſuæ legis, ſaltem tacite connivendo acquieſcit,* quam in rem laudat textum in *c. ſiquando 5. de præſcript. c. paſtoralis. de fide inſtrum. c. cum teneamur.* Atqui ſatis juſta cauſa adfuit, ex qua non recepit clerus Germanicarum Eccleſiarum hunc canonem de prohibitione conjugii, tum quod dogma erat condemnatum à Spiritu S. & Apoſtolo, tum quod ab incunabulis Eccleſiæ Germanicæ adhæc usque tempora non fuerit receptum in Germaniis peræque, neque recipi per conſcientiam debuit, aut ſi per erroneam conſcientiam alicubi introductum fuiſſet, iterum abrogandum fuit, ignorantia vincibili jam victa, acceſſerat denique tot Impp. atque Pontificum conniventia, atque ipſius tandem Hildebrandi modo audita declaratio, & temperamenti promiſſio, quo ipſo tota vis prohibitionis, ſi qua ullo jure nata unquam fuiſſet, quoad Eccleſias Germanicas ſuſpenſa fuit.

§. XII.

Rigor Canonis.

Porro quanquam veteres canones Sacerdotibus abſtinentiam ab uſu conjugali præcipientes, non ita rigidi fuerint, ut, quod ſequenti ævo auſi Romani Pontifices, matrimonia contracta diſſolverent, ut irrita, & ipſo jure nulla, ſed remotis contrahentibus à functione Eccleſiaſtica matrimonium in ſuo *vigore* relinquerent: fuit tamen & illa ſive præceptio, ſive interdictio de rigore Canonis Romani, ut vocatur in Concilio CPolit. VI. c. 3. qui rigor, qvum non ſit juris divini, ſed humani, *Gibbon de Burgo Diſp. IV. de Luth. Calv. Reconc. Q. 2. §. 7. n. 5.* certe *à Ju-*

à Jure divino improbatur magis, quam approbatur. Unde omnino ad prudentiam Eccleſiaſticam pertinuit, ut ab executione hujus rigoris abſtineretur, præſertim qvum receptam Provinciarum Germanicarum conſuetudinem infringendo ſcandalum moveri neceſſe fuerit, quo caſu, ſuperſedendum ab executione, etiam ſi juſta præcipiantur, ut graviſſime docuit Petrus de Marca *l. III. de C. S. & J. c. 15. Conf. Sarpii Hiſt. Concil. Trid. lib. VII. p. 761. ſeqq.*

§. XIII.

Sane ex *duobus fontibus* obligatio ad cœlibatum, aut continentiam etiam inter jam conjugatos proficiſci poteſt, aut ex liberrima, ſpontanea, & probe deliberata voluntate *voventis*, aut ex *lege*, quæ tamen conſenſum, pure liberum, quem auctores Juris Canonici in Spiritualibus requirunt, excludit. Ex primo fonte obligatio, quæ oritur, & juſta eſt, & ab ipſo Salvatore approbatur *Matth. XIX. 11. 2.* & S. Paulo *1. Cor. VII. 7. 12. 37.* Sed ita tamen, ut ſumma cautione ac prudentia hic utendum eſſe, non obſcure innuatur, cum rari ſint, quibus hoc donum conceſſum. Qvum enim incapax hujus doni periculo tentationis Satanæ exponatur propter congenitam ἀκρασίαν mortalium, *1. Cor. XII. 5.* Igitur, qui præſtationem hujus doni promittit *moraliter certus* eſſe debet, ſe *capacitatem* à Deo impetraſſe, & absque periculo illo tentationum atque uſtionum Satanæ & carnis ſervare votum poſſe. Absque qua certitudine ſi ſit, melius eſt nubere, quam uri. Porro talis certitudo haberi etiam in adulta ætate vix poterit, quoniam ἀκρασία iſta variis mutationibus atque gradibus intenſionis & remiſſionis ſubjecta eſt; in electione autem libera omnes neceſſarias circumſtantias ſciri oportet, quarum quædam ignoratio inducit

Votum Cœlib.

laudatur.

cum cautela.

ignorantiam pravæ diſpoſitionis, aut errorem, adeoque actum reddit eatenus *invitum*, ſæpiusque *temerarium*, κρίματι obnoxium, culpa quippe non vacuum *1. Tim. V. 12.* Vnde judicari poterit de more Eccleſiæ priſcæ, quo conjux de conjuge continentiam exigere ſolebat, *& de uxore ſororem facere:* quod & Salvianum Maſſilienſem feciſſe, obſervat St. Baluz. *ad illum pag. 375.*

§. XIV.

Lex Cœlib. At Lege quæ inducitur Continentiæ obligatio nullo S. Scripturæ textu adjuvatur. Contra vero expreſſe *proteſtatur Apoſtolus,* commendans Cœlibatum ac Continentiam, nolle ſe dare præceptum de ſuſcipiendo cœlibatu περὶ δὲ τῶν παρθένων ἐπιταγὴν Κυρίου οὐκ ἔχω, γνώμην δὲ δίδωμι, *improbatur* *præceptum Domini non habeo de cœlibatus ſive virginitatis voto, ſed conſilium duntaxat ſuggero 1. Cor. 7. 25.* Et talem legem vocat βρόχον, *laqueum verſ. 35.* & dogma dæmoniorum *1. Tim. IV. 3.* Quare qvum donorum Spiritualium catalogum recenſeret, eaque ſectari juberet Apoſtolus, *1. Cor. XII.* hoc donum omiſit, ne occaſionem daret poſteris id arripiendi, & quaſi præcepto divino Chriſtiani ad id ſectandum tenerentur, interpretandi. Excludit enim ejusmodi conſtitutio de præſtanda continentia & *ſpontaneū*, & eam *ſcientiam*, qua in totum omnia, quæ deſtinatione agenda ſunt, perfici debent, *l. 76. D. de Reg. Jur.* Plane ſectandum utique eſt hoc donum, atque ſacerdotibus ad perfectionis majorem gradum, populo ad imitationem, contendentibus, maxime, ſed quantum pote; & rectius proinde absque ſingulari Individui, maxime vero absque univerſali Legis obligatione *in perpetuum* concepta, ut uſtionibus legitimo matrimonii remedio occurrere, & tela tentantis Satanæ declinare tandem inte-

grum

grum ſit. Certe *jubet* Apoſtolus Conjuges, ex voto ad tempus à ſeſe invicem abſtinentes, jejunio & precibus vacantes, ut poſtea rurſum in unum conveniant, *1. Cor. VII. 5.* id quod ipſum quo jure Canones Sacerdotibus ſemel ritè uxoratis *prohibere* potuerint, ſane non liquet.

§. XV.

Denique qvum hinc appareat, quam optimo maximo jure hæc *Canonum obligatio*, Juri divino haud conformis, nec Eccleſias Germaniæ, per juſtam receptionem, unquam afficiens, à Principibus & Rebuspubl. Germaniæ, Eccleſiarum ſuarum libertatem vindicantibus ſuperiori ſeculo, ſummam Poteſtatem circa ſacra legitime, & poſtliminii quaſi jure recuperantibus, ſublata penitus, & res ad normam & Canonem Juris divini per omnia redacta fuerit; Idcirco fruſtra jam *Lutherus* ob contractum matrimonium ſententiæ Canonum, aut pænæ Legis *ſi quis 5. C. de Epiſ. & Cler.* ſubjicitur à *Gibbone dict. Diſp. IV. Quæſt. 2. §. 7. num. 13.* præſertim qvum iſta lex pœnam raptus, aut attentati, aut conſummati, tantum puniat. cæteroquin lege civili publica nulla pœna ſancita ſit in Sacerdotes conjugium ineuntes, ut graviſſimi teſtes ſunt Imp. & ordines in reſponſo ad Hadrianum Papam in Comitiis Noricis A. C. 1522.

Lutherus ab obligatione abſolutus per S. Poteſt. ſtatuum circa ſacra.

Caput VII.

De AUCTA AB OTTONE M. ECCLES. GERMAN. LIBERTATE ET AUCTORITATE.

Summaria.

Origo Eccleſiarum Miſnenſis, Mersburgenſis, Numburgenſis aut Citicenſis. Primatûs & Archiepiſc. Magdeburgici. Auctoritas Eccleſ. German. apud Gallos. Lis de Eccleſia Rhemenſi arbitrio Eccleſ. German. potius, quàm S. R. ſubmiſſa. Auctoritas Papæ Concilio ſubordinata. is apoſtaſias à Gallis incuſatus. Baronio reſponſum. vis canonum obligandi unde: jus confirmandi canones. Poteſtas Papæ unde & quanta. Controverſia de Sede Antichriſti tum agitata. Baronii Epicriſis expenſa. Promiſſio infallibilitatis. Innocentii XI. laus.

§. I.

Jus Imp. circa ſacra. PLura alia Otto Imp. geſſit in Imperio, ex quibus & ſumma ejus circa ſacra poteſtas, & Eccleſiæ Germanicæ libertas dilucide apparet. Cujus rei non minus certa quam clara argumenta ſuppeditant *collecta ab H. Meibomio Diplomata* hujus Imperatoris. Imprimis inde conſtat, quomodo inter alios Epiſcopatus & Abbatias, etiam *Epiſc. Miſn. Mersb.* Epiſcopatum Miſnenſem Martisburgenſem & Citizenſem

ſem ſive Numburgenſem, atque Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ordinaret, & concurrente auctoritate Pontificis Romani *Primatus Germaniæ* Archiepiſcopatui huic tanquam apex quidam ſuperadditus fuerit. Patet quoque ex iisdem, inprimis *p. 113.* quomodo *jus ſtatus* Germanici Eccleſiis ab Imp. collatum, itemque jus eligendi ſibi Epiſcopum, *p. 116.* Sed & quomodo à Comitum Jurisdictione ordinaria, cui Clerici tunc regulariter ſubjecti erant, Eccleſiæ *Exemtæ Jurisdictione* propria ornatæ, quam per *advocatos* exercerent. *Numb. Archiepiſc. Magdeb.*

§. II.

Atque ſic Otto Imp. Imperium cum regno Germanico æterno nexu unitum ad poſteros transmiſit, ſub quorum regimine Sacro pariter ac civili Eccleſia Germanica, & libertate ſua & tranquillitate gaudebat, tantaque erat in toto orbe Chriſtiano auctoritate, ut Eccleſia Gallicana controverſiam *de Archiepiſcopatu Rhemenſi, inter Arnulphum, & Gerbertum* Eccleſiæ Germanicæ arbitrio ſubmittere mallet, quam Sedi Romanæ, quam Apoſtaſias tum incuſabant. Ita enim Arnulphus Epiſcopus Aurelianenſis publice in Synodo locutus: *Quid hunc reverendi Patres, in ſublimi ſolio reſidentem* (Papam) *purpura & auro radiantem, quid hunc eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolaque ſcientia inflatur & extollitur, ANTICHRISTUS eſt in Templo Dei ſedens, & ſe oſtendens tanquam ſit Deus; ſi autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo Dei tanquam ſtatua, tanquam idolum eſt, à quo reſponſa petere, marmora conſulere eſt. Quo ergo conſultum ibimus? Evangelium docet, quendam in ficulnea ter fructum quæſiſſe, & quia non reperit ſuccidere voluiſſe: ſed admonitum expectaſſe. Expectemus ergo Primates noſtros,* *Auctoritas Eccl. Germ.* *ap. Gallos*

quoadpoſſumus: atque interim divini verbi pabula, utinam reperiri valeant, inveſtigemus. Certe in Belgia & Germania, quæ vicina nobis ſunt ſummos Sacerdotes Dei in religione admodum præſtantes inveniri, in hoc ſacro conventu teſtes quidam ſunt. Proinde ſi regum diſſidentium animoſitas non probibeat, inde magis Epiſcoporum judicium petendum fore videtur, quam ab ea urbe, quæ nunc temporis venalis expoſita ad nummorum quantitatem judicia trutinat.

§. III.

Lis de Ecleſia Rhemenſi.

Recitat Baronius Acta iſtius litis cum maximo Galliæ motu tum conjunctæ, & prolixe & bona fide, ſed tamen ut optimè judicat Calviſius, *gloſſis quondam miſere deformata.* Principalis quæſtio erat de jure & foro ordinario Metropolitani Rhemenſis, qui tum erat Arnulphus, ex ſanguine Caroli M. ſed rebellionis Hugoni Regi, Capeto illi, ſuſpectus, & proinde in Synodo condemnatus, & remotus, eique Gerbertus ſuffectus. Sed qvum Arnulphus ad Pontificem deferret querelam, urgens & privilegium Metropolitani Rhemenſis, & jus commune Metropolitarum, non niſi Patriarchali ſuæ ſedi, & ſic in præſenti, Sedi Romanæ ſubjectorum, reſciſſa tandem fuit ſententia contra Arnulphum, & hic ſedi Remenſi reſtitutus, Gerberto à Decreto Legati Papalis ad Concilium aliud provocante.

§. IV.

Auctoritas Papæ non eſt ſupra Concil.

Etſi vero in cauſâ hac principali, Eccleſia Gallicana veterem libertatem ſecuta videtur, & in cauſarum meritis forte plus juris, quam in ordine procedendi habuit; quia tamen iſta res Eccleſiæ Germanicæ libertatem nihil attinet, & tandem ſic fuit ſive transacta, ſive ſopita, ut Gerbertus Archiepiſcopatum Ravennatem, mox ipſum

Pon-

Pontificatum Maximum ope Ottonis III. Imp. acciperet, & Arnulphum ipſe reſtitueret. *V. Petr. de Marca l. VII. de C. S. & J. c. XXV. & ibi St. Baluzius*, itaque eam miſſam facimus: præterquam quod judicium *Ditmari* Epiſcopi Mersburg. *lib. IV. fin.* addere lubet: *Erat is* (Gerbertus) *natus de occiduis regionibus, à puero liberali arte nutritus, & ad ultimum Rhemenſem urbem ad regendum JVSTE promotus. Hic tandem à finibus ſuis expulſus, Ottonem petiit Imp.* Duæ autem fuerunt *incidentes* ſimul quæſtiones ventilatæ, quæ univerſam Eccleſiam attingunt, una *de auctoritate Conciliorum & Pontificis* Rom. ſive Canonum & Epiſtolarum Decretalium, utra prævaleret? Altera *de Antichriſto*, an iſte Sedem Romanam tum occupare cœpiſſet; Quantum ad priorem, ſicuti Eccleſiæ Francorum ſemper hanc ſententiam adverſus affectatam Papæ Rom. Monarchiā ſtrenuè defenderunt: ita nullā poſt jus divinum majorem, quam Canonum Conciliorum Vniverſalium vel Generalium auctoritatem in Eccleſiis eſſe debere, & ipſas Paparum Decretales, ut vocant, Epiſtolas, ſive Reſcripta, ſive Decreta, non niſi ex iisdem & eorum conformitate robur accipere & obligandi facultate, recte ſtatuerunt.

§. V.

Nihil igitur novi in hac quoque diſceptatione propugnavit Arnulphus Aurelianenſis cum Gerberto Rhemenſi pro libertate Eccleſiæ patriæ, quando ſic fatus eſt: *Nos vero, reverendiſſimi Patres, Romanam Eccleſiam propter B. Petri memoriam ſemper honorandam decrevimus, nec decretis Rom. Pontificum obviare contendimus, SALVA tamen AVCTORITATE NICÆNI CONCILII, quod eadem Rom. Eccleſia ſemper venerata eſt, ſtatuta etiam Sacro-*

Yy 2 rum

rum Canonum diverſis locis, diverſis temporibus ſub eodem DEI ſpiritu conditorum in æternum valere præcipimus, ab omnibus ſervandam cenſemus. Duo autem ſunt, quæ magnopere à nobis prævideri debent, id eſt, ſi Rom. Pontificis ſilentium, aut Nova Conſtitutio promulgatis legibus Canonum præjudicare poteſt? Si enim ſilentium præjudicat, omnes leges, omnia priorum Decreta, eo ſilente, ſilere neceſſe eſt; ſi autem Nova Conſtitutio, quid proſunt leges conditæ, cum ad VNIVS ARBITRIVM omnium dirigantur? Videtis, quia his duabus cauſis admiſſis Eccleſiarum DEI STATVS (libertas) *periclitatur. Quid ergo? num privilegio Rom. Pontificis derogabimus?* (Quale iſtud? infra exponit, qvum ait: *Sed eſto, ponamus nunc Romæ eſſe Damaſum: Quid contra ejus decretum actum eſt? nempe ſi bene recordor, primum capitulum fuit, quod Epiſcoporum & ſummorum negotiorum Eccleſiaſticorum cauſæ ſemper ad ſedem Apoſtolicam ſint referendæ*) Sed pergit hic ad priora reſpondens: *Minime! Sed ſi Rom. Epiſcopus is eſt, quem ſcientia & vitæ meritum commendet, nec ſilentium, nec nova conſtitutio metuenda ſunt. Quod ſi vel ignorantia, vel metu, vel cupiditate abalienatur, vel conditio invidiam facit (quod fere ſub hoc tempore vidimus Romæ tyrannide prævalente) tunc multo minus idem ſilentium & nova conſtitutio formidanda ſunt. Non enim is, qui quolibet modo contra leges eſt, legibus præjudicare poteſt.*

§. VI.

Exc. Baronii. Baronius qvum hæc retuliſſet, duo reponit: primum quidem petit τὸ ἐν ἀρχῇ: *Sed quomodo iſta,* inquit, *ſi ejus* (Papæ) *decreto indicuntur Synodi, & ſancti in iis Canones confirmantur, ut robur in Eccleſia conſequantur, alioquin nullus ſtat canon, niſi vim ſubſiſtendi ab eodem Rom. Pontifice accipiat?*

accipiat? ſupra Canones ergò ille cenſeri debet, qui vim & auctoritatem canonibus impartitur. Scilicet principio utitur Baronius novo in re antiqua, nec dum admiſſo in Eccleſiis Galliæ & Germaniæ: imo contrarium ſtatuerunt tum, robur nempe decreta Papalia ex Canonibus accipere Conciliorum, non vice verſa, id quod ſatis ſtrenuè & impune defenderat Hincmarus Archiepiſc. Rhemenſis. Neque nervum argumenti, quo utuntur Gerbertus hic, & ſocii, incidit Cardinalis, qui eſt, quod *Concilii Niceni* auctoritas ſemper prælata fuerit Decretis Pontificum Rom. Par ergo ratio reliquorum Oecumenicorum. Vnde porro robur Canonibus Nicenis? certe non ex convocatione Concilii Romanâ, aut Romanâ Canonum approbatione, ſed ex auctoritate ipſius Concilii & quam id repræſentat, Eccleſiæ, non Romanæ, ſed univerſæ. Igitur conſtat, vim obligandi canones Conciliorum obtinere non ex voluntate Pontificis Rom. ſed ex communi conſenſu Concilii Generalis, vel Eccleſiæ totius: igitur nec is ſupra Canones, aut ſupra Concilium aut Eccleſiam univerſam.

examinatæ.

vis obligandi canonum non à voluntate Papa.

ſed conſenſu Concilii ſ. Eccleſ.

§. VII.

Denique ex jure convocandi Concilia, itemque ex jure confirmandi, & approbandi canones, non conficitur abſoluta in canones poteſtas, absque qua nullam vim, ac robur illi haberent. Etenim Imperatores jure optimo maximo gaudent iſto jure convocandi Concilia univerſalia & approbandi, promulgandique eorum Canones; eoque jure uſus Conſtantinus Imp. in eodem Concilio Niceno, nec tamen inde dixeris, omnem vim ejus & Nicenorum canonum ex unius Imperatoris nutu ac voluntate dependere. De qua re ſuperius ſuo loco dictum fuit.

Jus confirmandi canones.

fuit. Atque iſtam de Pontificis Rom. auctoritate Conciliorum canonibus ſubordinata ſententiam, ultra etiam Ottonis Imp. tempora in Eccleſiis Galliæ, & Germaniæ perduraſſe, index eſt Glaber Radulphus, Monachus Cluniacenſis in Burgundia, qui referente ipſo Baronio, *l. 2. Hiſt. c. 4.* ſcribit: *Licet Pontifex Rom. Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ ſedis cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem.* Scripſit hiſtoriam ſuam *Glaber* Imperatore Henrico III. ſummo aſſertore Libertatis Sacræ, eamque patrocinio Abbatis Cluniacenſis Odilonis roboravit.

§. IIX.

Poteſtas Papæ unde.

Alterum quod excipit Baronius adverſus Gerbertum eſt, quod hic male auctoritatem Pontificis Romani æſtimaverit & ſcientia & moribus vitæ, etſi enim his careat Pontifex, non tamen eum cadere pariter ab omni Pontificia auctoritate. Et probaturus hoc ſuum aſſertum adducit illud Domini: *Facite quæ vobis dicunt, & non quæ faciunt. Matth. XXIII.* addita hac ratione, quod poteſtas hæc Pontificis Rom. *non ſit ab homine, ſed à Deo*, per illud Apoſtoli: *Non qui plantat, non qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat, Deus. 1. Cor. 3.* Verum committit Cardinalis fallaciam elenchi, nec niſi aerem ferit, & regulam quidem firmat, de qua Eccleſiæ nec dum dubitarunt, ſed de exceptione regulæ, quam urget Gerbertus, iſte nihil habet quod objiciat. Et ſi enim verum ſit, ex *privilegio* & conſenſu Eccleſiæ per *decretum Damaſi* promulgato, datam eſſe Pontifici Romano poteſtatem judiciariam ſupremam in Epiſcopos & cauſas Eccleſiaſticas, eſt tamen ex ſententia hactenus per omnes Eccleſias rece-

Juris humani, & reſtricta ad Jus div. & Eccleſiaſt.

recepta ac communi, eadem poteſtas omnino *reſtricta* ad leges divinas & canones Eccleſiæ. Vnde quamvis Epiſcopi, & Eccleſiæ particulares ſint regulariter obligatæ ad parendum ſententiis Sedis Romanæ, eam tamen obligationem eatenus tenere, quatenus poteſtas iſta juxta legẽ DEI & Canones Eccleſiæ exercetur, quod ſi ergo Pontifex adverſus iſtam ſibi & toti Eccleſiæ conſtitutã normam vel omittendo vel committendo aliquid faciat ſive per inſcitiam, ſive per morum improbitatẽ, illud ipſo jure divino, & humano eſſe nullum, nullamque vim habere obligandi Eccleſias, hæ ipſæ tum aſſeruerunt. Id quod & noviſſimè Archiepiſcopus Pariſienſis *Petrus de Marca* identidem inculcavit. Verum itaque eſt, quod ait Baronius, Pontificem hæc patrantem non cadere pariter ab *omni* Pontificia auctoritate ſed verum viciſſim eſt, ſalva pontificia auctoritate & poteſtate ad Leges Eccleſiæ fundamentales reſtricta, *in cæteris* quæ fiunt extra limites hoſce, nullam eſſe vim, nullam neceſſitandi facultatem, quam neque à DEO, neque ab hominibus unquam traditam eſſe Papis conſtat.

§. IX.

Reg. Matth. 23. 3.

Atque hoc ipſum ex allegato Domini præcepto utique probatur. Etenim quemadmodum de regula dicitur: πάντα ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, *omnia quæcunque vos ſervare juſſerint Scribæ & Phariſæi*, in cathedra Moſis ſedentes, qua tales & quatenus juxta normam Legis divinæ juſſa proferunt, τηρεῖτε, καὶ ποιεῖτε, *ſervate & facite*, *Matth. XXIII.* Ita etiam de exceptione regulæ idem ſummus Eccleſiæ Legislator ſancivit; *videte & cavete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum & Herodis, Matth. XVI. 6. Marc. VIII. 15. Luc. XII. 1. h. e.* ἀπὸ τῆς διδαχῆς *à doctrina, & decretis illorum, Matth. XVI. 12.* quæ extra ſuam

Exc. Matth. XVI. 6.

am poteſtatem, & contra normam ſibi præſcriptam obtrudunt. Hinc Apoſtolus *ad Hebr. ult. 17.* *πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε.* Sed addendo rationem reſtringit regulam: *αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν.* Atque hoc ipſum eſt, quod pro defenſione ſua, & ab objecto contumaciæ crimine purgatione Petrus ipſe, cujus ſucceſſores habentur Pontifices Romani, Pontifici ſummo, & toti Synedrio reſpondet: *Εἰ δίκαιον ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ Θεοῦ, κρίνατε.* *an jus fasque ſit coram DEO, vos potius quam DEUM audire, ipſi judicate Act. IV. 19. & c. V. 19.* Hæc itaque in theſi ſatis certa, ac firma ſunt, quæ an recte hypotheſi ſuæ Gerbertus applicuerit, ad nos, noſtrasque Eccleſias Germaniæ minus pertinet. Petrus de Marca *lib. VIII. c. XXV. & XXVI. §. 1.* ita hac de re judicat: Nicolaum I. novum hoc jus orbi Chriſtiano obtrudiſſe; nullam depoſitionem Epiſcoporum peragi poſſe abſque auctoritate ſummi Pontificis. cui etſi Gallia reſtiterit, in hac tamen cauſa tale præjudicium factum eſſe, quod omnino firmaret poſſeſſionem Pontificis Rom. *quamvis*, inquit, *novum illud jus niteretur tantum decretis apocryphis & ſuppoſititiis.* Idem Archiepiſcopus etſi quæſtionem de auctoritate Conciliorum, atque Pontificis Rom. in libris de concordia Imp. & Sacerd. ex profeſſo non tractarit, quæ tamen ejus fuerit ſententia, tum ex hoc ipſo ſilentio colligitur, tum vero à *St. Baluzio* aperitur, & ab ipſo Archiepiſcopo *in Diſſert. ad Epiſtolam Vigilii Papæ.*

§. X.

Sedes Rom. an tum receperit Antichriſtum.

Alterum quod objecerunt tum Eccleſiæ [illegible] di Romanæ, fuit, quod Antichriſtum rece[illegible] *Quid hunc, reverendi Patres, in ſubli*[illegible]

veſte purpurea, & auro radiantem, quid hunc, inquam, eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolaque ſcientia inflatur, & extollitur, Antichriſtus eſt in templo Dei ſedens, & ſe oſtendens tanquam ſit Deus, ſi autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo Dei tanquam ſtatua, tanquam idolum eſt: à quo reſponſa petere, marmora conſulere eſt. Tandem concludunt: *ſed omnia infelicia tempora, quibus patrocinio toto fruſtrantur Eccleſia! Ad quam deinceps urbium fugiemus, cum omnium gentium Dominum humanis & divinis deſtitutam ſubſidiis videamus? Ut enim planius dicamus, palamque fateamur, poſt Imperii occaſum hæc urbs Alexandrinam perdidit Eccleſiam, Antiochenam amiſit, & ut de Africa taceamus & Aſia, ipſa jam Europa diſcedit. Nam CPolitana Eccleſia ſe ſubduxit. Interiora Hiſpaniæ ejus judicia neſciunt. Fit ergo diſceſſio ſecundum Apoſtolum (2. Theſſ. 2.) non ſolummodo gentium, ſed etiam Eccleſiarum. Quoniam cujus miniſtri Gallias occuparant, nos quoque totis viribus premunt, Antichriſtus inſtare videtur, & ut idem Apoſtolus ait: Jam myſterium operatur tantum, ut qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat, ut ille perditionis filius reveletur, qui adverſatur & extollitur ſupra DEI nomen, DEIQVE culturam. Quod jam in aperto ſit, ut Romana potentia conquaſſata, religione profligata, nomen DEI frequentibus injuriis impunè humilietur: ipſius divinæ religionis cultus etiam à ſummis Sacerdotibus contemnatur. Ipſa inſuper Roma jam pene ſola à ſe ipſa diſcedit, dum neque ſibi, neque aliis* [illegible]

§. [illegible]

[illegible] cor [illegible] on [illegible] *aut ſci-* *Obj. Baron. n. 22.*
[illegible] *ne* [illegible] *ri in*
um [illegible] *Pela-*
[illegible] *ano-*

gianorum ab omni Eccleſia Orientis, & Occidentis, & praxi Eccleſiæ reprobatum. Deinde Chriſtum ipſum juſſiſſe præceptis Phariſæorum, & ſcribarum parere, etſi prava eorum opera & mortifera: Diſcipulos vero elegiſſe humanis plane

Reſp. *literis deſtitutos.* Suavis eſt, qvum ſcientiæ humanæ defectum in *Apoſtolis* & diſcipulis huc trahit, qui ſcientia divina, & extraordinario ſapientiæ dono erant inſtructi, de quo nullus Epiſcoporum Rom. iſthoc quidem tempore habuit gloriari. Cæteroquin hæreſeos *Donatiſtarum & Pelagianorum* Eccleſiæ Germanicæ, & ipſum Gerbertum, haud fuiſſe participes, res ipſa docet, nec Pontifex Romanus hoc inultum paſſus eſſet, facilis & pronus ad excommunicandos hæreticos.

§. XII.

De Phariſæis, & ſcribis, & quatenus his obediendum Salvator præcipiat, antea diximus. Atqui iidem erant Chriſti ἀντικείμενοι & adverſarii, de Synagoga Satanæ, &

Judæorum Synag. ſedes Antichriſti. proinde *AntiChriſti*, definiente Johanne *1. Ep. II, 22.* omnes eos, qui negant Jeſum eſſe Chriſtum, eſſe Antichriſtos & *Apoc II, 9. & c. 3. 9. Joh. VIII. 44.* quos Paulus vocat, τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ χριστοῦ, ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια θεὸς ἡ κοιλία *Philipp. III, 18. 19.* unde Antichriſtus ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος *2. Theſſ. II, 3. Apoc. XVII. 11.* Plane

etſi Pontifices rite ordinati. obligatio parendi externa, & in rebus Juri Divino non contrariis, permanſit, quamdiu ſocietas externa iſta duravit. Igitur certum relinquitur *etiam legitimè ordinatum Pontificem eſſe poſſe Antichriſtum*, qualis Pontifex etiam erant, Hannas, Caiphas, Ananias, *Act. XXIII.* Porro qvum Salvator dixit: *Quicquid dixerint vobis, facite.* ſingulos & privatos eſt allocutus, non Regem, non Proceres Synedrii magni, ſed inquam *ſingulos*, & in Eccleſiam

Chriſti

Chriſti nondum receptos, ſed ſynagogæ Judæorum adhuc aſſociatos. Cæterum *diſcipulos ſuos*, & initio Eccleſiæ ſuæ à Synagoga ſeparatæ, docebat, ut *caverent fermentum* Phariſæorum, & Pſeudoprophetas, quos deſcribebat *à fructibus* ſuis eſſe dignoſcendos, fructus porro non in verbis, *Domine, Domine*, conſiſtere neque in operibus mere theoricis, aut donis quoque extraordinariis & miraculis, ſed in bonis operibus, h. e. fide & charitate, *Matth. VII.* ſapientia & prudentia ſpirituali, *Coloſſ. I. 9.* Cæterum neque ſingulis interdixit Salvator, ne ſe ſegregent a Synagoga ad Eccleſiam ſuam; neque ſummæ Poteſtati, & qui de ea participabant tunc, prohibuit ne abrogata Pontificia poteſtate, Evangelica inſtituta in Rempubl. Judæorum reciperent: quinimo poterat Herodes, poterant Proceres Synedrii, ſalvo præcepto illo: *Quidquid dixerint vobis:* ſtatum religionis reformare, Chriſtum agnoſcere, & poteſtatem Pontificum, & Phariſæorum abrogare. Denique poſt confirmatam miſſione SS. Spiritus Eccleſiam de Synagoga Judæorum S. Petrus præcepit: σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης. *Act. II, 40.*

§. XIII.

Sed quicquid ſit de ſynagoga Judæorum, de Eccleſia Romana pergit *Baronius* demonſtrare, eam non poſſe eſſe ſedem AntiChriſti. Primo alias *inanis evaneſceret promiſſio DEI, qua ſuam in Petro Eccleſiam ſtabilivit; dicens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adverſus eam. Qui pereunt, ſibi pereunt, qui deficiunt, ſibi deficiunt, ipſa namque ſemper permanens, eadem ſubſiſtet Eccleſia.* Trahit huc quoque promiſſionem Petro factam: *Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Luc. 22, 32.* Nervus argumenti

Baron. §. 32.

Promiſſ. Div. de Eccleſ. Rom. Infallib.

menti eſt, Eccleſiam Rom. eſſe ſedem Petri. Sedem porro Petri eſſe æternam & infallibilem in Fide. Igitur neutiquam ſedem eſſe poſſe Antichriſti. Sed facilè regeſſerint Patres Rhemenſes: Primo Eccleſiam Rom. non magis *Petri* eſſe ſedem Epiſcopalem, quàm *Pauli*, imo hujus magis. ab ipſo enim Paulo non à Petro fundatam, ut & ipſis divinis teſtimoniis & Apoſtolicis ſuperius fuit demonſtratum. Ea teſtimonia plus mereri fidei, quam perſuaſionem mortalium, etſi *vetuſtam*. Conf. *Blondell. de la primaute en l'Egliſe p. 856. ſeqq.*

Reſp. Eccleſia Rom. non eſt Petri.

§.XIV.

Promiſſio infallib. Eccleſiæ Univerſa.

Deinde poſito, Eccleſiam Rom. eſſe à Petro, non à Paulo fundatam, & ejus ſedem Epiſcopalem fuiſſe, exinde non crediderunt tunc Eccleſiæ Francicæ & Germanicæ eandem eſſe infallibilem, & non poſſe deficere à Chriſto, ſive ex parte, ſive ex toto. Nam id etiam de aliis Eccleſiis ab Apoſtolis fundatis, ac gubernatis videri factum. Sed *Romanam* ais, hac prærogativa ex promiſſione gaudere. Dicis equidem, ſed non probas. Vtique promiſit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, quam Petrus cum cæteris Apoſtolis fundarunt, æternitatem & infallibilitatem, ſed non Romanæ, non Hieroſolymitanæ, non Africanæ, non Gallicanæ, non Germanicæ, verum Eccleſiæ ſuæ veræ, internæ, non uni certæ locali, ſed per omnem terram extenſæ, quæ conſtituit Regnum Chriſti τὸ ἐντὸς ἡμῶν, οὐ μετὰ παρατηρήσεως, *Luc. XVII. 21.* ad nullum certum locum quippe alligatæ. Hæc eſt omnium Eccleſiarum localium, & externarum, ipſiusque Romanæ fundamentum in ſeſe immobile, ſed à quo Eccleſia quævis localis, & externa moveri poteſt, ſive ex toto ſive ex parte. Id quod ab initio & fundamenti loco dudum poſuimus. *In quantum*

non locali Romana

porro

porro recedit Eccleſia localis, & externa ab interno *Chriſti* regno, in *tantum accedit* ad internnm *Antichriſti* regnum & fit ſedes Antichriſti, ſimul & Chriſti, ſed non ex iisdem præciſe partibus & membris. Vt exempla inter ſeptem Eccleſias Aſiæ in Apocalypſi clare oſtendunt, quanquam & idem homo ſemel regenitus & ſpiritui ſancto unitus, & huic & Satanæ locum dare poteſt. Qua de re alibi.

§. XV.

Antichriſtus & ejus vicarii ubique.

Quemadmodum vero multi ſunt Antichriſti per univerſas Eccleſias ſparſi, quorum opera Eccleſia quælibet localis poteſt à fundamento ſuo vero moveri, & falſum & adverſarium ſupponi *Matth. XXIV. 24.* ita omnes dependent à Principe ſuo Chriſti adverſario, Satana, *Apoc. XII. 7.* & cooperatores ſunt τῷ μυςηρίῳ τῆς ἀνομίας, καὶ τῆς ἀποςασίας, *2. Theſſ. 2.* Porro & inter operarios hoſce Antichriſti, & ipſius Apoſtaſiæ dantur *gradus*. Itaque *primus gradus*, jam tum Apoſtolorum ætate ponebatur, τὸ γὰρ μυςήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, ait Paulus; καὶ νῦν Ἀντίχριςοι πολλοὶ γεγόνασιν teſtificatur Johannes *1. Ep. 2.* In Eccleſia *Epheſina* taxat Salvator apoſtaſiam à charitate prima, *Apoc. 2. 4.* In Eccleſia *Pergamenſi* Rector Eccleſiæ de retenta fide laudatur, ſed ſedes tamen Satanæ & Antichriſti in eadem collocata dicitur per Pſeudodoctores Nicolaitarum. Idem contigerat Eccleſiæ *Thyatirenſi*. At *Sardicenſis* Eccleſia ex maxima parte defecerat à charitate, & puritate fidei, ut nomen Eccleſiæ tantum retineret, à fundamento remota, præter p uca membra Eccleſiæ internæ adhuc inhærentia, qualia ne quidem reperta in Laodicenſium Eccleſia.

eorum gradus.

§. XVI.

& Apoſtaſia univerſ.

Itaque *Apoſtaſia*, & regnum Antichriſti his initiis in hanc

hanc jam vaſtitatem excrevit. Primo in Eccleſiis ſingulis refrixit *charitas*, profeſſione Fidei manente. Poſtea & *fides* corrupta, ſed & hæc per graduum intervalla, & locorum differentias: Vt enim *Chriſtus* Apoſtolos, & eorum veros ſucceſſores, *Doctores* ſelectos, qui ex *fructibus* ſuis cognoſcendi, ſi faciunt ſcilicet voluntatem Patris, *Matth. VII.* eccleſiam ſuam internam quotidie colligit, gubernat, & conſervat adverſus portas inferni: ita *Antichriſtus* ſuis utitur Emiſſariis, *pſeudoprophetis*, qui à charitate, à fide, deficere faciunt fideles, falſa doctrina, & peſſimis moribus; qui porro & poteſtate, & improbitate maximus eſt, & deficientiam charitatis, & fidei, jam non ſolum doctrina, & perſuaſione, ſed & *poteſtate externa*, & edictis promovet, iſte ſine omni dubio maximus eſt Antichriſtorum, & Antichriſti inviſibilis *vicarius*, cujus typus Antiochus apud Danielem: ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος, καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν; ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, ὡς θεὸν καθίσαι ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός.

§. XVII.

Poteſtatis Antichriſt. ſpecies & gradus.

Atque obtinere hæc *poteſtas* Antichriſtiana & ſpecies ſuas, & ſuos *gradus* poteſt. Etenim ſi *civilis* poteſtas libertatem Eccleſiarum ſupprimat, curam veræ pietatis negligat, propriam Eccleſiæ poteſtatem uſurpet; civilis antichriſtiani regni ſpecies reſultat. Similiter & ex parte *Sacerdotii* altera ſpecies ſubnaſci poteſt, gradibus diverſis. Primò ſi non amplius Epiſcopi ſuas regant Eccleſias, ut Paſtores gregem Chriſti, ſed ut *ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, dominatum in Eccleſiis* exerceant, contra interdictum

Petri

Petri Apoſtoli, *1. Ep. V. 3.* aut *unius* inter ipſos *univerſalis* ejusmodi dominatus in omnes detur. Qui ſi non contentus hoc dominatu *in cleros*; extendat poteſtatem ſuam *in Principes* atque reges, abutens *poteſtate clavium*, & transformans eam in tyrannidem mundanam, retenta ſpecie Cornuum Agni, *Apoc. XIII, II.* alterum antichriſtianæ dominationis gradum conſtituit; usque dum tertio fortè atque ultimo gradu *ſumma quoque dominatio in Leges* & ſtatuta Conciliorum, Impp. ac regum obtineatur. Hic ille tandem Pſeudopropheta, beſtia bicornis, inſtar agni; ſed quoad loquelam, doctrinam & inſtituta inſtar Draconis ſive Antichriſti, cujus vicarius ipſe faciens *τὴν ἐξουσίαν τοῦ πρώτου θηρίου πᾶσαν ἐνώπιον αὐτοῦ*, omnem poteſtatem veterum Impp. gentilium in conſpectu, & cum conniventia Succeſſorum, Impp. Regum, ac Principum, *Apoc. XIII. 11. 12. XVI, 13. XIX. 20.*

§. XVIII.

Sed iſta *ἐν θέσει*, atque ad nullius hominis, nedum Eccleſiæ aut Principatus alicujus injuriam diſputata ſunto. Cæterum ut ad Baronii exceptionem redeamus, quoad promiſſionem de Eccleſiæ, ſeu regni Chriſti ſtabilitate, hæc ſanè hypotheſin Eccleſiæ Gallicanæ tum temporis; *Eccleſiam Romanam factam eſſe ſedem Antichriſti*, non evertit. Reſponderi poterat; Eccleſiam regnumve Chriſti ſtetiſſe antequam Eccleſia Romana fuerit fundata, & ſtare eam poſſe illâ iterum abolitâ. Et omnino cavillationem Deo diſplicentem videri dicti divini, *ne deficiat fides tua.* agere enim Salvatorem de perſona Petri, ejusque conſtantia in fide vera, & viva per charitatem. Sed quid hæc promiſſio ad improbos illos, ipſo Baronio auctore ſceleſtos, & monſtroſos Romanæ Eccleſiæ Rectores atque Dominos

Promiſſio Divina haud eſt Eccleſ. Rom. propria.

fuit. Atque iſtam de Pontificis Rom. auctoritate Conciliorum canonibus ſubordinata ſententiam, ultra etiam Ottonis Imp. tempora in Eccleſiis Galliæ, & Germaniæ perduraſſe, index eſt Glaber Radulphus, Monachus Cluniacenſis in Burgundia, qui referente ipſo Baronio, *l. 2. Hiſt. c. 4.* ſcribit: *Licet Pontifex Rom. Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ ſedis cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem.* Scripſit hiſtoriam ſuam *Glaber* Imperatore Henrico III. ſummo aſſertore Libertatis Sacræ, eamque patrocinio Abbatis Cluniacenſis Odilonis roboravit.

§. IIX.

Poteſtas Papæ unde.

Alterum quod excipit Baronius adverſus Gerbertum eſt, quod hic male auctoritatem Pontificis Romani æſtimaverit & ſcientia & moribus vitæ, etſi enim his careat Pontifex, non tamen eum cadere pariter ab omni Pontificia auctoritate. Et probaturus hoc ſuum aſſertum adducit illud Domini: *Facite quæ vobis dicunt, & non quæ faciunt. Matth. XXIII.* addita hac ratione, quod poteſtas hæc Pontificis Rom. *non ſit ab homine, ſed à Deo,* per illud Apoſtoli: *Non qui plantat, non qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat, Deus. 1. Cor. 3.* Verum committit Cardinalis fallaciam elenchi, nec niſi aerem ferit, & regulam quidem firmat, de qua Eccleſiæ nec dum dubitarunt, ſed de exceptione regulæ, quam urget Gerbertus, iſte nihil habet quod objiciat. Et ſi enim verum ſit, ex *privilegio* & conſenſu Eccleſiæ per *decretum Damaſi* promulgato, datam eſſe Pontifici Romano poteſtatem judiciariam ſupremam in Epiſcopos & cauſas Eccleſiaſticas, eſt tamen ex ſententia hactenus per omnes Eccleſias rece-

Juris humani, & reſtricta ad Jus div. & Eccleſiaſt.

recepta ac communi, eadem poteſtas omnino *reſtricta* ad leges divinas & canones Eccleſiæ. Vnde quamvis Epiſcopi, & Eccleſiæ particulares ſint regulariter obligatæ ad parendum ſententiis Sedis Romanæ, eam tamen obligationem eatenus tenere, quatenus poteſtas iſta juxta legẽ DEI & Canones Eccleſiæ exercetur, quod ſi ergo Pontifex adverſus iſtam ſibi & toti Eccleſiæ conſtitutã normam vel omittendo vel committendo aliquid faciat ſive per inſcitiam, ſive per morum improbitatẽ, illud ipſo jure divino, & humano eſſe nullum, nullamque vim habere obligandi Eccleſias, hæ ipſæ tum aſſeruerunt. Id quod & noviſſimè Archiepiſcopus Pariſienſis *Petrus de Marca* identidem inculcavit. Verum itaque eſt, quod ait Baronius, Pontificem hæc patrantem non cadere pariter ab *omni* Pontificia auctoritate ſed verum viciſſim eſt, ſalva pontificia auctoritate & poteſtate ad Leges Eccleſiæ fundamentales reſtricta, *in cæteris* quæ fiunt extra limites hoſce, nullam eſſe vim, nullam neceſſitandi facultatem, quam neque à DEO, neque ab hominibus unquam traditam eſſe Papis conſtat.

§. IX. *Reg. Matth. 23.3.*

Atque hoc ipſum ex allegato Domini præcepto utique probatur. Etenim quemadmodum de regula dicitur: πάντα ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, *omnia quæcunque vos ſervare juſſerint Scribæ & Phariſæi*, in cathedra Moſis ſedentes, qua tales & quatenus juxta normam Legis divinæ juſſa proferunt, τηρεῖτε, καὶ ποιεῖτε, *ſervate & facite*, *Matth. XXIII.* Ita etiam de exceptione regulæ idem ſummus Eccleſiæ Legislator ſancivit; *videte & cavete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum & Herodis*, *Matth. XVI. 6. Marc. VIII. 15. Luc. XII. 1. h. e.* ἀπὸ τῆς διδαχῆς *à doctrina, & decretis illorum*, *Matth. XVI. 12.* quæ extra ſu- *Exc. Matth. XVI. 6.*

am

am poteſtatem, & contra normam ſibi præſcriptam obtrudunt. Hinc Apoſtolus *ad Hebr. ult. 17.* πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε. Sed addendo rationem reſtringit regulam: αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν. Atque hoc ipſum eſt, quod pro defenſione ſua, & ab objecto contumaciæ crimine purgatione Petrus ipſe, cujus ſucceſſores habentur Pontifices Romani, Pontifici ſummo, & toti Synedrio reſpondet: Εἰ δίκαιόν ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ Θεοῦ, κρίνατε. *an jus fasque ſit coram DEO, vos potius quam DEUM audire, ipſi judicate Act. IV. 19. & c. V. 19.* Hæc itaque in theſi ſatis certa, ac firma ſunt, quæ an recte hypotheſi ſuæ Gerbertus applicuerit, ad nos, noſtrasque Eccleſias Germaniæ minus pertinet. Petrus de Marca *lib. VIII. c. XXV. & XXVI. §. 1.* ita hac de re judicat: Nicolaum I. novum hoc jus orbi Chriſtiano obtrudiſſe; nullam depoſitionem Epiſcoporum peragi poſſe absque auctoritate ſummi Pontificis. cui etſi Gallia reſtiterit, in hac tamen cauſa tale præjudicium factum eſſe, quod omnino firmaret poſſeſſionem Pontificis Rom. *quamvis*, inquit, *novum illud jus niteretur tantum decretis apocryphis & ſuppoſititiis.* Idem Archiepiſcopus etſi quæſtionem de auctoritate Conciliorum, atque Pontificis Rom. in libris de concordia Imp. & Sacerd. ex profeſſo non tractarit, quæ tamen ejus fuerit ſententia, tum ex hoc ipſo ſilentio colligitur, tum vero à *St. Baluzio* aperitur, & ab ipſo Archiepiſcopo *in Differt. ad Epiſtolam Vigilii Papæ.*

§. X.

Sedes Rom. an tum receperis Antichriſtum.

Alterum quod objecerunt tum Eccleſiæ Galliæ Sedi Romanæ, fuit, quod Antichriſtum receperit. Dicunt: *Quid hunc, reverendi Patres, in ſublimi ſolio reſidentem,*

veſte

veſte purpurea, & auro radiantem, quid hunc, inquam, eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolaque ſcientia inflatur, & extollitur, Antichriſtus eſt in templo Dei ſedens, & ſe oſtendens tanquam ſit Deus, ſi autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo Dei tanquam ſtatua, tanquam idolum eſt: à quo reſponſa petere, marmora conſulere eſt. Tandem concludunt: *ſed omnia infelicia tempora, quibus patrocinio toto fruſtrantur Eccleſiæ! Ad quam deinceps urbium fugiemus, cum omnium gentium Dominum humanis & divinis deſtitutam ſubſidiis videamus? Ut enim planius dicamus, palamque fateamur, poſt Imperii occaſum hæc urbs Alexandrinam perdidit Eccleſiam, Antiochenam amiſit, & ut de Africa taceamus & Aſia, ipſa jam Europa diſcedit. Nam CPolitana Eccleſia ſe ſubduxit. Interiora Hiſpaniæ ejus judicia neſciunt. Fit ergo diſceſſio ſecundum Apoſtolum (2. Theſſ. 2.) non ſolummodo gentium, ſed etiam Eccleſiarum. Quoniam cujus miniſtri Gallias occuparant, nos quoque totis viribus premunt, Antichriſtus inſtare videtur, & ut idem Apoſtolus ait: Jam myſterium operatur tantum, ut qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat, ut ille perditionis filius reveletur, qui adverſatur & extollitur ſupra DEI nomen, DEIQVE culturam. Quod jam in aperto ſit, ut Romana potentia conquaſſata, religione profligata, nomen DEI frequentibus injuriis impunè humilietur: ipſius divinæ religionis cultus etiam à ſummis Sacerdotibus contemnatur. Ipſa inſuper Roma jam pene ſola à ſe ipſa diſcedit, dum neque ſibi, neque aliis conſulit.*

§. XI.

Excipit contra Baronius: *Defectu charitatis aut ſcientiæ legitime ordinatum Epiſcopum haud transformari in Antichriſtum. Nam illud dogma Donatiſtarum, & Pela-* Obj. Baron. n. 22.

gianorum ab omni Eccleſia Orientis, & Occidentis, & praxi Eccleſiæ reprobatum. Deinde Chriſtum ipſum juſſiſſe præceptis Phariſæorum, & ſcribarum parere, etſi prava eorum opera & mortifera: Diſcipulos vero elegiſſe humanis plane

Reſp. *literis deſtitutos.* Suavis eſt, qvum ſcientiæ humanæ defectum in *Apoſtolis* & diſcipulis huc trahit, qui ſcientia divina, & extraordinario ſapientiæ dono erant inſtructi, de quo nullus Epiſcoporum Rom. iſthoc quidem tempore habuit gloriari. Cæteroquin hæreſeos *Donatiſtarum & Pelagianorum* Eccleſiæ Germanicæ, & ipſum Gerbertum, haud fuiſſe participes, res ipſa docet, nec Pontifex Romanus hoc inultum paſſus eſſet, facilis & pronus ad excommunicandos hæreticos.

§. XII.

De Phariſæis, & ſcribis, & quatenus his obediendum Salvator præcipiat, antea diximus. Atqui iidem erant Chriſti ἀντικείμενοι & adverſarii, de Synagoga Satanæ, &

Judæorum Synag. ſedes Antichriſti. proinde *AntiChriſti*, definiente Johanne *1. Ep. II, 22.* omnes eos, qui negant Jeſum eſſe Chriſtum, eſſe Antichriſtos & *Apoc II, 9. & c. 3. 9. Joh. VIII. 44.* quos Paulus vocat, τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ χριστοῦ, ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια θεὸς ἡ κοιλία *Philipp. III, 18. 19.* unde Antichriſtus ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος. *2. Theſſ. II, 3. Apoc. XVII. 11.* Plane

etſi Pontifices rite ordinati. obligatio parendi externa, & in rebus Juri Divino non contrariis, permanſit, quamdiu ſocietas externa iſta duravit. Igitur certum relinquitur *etiam legitime ordinatum Pontificem eſſe poſſe Antichriſtum*, qualis Pontifex etiam erant, Hannas, Caiphas, Ananias, *Act. XXIII.* Porro qvum Salvator dixit: *Quicquid dixerint vobis, facite.* ſingulos & privatos eſt allocutus, non Regem, non Proceres Synedrii magni, ſed inquam *ſingulos*, & in Eccleſiam

Chriſti

Chriſti nondum receptos, ſed ſynagogæ Judæorum adhuc aſſociatos. Cæterum *diſcipulos ſuos*, & initio Eccleſiæ ſuæ à Synagoga ſeparatæ, docebat, ut *caverent fermentum* Phariſæorum, & Pſeudoprophetas, quos deſcribebat *à fructibus* ſuis eſſe dignoſcendos, fructus porro non in verbis, *Domine, Domine*, conſiſtere neque in operibus mere theoricis, aut donis quoque extraordinariis & miraculis, ſed in bonis operibus, h. e. fide & charitate, *Matth. VII.* ſapientia & prudentia ſpirituali, *Coloſſ. I. 9.* Cæterum neque ſingulis interdixit Salvator, ne ſe ſegregent a Synagoga ad Eccleſiam ſuam; neque ſummæ Poteſtati, & qui de ea participabant tunc, prohibuit ne abrogata Pontificia poteſtate, Evangelica inſtituta in Rempubl. Judæorum reciperent: quin imo poterat Herodes, poterant Proceres Synedrii, ſalvo præcepto illo: *Quidquid dixerint vobis:* ſtatum religionis reformare, Chriſtum agnoſcere, & poteſtatem Pontificum, & Phariſæorum abrogare. Denique poſt confirmatam miſſione SS. Spiritus Eccleſiam de Synagoga Judæorum S. Petrus præcepit: σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης. *Act. II, 40.*

§. XIII.

Sed quicquid ſit de ſynagoga Judæorum, de Eccleſia Romana pergit *Baronius* demonſtrare, eam non poſſe eſſe ſedem AntiChriſti. Primo alias *inanis evaneſceret promiſſio DEI, qua ſuam in Petro Eccleſiam ſtabilivit; dicens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adverſus eam. Qui pereunt, ſibi pereunt, qui deficiunt, ſibi deficiunt, ipſa namque ſemper permanens, eadem ſubſiſtet Eccleſia.* Trahit huc quoque promiſſionem Petro factam: *Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Luc. 22, 32.* Nervus argumenti

Baron. §. 32.

Promiſſ. Div. de Eccleſ. Rom. Infallib.

menti eſt, Eccleſiam Rom. eſſe ſedem Petri. Sedem porro Petri eſſe æternam & infallibilem in Fide. Igitur neutiquam ſedem eſſe poſſe Antichriſti. Sed facilè regeſſerint Patres Rhemenſes: Primo Eccleſiam Rom. non magis *Petri* eſſe ſedem Epiſcopalem, quàm *Pauli*, imo hujus magis. ab ipſo enim Paulo non à Petro fundatam, ut & ipſis divinis teſtimoniis & Apoſtolicis ſuperius fuit demonſtratum. Ea teſtimonia plus mereri fidei, quam *perſuaſionem* mortalium, etſi *vetuſtam*. Conf. *Blondell. de la primaute en l'Egliſe p. 856. ſeqq.*

Reſp. Eccleſia Rom. non eſt Petri.

§. XIV.

Promiſſio infallib. Eccleſiæ Univerſa.

Deinde poſito, Eccleſiam Rom. eſſe à Petro, non à Paulo fundatam, & ejus ſedem Epiſcopalem fuiſſe, exinde non crediderunt tunc Eccleſiæ Francicæ & Germanicæ eandem eſſe infallibilem, & non poſſe deficere à Chriſto, ſive ex parte, ſive ex toto. Nam id etiam de aliis Eccleſiis ab Apoſtolis fundatis, ac gubernatis videri factum. Sed *Romanam* ais, hac prærogativa ex promiſſione gaudere. Dicis equidem, ſed non probas. Vtique promiſit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, quam Petrus cum cæteris Apoſtolis fundarunt, æternitatem & infallibilitatem, ſed non Romanæ, non Hieroſolymitanæ, non Africanæ, non Gallicanæ, non Germanicæ; verum Eccleſiæ ſuæ veræ, internæ, non uni certæ locali, ſed per omnem terram extenſæ, quæ conſtituit Regnum Chriſti τὸ ἐντὸς ἡμῶν, οὐ μετὰ παρατηρήσεως, *Luc. XVII. 21.* ad nullum certum locum quippe alligatæ. Hæc eſt omnium Eccleſiarum localium, & externarum, ipſiusque Romanæ fundamentum in ſeſe immobile, ſed à quo Eccleſia quævis localis, & externa moveri poteſt, ſive ex toto ſive ex parte. Id quod ab initio & fundamenti loco dudum poſuimus. *In quantum*

non locali Romana

porro

porro recedit Eccleſia localis, & externa ab interno *Chriſti* regno, in *tantum accedit* ad internum *Antichriſti* regnum & fit ſedes Antichriſti, ſimul & Chriſti, ſed non ex iisdem præciſe partibus & membris. Vt exempla inter ſeptem Eccleſias Aſiæ in Apocalypſi clare oſtendunt, quanquam & idem homo ſemel regenitus & ſpiritui ſancto unitus, & huic & Satanæ locum dare poteſt. Qua de re alibi.

§. XV.

Quemadmodum vero multi ſunt Antichriſti per univerſas Eccleſias ſparſi, quorum opera Eccleſia quælibet localis poteſt à fundamento ſuo vero moveri, & falſum & adverſarium ſupponi *Matth. XXIV. 24.* ita omnes dependent à Principe ſuo Chriſti adverſario, Satana, *Apoc. XII. 7.* & cooperatores ſunt τοῦ μυστηρίου τῆς ἀνομίας, καὶ τῆς ἀποστασίας, *2. Theſſ. 2.* Porro & inter operarios hoſce Antichriſti, & ipſius Apoſtaſiæ dantur *gradus.* Itaque *primus gradus*, jam tum Apoſtolorum ætate ponebatur, τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, ait Paulus; καὶ νῦν Ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν teſtificatur Johannes *1. Ep. 2.* In Eccleſia *Ephesina* taxat Salvator apoſtaſiam à charitate prima, *Apoc. 2. 4.* In Eccleſia *Pergamenſi* Rector Eccleſiæ de retenta fide laudatur, ſed ſedes tamen Satanæ & Antichriſti in eadem collocata dicitur per Pſeudodoctores Nicolaitarum. Idem contigerat Eccleſiæ *Thyatirenſi.* At *Sardicenſis* Eccleſia ex maxima parte defecerat à charitate, & puritate fidei, ut nomen Eccleſiæ tantum retineret, à fundamento remota, præter pauca membra Eccleſiæ internæ adhuc inhærentia, qualia ne quidem reperta in Laodicenſium Eccleſia.

Antichriſtus & ejus vicarii ubique.

eorum gradus.

§. XVI.

Itaque *Apoſtaſia*, & regnum Antichriſti his initiis in hanc

& Apoſtaſia univerſ.

hanc jam vaſtitatem excrevit. Primo in Eccleſiis ſingulis refrixit *charitas*, profeſſione Fidei manente. Poſtea & *fides* corrupta, ſed & hæc per graduum intervalla, & locorum differentias: Vt enim *Chriſtus* Apoſtolos, & eorum veros ſucceſſores, *Doctores* ſelectos, qui ex *fructibus* ſuis cognoſcendi, ſi faciunt ſcilicet voluntatem Patris, *Matth. VII.* eccleſiam ſuam internam quotidie colligit, gubernat, & conſervat adverſus portas inferni: ita *Antichriſtus* ſuis utitur Emiſſariis, *pſeudoprophetis*, qui à charitate, à fide, deficere faciunt fideles, falſa doctrina, & peſſimis moribus; qui porro & poteſtate, & improbitate maximus eſt, & deficientiam charitatis, & fidei, jam non ſolum doctrina, & perſuaſione, ſed & *poteſtate externa*, & edictis promovet, iſte ſine omni dubio maximus eſt Antichriſtorum, & Antichriſti inviſibilis *vicarius*, cujus typus Antiochus apud Danielem: ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος, καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, ὡς θεὸν καθίσαι ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός.

§. XVII.

Poteſtatis Antichriſt. ſpecies & gradus.

Atque obtinere hæc *poteſtas* Antichriſtiana & ſpecies ſuas, & ſuos *gradus* poteſt. Etenim ſi *civilis* poteſtas libertatem Eccleſiarum ſupprimat, curam veræ pietatis negligat, propriam Eccleſiæ poteſtatem uſurpet; civilis antichriſtiani regni ſpecies reſultat. Similiter & ex parte *Sacerdotii* altera ſpecies ſubnaſci poteſt, gradibus diverſis. Primò ſi non amplius Epiſcopi ſuas regant Eccleſias, ut Paſtores gregem Chriſti, ſed ut ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, *dominatum in Eccleſiis* exerceant, contra interdictum

Petri

Petri Apoſtoli, *1. Ep. V. 3.* aut *unius* inter ipſos *univerſalis* ejusmodi dominatus in omnes detur. Qui ſi non contentus hoc dominatu *in cleros*; extendat poteſtatem ſuam *in Principes* atque reges, abutens *poteſtate clavium*, & transformans eam in tyrannidem mundanam, retenta ſpecie Cornuum Agni, *Apoc. XIII, II.* alterum antichriſtianæ dominationis gradum conſtituit; usque dum tertio fortè atque ultimo gradu *ſumma quoque dominatio in Leges* & ſtatuta Conciliorum, Impp. ac regum obtineatur. Hic ille tandem Pſeudopropheta, beſtia bicornis, inſtar agni; ſed quoad loquelam, doctrinam & inſtituta inſtar Draconis ſive Antichriſti, cujus vicarius ipſe faciens τὴν ἐξουσίαν τοῦ πρώτου θηρίου πᾶσαν ἐνώπιον αὐτοῦ, omnem poteſtatem veterum Impp. gentilium in conſpectu, & cum conniventia Succeſſorum, Impp. Regum, ac Principum, *Apoc. XIII. 11. 12. XVI, 13. XIX. 20.*

§. XVIII.

Sed iſta ἐν θέσει, atque ad nullius hominis, nedum Eccleſiæ aut Principatus alicujus injuriam diſputata ſunto. Cæterum ut ad Baronii exceptionem redeamus, quoad promiſſionem de Eccleſiæ, ſeu regni Chriſti ſtabilitate, hæc ſanè hypotheſin Eccleſiæ Gallicanæ tum temporis; *Eccleſiam Romanam factam eſſe ſedem Antichriſti*, non evertit. Reſponderi poterat; Eccleſiam regnumve Chriſti ſtetiſſe antequam Eccleſia Romana fuerit fundata, & ſtare eam poſſe illâ iterum abolitâ. Et omnino cavillationem Deo diſplicentem videri dicti divini, *ne deficiat fides tua.* agere enim Salvatorem de perſona Petri, ejusque conſtantia in fide vera, & viva per charitatem. Sed quid hæc promiſſio ad improbos illos, ipſo Baronio auctore ſceleſtos, & monſtroſos Romanæ Eccleſiæ Rectores atque Dominos

Promiſſio Divina haud eſt Eccleſ Rom. propria.

Eccleſia & Curia Rom. diſſ. minos? quorum fides & charitas aut ceſſaſſet, aut nunquam cœpiſſet? *nec Eccleſiam* & oves eos curaſſe, *ſed aulam & curiam* Regiam & Imperatoriam inſtituiſſe, Satanam in Angelum Lucis transfiguratum, Eccleſiam vero in regnum atque Dominatum.

§. XIX.

Pontifices Rom. an. Antichriſti? Plane illud rectiſſimè Baronius: *Qui pereunt, ſibi pereunt; qui deficiunt, ſibi deficiunt.* Atque quod accidit Eccleſiæ Sardicenſi, quæ nomen tantum habere dicitur quod vivat, qvum mortua ſit, quod pauca ibi ſint nomina, qui non inquinaverint veſtimenta ſua, & ambularint cum Chriſto in albis, quia hi digni ſint, *Apoc. 3, 4.* idem & cuilibet Eccleſiæ evenire poteſt. Et quamvis concederetur, maximam Antichriſti ſedem per monſtroſos iſtos vicarios *in Eccleſia Romana, quippe ſumma* inter Eccleſias, conſtitutam fuiſſe; propterea tamen haud neceſſe eſt, omnes atque *ſingulos ejus* Eccleſiæ rectores & *Epiſcopos* Antichriſti eſſe Vicarios. Agnovit *Gerbertus* de quo diximus, ſedem Antichriſti in Eccleſia Rom. nec tamen detrectavit ipſe poſtea ſummum ejus Eccleſiæ regimen ſuſcipere, non ut ipſe ſe vicarium Antichriſti profiteretur, ſed ut potius ſedem & emiſſarios Antichriſti & Pſeudoprophetas, & anteceſſorum inſtituta S. Scripturæ minus fortè conſona aboleret, quantum poſſet, & Eccleſiam Romanam ad fundamentum ſuum intrinſecum reduceret, ac reformaret. Idem alii ex Pontificibus Romanis intendere potuerunt, de quibus ſuo loco. Idem & hodiernum Pontificem Maximum Beatiſſimum Dominum INNOCENTIUM XI. ſumme intendere totus *Innocentii XI. laus.* ſum perſuaſus, cujus prudentiam, candorem, & innocentiam, ſed & corruptos Eccleſiæ abuſus atque mores emendandi

dandi Zelum, prava quoque Moraliſtarum quorundam dogmata condemnandi fervorem, jam dudum fama immortalitati conſecravit.

§. XX.

Ex iſtis porro apparet ratio, cur inter ſeſe haud pugnent; *eſſe in aliqua Eccleſia ſedem Antichriſti, & in eandem Eccleſiam recipi ad Chriſtum converſos populos*, Danos, Slavos, Nortmannos, Boemos, Polonos, Hungaros, aut ſuperiori ſeculo Indos. Etenim eadem Eccleſia per diverſa membra ſua & Chriſti Eccleſia, & Antichriſti ſedes eſſe poteſt, ut lib. 1. cap. 1. pluribus explicuimus. Atque illud valde eſt notandum, quo ſenſu tum ab Eccleſia Francorum poteſtas Papæ Romani habita fuerit *univerſalis*, eo ſcilicet, quo imperium Romanum per univerſam οἰκουμένην extenſum fuiſſe dicitur, minime vero quaſi omnes omnino Eccleſias neceſſario Papæ Romani poteſtati ac imperio ſubjectas eſſe crederent: Quo pertinent illa ejusdem Synodi verba; *Olim accepimus claros Leones, magnos Gregorios, quid dicam de Gelaſio & Innocentio, qui omnem mundanam Philoſophiam ſua ſapientia & eloquentia ſuperant? Longa ſeries eorum eſt, qui ſua doctrina mundum repleverunt. Eorum itaque diſpoſitioni, qui vita merito & ſcientia cunctos mortales anteirent, rectè univerſalis Eccleſia credita eſt, quamvis & in hac ipſa felicitate hoc privilegium tibi ab Africanis Epiſcopis contradictum ſit, has credo, quas patimur miſerias magis, quam typhum dominationis formidantibus.* Item: *poſt Imperii occaſum hæc urbs Alexandrinam Eccleſiam perdidit, Antiochenam amiſit, & ut de Africa taceamus, & Aſia, ipſa jam Europa diſcedit. Nam CPolitana Eccleſia ſe ſubduxit. Interiora Hiſpaniæ ejus judicia neſciunt.*

§. XXI.

Gallacia. Quæ hic de *Gallacia* Baronius oggerit, non ſatisfaciunt, quum Gallœcia ad interiora Hiſpaniæ haud pertineat; nam ut Romanis Hiſpania in duas partes fuit diviſa, quarum una *citerior*, citra Iberum ab initio, deinde extenſa per Tarraconenſem, *Panciroll. Not. Imp. Occid. c. 67. Jo. Marian. l. 1. c. 4.* altera *ulterior*, quæ Beticam, & Luſitaniam complexa; itaque ad illa *interiora Hiſpaniæ* pertinent, quæ Papam Rom. tunc non agnoverunt. Imo nec ipſa *Gallacia* perſtitit in Sedis Rom. obedientia. Nam Archiepiſcopum Gallicienſem neminem ſuperiorem agnoviſſe indicium eſt, quod in Synodo Rhemenſi Leo IX. Papa ipſum excommunicavit, *quia contra fas ſibi vendicaret culmen Apoſtolici nominis A. C. 1049.* ubi acta Concilii exhibet Baronius. Sed & ſequentis anni *Concilium Coyacenſe* in Diœceſi Ouetenſi à Ferdinando Magno Rege Caſtellæ cum omnibus Epiſcopis *in Hiſpania* degentibus, & omnibus ejusdem regni optimatibus, celebratum, qvum ne verbulo mentionem Sedis Romanæ faciat, *ſed Canonum & legis Gothicæ*, ſatis indicio eſt, Eccleſiam Hiſpanicam etiam tum aſſeruiſſe libertatem priſtinam. Acta idem ſervavit. Nempe Ferdinandus ille & nomen IMPERATORIS affectabat, de quo poſtea.

Cap.

CAPVT IIX.

De JVRE SEDIS ROMANAE CIRCA ELECTIONEM IMPERATORIS GERMANORVM.

SVMMARIA.

Otto III. ἄπαις ſtabilit Germanis jus eligendi Imperatorem dupliciter, primò contra Romanos. Gregorius V. S.P.Q.R. conſentit. Jus Electorum Germaniæ non eſt à P.R. quod triplex: eligendi Regem Germaniæ; Romanorum; Imperatorem. Cap. Venerabilem de Elect. Papa quid contulerit ab initio, quid Ottoni I. quid Ottoni III. Baronio reſpondetur. Secundo ſtabilit Otto Electionem Germanorum contra exteras nationes. Trevirenſis Electoratus: Bohemicus. Numerus ſeptem Electorum vetuſtus, nec excludens reliquos, uſque ad A. B. Caroli IV. Jus Electorum German. à nemine Paparum profectum. Dux Bavariæ jam olim inter ſummos officiales & Electores. Specul. Saxon. l. 3. art. 57. Jus Suevicum. Controverſia inter Bavarum & Bohemum. quorum alter in poſſeſſorio, alter in petitorio obtinuit. Jus deponendi Imp. Papa nullum habet. nec Status Imperii. Jus Statuum. Jus reſiſtendi legitimum quod. Jodoci Regis Rom. capitulatio.

§. I.

A. C. 98. Providentia Ottonis III. circa Jus elig. Imp.

QUanto non minus ſucceſſu, quam molimine Otto Imp. cum liberis ſtatum Imperii Romani Germanorum reſtauraverat, tanto labore & induſtria eundem tueri, & ad Succeſſores inconvulſe transferre ſategit. Animadverterant autem jus Imperii ſemel acquiſitum Germanis ante turbaſſe Pontifices Rom. tum maxime, cum poſteri ſtirpis Carolinæ deſinerent, & Germani libera electione, jus regni cum Imperio ad aliam domum ac familiam transferrent. Quamobrem qvum nepos, Otto III. Imp. ſe ſpectaret ἄπαιδον, *Romanorum autem fidem ſuſpectam, & nusquam tutam idem expertus eſſet,* ut Baron. ad A. C. 999. n. 2. habet & latius exponit Ditmarus *l. IV. Chron. Mersb.* ipſius quoque Pontificis perfidiam referens: ideo ſollicitus fuit merito de occaſione iſta tollenda, ne qua impedire Romani auderent jus eligendi Imperatorem Romanum Procerum Germaniæ. Commodum porro accidebat, quod Bruno ſive *Gregorius V.* Saxo & Imperatoris conſanguineus, Pontificatum Rom. gereret, vir libertati Germanorum à puero addictus, & cui corruptiſſimi Romanorum mores vehementiſſimè diſplicerent. Facilis igitur hic ad conſilium Imperatoris pro libertate Germanorum & imperium in Romanos corroborando adjuvandum. Re itaque cum Pontifice Rom. deliberata, & frequentiſſima Synodo habitâ conſtitutum fuit, VT APVD SOLOS GERMANIAE PRINCIPES IVS ELIGENDI REGEM FIRMA PERMANERET, QVI MOX A PONTIFICE CONSECRARETVR IMPERATOR.

Prima intentio contra Romanos.

§. II.

Jus Electorum an à Papa? N.

Sed quod dolendum, acta hujus concilii, & ipſa hæc Conſtitutio non amplius extat. Eo magis autem opus eſt

eſt penſitare, quid juris Germanica libertas hic acceperit, *& an jus eligendi regem, qui jus Imperii Romani habeat, Proceribus Germaniæ à Pontifice Rom. in hac Synodo datum ſit?* quod aſſerit Baronius, Bellarminus, alii. Ne vero decipiamur *fallacia*, quam Dialectici *plurium interrogationum* vocant, diſtincte de toto negotio eſt videndum. Et primo quidem habent ordines regni Germanici *jus eligendi* & conſtituendi ſibi *regem:* id vero quod palam eſt, non ex conceſſione Pontificis Rom. *ſed jure ſuo proprio*, quo quisque populus liber, & cujusvis Reipubl. ſtatus gaudent. Pari ſcilicet modo, quo jus Succeſſionis in Regno Succeſſivo non à cauſa aliqua externa, ſed ex ipſa Reipubl. forma atque anima dependet. Ita tamen jure electionis uſi olim ordines Germaniæ, ut ſemel electi Regis filii *jure hereditario* ſuccederent, nec tamen ſine ſolenni approbatione & inauguratione ſtatuum accedente. Teſtis omni exceptione major, *Ditmarus* Comes Saxonicus, & Epiſcop. Merſburg. *l. 1. Chron.* de Henrici Aucupis filiis Ottone, & Henrico: *Indoles autem relictæ poſteritatis triſtium Principum corda lætificat, & certos VOLUNTARIÆ ELECTIONIS hos fecit.* Et mox: *Aſſerunt nonnulli, eandē* (Reginam) hoc *ſummopere diu niſam fuiſſe, quod junior filius ſuimet Henricus Patris Sedem poſſideret. Sed hoc Dominus, electos ſibi ad unaquaque ſemper præordinans, noluit, nec Summatum optima pars conſenſit, ſed ratione prudenti, & ideo facile ſuadenti, hac mœrentis Reginæ animum paulo minus à propoſito declinavit, & huic Bavarios ad tuendum aptius aſſignari, prahabito ſibi NATO MAJORI, conſulitur.* Itemque *lib. II. pr. omnes reipubl. Principes magnum Reginæ Mechtildis mœrorem lenire cupientes, Ottonem filium ejus, patris ſui decreto atque petitione, uno ore in regem ſibi &*

Jus eligendi Reg. Germ.

Dominum elegerunt elevatis dextris conclamantes, VIVAT ET VALEAT REX VICTOR IN ÆTERNVM. Eodem de Ottone II. *Æquivocus autem ejus junior ſcilicet Otto, patre adhuc vivente electus & unctus ITERVM* (poſt mortem patris) COLLAVDATVR *à cunctis in Dominum & Regem.* Idem *lib. V. Chron.* de electo Ottonis III. ſucceſſore, Henrico II. ait. *Mox à maxima multitudine vox una reſpondit* (miſſo Henrici) *Henricum Chriſti adjutorio JVRE HEREDITARIO regnaturum. Se paratos ad omnia quæ ſibi* (regi) *unquam ſcirent eſſe voluntaria. Hocque dextris manibus elevatis affirmatur. V. Lehman. Chron. Spir. l. V. c. XVII.*

§. III.

RegemRom. Porro poſtquam Reges Francorum per Carolum M. primo quidem Patricialem ſeu Exarchalem, ſed independentem tamen, & proinde ſub titulo REGIS ROMANORVM poteſtatem acquiſivit, ut ex *Bulla Adriani* conſtat, mox vero ἀξίωμα IMPERATORIS Rom. ſuperimpoſitū fuit ut ſuperius deductum: ſed & idē jusRegni & Imperii Rom. jure ſucceſſionis ad poſteros ſecundum prærogativam primogenituræ fuit transmiſſum, ut antea quoque vidimus: hinc certe liquidum hoc eſt, quod ut ſucceſſio ejusdem hactenus familiæ, ita etiam electio novæ familiæ non à cauſa aliqua externa, & conceſſione ſpeciali, ſed ex jure proprio & ſemel acquiſito Regni Francorum & Germanorum dependet, ita ut qui eligitur in Regem Germanorum (poſtquam hi jure primogenituræ & Senioratus à Gallis jus Imperii vindicarunt) etiam eo ipſo Regnum & Imperium Romanorum acquirat.

Imp.

venit jure proprio.

§.IV. Pla-

§. IV.

Plane quod ἀξίωμα Imp. Rom. Regno Francorum & Germanorum fuit ab initio acquiſitum, & æterno nexu conjunctum, id quidem ut à ſolo Pontifice Rom. non fuit profectum, nec penes ſolum ſteterat: ita neque ejus opera & *directio* eſt excludenda; quid enim veritatem non fateri attinet? Atque hactenus vera ſunt, quæ Innocentius III. *cap. venerabilem. de Elect.* ſcribit: *Illis Principibus* (Germaniæ) *jus & poteſtatem eligendi regem in Imp. poſtmodum promovendum, recognoſcimus, UT DEBEMUS, ad quos DE JURE antiqua conſuetudine noſcitur pertinere, præſertim cum ad eos & poteſtas bujusmodi ab Apoſtolica ſede* (nec à ſola tamen, nec ſimpliciter, ſed tantum reſpectu connexi Imperii Rom.) *pervenerit, quæ Rom. Imperium in perſonam magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos.* Conf. L. Maimburg. *lib. 2. de la decad. de l'Emp. pag. 108.* Natalis Alexand. *Select. Hiſt. Eccl. Vol. poſt.* Sed quod à Pontifice Senatu Populoque Rom. in Reges Francorum & Germanorum ſemel fuit translatum, id penes eosdem poſtea usque in hunc diem *jure proprio* permanſit, ſive per ſanguinis ſucceſſionem ſive per liberam Germanorum Electionem Reges conſtituerentur.

Quid contulerit Papa ab initio

c. Venerabil. X. de Elect.

V.

Quemadmodum igitur Ottoni I. Imp. Lege Regia repetita nihil novi fuit quæſitum, ſed vetus jus ab Invaſoribus Regni Imperii & Pontificatus Rom. varie turbatum, denuo ordinatum, inſtauratum, & firmatum, ſicut lex Regia veterum Impp ſemel atque iterum fuit repetita: Ita etiam Ottoni III. Imp. nihil novi potuit acquiri, ſed propter imminentem caſum deficientis ſucceſſionis &

quid Ottoni I.

quid Ottoni III.

Domus

Domus Ottonianæ, & futuræ hinc electionis Regis Germanorum, qui Rex & Imp. Romanorum eo ipſo futurus eſſet, *nova & repetita cautione*, propter Romanorum perfidias, opus eſſe rebantur Imp. & Status Germaniæ, *qua denuo obligatos ſeſe profiterentur Pontifex S. P. Q. R. ad futuram Germanorum electionem, ita, ut quem electuri forent Proceres Germaniæ, eundem etiam Pontifex S. P. Q. R. Regem & Imperatorem agnoſcerent.* Nihil ergo contulit novi Pontifex ſolus, nihil cum S. P. Q. R. Sed ne ſede Imperatoria vacante, jus Germanorum Romani iterum turbarent, omnes repetitò promiſerunt.

§. VI.

Baronius A. C. 996. n. 50. Hinc intelligitur, quam inconvenienter dicatur, *Ottoni I. à Leone Papa conceſſam fuiſſe facultatem ſucceſſores ſibi eligendi.* Contradictio eſt enim in adjecto dicere, in Regno vel Imperio *ſucceſſivo* habere Regem jus eligendi ſucceſſorem. Cæterum ut firmum, & imperturbatum à Romanis permaneret jus ſuccedendi in poſteris, Ottoni non à Pontifice Leone *VIII. ſolo*, ſed ab omnibus Statibus Imperii Rom. fuit promiſſum. Quod vero Otto, & ejus filius *ſibi* ſucceſſorem *vivis* adhuc conſtituerint, nihil commune habet cum jure eligendi Procerum Germaniæ. Declaratio enim iſta fuit, aut cooptatio in conſortium Imperii, non vero libera electio ejus, ad quem jure ipſo non ſpectaret ſucceſſiò. Nec mirum itàque, *poſt Ottonem III. id non amplius factum*, quia jus ſucceſſionis cum familia deſierat; & jure eligendi ſuo Proceres Germaniæ jam uti debebant. Quare & temere fingitur, in hac conſtitutione Ottonis III. *demtam fuiſſe Imperatoribus facultatem ſibi ſucceſſorem eligendi penitus, & Germaniæ collatam Principibus.* Iſta enim facultas ſucceſſorem in conſor-

tium imperii adſciſcendi, deficiente Succeſſore, deficiebat per ſe: hæc vero facultas eligendi in caſu deficientis ſucceſſoris ex familia, competebat Germaniæ Principibus jam tum proprio jure, nec à Pontifice Rom. impetrari debebat, multo minus à ſolo. Quæ de *publicis Imperatorum, & Electorum confeſſionibus* hic jactantur, iſta recentiora ſunt, quam ut ad horum temporum ſtatum demonſtrandum, allegari poſſint; ſuo autem loco conſiderabuntur, num confeſſionem totius Imperii Germanici contineant.

§. VII.

Cæterum jus hoc eligendi Imperatorem Romanorum ita reſtringere vult *Baronius*, ut tamen *ſi cauſa aliqua eſſet denegandi conſecrationem, Pontifex Rom. libere facere poſſet, nec aliquo neceſſitatis nexu, quem Germani elegiſſent in Regem, compelleretur probare, atque ungere Imperatorem, ſed imo voluiſſe jus eligendi apud ſe remanere, & cum opus fuerit, & neceſſitas exegerit, eo pro arbitrio uti poſſe, hunc recipiendo, abjiciendo illum prout opportunitas poſtularet.* Ad id probandum adducitur Glaber Radulphus l. 1. c. V. ſcribens: *Illud nihilominus nimium condecens, & perhoneſtum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, ſcilicet, ut ne quiſquam audacter Romani Imperii ſceptrũ præproperus geſtare princeps appetat, ſeu Imperator dici aut eſſe valeat niſi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipub. eique commiſerit inſigne Imperiale.* Conf. Thuan. *lib. 2. pr.* qui Ottoni III. hoc exprobrat. Fr. Petrarchæ *epiſtolam ad Carolum IV. Imp.* Ciſneri *orat. de Othone III.* Verum quod tum amplius non habuit Pontifex Rom. id nec ſibi reſervare potuit. Plane jus intercedendi, & reprobandi quoad *perſonam* tantum, *ex*

Baron. n. 52. 53.

Reſervatũ Papa in elect. Imp.

 cauſis

cauſis ſonticis non quoad *nationem* Pontifici reſervatum, innuit Glaber, nec nos diffitemur. Sed illa facultas haud fuit libera, *ut pro lubitu* hunc etſi Germanũ poſſet rejicere, illum Gallum recipere, verum reſtricta ad cauſas ut dixi ſonticas, earumque probationem. Etſi non eſt negandum, Pontifices ſequiores extendiſſe jus hoc intercedendi, & conſecrationem denegandi, adeo, ut tandem Impp. noſtri jure optimo maximo impetrationem conſecrationis Romanæ poſthabuerint, & diſſentiendi electionemque examinandi libidinem evitarint.

§. VIII.

II. Intentio contra externas nationes.

Porro ut Romanos, atque Italos Otto ita coërcuit, ne futuræ Electioni Imperatoriæ Germanorum impedimento eſſent, ita etiam cæteras nationes partim Germaniæ incolas, partim vicinas, Imperio Germanorum tunc ſubjectas, ne ſeſe immiſcerent electioni, prohibere hac ipſa conſtitutione voluiſſe videtur; etenim ut data hic occaſione *de origine Electorum* ſententiam proferamus, jus eligendi Imperatorem Rom. Germanicum hactenus omnes ſtatus Germaniæ, etſi non eſſent Germanicæ nationis habuerant, & pro re nata exercuerant, etiam hi, qui non erant de Germania magna, ſed Gallia Belgica & Lotharingia, ut Archiepiſc. Trevirenſis, de quo *Abbas Stadenſis* ad A. C. 1256. *Trevirenſis licet de Alemannia non ſit, ratione antiquitatis eligit.* Aut de Natione *Vandalica* ut Rex Daniæ, Bohemiæ, Poloniæ, qui mortuo Ottone I. cum Moguntino Magdeburg: & Auguſtano elegerant Henricum Bavarum, non abſque præjudicio Patris Imp. noſtri, Ottonis II. cui tamen mox iſte ceſſit, A. C. 973. Et videtur Trevirenſis, etſi Gallicæ Belgicæ eſſet nationis, tamen ſub ſuum Archicancellariatum accepiſſe etiam ſtatus Sclauicæ nationis. Itaque ipſe Regem Bohemiæ

Reg.

Ampl.

Trevir. Elect.

miæ inaugurat Pragæ A. C. 1086. Otto igitur III. etiam hoc egit ut excluderentur ab electione in poſterum Reges, Principes, & Epiſcopi, qui nationis *Italicæ, Gallicæ* & *Sclavicæ* eſſent, ne à natione Germanica ad ſuarum aliquam transferrent Imperium. Hinc & *Trevir* tum excluſus ne factioni Gallicæ faveret. Atque adhuc A. C. 1198. in electione Philippi Suevi Trevir videtur fuiſſe præteritus, velut *ex Rogerico ab Hoveden* refert *Calviſ. ad A. C. 998. arg. VI.* unde quod Rex *Angliæ* ab Archiepiſc. Colonienſi ad Electionem Imp. invitatus A. C. 1198. videtur contra Leges Imperii factum, & ex ſtudio partium Pontificiarum. L. Maimburgius *lib. 2. de la decad. de l' Empire ſtatus pag. 105.* refert hanc excluſionem aliarum nationum demum ad tempora Friderici I. Imp. per *cap. Venerabilem.* *1. Lim.*

§. IX.

Verum poſtea reſtrictio iſta nimia viſa fuit, adeoque quoad Galliam Belgicam laxata, & ad electionem admiſſus iterum Archiepiſcopus *Trevirenſis*. Ipſiusque ope Conradus III. ad Imperium pervenit A. C. 1138. Certe in conſtitutione Ottonis IV. A. C. 1208. ipſius jus fuit confirmatum, atque in electione Henrici VII. Imp. à fratre Balduino Archiepiſc. Trevirenſi egregie exercitum. A. 1308. ut refert auctor vitæ Balduini *l. 2. c. 1.* Deinde *Bohemus* etiam fuit iterum admiſſus, ſed ſub conditione, & in caſum diſſenſus Electorum majorum, per dictam conſtitutionem Ottonis IV. A. C. 1208. Quæ tamen conditio cum facile exiſteret, *jus accedendi* Comitia Electoria ſemper videtur habuiſſe, *jus ſuffragii* non niſi exiſtente conditione. Nihilominus tamen ſæpe etiam iſto caſu non exiſtente videtur uſurpaſſe jus ſuffragii ſimpliciter, *Sublim. 1. Trevir.* *2. Sublim. Bohem.*

indeque eſt ut arbitror, quod *Hoſtienſis* dicit, Bohemum *de facto* eligere Imperatorem.

§. X.

Lim. 2. Porro inter ſtatus Germanicos etſi omnes votum electorium haberent, ad faciliorem tamen electionis exitum, videntur hoc more uſi, ut *omnes* denominarent *plures* perſonas idoneas, ſi præſto eſſent, ex quibus deinde *unum* eligerent Principes *Imperii Primarii* h. e. officiales Imperii. Cujus moris originem Meimburgius *de la decad. de l' Emp. lib. 2. p. 104.* refert ad regnum Henrici V, *Vrſp. A. 1054. Sigeb. A. 1126. Otto Friſing. l. 2. c. 1.* At ſicut jam inde ab origine Reges Francici habuerunt certos officiales, quos *Palatinos majores* appellarunt, & nos ſuperius explicavimus: Ita & Imperatores Germanici iisdem uſi, ſed ita, ut ab initio *non* fuerint certi & *hereditarii*, præſertim in ſolennitatibus Imperatoriis, ſed prout quisquæ Ducum erat præſens & ſenectute vel alias dignior. De electo Ottone I. Witikindus *l. 2. Annal.* refert: *Divina deinde laude dicta, ſacrificioque ſolenniter celebrato, deſcendebat Rex ad Palatium, & accedens ad menſam marmoream regio apparatu ornatam reſedit cum Pontificibus, & omni populo: DVCES vero MINISTRABANT. LOTHARIORVM DVX Giſelbertus, ad CVJVS POTESTATEM LOCVS ille* (Aquisgranum) *pertinebat, omnia PROCVRABAT* (ut magiſter Palatii) *Everbardus* (Dux Francorum) *MENSÆ praeerat. Herimannus FRANCO PINCERNIS: Arnulphus* (Dux Bavariæ) *Equeſtri ordini* (Mareſchallus) *& eligendis, locandisque caſtris praeerat; Sifridus vero Saxonum optimus & à Rege SECVNDVS, gener quondam Regis, tunc vero affinitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hoſtium interim irruptio*

ruptio accidiſſet, nutriensque juniorem Henricum ſecum tenuit. Obſerves autem, Duces Francorum tum fuiſſe uno plures. unde & mox ait: *Interfectus eſt autem ibi Gevehardus Vdonis filius, fratris Herimanni Ducis; ob cujus necem, Deo omnia ordinante, duces Francorum inter ſe ſunt diviſi.* confer. Gevvold. *Epiſt. Monit. ad Freb. p. 481.* De Ottone III, Ditmar. L. IVI *Celebrata proxima Paſchalis ſolennitas in Quidilingiburg à Rege, ubi quatuor miniſtrabant Duces Henricus* (Bavarus) *ad menſam, Conradus* (Suevus) *ad Cameram, Hezil ad Cellarium, Bernhardus equis præfuit. Hic etiam Bolizlaus* (Dux Boëm:) *& Miſeco* (Polon:) *cum ſuis conveniunt.* Duces Francor. plures.

Wippo de vita Chunradi Salici: c. de diſpoſitione curiali.

De fidelitate facta Regi, minus neceſſarium dicere puto, frequenti uſu teſte, quod omnes Epiſcopi, Duces & reliqui Principes, milites primi, milites gregarii, quia ingenui omnes, ſi alicujus momenti ſint, regibus fidem faciant. Huic tamen ſincerius & libentius jurando omnes ſubjiciebantur; ſimiliter in diſpoſitione Curiali, quem Rex MAJOREM *domus ſtatueret, quos Cubicularios magiſtros, quos Inferiores, & Pincernas & reliquos Officiarios ordinaret, diu non eſt ſuperſedendum, cum illud breviter dicere poſſim, quod nullius anteceſſoris ſui miniſteria aptius & honorificentius proviſa memini vel legi.*

§. XI.

Poſtea vero inſtitutum eſt, ut ex ipſis Principibus, & Statibus Regni Germanici *certi officiales* conſtituerentur, & dignitates Aulicæ hæ ipſis Archiepiſcopatibus, & Principatibus adhærerent *perpetuo.* Vnde non tantum tres

Archicancellariatus ſuis Archiepiſcopatib9 firmati, ſed etiam duo Palatinatus & Vicariatus Imperii, nempe Palatinatus, ad Rhenum, cui & Dapiferatus adhæſit, & Vicariatus Saxoniæ cum Archi-Mareſchallatus, inde Pincernatus Boëmiæ, atque Camerarii dignitas Marchiæ Brandenburgicæ connexa fuit. Sed etſi hi primarii erant ſtatus, propter prærogativam officiorum Imperialium, non tamen ſtatim omnes hi ad id deputati videntur, ut ex iis, quos communiter ordines elegiſſent, ipſi Imperatorem conſtituerent, ſed *Archicancellarii, & Vicarii Imperii* eam videntur obtinuiſſe prærogativam, ut apparet ex Philippi Suevi electionis hiſtoria A. 1198. Succeſſu tamē temporis, & *cæteri officiales Imperii* tanquam primarii ſtatus aſciti, atque inter eos *Bohemus*, ſub conditione tamen laudata, per Conſtitutionem Ottonis IV. A. C. 1208. quam refert *Goldaſtus*, & laudat *Calviſius ad A. C. 908. & 1208.* Eam Bapt. Egnatius ad Ottonem III. retulit, ſed nullo certo argumento ait Goldaſtus. Eſt autem hæc: *Imperatorum nullus hereditariam dignitatem vindicato. Principes ſex, ſacri ordinis tres, Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis; profani totidem, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ & Marchio Brandeburgenſis eum deligunto. Hi ſi diſcordes fuerint, Boëmiæ Regem cooptanto. Factum decretum in Franckenfurt cum conſenſu Principum, in præſentia Legatorum ſummi Pontificis, Hugolini & Leonis.* Atque hinc contigit, ut primarii Electores numero *ſeptem* facti fuerint. quia totidem primarii officiales Imperii. Quare nec rationi contrarium, ut, ſi plures officiales conſtituerentur, plures etiam Electores fierent, quod & per Pacificationem Osnabrugenſem contigit.

Sublimit.

Numerus VII. Elector.

§. XII.

Hactenus autem hi electores erant *primarii*, non *Coëlectores* ſoli. Adhuc enim, & *cæteri ſtatus* jus ſuffragii habebant. In Electione *Wilhelmi* Comitis Hollandiæ A. 1248. fuerunt poſt Petrum Caputii Cardinalem Legatumque Sedis Rom. Rex Boemiæ cum filiis ſuis, Arnoldus de Iſenborch, Archiepiſcopus Trevirenſis, Conradus de Hoyſtaden Archiepiſcopus Colonienſis. Gerardus Archiepiſcopus Moguntinus, Henricus de Geldria electus Leodienſis, Otto de Hollandia Epiſcopus Trajectenſis, cum novem aliis Archiepiſcopis & Epiſcopis, Marchio Brandegurgenſis cum pluribus Ducibus & Marchionibus & Vaſallis Imperii, *referente Chronico Belgico*. Cæterum in coranatione ejusdem Aquisgranenſi hos miniſtraſſe officiales idem recenſet: universa multitudo Prælatorum, & Principum „ deduxit electum Regem ad Baſilicam perpetuæ virgi- „ nis Mariæ, ut ſolennem Benedictionem reciperet; ſe- „ cundum ritum antiquæ conſuetudinis; quem Monaſte- „ rienſis & Mindenſis Epiſcopi ſimul ornaverunt infra Sa- „ crarium. Sed eundem Leodienſis & Trajectenſis Epi- „ ſcopi veſtitum ornamentis Leviticis in modum Diaconi „ produxerunt ante regale ſolium: quem tunc Coloni- „ enſis Archiepiſcopus Cancellarius Italiæ collocavit in „ Sede Majeſtatis, ita dicens: *Conſecrare te dignetur omni-* „ *potens Deus in Regem Romanorum, qui David per manum* „ *Samuelis Proph. Regem inungi juſſit ſuper populum Hebræo-* „ *rum.* Archiepiſcopus vero Trevirenſis Cancellari- „ us Galliæ manus illi ſuperimpoſuit ita dicens: „ *deſcendat in te Spiritus ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ, pietatis, fortitudinis, & conſilii repleariſque Spiritu timoris Domini.* Tum Marchio Brandeburgenſis Camerarius an- „ nulum

p. 245.

illius meminit, ut eos cum totius Alemaniæ Principibus nobilibusque vivis vocibus concorditer elegiſſe, referat, A. C. 1308. Idem auctor *lib. 3. c. VIII.* de electione Caroli IV. & depoſitione Ludovici Bavari ait: Principes Electo-„ res videlicet Dominus Baldevvinus Treverenſis, Walra-„ mus de Juliacho Colonienſis, Gerlachus de Naſſavya„ Moguntinenſis, Dux Saxoniæ, & Johannes Rex Bohemiæ,„ aliis vocandis vocatis, non tamen comparentibus, dictas„ depoſitiones ratificantibus, auditis procerum regni ſen-„ tentiis in Renſe diffinientibus quod prædictis ſic ſe ha-„ bentibus, eos ad electionem Regis fore proceſſuros. Qui„ unanimiter vota ſua in Dominum Karolum Johannis„ Regis Bohemiæ primogenitum direxerunt, & invocato„ Spiritus S. adjutorio in Romanorum Regem anno præ„ dicto (1346.) tertia poſt Kiliani XI. die Julii concorditer„ elegerunt.„ Diſſentit Gevvold. *lib. de Septemvir. C. V. p. 713.*

§. XIV.

Idem liquet ex Codice Juris Suevici *cap. CLV. ibi:* *J. Suev.* Sie ſüllent dar gepieten zu dem Geſprech ihren geſellen die mit ihnen da welent/ und den andern Fürſten/ als viel/ als ſie ihr gehaben mügent. Et Jus Saxon. *l. 3. c. 5.* *J. Sax.* *Prater iſtos* (VII. viros) *ſuccedit etiam electio omnium Principum Imperii tam Clericorum, quam Laicorum, non quod (ſicuti) prædicti ſecundum eorum placitum eligere debeant: ſed quem omnes illuſtres eligunt, eundem præ ceteris in Regem nominabant.* Codex MS. meus Germanicus ita legit: Sint (i. e. poſt ſeptem primarios antea relatos) kieſzen des Reichsfürſten alle Pfaffen und Leyen/ die aber zu denen erſten an der Kor genant ſint/ die ſollen nicht kieſzen nach ihren motwillen/wenn (Ambraſ. Cod. denne)

 wen

wen die Fürſten alle erwehlen zu Könige/ den ſollen ſie allererſt bey nahmen kieſſen. Senſus videlicet eſt, ut prius Principes communiter unum unanimiter vel & alterum eligere debeant, ex quibus deinde *Septemviri* certum denominent, & renuncient.

§. XV.

3.Lim. Denique contigit, ut cæteri ſtatus, aut per negligentiam, aut aliis de cauſis impediti raro comparerent in Comitiis Electoriis: hinc factum, ut pedetentim ſoli Septemviri eligerent Imperatorem, reliquis Principibus juri ſuo tacite renunciantibus & illam electionem ratam habentibus. L. Maimburgius *lib. 2. de la decad. de l'Empir. p. 105.* mavult, poſt Fridericum II. communi Principum conſenſu delatum fuiſſe unicè jus eligendi Imperatorem Septem majoribus Officialibus Imperii. Sed adverſantur, opinor ea quæ modò de Electione Comitis Hollandiæ & Caroli IV. allata. Magis itaque eſt, ut tempore demum Caroli IV. ſolis VII viris per A. B. jus eligendi conceſſum fuerit conſenſu ordinum, qvum jamtum antea pauciores ſolerent electioni accedere. *Conf. Viquefort. de Elect. c. VI.* Quod jus Electorale, poſtmodum omnium conſenſu per *Auream Bullam* Caroli IV. fuit confirmatum.

§. XVI.

Concluſ. de orig. Elect. Ex quibus omnibus patet, neque ad Gregorium V. ut vulgus exiſtimavit, neque ad Gregorium X. ut Aventinus, & Onuphr. Panvinius voluit, neque ad Innocentium IV. ut putavit Baronius, ſed imò ad neminem Paparum referendum eſſe ſive Jus eligendi, ejusque conceſſionem ſive determinationem numeri eligentium. Cum enim jus eligendi ordines Germaniæ proprio jure obtinuerint, ſequi-

ſequitur, neminem extraneum Jus habuiſſe, numerum eligentium reducendi ad pauciores quàm quot ſunt ordines. Neque veritas hiſtorica aliud docet. Etſi enim Baronius *Acta Concilii Lugdunenſis A. C. 1245.* ab Innocentio IV. coacti auctore Matthæo de Pariſiis allegat, & exinde demonſtrare conatur à Pontifice Rom. ibi definitum numerum ſeptenarium pariter ac ipſos Electores, nempe: *Laicos, Ducem Auſtriæ; Bavariæ, Saxonum, & Brabantiæ, qui & Lovaniæ. Prælatos: Archiepiſcopum Colonienſem, Moguntinum, & Salsburgenſem. Iſti ducentur in Inſulam quandam Rheni,* ſunt verba Pontificis *& dimittentur ſoli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de Electione Imperatoris. Nec adveniat aliquis ad eos, donec ſint concordes. Huic negotio præerit Archiepiſcopus Colonienſis, ſecundus Moguntinus, tertius Salisburgenſis.* *Obj. Baronii.*

§. XVII.

Veruntamen non id probavit Baronius, quod intendit, ſed illud tantum, Papam in iſto contra Imp. Fridericum II. & Libertatem Germaniæ Sacram & Civilem coacto concilio, conſtituiſſe certos & quidem ſeptem Principes Germaniæ, cauſæ ſuæ adverſus Imperatorem faventes, qui alium Imperatorem tum eligere deberent. Et hoc largimur. Sed quemadmodum iſtud *attentatum* nullo jure fundatum, ita nec unquam ab Imperio Germanico fuit admiſſum, agnitumve, ut jus faceret, in poſterum præſertim. Contra vero luculentior teſtis, & fide dignior eſt *Martinus Polonus*, qui eodem tempore ſcripſit, nempe jam tum, & mox poſt Ottonum Impp. exceſſum, non vero ſuo ſcribentis demum tempore, ut opinatur Baronius, *inſtitutum fuiſſe*, ut præcipue, & ut Abbas Sta- *Reſp.*

denſis loquitur *ex prætaxatione, & conſenſu Principum* omnium, de quo ſupra diximus *per officiales Imperii Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem,* inquit Polonus, *videlicet primi tres Cancellarii, Moguntinus Germaniæ; Treverenſis Galliæ, Colonienſis Italiæ, Marchio Brandeburgenſis Camerarius eſt, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ enſem portat, Rex Boemus Pincernam agit.* Atque hoc inſtitutum, prout à Polono refertur verum eſſe, & adhuc inde usque obſervari, res ipſa docet: igitur quod Innocentius IV. egit, abrogando officialibus Imperii primarium eligendi jus, & ſufficiendo illis alios eodem numero, etiam non officiales Imperii, & favitores ſuæ cauſæ, attentatum fuit Pontificium, & jure ipſo nullum neque unquam à Germanis receptum, innixis jure & libertate ſua, ut ſuo loco videbimus. *Conf. M. A. de Dom. l. VI. de republ. Eccl. c. XI. L. Maimburg. lib. 2. de la decad. de l' Empir. pag. 112. ſeq.*

§. XVIII.

Dux Bavariæ jam tū inter officiales & Electores.

Plane ex hoc ipſo attentato Pontificio *Dux Bavariæ* occaſionem arripuiſſe videtur jus eligendi inter officiales Imperii prætendere, & imo ipſum *Pincernatum Regis* Boemiæ; quippe à quo jus eligendi omnino & non à conceſſione Papæ dependebat. Certum enim eſt, jam tum ante Innocentium IV. *Regem Boemiæ* habuiſſe Jus Pincernatus, & inter Electores quoque fuiſſe relatos, *teſte Polono; & Albertus Abbas Stadenſis* inter officiales Imperii electores quoque refert *Regem Boemiæ, qui Pincerna eſt,* inquit, ſed quod addit: *Non eligit, quia non eſt Teutonicus:* id eodem tempore etiam tradidit αὐτόπτης ſcriptor Chronici Sclavorum & *Speculum Saxonicum l. III. art. LVII.* *Boemiæ Rex Pincerna eſt, qui non eligit, quia noſtra non eſt*

Spec. Sax. 3.57.

natio-

nationis. MS. meum: der Schenke des Richs der König von Behmen / der en hat keine Kör/umb das das er nicht düütſch iſt. Natio ſcilicet ipſa videtur reſpici, magis quam perſona & natales Regis, qui quandoque fuit ſuæ nationis h. e. Slavonicæ, quandoque Germanicæ. Atque ita ſcilicet vulgo tum perſuaſum fuit, occaſione attentati Pontificii, & Ducis Bavariæ inde ut videtur, arreptæ prætenſionis, indeque etiam eſſe puto, quod *Hoſtienſis*, ut ſupra jam retuli, regem Bohemiæ *de facto* eligere dixit. Quanquam P. Lambecius *lib. 2. Bibl. Cæſar. 6. 8. p. 825.* de perſona Regis tempore illo Friderici II. viventis Ottogari intelligere mavult.

§. XIX.

Hinc porro eo rem perduxit Bavarus adverſus Bohemum, ut non tantum in Electione *Richardi* Regis Rom. ſed & in *Rudolphi I. Imp.* electione, contradictione procuratoris Regis Bohemiæ à Principibus Electoribus reliquis non admiſſa, Bavari ratione Ducalis Bavariæ in numero ſeptem Principum Electorum Francofurti fuerint computati, atque poſtea in Comitiis Auguſtanis à Rudolpho Imp. hæc Bavarorum *quaſi poſſio Juris eligendi Romanum Regem*, in præſentia nunciorum Regis Bohemiæ Ottogari, vivæ vocis eloquio fuit recognita & confirmata, prout patet *ex Decreto* deſuperdato *A. C. 1275.* quod exhibet *Gewoldus de S. R. J. Septemviratu Cap. X. p. m. 756. & in Antithesi ad Marq. Freher. n. 27. p. m. 439.*

Poſſeſſ. Bavari.

Decret. Rudolphi. I.

§. XX.

Ex quo patet, qui factum, quod in Codice Juris Alemannici, *ſeu Speculo Suevico* loco *Regis Bohemiæ* legitur *Dux Bavariæ* inter ſeptem Electores. Sic enim habet Codex meus MSS. Landrecht. c. 155. der vierd an der Wal/

Jus Suev.

daß iſt der Herzog von Payern / der iſt des Reichs Schenke ꝛc. und ſoll dem König den erſten Pecher tragen: die vier ſullent alle deutſche Man ſein/von Vatter und von Mutter/oder von aint wedern. Et in Lehnrecht c. IIX. Wenn aber die deutſchen ain König erwelent / und ſo der gen Rom vert / das er da geweihet werd/ die Fürſten ſeint ſchuldig mit Jm zu varen/die Jn da erwehlet haben zu König (daß iſt) der Piſchoff von Mainz: der von Trier/der von Cöln/der Pfalzgrave von Reinn. der Hertzog von Sachſen/der Margraff von Brandenburg / und der Herzog von Payern. Idemque legitur in MSS. Ambraſiano *vetuſtiſſimo Pergameno*. Quanquam in altero *chartaceo* MSS. Vindobonenſi eoque recentiori, ſcilicet A. 1462. deſcripto in *P. I. de Jure Provinciali* nomen ſuppreſſum eſt: der vierte iſt des Reichs Schenke/ der ſoll dem Künige ſein becher tragen. Et in *P. 2. de Jure Feudali* Septimus Elector plane omittitur, ut abſint verba : und der Herzog von Bayern. quod itidem in Jure *Feudali Saxon. c. 4.* obſerves. Itaque non convenit cum MSS. noſtris & Goldaſti, editio Meichsneri *fol. VII. b.* ubi pro Bavaro Bohemus legitur, & *fol. 90. b.* ubi Bavarus quidem recte exprimitur, ſed & adjicitur Rex Bohemiæ, ut ita octo jamtum fierent Electores. Atque & hinc apparet, non de *Archidapiferatu*, qui nihil ad Bohemum, ſed de *Archipincernatu* & ei adhærente jure eligendi fuiſſe litem, contra quam putavit Goldaſtus *de Regn. Bohem. l. 3. c. 7, 2.* & Nicolaus Burgundus *de Electoratu Bavariæ.*

§. XXI.

Bohemi jus in Petitorio.

Plane etſi hæc ita tum fuerunt acta, & de quaſi poſſeſſione decretum ab Imp. datum Bavaris, tamen poſtea in

in Curia Erffurtenſi A. C. 1290. in petitorio adjudicavit idem Imp. Rudolphus Regi Bohemiæ *Pincernatum* una cum *jure Electionis* inter Septemviros, cum Clauſula *illi, & non alii, pure & pleniſſime competere, & ſi quid poſſit opponi, ſe ſupplere de plenitudine Regia poteſtatis.* Exhibet Diploma Marq. Freher. *Tom. I. Rer. Bohem. p. 115.* & Goldaſt. *Tom. 2. Conſt. Imp.* Idem confirmavit poſtea Rupertus Comes Palat. & Vicarius Imperii A. C. 1356. eodem *Goldaſto* referente, & Carolus IV. A. C. 1348.

§. XXII.

Jus deponendi Imp. Papæ nullũ.

Quemadmodum vero nullum jus eligendi Regem Germaniæ & conſequenter Regem Germanorum, & Imperatorem, *Romanæ Sedi* concedi poteſt, ita multo minus *jus abrogandi electo Imperium* ſemel quæſitum, qvum antea fuerit demonſtratum, illam à Jurisdictione & Imperio univerſali ſummæ Poteſtatis in republ. Rom. Germanica non fuiſſe exemtam, multo minus ſuperiorem: Eamque nec per Jurisdictionem Spiritualem, & vero Clavis ligantis uſu poſſe ſolvere obligationem inter Imperantes & ſubditos. Igitur nulla Juris via jus illud ei competit, & quidquid hic ab uno vel altero actum geſtum, fuerunt attentata Hierotyrannica, & ipſo jure nulla, nec à republ. Romano Germanica pro validis habita, ſed iis re & verbis perpetuo contradictum hactenus. Quid ſequentium ſeculorum calamitas tulerit, ſuo loco conſiderabimus.

§. XXIII.

Status Imp. an jus habeant deponere Imperatorem. R. dub. aff.

Illud adhuc oblata hac occaſione annectemus, an *Status* ſaltem Imperii *jus habeant abrogandi Imperatori Imperium, & conſequenter cum iis Pontifex Rom.* qui in novo electo conſecrando concurrit. Et profecto libertas

ac

Libertas ſtatuum. à ſumma Reip. poteſtate eſt tuenda.

ac Jura Statuum magna ſunt, hodiernâ præſertim facie Imperii, ita ut *ſumma Reipubl. Germanicæ poteſtas* penes Imperatorem & Comitia ſit. Enimvero jus ac poteſtas Comitiorum eſt ſumma, plena & independens reipubl. poteſtas, conſtans ex duabus partibus, Poteſtate Imperatoris, tanquam Capitis, & libertate ordinum, ut corporis: continens porro poteſtatem LLatoriam, conſtituendi magiſtratus, & *jus cognoſcendi, ac ſtatuendi de capitis & membrorum ſingulorum actibus*, ſtatum publicum attinentibus. Hæc ſtatuum libertas uti antiquiſſima eſt, & *regnum Ariſtocratiâ temperavit*, ita fas eſt, ut ſumma Comitiorum poteſtas eandem tueatur, ne Principatus Imperatoris in tyrannidem aut Respubl. in Anarchiam, ſocordiâ gubernantium mutetur.

§. XXIV.

Continet Jus contradicendi & reſiſtendi Jus belli defenſivi, victoria.

Porro iſthæc tuitio continet jus ac poteſtatem, ut *Status Jure* Imperatorem admonere, & ſine nota rebellionis, *contradicere poſſint* Leges fundamentales transgredienti, cogenti vero etiam *reſiſtere, armis defenſive* oppoſitis. Denique ſi ad bellum civile perventum, juſtitia ex parte Statuum victoriam promittere: *Victoria* Jus coercitionem ſuppeditare, quæ vel transactione, vel ſententia in victum, ejusque executione fieri poſſe videtur. Hoc jure uſi ſunt Romani veteres, qvum Imperium Rom. Monarchia mera eſſet; ex pluribus eminet exemplum *de Didio Juliano Imp.* Aelius Spartianus: *Actum eſt denique, ut Juliano Senatus auctoritate abrogaretur Imperium & abrogatum eſt appellatusque ſtatim Severus Imp. quum fingeretur, quod veneno ſe abſumſiſſet Julianus: miſſi tamen à Senatu, quorum cura per militem gregarium in Palatio idem Julianus occiſus eſt.*

Auctoritas rei judic. ap. Romanos.

§. XXV.

§. XXV.

Idem jus in veteri Francorum Regno & Imperio viguiſſe conſtat. Ita Hildericus Rex ab Regno remotus Pipino ſuffecto. Ludovico I. imperium abrogatum, & reſtitutum. Carolo Craſſo ademtum. Atque hactenus etſi Jure ac Libertate Statuum gauderent Epiſcopi, Abbates, Duces, atque Comites, inveſtiti quoque de ſubjectis ſibi Provinciis, tamen *Jus hoc Statuum* adhuc magis videri poterat *Senatorium*, necdum particeps ipſius ſummæ poteſtatis, neque inveſtitura ad hæredes, ſed vix ad dies vitæ durabat. Et tamen *Jus contradicendi & reſiſtendi* habuerunt, ipſisque hoc confirmatum fuit in prima regni Germanici fundatione, & fraterna diviſione Ludovici Regis German. & Caroli Calvi R. Franciæ Confluentiæ A. C. 860. celebrata, quæ ob id *pax Confluentana* dicta, ut ſuperius viſum. quo ipſo promiſit quilibet Rex ſuis fidelibus libertatem ſalvam fore, vel ut eorum ſunt verba, *ut unusquisque eorum in ſuo ordine & ſtatu veraciter ſint ſecuri de Rege ejusve* inſtitutis. Deinde promiſit Rex *communi ſtatuum conſilio aſſenſum præbere*, ne alioquin *contradicentes & reſiſtentes* ſint regi ordines, ſed potius *adjutores & cooperatores*.

ap. Francos.

Germanorũ

Pax Confluentana.

§. XXVI.

Hæc Confluentana Capitulatio poſteris exemplo fuit. Vnde nec eſt, quod de *Jodoco* electo R. Romanorum A. 1410. à Goldaſto, Calviſio aliisque refertur, in dubium vocetur, qvum ibi nihil novi ſancitum, nihilque quod Juri Naturæ & Gentium adverſaretur. Etenim non omnem *ſeceſſionem* corporis à capite, ſtatuum à Rege eſſe injuſtam aut rebellionem jam tum antea fuit monitum.

Capitulationũ fons.

§. XXVII.

Jus ſtatu- um & forma Imperii hod.

Quod ſi igitur in Regno puro, reſtricto licet ad leges fundamentales, & libertatem ordinum, libertas hæc jus reſiſtendi, & recedendi continet, quanto magis in præſenti Reipubl. German. forma, poſtquam cum Imperio, imprimis Saxonum, Status Regni non *Jure Senatorio, ſed Territoriali*, & ſummæ Poteſtatis participe gaudere cœperunt, ut jam non *conſilium, ſed conſenſum requirant* ordinum Imp. Eo fortius jure ſuo uſi ſunt ordines adverſus Adolphum, Henricum IV. Wenceslaum Impp. Neque objici poſſe videtur; illegaliter fuiſſe judicium habitum, quod frater Wenceslai, Sigismundus Rex Hungariæ conqueſtus: *non vocatum, non convictum, & ſine cauſa cognitione fuiſſe Imperio privatum.* Haud de procedendi ordine & modo quæſtio videtur, ſed de Jure, quod toties exercitum, ſaltim vindicias addicit ſtatibus. Statibus, inquam h. e. toti corpori, à capite recedenti ex juſta cauſa, *non uni collegio* ſtatuum; etſi enim electio certis perſonis à toto corpore eſt commiſſa; iſtud tamen jus minime eſt extendendum ad alia, & contraria Jura, qvum in his interpretatio nonniſi ſtricte locum inveniat.

modus procedendi illegalis non tollit Jus procedendi.

Jus Elector.

§. XXIIX.

Ratio Decis Neg.

Cauſa proxima Juris abrogandi Imperii.

non eſt jus reſiſtendi.

Verum enim vero etſi hæc ita ſint, & negari non poſſit, ſummum ac proprium ſcopum Reipubl. Germanicæ eſſe libertatem ordinum, eamque tueri, & Imperatorem per Capitulationem teneri, & huic legibus publicis contravenienti poſſe contradici, & reſiſti, & reſtitum quoque ſæpius fuiſſe, ita ut imperium quoque ipſum Imperatori quandoque abrogatum videatur: Jus tamen ipſum Imperatori imperium abrogandi ex libertate ordinum & jure iſto contradicendi, ac reſiſtendi, ipſoque jure belli defen-

ſivo,

ſivo, vel ipſo jure victoriæ, Statibus de jure non addicitur. Ratio hujus rei non eſt obſcura, quoniam *jus abrogandi conſiſtit in jure ſolvendi obligationem*, qua tenentur Status Imperii omnes & ſinguli Imperatori ad fidem & obedientiam ſubjectionis & homagii præſtiti. At jus hoc ſemel ab hac obligatione liberandi non eſt in facultate *obligatorum* ſtatuum, ſine expreſſo conſenſu cui obligantur. Multo minus *tacite reſervare* ſibi poteſt populus, aut qui eum repræſentant, jus diſſolvendi obligationem qua tenentur. Id enim abſurdum eſt omni in Jure & contra ſanam rationem. Verum poteſtas reſcindendi & diſſolvendi obligationem inter Imperantem & parentes, vel utriusque conſenſu, vel ſi invito imperante, à *ſuperiori* aliqua poteſtate debet proficiſci. Ea autem in Republ. independente non poteſt fingi alia, quam *lex publica*, & fundamentalis, qua id ſancitum eſt, ut quoties Imperator ſive Rex promiſſioni ſuæ de libertate ordinum tuenda contravenerit, obligatio, qua ex homagio ordines Regi *tenentur cæteroquin parere, ſit tota* vel *ipſo jure ſoluta*, aut ſolvenda per certos arbitros, ſive *judices*.

ſed ſolvendi homagii.

id quod nō penes obligatum ſed ſuperiorem h. e. Legem vel Judicē.

§. XXIX

Penetravit hanc rationem πολιτικώτατος ſui Seculi Marſilius Patavinus *in Defenſ. P. 1. c. XVIII*, quo tractat de Principis correctione & propter quam cauſam, quomodo & à quibus legem transgrediens debeat coerceri. Ait is, qvum Princeps homo ſit affectibus malis obnoxius, & propterea menſurabilis ab aliquo habente auctoritatem menſurandi, ſeu regulandi ſecundum legem ipſum, aut ejus actiones legem transgreſſas: Id fieri oportere per Legislatorem, vel per aliquem, vel aliquos LLatoris auctoritate ad hoc ipſum ſtatutos. Porro etſi Lex in noſtro

Marſil. Patav.

Imperio extat, ſecundum quam ſumma Comitiorum poteſtas παρεκβάσεις Principum poteſt corrigere, illa tamen præter Jus hoc corrigendi, & pertinaci reſiſtendi, nullum tribuit Jus liberandi ab obligatione omni præſtitæ fidei & obedientiæ in cæteris actibus, quos Jure ſuo Imperator exercet, & in quibus obedientiam & ſubjectionem ex ſimul data fide ordines præſtare tenentur Jure divino & humano.

§.XXX.

Legitimi modi reſiſtendi.

Quod ſi ordines ex Jure reſiſtendi ad bellum defenſivum neceſſitantur, & jure victoriæ contumacem victum coercere poſſunt, id tamen omne, Jus Divinum & Conſcientiæ vult intelligi, *ſalva fide præſtita*, & inde *dependente obligatione* hactenus ſalva & integra. Igitur nova & arctiori Capitulatione res decidi poteſt. Poterit quoque adminiſtratione Imperii ſuſpenſa vel imminuta, aut *conſorte Imperii dato.* Agnoſcit hoc *gloſſator Gratiani* in cauſa Hilderici Regis, & Pipini, *in c. alius. q. 6. c. 15.* dicens, ſi Rex propter inſufficientiam ingenii & naturæ ſtuporem arguatur, tunc non deberi ipſum Jure Regni privari, ſed *Coadjutorem* dari. Et quamvis jus hoc abrogandi imperium ſtatus ſibi vindicaverint nonnunquam, vix tamen omnes, & ſi omnes, juris tamen fundamentum atque titulus defecit, ut *nomine*, *haud re* jus eſſe appareat.

§.XXXI.

Sententia ſtatuum Galliæ.

Jure igitur meliori Epiſcopi Gallicani Caroli Regis, Ludovico Regi Germaniæ fratri invadenti Galliam, A. C. 858. contradixerunt, & fidem ſemel datam interriti armis ſervarunt Regi, inter alia hæc Ludovico ſcribentes: *Legite libros Regum & invenietis, quanta reverentia reproba-*

tum

tum & abjectum à Domino Saul ducere dignum duxit Sanctus Samuel, cujus locum in Eccleſia nos licet indigni tenemus, & attendite quam magnipendat Sanctus David, in locum illius electus & unctus à Domino mittere manum in Chriſtum Domini, cum Saul non ſolum ex alia progenie, ſed ex alia tribu eſſet, & illum ejectum, & ſelectum à Domino cognoſcebat, & nihil infirmitatis Sauli David fecerat, ſed primum adjutorium & devotam ſervitutem ei impendebat, & neque bello auferre, neque ingenti dolo illi regnum ſubripere attentavit. Et cum multos ad hoc ſuaſores & conſiliarios habuiſſet, nulli aurem ut hoc moliretur, accommodavit, quamvis multas perſecutiones, & morti proximas ab eo ſæpiſſimè ſuſtinuerit. Inſuper bene ſcitis, quid de illo juſſerit, qui licet mendaciter, pro illius tamen gratia acquirenda, ſe manum miſiſſe in Chriſtum, id eſt unctum Domini, nunciavit. Nam ſi eſt aliquis, qui hæc ignorat, nos ei dicimus, quia gladio eum interfici juſſit. Sic & qui infideliter & contumaciter in unctum qualemcunque Domini, manum mittit, Dominum Chriſtorum Chriſtum contemnit, & in anima procul dubio ſpiritalis gladii animadverſione perit.

§ XXXII.

Status *Saxoniæ* ab Henrico IV. Imp. oppreſſi, etſi de dando ſucceſſore in Imperio conſilia cum cæteris ordinibus agitata & fere confecta, tamen cohibuerunt, *ac in longum protracta deliberatione*, ut refert Lamb. Schaffnab. ad A. C. 1074. *ad ultimum hoc pacto recuperandæ paci conſenſerunt, ut ſi quando Rex acceptæ læſionis memor ſententiam revocare, aut aliquod eorum, quæ modo ſuprema neceſſitate compulſus ſtatuiſſet, in irritum ducere conaretur, omnes eodem, quo nunc Sacramento obſtricti arma repeterent, injuriæ obviam irent, & tanquam evidentis perjurii* *Henrici IV. pactum perſonale.*

 reum

reum cunctis regni Principibus ſuffragium ferentibus, de regno proturbarent. Sed uti hoc pactum tantum erat *perſonale*, & ob malos mores Henrici jure belli ipſi præſcriptum; ita mox eâdem viâ ab Henrico reſcindi tentatum, ac reſciſſum jure victoriæ fuit. Atque notanda ſunt verba Legatorum Imperatoris ad Saxones referente Lamberto ad A. C. 1075. *Se cauſam, qua primum adverſus Regem arma ſumſerint, non admodum improbare* (defenſionis neceſſariæ cauſa) *nec placere ſibi obſtinatum ad perniciem eorum Regis animum & pertinax odium conſenſiſſe: tamen in hoc omnes Regni Principes, de uſurpato in Republ. novo hoc & multis retro ſeculis inaudito facinore*, (Regem armis offendendi, & tales pacis conditiones præſcribendi, nec ordinum Imperii arbitrium admittendi) *non aliter Regi vel Reipubl. poſſe ſatisfieri, quam ut ſe absque ulla exceptione, dedant: ſibi autem, quorum hoc conſilio agant, cura futurum, ut nihil ex hac deditione, quod ſaluti eorum, quod honori, quod rei familiari officiat.*

§. XXXIII.

Jodoci Regis Conſtitutio.

Quod denique de Jodoci Regis Rom. conſtitutione de A. C. 1410. refertur, iſtius fragmentum hoc profert Goldaſtus:

JODOCI MORAVI Imperatoris Auguſti Sanctio De Reſiſtendo Reg^æ M^ti ſi contra ordinationes Imperii fecerit.

Similis prorſus ſanctio eſt in decreto

„ Quod ſi Nos ipſi (quod abſit) aut quispiam ſucceſ-
„ ſorum noſtrorum, Romanorum Regum vel Impera-
„ torum (quod non ſperamus) proceſſu temporis aliquo,
huic

huic noſtræ Statutioni & ordinationi contravenire vo- „ luerit, aut eam retractare, aut aliquo quovis modo vio- „ lare præſumſerit, præſentium authoritate literarum, „ quas mera noſtra authoritate, & poteſtatis plenitudine „ Regiæ, ex certa noſtra Majeſtatis ſcientia, nec non cum „ conſenſu & beneplacito præfatorum Sacri Romani Im- „ perii Principum Electorum, in robur perpetuæ firmita- „ tis ſancivimus, ex tunc tam ipſi Electores, quam ceteri „ Principes, Eccleſiaſtici & ſeculares, Prælati, Comites, „ Barones, Nobiles ac Communitates ſacri noſtri Imperii, „ univerſi & ſinguli, præſentes ac futuri, licitã habeant ſine „ * rebellionis aut infidelitatis crimine, reſiſtendi & con- „ tradicendi Nobis & noſtris Succeſſoribus, Romanorum „ Regibus vel Imperatoribus, in perpetuum libertatem. „ Datum in Frankenfurt &c. Anno Domini MCCCCX. Anno „ vero Regni primo. Sed Jodocus ille, Moraviæ Marchio à Moguntino & Colonienſi Archiepiſcopo ad invidiam Sigismundi à cæteris Electoribus electi, vix electus, defunctus fuit. Ex quo de validitate iſtius ſive Conſtitutionis ſive Capitulationis facile judicari poterit. Obſtitit quippe electioni ejusmodi, & quæcunque ab ea dependerunt A. B. Caroli IV. isque qui à majori parte electus erat, ſine dubio legitimus Imperator habendus fuit.

Andrea Regis Hungariæ facto in Comitiis Regni, anno 1222.

** An hoc additum propter depoſitionem Wenceslai Cæſaris, cui Jodoc9 iſte patruus fuit?*

Sozo-

Sozomenus lib. VI. Hiſt. Eccl. cap. VI.

Cum Jovinianum mori contigiſſet, exercitu Romano & iis, qui præcipuas dignitates gerebant conſilium ineuntibus, omnium ſuffragio Valentinianus eligitur Imperator. Qui cum inſignia imperii ſuſcepiſſet, vóciferantibus militibus ut alterum ſibi Imperii conſortem adjungeret: Veſtri quidem, inquit, arbitrii fuit, Commilitones, ut me Imperatorem veſtrum eligeretis: ſed poſtea quam elegiſtis, id quod petitis, mei arbitrii eſt, non veſtri. Et vos quidem tanquam ſubditos quieſcere decet: me verò utpote Imperatorem quid agendum ſit ſpectare. Hujusmodi reſponſo dato, tum quidem militibus minimè obtemperavit; pauló pôſt tamen Conſtantinopolim ingreſſus, fratrem Imperatorem renunciavit.

CAPVT IX.
De
IMPERIO HENRICI SANCTI.

SVMMARIA.

Henricus II. Imp. re prius, quàm nomine aut coronatione Rom. Jus conciliorum exercitum. Inſtitutio Epiſcopatus Bambergenſis. Coërcitio Epiſcopi Metenſis. Reſtitutio Epiſcopatus Mersburgenſis. Conſenſus S. R. in conſtituendis Epiſcopatibus. Electores vaſalli Eccleſiæ Bambergenſis quatenus. Polithbires locus ubi ſitus. Inſignia Imperii certæ figuræ reddita. Nummi veteres. Decretum de Pontificia approbatione Imperatoris electi. Fidelitas de Imperatore quomodo dicatur. 2. F. 100. explicatur. item cap. un. de jureiur. in Clement. Corpus Juris Canonici purgandum. Superioritas Imperatoris in V. & S. R. Henrici privilegium: Reſervata Imperatoris in Patrimonium Petri. Imperator ordinat Miſſam Romæ. Infallibilitas nondum credita videtur. Mors Benedicti & apparitio. Felicitas Eccl. Germ. Comitia Alſtetenſia.

§. I.

ID quod provide Otto III. Imp. repetito ſanxerat, *ne contravenirent Romani Electioni futuræ Germanorum, ſed ut eundem, quem hi elegiſſent regem Germanorum & Ro-* *Henr. II. Imp.*

 mano-

norum atque Imperatorem iſti ſimul agnoſcerent, & Pontifex conſecraret, quam primum Romam venerit; Illud non infeliciter poſt obitum Ottonis effectum ſuum eſt ſortitum. Hinc enim factum, ut quem elegerant poſtea Germani, is in omnem majeſtatem, & jura anteceſſorum ſuorum in Regno & imperio ſucceſſerit. Elegerunt vero Germani ex eadem Imperatoria familia Ottoniana HENRICVM II. hactenus Ducem Bavariæ, filium Henrici Hezelonis Ducis Saxon. Bavariæ, & Brabantiæ, nepotem Henrici Rixoſi Duc. Saxon. & Bavariæ, fratris Ottonis I. & ita pronepotem Henrici I. Aucupis & Ottonis III. ſobrinum cognomine *Claudum*, itemque *Sanctum*.

§. II.

re prius quam nomine.

Hic etſi *nomine Imperatoris* ante conſecrationem Romanam abſtinuit, *rem* ipſam tamen, Jus ac poteſtatem Imperatoriam, revera per electionem, ſecundum ConſtitutionemOttonianam &LegemRegiamGermanorum obtinuit atque exercuit. Id enim moris fuiſſe Impp. Germanicorum à Carolo Craſſo refert Onuphrius Panvinius *de Comit. Imp. c. V.* §. *16.* primos Impp. Francos nomen Imperatoris & Auguſti non à die ſuæ coronationis à Pontifice Rom. factæ aſſumſiſſe, ſed cum ex ſola hereditate nullo electionis jure ſibi ſucceſſiſſent eo potiſſimum die, quo à Patre appellati Impp. à quo etiam die Imperii annos numerari ſolitos nulla habita Pontificiæ creationis ratione: Carolum vero *Craſſum*, etſi poſt mortem Ludovici II. ſtatim Imperator appellatus, non tamen ipſum uſum titulo, quam à die unctionis & coronationis Pontificiæ, hunc ſucceſſores ſecutos eſſe: eumque morem non à Rom. Pontifice, ſed ab ipſis *potiſſimum Francis & Germanis Impp.* qui has ſibi ipſis leges (ex modeſtia) longo

tem-

temporis intervallo paulatim præſcripſiſſent, quo in eorum Imperiis aliqua diſtinctio eſſet, *ad eorum majeſtatem augendam:* Primam Germaniæ Principum *electionem* eſſe quæ *Imperatorem re ipſa faciat:* Pontificis vero inaugurationem, quæ eum Imperatorem rite renunciatum fuiſſe, imperioque dignum declaret, atque ei ſpecioſa *Imperatoris Auguſti* nomina indat. Hæc Onuphrius.

§. III.

Perperam igitur ex eo, quod nomine Imperatoris & Auguſti Henricus non fuit uſus colligitur, *vacaſſe Sedem Imperatoris* ab obitu Ottonis III. usque ad coronationem Romanam Henrici Imp. Namque & Henricus ſtatim poſt electionem jure ſuo, quod anteceſſores habuerunt, uſus fuit, & Pontifex ipſe Rom. Regem, & Advocatum, atque ordinatorem Sedis Pontificiæ Rom. agnovit. Imo magis videtur libertate ac jure ſuo uſus, quam anteceſſores. Synodum Tremonienſem egit Henricus II. de ſtatu Eccleſiæ reformando, Ditmar. l. VI. *Poſita eſt etiam in loco, qui Throtmunni* (Dortmunde) *dicitur, magna Synodus, ubi rex coepiſcopis, præſentibus cunctis, plurima queſtus eſt S. Eccleſiæ convenientia, & communi eorundem conſilio hæc ſtatuit deinceps prohiberi, & optimo novæ inſtitutionis decreto gravem peccatorum ſuimet ſarcinam relevari, Anno Dom. Incarn. M. V. Anno autem Dom. Henrici Secundi regnantis IV. in Die Non. Jul.*

Baron.

J. Concilii.

§. IV.

Jure inſtituendi Epiſcopos & novos Epiſcopatus ſine dubio gaudebant Impp. Sed qua ſollicitudine Otto I. Archiepiſcopatum Magdeburgenſem inſtituerit, ſuperioris ætatis annales referunt: At Henricus electus nec dum Romæ conſecratus, Imperator non adhibito con-

ſenſu Papæ, ſed cum auctoritate Synodi Germanicæ, nec attenta contradictione Epiſcopi Herbipolitani, Comitatum Babebergenſem in Epiſcopatum mutavit A. C. 1006. & quinquennio poſt absque interventu Pontificis Rom. prima *Bambergenſi* Synodo celebrata, *accito Patriarcha Aquileienſi* Johanne Dedicationem Eccleſiæ hujus celebravit; XLVI. Epiſcopis in id operis deſtinatis. *Chron. Wirziburg. ap. Baluz. l. 1. Miſcell. A. C. MXI.* In eadem Synodo coercitus fuit Theodoricus, Epiſcopus *Metenſis*, quod Henricum injuſte apud Papam accuſaſſet. *Vid. Ditmar. l. IV.* ubi etiam refert Epiſcopatum *Merſeburgenſem* à Giſelero Archiepiſcopo Magdeburg. diſtractum, ab Henrico II. Imp. reſtitutum, decreto deſuper regia poteſtate facto. Vnde apparet, non tam ex neceſſitate Ottonem I. adhibuiſſe conſenſum Pontificis Rom. in conſtituendo Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, quàm ex honeſtate, majorique ſolennitatis gratia, & maximè ob ſuperpoſitum Primatum *Vid. lib. 2. cap. VIII.* §. 1. 2. & lib. 3. c. VII. Quomodo tandem A. C. 1019. qvum Benedictus VIII. ſecundum in Germaniam veniret, oblatam ex munificentia Imperatoria illam ipſam Eccleſiam Bambergenſem viſitans eandem denuo conſecravit. Plane fatetur Henricus II. in Synodo Generali Franconfurdiana omnium Ciſalpinorum Antiſtitum, *ſibi non licere pallium Archiepiſcopale concedere* Eccleſiæ Wirzburgenſi, referente eodem *Ditmaro.* Scilicet jam proprium ſibi vindicaverat jus Pallii Pontifex Romanus, quod tamen ex conceſſione Impp. exercuiſſe eos ſupra demonſtravimus. Et quamvis veteres Impp. haud quaquam *privativè*, uti loquuntur, conceſſerant jus pallii Epiſcopo Romano, quia tamen Impp. Germani id nondum exercuerant, ideo non puta-

Epiſcop. Bamberg.

Epiſc. Metenſ. Merſeb.

Conſenſus S. R. in erig. Epiſc. non eſt neceſſitatis.

putabat Imperator Henricus commodum inpræſenti eſſe, eo jure uti velle. Ceterum Bamberga ditione Pontificia iterum exemta & libertati Germanicæ reſtituta fuit A. C. 1053. ab Henrico III. ceſſo Papæ ducatu Beneventano in Italia.

V.

Inter privilegia Eccleſiæ Bambergenſis etiam referri ſolet, *quod Electores Imperii feuda, quæ Electorali nomine ac titulo habent, inde accipiant, & etiam nunc hodie Electores Imperii ſint vaſalli Epiſcopi Bambergenſis: ut quæcunque illi Electorum nomine & titulo tenent, ab eodem iis ut feuda conferantur.* Sed id quidem tam generaliter verum non eſt. Certe Sereniſſimus Elector Saxon. feudum Electorale non ab Epiſcopo Bambergenſi, ſed ab Imperatore & Imperio accipit, ut literæ inveſtituræ docent, quas exhibet *Petr. Albin. Chron. Miſn. tit. XVI.* Cæteroquin idem Sereniſſ. recognoſcit jure feudi ab Epiſcopo Bambergenſi Mareſchallatum Bambergenſem, das Ober-Marſchallambt des Stiffts Bamberg/ Wittenbergam, Muhlbergam, Trebiz & aliquot pagos Electorales. Atque hujus inveſtituram, non vero Archimarſchallatus Imperii impetraverat Ericus, Dux Angriæ & Weſtphaliæ ab Epiſcopo Bambergenſi A. C. 1423. ſed fruſtra, qvum acceſſorium principale poſtea tamen ſequi oportuerit. Conf. *Carpzov. ad A. B. tit. XXVII. Qu. 1.* De aliis par judicium.

Electores vaſalli Eccleſiæ Bamberg.

§. VI.

Sed ad rem. Non habuit tantum atque exercuit jus Imperatoris etiam circa ſacra Henricus, ſed agnitum quoque fuit idem jus Imperatorium Henrici ab ipſo Pontifice Rom. Atque ut Henricus ſæpius Romam cogitavit,

Henricus agnitus Imp. ante coronat. à Papa.

vit, & ſe ad iter accinxit, per Reges Poloniæ, & Longobardiæ rebelles ſemper impeditus. *Baron. A. C. 1013. num. 2.* ita expulſus à Gregorio vitio electo Benedictus VIII. A.C. 1012. ad Regem in Palithi venit, cum omni paratu Apoſtolico, expulſionem ſuam omnibus lamentando innoteſcens, ſunt verba *Ditmari lib. VI. fi.* Locus *Palithi*, aliter *Polithi*, *Poletbum* dicitur. Sic idem l. V. ait: *Poſthæc Natale Domini in Polithi more priorum divinitus ac humanitus honorando peregit.* Et lib. V. *Pervenit autem comes* (Eckardus Marchio Miſnenſis æmulus Henrici II. Imp.) *ad locum prædeſtinatum, qui Polithi dicitur* & quæ ſeqvuntur de cæde Marchionis ibi facta. Intelligitur autem fuiſſe locum Saxoniæ inferioris prope Northemium. *Poletbum* vocat Lambertus Schafnab. *ad A. C. 1052.* Baronius putat fuiſſe non longe à Mersburgo, *ad A. C. 1012. §. 6.* Convenit nomen vicini oppidi *Apolleda*: Similis terminationis eſt opidum *Colleda*, & alia. Ad rem. Novi hoſpitis *crucem Rex in ſuam ſuſcepit cuſtodiam, & à ceteris abſtinere precepit, promittens ſibi, qvum ipſe illuc veniret, hæc ſecundum morem Romanum diligenter finire.* Atque ſicuti hoc ipſo Pontifex Henricum Regem Romanorum Advocatum & Ordinatorem ſedis Romanæ agnovit, ita etiam *pro Imperatore* ipſum veneratus eſt, *Inſignia Imperii* obtulit occurrens, antequam eum coronaret. Cum enim A 1013. Henricus Sedem Romanam ſchiſmate divulſam ordinaturus Italiam intraret, *ei Romam venienti Benedictus Papa obviam cum maxima virorum & ſacrorum ordinum multitudine proceſſit ex more, eique inſigne imperii recens fabricatum, in conſpectu totius Romanæ plebis tradidit*, ut refert Glaber Radulphus, ſequenti autem anno demum ſolennis conſecratio fuit peracta.

Palithi.

§. VII.

§. VII.

De inſignibus Imperii obſervatu digna refert idem *Inſignia Im-*
Glaber quod hactenus *variæ* fuerint *figuræ*, inter alias, et- *perii certæ*
iam figura ROSÆ uſitata fuit, ut in antiquis nummis *figura.*
apparet Impp. & Regum Germanorum ante Henricum noſtrum excuſis. Vtriusque generis figuras exhibent ſubjecta ſchemata nomiſmatum bractealium, quæ poſſidemus.







Notatu dignum , quod globus ſeu orbis duplex conſpicitur, id quod ad ea referendum tempora arbitror, quibus Imperium occidentis in orientem extendebant Impp. noſtri, aut ſaltem prætenſionis reſervandæ gratiâ. A Benedicto vero VIII. certa, & ut ipſe loquitur *admodum intellectualis ſpecies* oblata fuit, quaque adhuc hodie utimur, eamque ita deſcribit Glaber: *Inſigne præcepit fabricari quaſi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis quibusque gemmis, ac deſuper auream crucem inſeri. Erat autem inſtar ſpecies hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumſiſtere perhibetur. Vt dum ſiquidem illud reſpiceret Princeps terreni Imperii, foret ei documentum non aliter debere imperare, vel militare in mundo, quam ut dignus haberetur vivificæ crucis tueri vexillo. In ipſo etiam diverſarum gemmarum decoramine videlicet Imperii culmen plurimarum virtutum ſpeciebus exexornari oportere.* Scilicet erat hoc inſigne veteris Imperii Romani, quo Juſtinianum Monarcham uſum eſſe conſtat. *Vid. Freher. ad Petr. de Andlo. pag. 78.* Igitur parem in Henrico Pontifex reveritus Majeſtatem, quam jure electionis Germaniæ jam tum obtinuerat, necdum Romæ conſecratus.

§. VIII.

Decretum de Imperatoris approbatione Papali.

Porro idem Glaber mentionem hoc tempore facit alicujus *decreti* de approbatione Pontificia Imperatoris Romani. Verba ejus ſunt: *Illud nihilominus nimium condecens ac perhoneſtum videtur atque ad pacis tutelam optimum decretum, ſcilicet: ut ne quisquam audacter Imperii Romani ſceptrum præproperus geſtare Princeps appetat, ſeu Imperator dici, aut eſſe valeat, niſi quem Papa ſedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipubl. eique commiſerit*

miſerit inſigne Imperiale. Cum videlicet olim ubique terrarum quilibet tyranni ſeſe procaciter impellentes, ſæpiſſime ſint Imperatores creati, atque eo minus apti reipubl. quo conſtat eos tyrannide potius quam pietatis auctoritate proceſſiſſe. Quod decretum ſi ab Imp. Henrico, & non à ſolo Papa profectum, non poteſt ita accipi, ut vetuſtiſſimum jus ordinum Imperii Germanici, & conſtitutione noviſſima Ottoniana denuo roboratum, atque à Pontifice S.P.Q.R. probatum & agnitum minuere intelligatur, neque hoc juſta legum interpretatio admittit. Sed rècte reſtringenda eſt ad *tyrannos* Italiæ, & qui citra electionem Germanorum ſedem & nomen Imperatoris invaſerant, & invaſuri iterum ab Henrico, æque ac ab Ottone III. fortè metuebantur: & de his ſancitur, quod nec Impp. dici nec eſſe valeant, quoniam ipſa tyrannica invaſione haud aptos ſeſe oſtentant Reipubl. liberæ, & propterea neque à Papa conſecrari poſſint aut debeant. Contra vero, qvum hi, qui à Germaniæ Proceribus electi ſunt, etiam apti Reipubl. habeantur, etiam à Pontifice S. P. Q. R. ſecundum Conſtitutionem Ottonis III. & Synodi Romanæ: conſequens eſt, ut & Papa eos tales eſſe judicans eosdem conſecret.

§. IX.

Papa igitur quem noverat rite electum fuiſſe in Imperatorem, quemque ut talem atque Defenſorem Eccleſiæ Romanæ & ordinatorem Sedis Papalis jam tum imploraverat, & inſignia Imperii occurrens obtulerat, tandem etiam A. C. 1014. ſolenni inauguratione conſecravit. Rem ita refert Ditmarus l. VII. *Decurſis à Dominica incarnatione poſt millenarii plenitudinem numeri annis XIII. & in ſubſequentis anni ſecundo menſe ac hebdomada tertia* *Coronatus Imp.*

anno autem Regni ejus XIII. & die Dominica ac VI. Kalend. Martii Henricus Dei gratiâ rex inclytus à Senatoribus XII. vallatus, quorum VI. raſi barba, alii prolixa myſtace incedebant cum baculis, cum dilecta ſuimet conjuge Cunigunda ad Eccleſiam S. Petri Papa expectante venit: Et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, SI FIDELIS VELLET ROMANÆ PATRONVS ESSE ET DEFENSOR ECCESIAE, SIBI AVTEM SVISQVE SVCCESSORIBVS PER OMNIA FIDELIS? *devota profeſſione reſpondit: Et tunc ab eodem inunctionem & coronam cum contectali* (conjuge) *ſuâ ſuſcepit. Priorem autem coronam ſuper altare Principis Apoſtolorum ſuſpendi præcepit.*

§. X.

Fidelitas de Imperatore. Ne quem autem offendat, quod Imperator promiſerit, *fidelem ſe Papæ fore, & ejus ſucceſſoribus*, ſciendum eſt, vocem *fidelitatis* eſſe generalem, quemadmodum & ipſa vox fidei, atque noſtra Huld: unde Huldigen/ & non de ſolis ſubditis ac vaſallis, ſed etiam de paribus, inter pares, & de ſuperiori erga inferiores & ſubditos uſurpatam fuiſſe. De Pace Confluentana inter Ludovici I. liberos, Ludovicum Germaniæ Regem, Carolum Calvum & Lotharium, ſuo loco diximus. Hi in ea referuntur *conveniſſe & pacem inter ſe & fidelitatem mutuam ſinguli juramento confirmaſſe.* In ſolenni quoque Regis & Imperatoris German. jurejurando ordinibus præſtando fidelitas de rege erga ordines prædicatur: SICVT FIDELIS REX SVOS FIDELES *per rectum honorare & ſalvare debet. Lehm. Chron. Spir. l. 2. c. IV. conf. Maul. de hom. t. 1.* Et quid multis DEVS O. M. ipſe dicitur πιςὸς *fidelis, qui non ſinit vos tentari ſupra id quod poſſumus. 1. Cor. X. 13.* Quare quod Pontifex ab Imp. exigebat, hoc

erat

erat, ut is fideliter ſervaret pacta conventa inter Impp. & Pontifices Romanos. Quemadmodum hodieque Impp. promittunt non tantum Pontifici Romano, ſed & Statibus Imperii fidem factorum ſervare, & quilibet Principes ſuis ſubditis exigentes homagium, promittere ſolent. Nihil igitur amplius tunc pollicitus Henricus II. quam hodieque Impp. AA. conſueverunt. *confer. Limn. J. P. 2. 4, 95.*

§. XI.

In iſto igitur ſenſu ſano verum eſt, fidelitatem promiſiſſe Impp. Pontifici & Eccleſiæ Rom. Idque non diffeſſus Fridericus Imp. prout habetur *in cap. 100. F. 2.* ait: *2. F. 100. explic.* *Non teneri ſe fidelitatem* (feudalem ut vaſallum Domino ſuo) *facere, cum omne hominum genus fidelitatem ſibi debeat* (ſive feudalem, ſive ſubjectionis ſive quamcunque) *& ipſe ſoli DEO & Pontifici Rom.* non feudalem Deo, neque ergo Pontifici, ſed *Imperialem*, h. e. Dei Eccleſiam, cujus Rector univerſalis Pontifex Rom. tum agnitus fuit, ſe velle tueri, & Imperium Rom. à Deo commiſſum fideliter adminiſtrare. Enimvero primus fuit Hildebrandus, qui fraudem prodidit, qvum Rudolpho occiſo, alium Henrico Succeſſorem dare ordinibus præciperet, nova præſcripta formula juramenti Sedi Romanæ à novello Rege præſtandi, qui non modo VERAM OBEDIENTIAM ET FIDELITATEM, ſed & hoc requiſivit, ut quo die primum viderit Papam, fideliter per manus ſuas MILES (vaſallus) S. Petri & illius fieret. *Gregor. VII. l. 8. Epiſt. 3.* At Hildebrandus depoſitus, non ſupervixit, ut ſucceſſor Henrico daretur, qui id jusjur. præſtaret. Atque qvum ſequioris ævi Papæ & ipſi abutentes ſignificatione verbi *Fidelitatis* cavillarentur jusjurandum ac promiſſa Imperatorum &

argutarentur, fidelitatem *ſubjectionis & obedientiæ*, aut *vaſallagii* ſibi ab Impp. eſſe præſtitam, recte atque ordine ſolennem interpoſuit proteſtationem *Henricus VII. Imp.* tabellionibus requiſitis, & publicis inſtrumentis confectis. Cui proteſtationi fruſtra oppoſuit Clemens V. *cap. un. de jurejur.* quo quæſtionem, *an juramentum, quod Impp. veteres & coævi præſtiterant fidelitatis exiſtere, & cenſeri debeat?* affirmative quidem decidit, ſed admodum inſubide, & quaſi in tenebris ſaltans, non explicata ſignificationis varietate, nec determinata certa illa ac vera, quam *Imperator qua talis*, non ut *vaſallus* aut *ſubditus* aut Civis Romanus Papæ præſtat. Non fruſtra conqueſtus eſt *H. Conringius* hæc & ſimilia capitula, in ignominiam Imperatoris, & Reipubl. noſtræ ſumma cum injuria perſcripta in codice Legum Papalium in media Germania tolerari nec expungi potius. *Diſſ. de Judic. German.* §. 47. Videntur autem nonnulli Pontifices Rom. ſtudio ejusmodi *ambiguis vocabulis* in jurisjur. formulâ uſi, ut ſucceſſu temporis & oblata occaſione commoda, utili interpretatione cauſæ ſuæ inſervire poſſent. Qua calliditate quomodo impoſitum Imperatoribus ſequentia tempora detegent Eodem etiam pertinet *Patroni* vox, cui & *Patricii* nomen mox ſubſtituerunt, de quo inferius.

c. un. de jurej. in Clem.

Corpus J. Can. purg.

§. XII.

Superioritas Imp. in Sedem.

Suſcepto ſolenniter Imperatoris & Auguſti nomine, tantum abeſt, ut libertatem Germanicam ſive in Sacris ſive in Civilibus Imperator Dominio Eccleſiaſtico expoſuerit, ut contra potius ſedem Romanam imperio Germanico, auguſto anteceſſorum exemplo ſubmiſerit. Nec aliter tum in commune creditum fuit. *Ditmarus*, Epiſcopus Martispurgenſis *& Romam ſubditam Regi Germa-*

norum

manorum, dicit, *& Pontificem cum choro Clericorum ſuorum hoc Rectore potitum eſſe.*

Iſta dies pulcro ſignatur clara lapillo.
Qua Regi noſtro ſe ſubdit Roma benigno:
Atque liquore ſacro perfuſus gaudet, & almo
Fert grates Domino, qui ſe viſitavit ab alto,
Et Chunigundam conte ctalem ſibi Charam.
Summus Paſtor ovat, chorus atque ſuus quoque cantat,
Quod ſunt ſecuri tanto Rectore potiti.

§. XIII.

Etenim conſtat ex *Privilegio* quod Henricus Pontifici Rom. dediſſe fertur & ſine die ac Conſule *exhibet Baronius ad A. C. 1014, 7.* Henricum ſibi *reſervaſſe* Jus ordinandi Sedem Rom. ſeu *confirmandi* Papam, *Jus appellationis* recipiendæ à Sede Romana, & poteſtatem ſuperiorem *in res* Pontificis & Patrimonium, ut vocant Petri. Ita enim habent verba: *Exemplum Privilegii Henrici Imp. de Regalibus B. Petro conceſſis.* Igitur Poteſtas Papæ in Patrimonio ſuo non eſt univerſalis aut Imperatoria, vel independens, ſed particularis, *in Regalibus* h. e. partibus ſummæ poteſtati decerptis, conſiſtens, & à reſervata Imperatori ſuperioritate univerſali ac Majeſtate dependens: ad eum modum, quo in veteri Republ. Romana Reges & Tetrarchæ Judæorum, aliorumque Populorum regna & Principatus, ex Imperatorum ſpeciali conceſſione obtinebant.

Privileg. Henric. Reſervata Imp. in Sedem Rom. & Patrim. Petri.

§. XIV.

Porro poſt recenſitas partes Patrimonio conſecratas, additur reſtrictio juris Pontificii in iſtis, & reſervatio ſummæ poteſtatis Imperatoriæ, ait: De ſupradictis vero

Poteſtas Papæ reſtricta etiam in Patrimonio.

„ Provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, caſtris, vi-
„ culis, territoriis ac patrimoniis, nec non & penſionibus
„ ac cenſibus, ita, ut & nos facturi ſimus, neque à quibus-
„ libet ea facere volentibus conſentiamus, ſed potius o-
„ mnia, quæ ſuperius leguntur, id eſt provinciæ, civitates,
„ urbes, caſtella, opida, terræ, patrimonia, atque inſulæ,
„ cenſusque & penſiones ad partem Eccleſiæ B. Petri Apo-
„ ſtoli, atque Pontificum in ſacratiſſima Sede illius reſiden-
„ tium, nos in quantum poſſumus Defenſores eſſe tenea-
„ mur, ad hoc, ut eam illi ditionem ad utendum, atque
„ diſponendum firmiter valeant obtinere, SALVA IN
„ OMNIBVS POTESTATE NOSTRA
„ (Imperatoria) poſterorumque noſtrorum, ſecundum
„ quod in pacto & conſtitutione, ac promiſſionis firmita-
„ te Eugenii Pontificis, ſucceſſorumque illius, contine-
„ tur, ut omnis clerus & univerſi Populi Rom. nobilitas
„ propter diverſas neceſſitates, & Pontificum irrationa-
„ biles erga Populum ſibi ſubjectum aſperitates retun-
„ dendas Sacramento ſe obliget, quatenus futura Ponti-
„ ficum electio, quantum unius cujusque intellectus fue-
„ rit, canonicè & juſtè fiat, & ut ille, qui ad hoc Sanctum
„ regimen eligetur nemine conſentiente conſecratus fiat
„ Pontifex, priusquam talem in præſentia Miſſorum no-
„ ſtrorum, ſeu univerſæ Generalitatis faciat promiſſio-
„ nem pro omnium ſatisfactione, ac futura conſervatio-
„ ne, qualem donnus & ſpiritualis Pater noſter Leo ſpon-
„ te feciſſe dignoſcitur. *& poſtea:* Illud quoque confir-
„ mamus ut Donno Apoſtolico juſtam in omnibus ſer-
„ vent obedientiam; ſeu ducibus & Judicibus ſuis ad faci-
„ endam juſtitiam. Huic enim inſtitutioni hoc neceſ-
„ ſario annectendum eſſe perſpeximus, ut Miſſi Donni

Reſervatio Imp.

Apo-

Apoſtolici ſeu noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annua- „
tim nobis renunciare valeant, qualiter ſinguli Duces ac „
Judices populo juſtitiam faciant. Hanc Imperialem „
conſtitutionem quomodo obſervent, qui Miſſi, decer- „
nimus, ut primum cunctos clamores (*querelas, actiones*) „
qui per negligentiam Ducum vel Judicum fuerint in- „
venti, ad notitiam Donni Apoſtolici deferant & ipſe „
unum è duobus eligat, aut ſtatim per eosdem Miſſos fi- „
ant neceſſitates emendatæ, aut Miſſo noſtro nobis re- „
nunciante, per noſtros Nuntios à nobis directos emen- „
dentur. „

§. XV.

Denique nec iſtud prætereundum, qvum hactenus in liturgia Romani *Symbolum* non canerent, quum tamen id ubique receptum, idem ex diſpoſitione Imperatoris introductum fuit. Rem refert Baronius ex *Bernonis Augienſis* libro de rebus ad Miſſam ſpectantibus: *Cum Romanorum Presbyteri ab Henrico Imp. interrogarentur, cur poſt Evangelium, ut in aliis Eccleſiis fiebat, Symbolum non canerent: me aſſiſtente audivi, eos ejusmodi reſponſum reddere, videlicet: Quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fece infecta, ſed ſecundum S. Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis iis neceſſarium eſſe illud Symbolum ſapius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerant maculari. At Imperator Domino Benedicto perſuaſit, ut ad publicum illud Miſſam decantarent.* Non attenta ſcilicet ratione Romani Cleri, fortè quod aut non crederent Imperator & Germanicæ Eccleſiæ Romanam adhuc retinere per omnia veterem puritatem, memores, dogmatis Romani ab Eccleſiis Germanicis & Gallicis in Synodo Francofur-

Imp. ordinat. Romæ Miſſam.

Infallibilitas nondũ credita à Germanis.

diana

diana condemnati, aut quod rebantur fieri poſſe, ut à puritate Fidei deficeret Eccleſia etiam Romana, præſertim qvum hoc ipſo tempore adventum Antichriſti imminere communiter creditum fuiſſet, fatente ipſo Baronio *ad A. C. 1001. n. 1. Fuerant iſta*, inquit, *in Galliis promulgata* (à Gerberto) *ac primum prædicata Pariſiis, jamque vulgata per orbem, credita à compluribus, accepta nimirum à ſimplicioribus cum timore, à doctoribus vero improbata.* Ita vero eſt. Nam & *quis ex Principibus credidit in Chriſtum, aut ex Phariſæis? ſed plebs quæ, non novit legem execrabilis eſt, Joh. VII. 48.*

§. XVI.

Mors Benedicti. P. R. Petrus Damiani, Epiſcopus Oſtienſis de Pontifice hoc Benedicto retulit, quòd apparuerit poſt obitum, & *maledictum* ſeſe ipſe confeſſus ſit, *nigro equo quaſi corporaliter inſidens*, ita conqueſtus Epiſcopo Capreæ fuerit: *Infelix ego ſum: gravibus tormentis afficior, ſpe tamen, ſi adjutorium præbeatur, de mea recuperatione non privor. Sed perge quæſo ad fratrem meum Joannem, qui nunc Apoſtolicam occupat ſedem, eique mea functus legatione denuntia, ut illam potiſſimum ſummam, quæ in theca tali reconditur in pauperes pro mea ſalute diſtribuat, ſicque me redimendum eſſe, quandocunque decrevit divina miſeratio, agnoſcat. Nam cætera, quæ pro me ſunt indigentibus tradita nihil penitus mihi profuerunt, quia de rapinis & injuſtitiis acquiſita ſunt.*

Felicitas Eccl. Germ. Nec falſa ea credit Baronius, rurſus monſtra in Sede Romana agnoſcens, at de Germania prædicat: *Gloriatur jure Germania uno ſe edidiſſe partu Auguſtum, & Auguſtam Sanctos Imperatores inter Sanctos relatos ambos.*

§. XVII.

§. XVII.

Cæterum Henricus de ſtatu Eccleſiæ Germanicæ magis magisque meliore reddendo ſollicitior, & Pontificem Rom. ad eandem intentionem, & exemplo excitans & auctoritate compellens, non tantum *Synodum Tremoniæ*, coercens ibi luxuriam Sacerdotum & profuſionem bonorum Eccleſiaſticorum, A. C. 1006. Itemque *Noviomagi* A. C. 1019. celebravit, ubi inter alia mos hodieque receptus, ſtabilitus fuit, *ut in celebratione miſſæ, panis ad dextram altaris ſtatueretur, calix ad ſiniſtram: ſed etiam una cum Roberto Rege Francorum ſuper Carum fluvium apud Evaſium A. C. 1023. convenit de ſtatu Eccleſiæ Regni & Imperii tractaturi, & condicto, ut ſuper his confirmandis, etiam Papam Romanum ſimul ambo Papiæ opportune convenirent*, ut habet Sigebertus Gemblacenſis. At ſequenti mox anno obiit Pontifex: ſed & Imperator valetudine adverſa preſſus in Comitiis ALSTETI, opido Palatino Saxonico, Käyſerliche Pfalzſtatt in Sachſen (quo Sereniſſimus Princeps meus, Dom. Jo. Wilhelmus II. Dux Saxoniæ, hodie potitur) cum Proceribus de ſucceſſore deliberans, & *Conradum* Ducem Franciæ commendans, ad Dominum abiit.

de Cura Eccl. Germ. Impp.

Capvt X.

De LIBERT. ECCLES. GERMAN. CIRCA PROHIBIT. GRADVVM.

Svmmaria.

Conradi Salici Imp. matrimonium in gradu affinitatis quarto aut quinto. Jus diſpenſandi in his gradibus penes S. Reipubl. poteſtatem. Computationes affinitatis inter Conradum & Coniugem diverſæ. Gradus affinitatis IV. & V. non prohibitus tum in Eccleſiis German. Harum ratio & fundamentum. Computatio veteris Eccleſiæ eadem cum computatione J. Civilis. Gradus ſeptimus quis in canonib. veteribus, itemque Progenies ſeptima. Computatio graduum in Eccleſia Orientali. Origo graduum computandorum hodierna Juris Canonici. cau. 35. q. 5. can. 1. & 2. Alexandri II. conſtitutio: recepta in Jure Suevico & Saxonico. Correcta ab Innocentio III. Cap. VIII. X. de conſangu. & aff. Conradi Salici laus.

§. I.

CONRAD. I. Imp.

GErmanici Imperii ordines laudatum ſuffecerunt CONRADVM II. Imp. cognomine *Salicum*, ſeu Francicum, Ducem quippe Franciæ orientalis & Sueviæ, comitem Wormatiæ, pronepotem Conradi Sapientis, Ducis Franciæ & Lotharingiæ, Comitis Vormatiæ, generi Otto-

Ottonis I. Imp. ſecundum Aventinum, & Reusnerum, alumnum diſciplinæ Burchardi, Epiſcopi Vormatienſis, Burchardicorum, ſeu *Brocardicorum* h. e. Canonum Eccleſiaſticorum Collectoris, *qui illum Dei timorem & amorem docuit, & quaſi adoptivum nutrivit, & quia ſtabilitatem animi in eo intellexit, præ cæteris multum illum dilexit, quem Deus poſtea in ſolium Regni clementer evexit,* ſunt verba autoris vitæ Burchardi. Proceſſum electionis ſingulariter deſcripſit *Wippo* Conradi Imp. Cancellarius in vita ejus. Conf. *Lehmann. Chron. Spir. l. V. c. XVII.* Dignus igitur hic ab omnibus judicatus, etiamſi unicum putarunt Epiſcopi in ipſo deſiderari, quod affinem ſuam Giſelam de Webinlingen neptem S. Henrici Imp. (ut habet Sifrid. *Presb. Miſn. l. 1. A. MXXV.*) Erneſti, (idem Siffridus *Arnolphum* vocat) Ducis Sueviæ viduam, ex Stirpe Caroli M. oriundam, in uxorem duxiſſet.

§. II.

Matrimon. in gradu affinitatis IV. & V.

Rem ita refert Glaber: *Cum diu multumque de conſtituendo Regni principe ac præcipue inter Præſules tractatum fuiſſet, viſum eſt eis ipſum Conradum debere eligere, niſi quod unum intererat, propter quod Henricus etiam illum valde exoſum habuerat. Habebat enim conjugem, quæ illi erat affinis, quam etiam primitus quidam cognatus ipſius duxerat. Propterea innotuerunt ei Pontifices quid potiſſimum vellet, aut tale conjugium, quod manifeſtæ ſacræ auctoritati nimium repugnabat, tenere, ſeu eo dimiſſo, coronam Imperii ſumere. Qui protinus dimittendum promiſit talis inceſti conjugium, ſeque parere diligentisſime illorum dictis & obedire conſiliis. Deinde mittunt ad Papam Rom. ut eis in hoc quod decreverant conſentiret.* Nota hic non Confirmationem Papæ petierunt, quaſi electio ſine conſenſu Papæ eſſet nulla, & robur

Confirmatio Papæ.

robur demum ex Papali confirmatione accipere deberet, ſed duntaxat retulerunt Papæ ſuam electionem, & requiſiverunt ejus approbationem ex Conſtitutione Ottoniana de jure Germanorum quæſito debitam, ad hoc ut ſine novarum rerum molitione inauguratio Romæ fieret. Pergit Glaber: *Qui ſtatim libentiſſime annuit: mandans inſuper, ut quantocyus ſuſcepto ſceptro Romam pergeret, ſuſcepturus totius Italiæ coronam. Sicque Romam deveniens, coronam ex more ſumſit Imperii. Cui dum Epiſcopi ſuggererent, ut auctoritate Romani Pontificis, qualiter illis promiſerat, repudium illiciti faceret conjugii, graviter accipiens, dixit: Se Imperatorem creatum nullo modo debere uxore viduari.* Addit Glaber de hac re judicium ſuum: *at ſicut inepte cœperat, tenuit.*

§. III.

Jus diſp. eſt Imp.

Baronius vero ad A. C. 1027. ait: *diſpenſaſſe cum eo ſummum Pontificem, par eſt credere, cum appareat, ex ea progenitos filios habitos eſſe legitimos, atque regni ſubſtitutum heredem eorum primogenitum.* At verò propterea veriſimile non eſt, Diſpenſationem à Papa Imperatorem impetraſſe, alioquin ſine dubio mitius de re judicaſſet Glaber. Quare rectius dixeris Imperatorem non deſideraſſe diſpenſationem Papalem, & haud ignoraſſe *Jus diſpenſandi* eſſe partem ſummi Imperii circa ſacra, quod non Papæ, niſi quandoque ex conceſſione ſpeciali, ſed *Imperatoris* eſſet proprium atque nativum. Hic itaque viſitans Ribuarios, & *Aquisgrani* publico placito, & generali *concilio* habito, divina & humana jura utiliter diſtribuit, referente Wippone, qui adjicit: *Quanquam litteras ignoraret, tamen omnem CLERUM cum amabiliter & liberaliter palam, tum convenienti diſciplina ſecreto prudenter*

inſtituit. Vnde eſt, quod urget jus Imperii in Reſponſo Epiſcopis dato: ſe jam Imperatorem creatum non eſſe ſubjectum poteſtati Pontificiæ, ſive ad ſeparandum matrimonium ſuum, ſive ad diſpenſandum. Atque hoc jure uſi etiam jam tum Reges Italiæ Gothici. Ita Theodoricus Rex Italiæ diſpenſaſſe legitur apud Caſſiodorum *lib. VII. Ep. XLVI.* Penes quem enim eſt Legislatio penes eum & diſpenſatio. At non Pontifici, ſed ſibi Impp. & nuperrime adhuc Conradi anteceſſor Henricus II. vendicaverat jus ferendi leges & confirmandi latas de gradibus prohibitis, ut conſtat ex ejus conſtitutione in Comitiis Italiæ facta, quæ extat *LL. Lombard. l. 2. t. 8. fi.* neque hic agnoverunt ullam LL. ferendi Pontificiam poteſtatem, ſed merum jus adhortandi & conſulendi *ut ex cap. 4. ejusdem t. 8.* patet. Neque dubium eſt, eum qui ſuperiorem non agnoſcit, poſſe ſecum diſpenſare, aut ſibi ipſi, qvum etiam à ſuperiore dependentes id poſſe adſtruat Eccleſia Romana. *Ferd. de Caſtro Palao Op. Mor. T. 3. D. V. P. 7. §. 1.* Sed an hic ipſe caſus diſpenſatione indiguerit, videndum eſt.

§. IV.

Variè autem admodum à Genealogiarum concinnatoribus cognatio Conradi Salici, & Erneſti Suevi deſcribi ſolet, ita ut ab aliis in quarto, ab aliis in ſexto gradu lineæ inæqualis conſtituatur, ut ex ſubjectis Schematibus apparet: *quo gradu affinit. fuerit.*

Cognationes inter Conradum Salicum Imper. Erneſtum D. Sueviæ & Giſelam utriusque uxorem, ſecundum Lazium & alios.

I.

LVDOVICVS PIVS IMPERATOR

Ludovicus R. Bavariæ		Carolus Calvus Imper.
Carolomanus D. Carinth. R. Italiæ & Bav.		Ludovicus Blæſus Imp.
Arnulphus Imper.		Carolus Simplex Imp.
Conradus D. Fr. Or.	Ludgardis u. Ottonis D. Saxon.	Ludovicus Transmarinus R. Galliæ
Eberhardus D. Fr. Or.	Richiſa uxor Lupoldi March. Auſtr& Babeberg.	Lotharius R. Galliæ & Burgundiæ
Conradus D. Fr.Or.	*Erneſtus D. Sueviæ.*	Mechtildis nupta Cunrado R. Burgundiæ.
Conradus Salicus Imper.	4. gr. lin. inæq.	*Giſela* nupta 1. Erneſto D. Sueviæ 2. Conrado Salico Imper.

II.

Secundum Alios.

LVDOVICVS PIVS.

Ludovicus R. Bavariæ. — Carolus Calvus Imp.

Carolomanus. — Ludovicus Blæſus.

Arnulphus Imp. — Carolus Simplex.

Ludgardis nupta Ottoni D. Saxon. — Ludovicus Transmarinus.

Heinricus Auceps. — Richardis ux. Lupoldi M. Auſtr. — Lotharius R. Galliæ.

Otto I. Imper. — *Erneſtus* D. Sueviæ. — Mechtildis n. Cunrado R. Burg.

Ludgardis n. Conrado D. Fr. Or. ✝ 955. teſte Witichindo Monacho p. 43. — *Giſela* uxor. 1. Erneſti D. Suev. 2. Conradi Salici Imp.

Cuno Comes Franciæ.

Hermannus C. Fr. quem Aventinus Henricum vocat. Chr. Boj. p. 647.

Conradus Salicus Imp. ✝. 1039. teſt. Urſp. & Schafnaburg.

Aventinus in chr. Boj. p. 647. hunc Conrad. nominat Conradi Worm. Duc. pronepotem.

	1039
	955
6. gr. lin. inæq.	84.

III.

Ludovicus Pius.

	Ludovicus R.B	Carolus Calvus.
	Carolomanus.	Ludovicus Balb.
	Arnulphus.	Carolus Simplex.
	Ludgardis n. Ottoni D. Sax.	Ludovicus IV.
Heinricus Auceps.	Richardis ux. Lupoldi M. A.	Mechtildis conſors Conradi R.Burg.
Otto I. Imper.	*Erneſtus* D. Sueviæ.	Gerberga ux. Herm. D. Aleman.
Ludolphus D. Saxoniæ.		*Giſela.*
Otto D. Sueviæ & Bav.		
Heinricus Princ. Sueviæ		
Conradus Salicus Imp.		

IV.

Avent. Tab. XII. & XV.

ARNVLPHVS D. Bav. 937.

Juditha ux. Heinrici D. Sax. & Bav.
|
Henric. D. Bav. 995.
|
Henric. II. Jmp. 1024.
|
Henric. D. Bavar. 1026.
|
Conrad. D. Wormat.
|
Otto D. Franc.
|
Henricus D. Franc. Adelheid.
|
Conrad. Salic.

Eberhard. D. Bav.
|
Leopold. II. D. Bav. & Suev. 994.
|
Erneſtus D. Suev. ux. Giſela.

8. gr. lin. inæq.

diana condemnati, aut quod rebantur fieri poſſe, ut à puritate Fidei deficeret Eccleſia etiam Romana, præſertim qvum hoc ipſo tempore adventum Antichriſti imminere communiter creditum fuiſſet, fatente ipſo Baronio *ad A. C. 1001. n. 1. Fuerant iſta*, inquit, *in Galliis promulgata* (à Gerberto) *ac primum prædicata Pariſiis, jamque vulgata per orbem, credita à compluribus, accepta nimirum à ſimplicioribus cum timore, à doctoribus vero improbata.* Ita vero eſt. Nam & *quis ex Principibus credidit in Chriſtum, aut ex Phariſæis? ſed plebs quæ, non novit legem execrabilis eſt, Joh. VII. 48.*

§. XVI.

Mors Benedicti. P. R. Petrus Damiani, Epiſcopus Oſtienſis de Pontifice hoc Benedicto retulit, quòd apparuerit poſt obitum, & *maledictum* ſeſe ipſe confeſſus ſit, *nigro equo quaſi corporaliter inſidens*, ita conqueſtus Epiſcopo Capreæ fuerit: *Infelix ego ſum: gravibus tormentis afficior, ſpe tamen, ſi adjutorium præbeatur, de mea recuperatione non priver. Sed perge quæſo ad fratrem meum Joannem, qui nunc Apoſtolicam occupat ſedem, eique mea functus legatione denuntia, ut illam potiſſimum ſummam, quæ in theca tali reconditur in pauperes pro mea ſalute diſtribuat, ſicque me redimendum eſſe, quandocunque decrevit divina miſeratio, agnoſcat. Nam cætera, quæ pro me ſunt indigentibus tradita nihil penitus mihi profuerunt, quia de rapinis & injuſtitiis acquiſita ſunt.* Nec falſa ea credit Baronius, rurſus monſtra in Sede Romana agnoſcens, at de Germania prædicat: *Felicitas Eccl. Germ.* *Gloriatur jure Germania uno ſe edidiſſe partu Auguſtum, & Auguſtam Sanctos Imperatores inter Sanctos relatos ambos.*

§. XVII.

§. XVII.

Cæterum Henricus de ſtatu Eccleſiæ Germanicæ magis magisque meliore reddendo ſollicitior, & Pontificem Rom. ad eandem intentionem, & exemplo excitans & auctoritate compellens, non tantum *Synodum Tremoniæ*, coercens ibi luxuriam Sacerdotum & profuſionem bonorum Eccleſiaſticorum, A. C. 1006. Itemque *Noviomagi* A. C. 1019. celebravit, ubi inter alia mos hodieque receptus, ſtabilitus fuit, *ut in celebratione miſſæ, panis ad dextram altaris ſtatueretur, calix ad ſiniſtram* : *ſed etiam una cum Roberto Rege Francorum ſuper Carum fluvium apud Evaſium A. C. 1023. convenit de ſtatu Eccleſiæ Regni & Imperii tractaturi, & condicto, ut ſuper his confirmandis, etiam Papam Romanum ſimul ambo Papiæ opportune convenirent*, ut habet Sigebertus Gemblacenſis. At ſequenti mox anno obiit Pontifex: ſed & Imperator valetudine adverſa preſſus in Comitiis ALSTETI, opido Palatino Saxonico, Käyſerliche Pfalzſtatt in Sachſen (quo Sereniſſimus Princeps meus, Dom. Jo. Wilhelmus II. Dux Saxoniæ, hodie potitur) cum Proceribus de ſucceſſore deliberans, & *Conradum* Ducem Franciæ commendans, ad Dominum abiit.

de Cura Eccl. Germ. Impp.

Caput X.

De LIBERT. ECCLES. GERMAN. CIRCA PROHIBIT. GRADVVM.

Svmmaria.

Conradi Salici Imp. matrimonium in gradu affinitatis quarto aut quinto. Jus diſpenſandi in his gradibus penes S. Reipubl. poteſtatem. Computationes affinitatis inter Conradum & Coniugem diverſæ. Gradus affinitatis IV. & V. non prohibitus tum in Eccleſiis German. Harum ratio & fundamentum. Computatio veteris Eccleſiæ eadem cum computatione J. Civilis. Gradus ſeptimus quis in canonib. veteribus, itemque Progenies ſeptima. Computatio graduum in Eccleſia Orientali. Origo graduum computandorum hodierna Juris Canonici. can. 35. q. 5. can. 1. & 2. Alexandri II. conſtitutio: recepta in Jure Suevico & Saxonico. Correcta ab Innocentio III. Cap. VIII. X. de conſangu. & aff. Conradi Salici laus.

CONRAD. I. Imp.

§. I.

GErmanici Imperii ordines laudatum ſuffecerunt CONRADVM II. Imp. cognomine *Salicum*, ſeu Francicum, Ducem quippe Franciæ orientalis & Sueviæ, comitem Wormatiæ, pronepotem Conradi Sapientis, Ducis Franciæ & Lotharingiæ, Comitis Vormatiæ, generi Otto-

Ottonis I. Imp. ſecundum Aventinum, & Reusnerum, alumnum diſciplinæ Burchardi, Epiſcopi Vormatienſis, Burchardicorum, ſeu *Brocardicorum* h. e. Canonum Eccleſiaſticorum Collectoris, *qui illum Dei timorem & amorem docuit, & quaſi adoptivum nutrivit, & quia ſtabilitatem animi in eo intellexit, præ cæteris multum illum dilexit, quem Deus poſtea in ſolium Regni clementer evexit*, ſunt verba autoris vitæ Burchardi. Proceſſum electionis ſingulariter deſcripſit *Wippo* Conradi Imp. Cancellarius in vita ejus. Conf. *Lehmann. Chron. Spir. l. V. c. XVII.* Dignus igitur hic ab omnibus judicatus, etiamſi unicum putarunt Epiſcopi in ipſo deſiderari, quod affinem ſuam Giſelam de Webinlingen neptem S. Henrici Imp. (ut habet Sifrid. *Presb. Miſn. l. 1. A. MXXV.*) Erneſti, (idem Siffridus *Arnolphum* vocat) Ducis Sueviæ viduam, ex Stirpe Caroli M. oriundam, in uxorem duxiſſet.

§. II.

Rem ita refert Glaber: *Cum diu multumque de conſtituendo Regni principe ac præcipue inter Præſules tractatum fuiſſet, viſum eſt eis ipſum Conradum debere eligere, niſi quod unum intererat, propter quod Henricus etiam illum valde exoſum habuerat. Habebat enim conjugem, quæ illi erat affinis, quam etiam primitus quidam cognatus ipſius duxerat. Propterea innotuerunt ei Pontifices quid potiſſimum vellet, aut tale conjugium, quod manifeſtæ ſacræ auctoritati nimium repugnabat, tenere, ſeu eo dimiſſo, coronam Imperii ſumere. Qui protinus dimittendum promiſit talis inceſti conjugium, ſeque parere diligentiſſime illorum dictis & obedire conſiliis. Deinde mittunt ad Papam Rom. ut eis in hoc quod decreverant conſentiret.* Nota hic non Confirmationem Papæ petierunt, quaſi electio ſine conſenſu Papæ eſſet nulla, & *Matrimon. in gradu affinitatis IV. & V.* *Confirmatio Papæ.*

robur demum ex Papali confirmatione accipere deberet, ſed duntaxat retulerunt Papæ ſuam electionem, & requiſiverunt ejus approbationem ex Conſtitutione Ottoniana de jure Germanorum quæſito debitam, ad hoc ut ſine novarum rerum molitione inauguratio Romæ fieret. Pergit Glaber: *Qui ſtatim libentiſſime annuit: mandans inſuper, ut quantocyus ſuſcepto ſceptro Romam pergeret, ſuſcepturus totius Italiæ coronam. Sicque Romam deveniens, coronam ex more ſumſit Imperii. Cui dum Epiſcopi ſuggererent, ut auctoritate Romani Pontificis, qualiter illis promiſerat, repudium illiciti faceret conjugii, graviter accipiens, dixit: Se Imperatorem creatum nullo modo debere uxore viduari.* Addit Glaber de hac re judicium ſuum: *ac ſicut inepte cœperat, tenuit.*

§. III.

Jus diſp. eſt Imp.

Baronius vero ad A. C. 1027. ait: *diſpenſaſſe cum eo ſummum Pontificem, par eſt credere, cum appareat, ex ea progenitos filios habitos eſſe legitimos, atque regni ſubſtitutum heredem eorum primogenitum.* At verò propterea veriſimile non eſt, Diſpenſationem à Papa Imperatorem impetraſſe, alioquin ſine dubio mitius de re judicaſſet Glaber. Quare rectius dixeris Imperatorem non deſideraſſe diſpenſationem Papalem, & haud ignoraſſe *Jus diſpenſandi* eſſe partem ſummi Imperii circa ſacra, quod non Papæ, niſi quandoque ex conceſſione ſpeciali, ſed *Imperatoris* eſſet proprium atque nativum. Hic itaque viſitans Ribuarios, & *Aquiſgrani* publico placito, & generali *concilio* habito, divina & humana jura utiliter diſtribuit, referente Wippone, qui adjicit: *Quanquam litteras ignoraret, tamen omnem CLERUM cum amabiliter & liberaliter palam, tum convenienti diſciplina ſecreto prudenter inſtituit*

inſtituit. Vnde eſt, quod urget jus Imperii in Reſponſo Epiſcopis dato: ſe jam Imperatorem creatum non eſſe, ſubjectum poteſtati Pontificiæ, ſive ad ſeparandum matrimonium ſuum, ſive ad diſpenſandum. Atque hoc jure uſi etiam jam tum Reges Italiæ Gothici. Ita Theodoricus Rex Italiæ diſpenſaſſe legitur apud Caſſiodorum *lib. VII. Ep. XLVI.* Penes quem enim eſt Legislatio penes eum & diſpenſatio. At non Pontifici, ſed ſibi Impp. & nuperrime adhuc Conradi anteceſſor Henricus II. vendicaverat jus ferendi leges & confirmandi latas de gradibus prohibitis, ut conſtat ex ejus conſtitutione in Comitiis Italiæ facta, quæ extat *LL. Lombard. l. 2. t. 8. fi.* neque hic agnoverunt ullam LL. ferendi Pontificiam poteſtatem, ſed merum jus adhortandi & conſulendi *ut ex cap. 4. ejusdem t. 8.* patet. Neque dubium eſt, eum qui ſuperiorem non agnoſcit, poſſe ſecum diſpenſare, aut ſibi ipſi, qvum etiam à ſuperiore dependentes id poſſe adſtruat Eccleſia Romana. *Ferd. de Caſtro Palao Op. Mor. T. 3. D. V. P. 7. §. 1.* Sed an hic ipſe caſus diſpenſatione indiguerit, videndum eſt.

§.IV.

Variè autem admodum à Genealogiarum concinnatoribus cognatio Conradi Salici, & Erneſti Suevi deſcribi ſolet, ita ut ab aliis in quarto, ab aliis in ſexto gradu lineæ inæqualis conſtituatur, ut ex ſubjectis Schematibus apparet: *quis gradus affinit. fuerit.*

Cognationes inter Conradum Salicum Imper. Erneſtum D. Sueviæ & Giſelam utriusque uxorem, ſecundum Lazium & alios.

I.

LUDOVICUS PIUS IMPERATOR

Ludovicus R. Bavariæ		Carolus Calvus Imper.
Carolomanus D. Carinth. R. Italiæ & Bav.		Ludovicus Blæſus Imp.
Arnulphus Imper.		Carolus Simplex Imp.
Conradus D.Fr. Or.	Ludgardis u. Ottonis D. Saxon.	Ludovicus Transmarinus R. Galliæ
Eberhardus D. Fr. Or.	Richiſa uxor Lupoldi March. Auſtr& Babeberg.	Lotharius R. Galliæ & Burgundiæ
Conradus D. Fr.Or.	*Erneſtus D.Suevia.*	Mechtildis nupta Cunrado R. Burgundiæ.
Conradus Salicus Imper.	4. gr. lin. inæq.	*Giſela* nupta 1. Erneſto D. Sueviæ 2. Conrado Salico Imper.

II.

Secundum Alios.

LVDOVICVS PIVS.

Ludovicus R. Bavariæ.

Carolomanus.

Arnulphus Imp.

Ludgardis nupta Ottoni D. Saxon.

Heinricus Auceps. | Richardis ux. Lupoldi M. Auſtr.

Otto I. Imper. | *Erneſtus* D. Sueviæ.

Ludgardis n. Conrado D. Fr. Or. ✝ 955. teſte Witichindo Monacho p. 43.

Cuno Comes Franciæ.

Hermannus C. Fr. quem Aventinus Henricum vocat. Chr. Boj. p. 647.

Conradus Salicus Imp. ✝. 1039. teſt. Urſp. & Schafnaburg.

Aventinus in chr. Boj. p. 647. hunc Conrad. nominat Conradi Worm. Duc. pronepotem.

	1039
	955
6. gr. lin. inæq.	84.

Carolus Calvus Imp.

Ludovicus Blæſus.

Carolus Simplex.

Ludovicus Transmarinus.

Lotharius R. Galliæ.

Mechtildis n. Cunrado R. Burg.

Giſela uxor. 1. Erneſti D. Suev. 2. Conradi Salici Imp.

IV.

Avent. Tab. XII. & XV.

ARNVLPHVS D. Bav. 937.

Juditha ux.
Heinrici D. Sax. & Bav.

Henric. D. Bav.
995.

Henric. II. Jmp. 1024.

Henric. D. Bavar. 1026.

Conrad. D. Wormat.

Otto D. Franc.

Henricus D. Franc.
Adelheid.

Conrad. Salic.

Eberhard. D. Bav.

Leopold. II. D. Bav. &
Suev. 994.

Erneſtus D. Suev.
ux.
Giſela.

8. gr. lin. inæq.

Secundum primum ex his in *gradu quarto* lineæ inæqualis: Secundum alterum vero, & tertium in ſexto ejusdem lineæ: in quarto denique, quod *Aventini* eſt ex *tab. Geneal. ejus XII. & XV. deſcriptum, ultra ſeptimum* gradum conſtituuntur. Quanquam nulla horum ratio mihi arrideat. *Erneſti genus.* Nam quod Erneſti Patrem Leopoldum II. Ducem Bavar. & Suev. qui A. C. 994. obiit, & avum Eberhardum Ducem Bavariæ A. C. 938. defunctum Aventinus conſtituit, in eo vapulat *à Lazio lib. VII. de Migr. aliquot. gent. p. 200. & lib. VIII. p. 419. & ſeq.* ex ſuis ſcriniis & Ottone Friſingenſi demonſtrans, Erneſti *Patrem* fuiſſe *Bertholdum*, Præfectum Venuſiæ, *aviam* vero *Richardam*, uxorem Adelberti, Comitis Babepergenſis, quem Ludovicus Imp. capite plexit, filiam Henrici Aucupis, ſororem Ottonis I. Imp. & Adelheidis, uxoris Hugonis Magni Comitis Pariſ.

§. V.

Conradi genus. Viciſſim *Conradi Salici* patrem & Lazius *p. 76.* & El. Reuſnerus *de Famil. Præcip. p. 129.* Hermannum, vel ut alii, & imprimis *Wippo* (cui hic plurimum meritò tribuit Jo. Piſtorius *Ep. Dedic. Volum. Script. Rer. Germ.*) Hezel ſive Henricum, Comitem Oſtro Franciæ, agnoſcunt; Avum Cunonem h. e. Conradum, vel potius (ſecundum Wipponem) ejus fratrem Ottonem, Ducem Francorum; *Proaviam* filiam Ottonis I. Imp. quam Lazius Adelheidam *p. 79.* vocat, alii & rectius opinor, Ludgardin, qvum ſoror ejus Adelheidis Hugoni Capeto nupta dicatur, maritus a. illius & *Proavus* Conradi noſtri, Conradus ille ſapientia celebris & fortitudine, qui teſte Witichindo aliisque circa A. C. 955, in Bello Hungarico occubuit, ut ita *Henricus Auceps* fuerit Conradi Salici Atavus, Erneſti Proa-

vus, & alter alterum *in gradu quinto linea inaequalis* attigerit:

HENRICVS I. Imp. Auceps.

Otto I. Imp.		Richarda uxor Adelberti Comit. Bamberg.
Ludgarda ux. Conradi Sap. Duc. Wormat.		Bertholdus.
Otto	- SOBRINI -	Erneſtus uxor Giſala.
Henricus.		
CONRADVS SALICVS.		

§. VI.

Sive ergo in *quarto*, ſive *in quinto* affinitatis gradu Conradus Jmp. & Giſela ſeſe attigerint nulla opus fuit diſpenſatione. Nam conſtat ex *Gratiano*, Affines in quinto gradu copulari poſſe: in quarto ſi fuerint copulati, non ſeparandos eſſe. Cujus canonis auctorem *Fabianum* Epiſcopum Rom. A. C. 236. ille refert, *cau. 35. qu. 2. c. 3. De propinquis, qui ad affinitatem per virum & uxorem veniunt, defuncta uxore, vel viro, & quinta generatione conjungantur: in quarta ſi inventi fuerint, non ſeparentur.* conf. *can. & hoc 12. ead.* Quid? quod etiam in gradibus conſanguinitati

Grad. aff. 4. & 5. non prohibitus in

nitatis peculiari *libertate* uſi fuerint *Germani*, ut quamvis per decreta Pontificum Romanorum, & canones *concilii Antiſidorienſis* nuptiæ usque ad ſeptimum gradum conſanguinitatis ſeu generationem fuerint interdictæ *c. 1. & 2. d. qu. 2. cau. 35.* Tamen in Eccleſiis Germaniæ iſtud non fuit receptum: & *Bonifacius* Archiepiſcopus Germaniæ Epiſtolam impetravit à Zacharia Papa, quâ vetus jus Eccleſiæ Germanicæ ille ratum habet, prohibens, ne cenſuram Eccleſiaſticâ diſtringeret in hos, qui ultra *quartum cognationis gradum* ſibi jungerentur matrimonio. Cæterum etſi *Zacharias* Papa in dicta Epiſtola ad Bonifacium id propter *barbariem Germanorum* indulgere præſe fert: Erant tamen ante Bonifacium Eccleſiæ in Germania, eæque purioris doctrinæ, & melioris vitæ, quam in Italia tum exiſtimantur fuiſſe. *Libertati* igitur Germanicæ partim, partim etiam *rationi* adſcribendum, quod noluerint Germani ſibi iſtud novum jus obtrudi, quod nec in Eccleſia veteri orientali & occidentali fuerat obſervatum: atque in Eccleſia Longobardica demum à Luitprando ad hortatum Papæ receptum, *LL. Longob. lib. 2. t. 8. c. 4.* In Gallia in Concilio Antiſidorienſi. Quæ exempla Eccleſia Germanica ſequi detrectavit, ſed retinere maluit Jus quod divino & imperiali conforme erat; præſertim cum ratio à *ſucceſſione* ad jus *matrimonii* petita invitâ Jurisprudentiâ ſit inducta, adeoque merito rurſus abolita.

Eccl. Germ.

Ratio Eccl. Germ.

§. VII.

Atque ſi rectius conſideramus antiquiſſima Pontificum decreta, & canones Eccleſiæ veteris, nunquam vox *gradus* aliter ſumitur, quam uſu Juris Romani, & promiſcuè *gradus* & *generationes* ponuntur. Præterea etiam

Computatio graduum veteris Eccleſiæ eadẽ quæ Civilis.

iam ratio in iis additur ex ipſis legibus Romanorum Civilibus petita; ita enim Calixtus in *c. 2. q. 2. cau. 35.* ad Epiſcopos Galliæ ſcripſiſſe fertur: *Eos Conſanguineos dicimus, quos divina & Imperatorum Romanorum atque Græcorum Leges Conſanguineos appellant, & in hereditate ſuſcipiunt, nec repellere poſſunt.* Et ad Gregorium Papam refertur *c. 1. d. 9. 2.* De *affinitate* (propinquitate) *conſanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad ſeptimam generationem obſervare. Nam & hereditas rerum per legales inſtrumentorum diffinitiones ſancita usque ad ſeptimum gradum protendit heredum ſucceſſionem.* Capitularia Francorum lib. V. c. 310: *Nuptias prohibemus inceſtas, id eſt, usque adfinitatis lineam, vel quamdiu inter ſe hereditare potuerint, non conjungantur, quia hæc potius inceſtiva, quàm conjugia ſunt judicanda.* Porro qui ſint iſti, qui in *ſeptimo* cognationis gradu ſecundum leges Romanas ad hereditatem vocentur, exponit Juſtinianus *§. fi. J. de ſucceſſ. cogn.* & *§. 6. J. de cogn. grad.* ſcilicet *ſobrinorum filius vel filia*, quos Germani vocare ſolemus drittgeſchwiſter Kind / qvum *ſobrini* ipſi ſint in gradu *ſexto*, & *Conſobrini* in *quarto*, definiente Paulo in *l. 2. 10. §. 15. D. de grad. affinit.* Sobrini inquam filius & filia diſtat ſeptimo gradu ab altero ex ſobrinis; at *ſobrinorum* liberi diſtant inter ſeſe gradu *octavo* ceſſante inter hos ſucceſſione, jure veteri Romano ante novellam Juſtiniani.

§. VIII.

Gradus ſeptimus quis in can. vet.

Quando igitur veteres Canones prohibitionem nuptiarum usque ad ſeptimum gradum ad ſucceſſionis Civilis exemplum protendunt, nihil aliud intelligunt, quam hoc, quod, quemadmodum Sobrinorum liberi ſibi invicem non ſuccedunt Jure Romano, ita neque matri-

monium inter ſe contrahere ipſis eſſe prohibitum, pertinent enim ad generationem ſeu gradum octavum: At prædefuncti Sobrini filius Sobrinæ alteri poſtea defunctæ utique ſuccedit, igitur etiam nuptiæ inter hos ſunt prohibitæ, quippe in gradu ſeptimo. Vnde *Auguſtini* ætate graduum prohibitio usque ad Conſobrinos tantũ pertingebat, ut patet ex *lib. XV. de C. D. c. XVI.* ibi: *Quid dubitet: Honeſtius hoc tempore etiam Conſobrinarum prohibita eſſe coniugia.* Ex Concil. Aurel. II. ſub Childeberto Rege Francorum celebrato idem non obſcure patet, in cujus canone ſeptimo conjunctiones prohibitæ recenſentur non graduum ſed ipſarum perſonarum expreſſione, neque ultra ſobrinos extenduntur: *Quod de inceſtis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum eſt, obſervetur, id eſt, ne quis præſumat relictam Patris, Filiam uxoris, conſobrinam, aut Sobrinam relictam avunculi vel Patrui.* Neque ulteriori gradu Jure *Longobardico* matrimonia fuere prohibita, & quidem ex ipſius Papæ Rom. ſuggeſtione, ut patet ex antea allegata Luitprandi conſtitutione *l. 2. t. 8. l. 4.* Confer & Lotharii Imp. conſtitutionem *d. t. 8. c. 11.* Hic gradus ſeptimus aut ſeptima generatio etiam ſeptima *progenies* & Geniculum in Capitularibus ſemel atque iterum appellatur.

§. IX.

Item in Eccleſ. orient. h. t.

Adhuc luculentius idem docemur ex *lib. III. Juris Græco-Romani*, quo Alexii Patriarchæ CPolitani & Synodi *Reſponſum de gradu ſeptimo* recitatur, ſubjecto Schemate. Vixit autem Alexius hic iisdem Conradi Salici & Henrici III. Imp. temporibus.

Τὸ σχῆμα τοῦ ἐξ αἵματος ἑβδόμου
βαθμοῦ.

ἈΔΕΛΦΟΙ,

Γεώργιος. Νικόλαος.

ΠΡΩΤΕΞΑΔΕΛΦΟΙ,

Θεοδότη Ἑλένη

ΔΕΥΤΕΡΟΙ ΕΞΑΔΕΛΦΟΙ.

Δημήτριος. Βασίλειος.

Θεοδότη

Figura Septimi gradus cognationis.

FRATRES,

Georgius. *Nicolaus.*

CONSOBRINI,

Theodota. *Helena.*

SOBRINI,

Demetrius. *Baſilius.*

Theodota.

Igitur Demetrii filia *Theodota* cum *Baſilio* nuptiis conjuncta proponebatur, à quærente Johanne Cubiculario ex Euripo *an legitimæ inter eos nuptiæ eſſent nec ne?* Reſponſum fuit à Patribus: *Quoniam Baſilius ſeptimo gradu conſtitutus eſt, lex autem nuptias permittit iis, qui octo gradibus à ſe invicem diſtant, iis autem qui ſex, prohibet: at iis, qui ſunt ſeptimo gradu nec permittit, nec vetat, & ob eam rem cum ſimiles ſepe mota eſſent controverſiæ, inſtitutum eſt, hujuſmodi nu-*

ptias

ptias antequam proceſſerint, non permitti: poſtquam vero facta fuerint, non diſtrahi quidem, ſed eos qui ſic conjuncti ſunt, pœnis ſubjici. Idem ex poſterioribus Eccleſiæ CPolitanæ decretis apparet, quibus ſeptimus gradus fuit prohibitus. Vide *l. III. Reſponſorum Lucæ. Subnotationem Synodalem p. 217. & lib. II. Edictum VII. Manuelis Commeni Imp. Et omnio Michaelis Patriarchæ Epiſtolam I. lib. IV. p. 263. & Demetrii Chomateni Epiſcopi Bulgariæ de gradibus cognationis reſponſum, lib. V. p. 311. item Matthæi Monachi libellum de gradibus in matrimonio lib. VIII.*

§. X.

Origo graduum 7. Can.

Ex errore igitur & imperitia ortum eſt, quod in Eccleſia Romana nonnulli Clerici, & ipſi etiam Pontifices Rom. per gradum Septimum cognationis non eum, quem vetus & Græca & Latina & Francica Eccleſia intellexit, & in quo ſobrini filius patris ſui ſobrinum reſpiciens conſiſtit, ſed in quo *ſobrini abnepos* conſtituitur: Origo & occaſio hujus erroris à nonnullis imperitis *Novatoribus* temporibus iſtis imperitia & barbarie ubique plenis, nata eſt, quorum opinionem etiam in Eccleſia Græca poſtmodum non improbat Matthæus Monachus *princ. d. lib. de gradibus in Matrimonio.* παρὸ, inquit, καὶ οὐ κατὰ τὰς γενέσεις, ὥσγε ἔδοξε τοῖς Ἀρχαιοτέροις, ἀλλὰ κατὰ τὴν οἰκειότητα, καὶ τὴν τοῦ γένους ἐγγύτητα, καὶ τὴν ἀπόστασιν αὖθις πρὸς τὴν πρώτην τοῦ γένους ἀρχὴν κάλλων τοὺς βαθμοὺς ὀνομάζεσθαι. *ideoque non ſecundum generationes uti priſcis placuit, ſed ſecundum neceſſitudinem, & generis propinquitatem, vel etiam remotionem à primo generis principio gradus hoſce numerari præſtat.* ipſe tamen veteri computatione, receptâ foro, utitur.

§. XI.

§. XI.

Præterea fuerunt & alii, quos Iſidorus *c.1.q.5.cau.35.* ſequitur, qui Deſcendentium gradus ſic conſtituerunt, *ut fratres & ſorores* non computarent in gradu, *ſed ſit ipſe truncus*, illis itaque ſeorſim ſejunctis, ex radice illius trunci egreſſos numerarunt ramuſculos, nepotes in primo gradu, pronepotes in ſecundo, abnepotes in tertio, & ſic deinceps, qua ratione in gradu ſeptimo inveniuntur *ſobrinorum atnepotes* *c. 1. cau. 35. q. 5.*

Truncus.

Frater.		Soror.
1. Nepos.	*Conſobrini.*	Neptis
2. Pronepos.	*Sobrini.*	Proneptis
3. Abnepos	*Sobrin. filii*	Abneptis
4. Atnepos	*Sobrini Nepotes*	Atneptis
5. Trinepos.	*Sobrini pronep.*	Trineptis
6. Trinepotis fil.	*Sobrini Abnep.*	Trin. filia
7. Trinepotis Nep.	*Sobrini atnep.*	Trin. nep.

§. XII.

Quare qvum diverſis ita computandi gradus rationibus initis, confuſiones circa prohibitas nuptias non parvæ orirentur, aliis veterem Juris Civilis & à Canonibus receptam computationem approbantibus, inter quos *Florentinus JC.* celebratur: aliis hanc novam & erroneam adeo propugnantibus, ut illos *hæreſeos inceſtuoſorum*, ut vocabant inſimularent, quorum præcipuus *Petrus Damiani*, qui libellum *de parentelæ gradibus* adverſus iſtos *c.2.q.5 cau. 35. Alex. II. Papa.*

ſcripſit. *Baron. A. C. 1065.* igitur *Alexander II.* Papa Synodum in Lateranenſi Conſiſtorio habuit & veteri ubique recepta computandi ratione rejecta, ſive ex imperitia, ſive, ut, quo longius prohibitiones nuptiarum produceret, eò per frequentiores diſpenſationum impetrationes ditiorem faceret curiam. *M. A. de Dom. l. V. de Republ. Eccleſ. XI. 78.* ſive in odium Imperatoris & Legum Civilium, novam, quam à Matthæo Monacho modo laudatam diximus, *primus* publica auctoritate introduxit, & Epiſcopis obſervare præcepit. Conſtitutionem refert Gratianus. Quam mox, ut executioni daretur, in alia Synodo anathemate exaſperavit. Sed adhuc fruſtra, ut de eo conqueſtus Petrus ille. Obtinuit tamen ab Alemannis ut talis computandi ratio in Codicem legum vernaculum recepta fuerit. Itemque à Saxonibus ut videre eſt ex l. I. Jur. Provinc. Art. 3. *In membro capitis, maſculus & femina, qui quæve legitimè contraxerunt, conſtitui debent. Collo tribuatur eorum proles. Indiſtinctorum fratrum filii in membro annexionis brachii & corporis ad juncturas ſcapularum reponuntur. Hic primum gradum Cognationis conſtituimus, in quo ſunt fratrum ſororumve liberi qui & nepotes appellantur.*

§. XIII.

Et certe quam putida iſta ſit, & plena errorum, & faliſitatum, inſpicienti ſtatim apparet. Veterem illam, & in Eccleſia ubique receptam computationem dicit Alexander, *novo & inaudito errore contra ſacros Canones & morem Eccleſiaſticum à quibusdam defendi.* Jactat ſe *diu ventilatis legibus, & ſacris canonibus diſtincte inveniſſe, ob aliam cauſam alteram legum fieri, alteram canonum computationem:* Cum tamen antea ex anteceſſorum ſuorum

ſive

ſive Calixti & Gregorii Decretis, ſive quorumcunque tandem ſint, ſatis docuerimus, eundem *hereditatis* reſpectum in computatione & legum & canonum habitum fuiſſe *c. 1. & 2. q. 2. c. 35.* Mox contorquere nititur computationem veterem & ad hanc novitatis prolixitatem protendere, ſed in hoc probando miſere fallitur. Ait, *Juſtinianũ usq; ad quem gradum conſanguinitas ipſa perduret, in ſuis legibus non definiviſſe.* At definivit, usque ad gradum ſeptimum, in quo ſobrini filius aut filia conſiſtit § *fi. J. de Succ. cogn.* eousque ſcilicet cognatio cum effectu juris & ſucceſſionis, etſi per ſe ulterior, & ex jure Novellarum etiam civiliter efficax. In eo verò cavillatur Juſtinianum, quod ipſe affirmaverit, *decimo etiam gradu conſanguineos ſibi poſſe ſuccedere:* loquitur enim Imperator *de agnationis jure*, eique diſerte contradiſtinguit *Proximitatis* ſeu cognationis *nomen:* & ita cornua, quæ Papæ argumentatio præ ſe fert, evaneſcunt. Sed his immorari non eſt pretium operæ.

§. XIV.

Atque perſpectis iſtis inconvenientiis non dubitavit Innocentius III. *in Concilio Lateran. c. 50.* ex quo *cap. VIII. X.* de *conſang. & affin.* eſt decerptum, hactenus corrigere Alexandrinam ſanctionem, tanquam cum periculo animarum conjunctam, conſtituens: *Ut prohibitio copulæ conjugalis, quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt absque gravi diſpendio hujusmodi prohibitio generaliter obſervari.* reipſa vero nihil novi conſtituit, nam quem ipſe quartum gradum vocat, in eo conſiſtit *Conſobrini filius*, & eſt *ſeptimus* ſecundum veterem computationem, niſi quod etiam octavum quarto includat. *c. 8. X. de Conſ. & Affin.*

dat. Novam tamen computandi rationem Innocentius introduxit, quâ hodie ùtimur. Cæterum articulum Juris Saxonici antea allegatum retinuerunt Saxones in ſucceſſionibus, unde ad finem ejus additum: *In ſeptimo gradu terminatur cognatio in percipiendis hereditatibus. Licet in quinto gradu Papa matrimonia contrahere conceſſit, qui tamen nullam Decretalem in noſtrarum Feudalium & Civilium conſtitutionum poteſt condere prajudicium.* Quam clauſulam tanquam *libertati Eccleſiaſticæ refragantem* condemnavit Gregorius IX. in Bullâ Avinionenſi de anno 1373. Verum poteſtas LLatoria Civilis cum Eccleſiæ Libertate minimè confundenda erat.

Concluſ. de Nuptiis Conradi.

§. XV.

Sed ad Conradum noſtrum redeamus, qui ut ex iis, quæ hactenus diſſeruimus, ſatis conſtat, nihil aut inepte, aut contra veteres Canones, leges civiles, moresve patrios, ducta, retentaque Giſela in matrimonio admiſiſſe, & non modo nulla diſpenſatione opus habuiſſe, ſed etiam recte hactenus promiſſionem Epiſcopis datam de repudianda uxore, non ſervaſſe, quippe qua ſervata conſcientiam læſiſſet, DEVM graviter offendiſſet, & illuſtriſſimam conjugem atroci injuria affeciſſet. Et facit huc Pauli Langii in Chronico Citicenſi de eo elogium: *Fuit Eccleſiæ catholicæ plurimum fidelis, inſuper in calamitoſos clemens & largus, in bello fortis & ſtrenuus, conſilio promtus, cautusque, ac JVRISPERITIA admodum florens. Cujus devotio erga Deum ſuperosque dilectio fervens, in rebus patet celeberrimis, quas & perfecit, geſſitque magnificè.*

Wippo denique eum Carolo M. comparatum refert.

CA-

CAPVT XI.

De

REFORMATIONE ECCLESIÆ TENTATA IMPERANTE HENRICO III. PRÆSERTIM.

SVMMARIA.

Benedicto VIII. Johannes XIX. & huic Benedictus IX. ſuccedit. Sedis Rom. nova calamitas, quę in ipſam quoque Eccleſiam redundat. Imperator Conradus reformat Sedem. Status Eccleſię corruptus. Tres Papę ſimul: quartus accedit. Reformanti Pontifici contraria Roma. Cauſa impeditę reformationis. Gregorius VI. depoſitus. Eccleſia Germanica dat Papam. Cleri Romani ſtatus. Simonię natura & vis. Henricus III. cum Pontifice reformat Eccleſiam R. quanquam hic remiſſior: ille defenſus contra Baronium. Simonia eſt hæreſis. Imperator pergit ordinare S. R. Leo IX. reformare cœpit. Affectatio tituli, Papę Univerſalis exprobrata. Manichæi. Defectus reformationis Papalis. Libellus P. Damiani contra vitia cleri, ſuppreſſus. Papa bellator reprehenſus. de duplici gladio novum dogma. Abuſus relicti in Eccleſia. Auctoritas Sedis Moguntinę. Jus Agendę Eccleſiaſticę. Eccleſia Germ. pergit Pontificem R. dare.

nitatis peculiari *libertate* uſi fuerint *Germani*, ut quamvis per decreta Pontificum Romanorum, & canones *concilii Antiſidorienſis* nuptiæ usque ad ſeptimum gradum conſanguinitatis ſeu generationem fuerint interdictæ *c. 1. & 2. d. qu. 2. cau. 35.* Tamen in Eccleſiis Germaniæ iſtud non fuit receptum: & *Bonifacius* Archiepiſcopus Germaniæ Epiſtolam impetravit à Zacharia Papa, quâ vetus jus Eccleſiæ Germanicæ ille ratum habet, prohibens, ne cenſuram Eccleſiaſticâ diſtringeret in hos, qui ultra *quartum cognationis gradum* ſibi jungerentur matrimonio.

Eccl. Germ.

Ratio Eccl. Germ.

Cæterum etſi *Zacharias* Papa in dicta Epiſtola ad Bonifacium id propter *barbariem Germanorum* indulgere præſe fert: Erant tamen ante Bonifacium Eccleſiæ in Germania, eæque purioris doctrinæ, & melioris vitæ, quam in Italia tum exiſtimantur fuiſſe. *Libertati* igitur Germanicæ partim, partim etiam *rationi* adſcribendum, quod noluerint Germani ſibi iſtud novum jus obtrudi, quod nec in Eccleſia veteri orientali & occidentali fuerat obſervatum: atque in Eccleſia Longobardica demum à Luitprando ad hortatum Papæ receptum, *LL. Longob. lib. 2. t. 8. c. 4.* In Gallia in Concilio Antiſidorienſi. Quæ exempla Eccleſia Germanica ſequi detrectavit, ſed retinere maluit Jus quod divino & imperiali conforme erat; præſertim cum ratio à *ſucceſſione* ad jus *matrimonii* petita invitâ Jurisprudentiâ ſit inducta, adeoque merito rurſus abolita.

§. VII.

Computatio graduum veteris Eccleſiæ eadẽ quæ Civilis.

Atque ſi rectius conſideramus antiquiſſima Pontificum decreta, & canones Eccleſiæ veteris, nunquam vox *gradus* aliter ſumitur, quam uſu Juris Romani, & promiſcuè *gradus* & *generationes* ponuntur. Præterea etiam

iam ratio in iis additur ex ipſis legibus Romanorum Civilibus petita; ita enim Calixtus in *c. 2. q. 2. cau. 35.* ad Epiſcopos Galliæ ſcripſiſſe fertur: *Eos Conſanguineos dicimus, quos divina & Imperatorum Romanorum atque Græcorum Leges Conſanguineos appellant, & in hereditate ſuſcipiunt, nec repellere poſſunt.* Et ad Gregorium Papam refertur *c. 1. d. 9. 2.* De *affinitate* (propinquitate) *conſanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad ſeptimam generationem obſervare. Nam & hereditas rerum per legales inſtrumentorum diffinitiones ſancita usque ad ſeptimum gradum protendit heredum ſucceſſionem.* Capitularia Francorum lib. V. c. 310: *Nuptias probibemus inceſtas, id eſt, usque adſinitatis lineam, vel quamdiu inter ſe hereditare potuerint, non conjungantur, quia hec potius inceſtiva, quàm conjugia ſunt judicando.* Porro qui ſint iſti, qui in *ſeptimo* cognationis gradu ſecundum leges Romanas ad hereditatem vocentur, exponit Juſtinianus §. *fi. J. de ſucceſſ. cogn.* & §. *6. J. de cogn. grad.* ſcilicet *ſobrinorum filius vel filia*, quos Germani vocare ſolemus drittgeſchwiſter Kind / qvum *ſobrini* ipſi ſint in gradu *ſexto*, & *Conſobrini* in *quarto*, definiente Paulo in *l. 2. 10. §. 15. D. de grad. affinit.* Sobrini inquam filius & filia diſtat ſeptimo gradu ab altero ex ſobrinis; at *ſobrinorum* liberi diſtant inter ſeſe gradu *octavo* ceſſante inter hos ſucceſſione, jure veteri Romano ante novellam Juſtiniani.

§. VIII.

Quando igitur veteres Canones prohibitionem nuptiarum usque ad ſeptimum gradum ad ſucceſſionis Civilis exemplum protendunt, nihil aliud intelligunt, quam hoc, quod, quemadmodum Sobrinorum liberi ſibi invicem non ſuccedunt Jure Romano, ita neque matri- *Gradus ſeptimus quis in can. vet.*

monium inter ſe contrahere ipſis eſſe prohibitum, pertinent enim ad generationem ſeu gradum octavum: At prædefuncti Sobrini filius Sobrinæ alteri poſtea defunctæ utique ſuccedit, igitur etiam nuptiæ inter hos ſunt prohibitæ, quippe in gradu ſeptimo. Vude *Auguſtini* ætate graduum prohibitio usque ad Conſobrinos tantũ pertingebat, ut patet ex *lib. XV. de C. D. c. XVI.* ibi: *Quid dubitet: Honeſtius hoc tempore etiam Conſobrinarum prohibita eſſe conjugia.* Ex Concil. Aurel. II. ſub Childeberto Rege Francorum celebrato idem non obſcure patet, in cujus canone ſeptimo conjunctiones prohibitæ recenſentur non graduum ſed ipſarum perſonarum expreſſione, neque ultra ſobrinos extenduntur: *Quod de inceſtis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum eſt, obſervetur, id eſt, ne quis præſumat relictam Patris, Filiam uxoris, conſobrinam, aut Sobrinam relictam avunculi vel Patrui.* Neque ulteriori gradu Jure *Longobardico* matrimonia fuere prohibita, & quidem ex ipſius Papæ Rom. ſuggeſtione, ut patet ex antea allegata Luitprandi conſtitutione *l. 2. t. 8. l. 4.* Confer & Lotharii Imp. conſtitutionem *d. t. 8. c. 11.* Hic gradus ſeptimus aut ſeptima generatio etiam ſeptima *progenies* & Geniculum in Capitularibus ſemel atque iterum appellatur.

§. IX.

Item in Ecleſ. orient. h. t.

Adhuc luculentius idem docemur ex *lib. III. Juris Græco-Romani*, quo Alexii Patriarchæ CPolitani & Synodi *Reſponſum de gradu ſeptimo* recitatur, ſubjecto Schemate. Vixit autem Alexius hic iisdem Conradi Salici & Henrici III. Imp. temporibus.

Tò

Τὸ σχῆμα τοῦ ἐξ αἵματος ἑβδόμου βαθμοῦ.

ἈΔΕΛΦΟΙ,

Γεώργιος. Νικόλαος.

ΠΡΩΤΕΞΑΔΕΛΦΟΙ,

Θεοδότη Ἑλένη

ΔΕΥΤΕΡΟΙ ΕΞΑΔΕΛΦΟΙ.

Δημήτριος. Βασίλειος.

Θεοδότη

Figura Septimi gradus cognationis.

FRATRES,

Georgius. *Nicolaus.*

CONSOBRINI,

Theodota. *Helena.*

SOBRINI,

Demetrius. *Baſilius.*

Theodota.

Igitur Demetrii filia *Theodota* cum *Baſilio* nuptiis conjuncta proponebatur, à quærente Johanne Cubiculario ex Euripo *an legitimæ inter eos nuptiæ eſſent nec ne?* Reſponſum fuit à Patribus: *Quoniam Baſilius ſeptimo gradu conſtitutus eſt, lex autem nuptias permittit iis, qui octo gradibus à ſe invicem diſtant, iis autem qui ſex, prohibet: at iis, qui ſunt ſeptimo gradu nec permittit, nec vetat, & ob eam rem cum ſimiles ſæpe motæ eſſent controverſiæ, inſtitutum eſt, hujusmodi nu-*

ptias

§. XI.

Præterea fuerunt & alii, quos Iſidorus *c. 1. q. 5. can. 35.* ſequitur, qui Deſcendentium gradus ſic conſtituerunt, *ut fratres & ſorores* non computarent in gradu, *ſed ſit ipſe truncus*, illis itaque ſeorſim ſejunctis, ex radice illius trunci egreſſos numerarunt ramuſculos, nepotes in primo gradu, pronepotes in ſecundo, abnepotes in tertio, & ſic deinceps, qua ratione in gradu ſeptimo inveniuntur *ſobrinorum atnepotes* *c. 1. cau. 35. q. 5.*

TRVNCVS.

Frater.		Soror.
1. Nepos.	*Conſobrini.*	Neptis
2. Pronepos.	*Sobrini.*	Proneptis
3. Abnepos	*Sobrin. filii*	Abneptis
4. Atnepos	*Sobrini Nepotes*	Atneptis
5. Trinepos.	*Sobrini pronep.*	Trineptis
6. Trinepotis fil.	*Sobrini Abnep.*	Trin. filia
7. Trinepotis Nep.	*Sobrini atnep.*	Trin. nep.

§. XII.

Quare qvum diverſis ita computandi gradus rationibus initis, confuſiones circa prohibitas nuptias non parvæ orirentur, aliis veterem Juris Civilis & à Canonibus receptam computationem approbantibus, inter quos *Florentinus JC.* celebratur: aliis hanc novam & erroneam adeo propugnantibus, ut illos *hæreſeos inceſtuoſorum*, ut vocabant inſimularent, quorum præcipuus *Petrus Damiani*, qui libellum *de parentela gradibus* adverſus iſtos *c. 2. q. 5 cau. 35. Alex. II. Papa.*

 ſcripſit.

ſcripſit. *Baron. A. C. 1065.* igitur *Alexander II.* Papa Synodum in Lateranenſi Conſiſtorio habuit & veteri ubique recepta computandi ratione rejecta, ſive ex imperitia, ſive, ut, quo longius prohibitiones nuptiarum produceret, eò per frequentiores diſpenſationum impetrationes ditiorem faceret curiam. *M. A. de Dom. l. V. de Republ. Eccleſ. XI. 78.* ſive in odium Imperatoris & Legum Civilium, novam, quam à Matthæo Monacho modo laudatam diximus, *primus* publica auctoritate introduxit, & Epiſcopis obſervare præcepit. Conſtitutionem refert Gratianus. Quam mox, ut executioni daretur, in alia Synodo anathemate exaſperavit. Sed adhuc fruſtra, ut de eo conqueſtus Petrus ille. Obtinuit tamen ab Alemannis ut talis computandi ratio in Codicem legum vernaculum recepta fuerit. Itemque à Saxonibus ut videre eſt ex l. 1. Jur. Provinc. Art. 3. *In membro capitis, maſculus & fœmina, qui quæve legitimè contraxerunt, conſtitui debent. Collo tribuatur eorum proles. Indiſtinctorum fratrum filii in membro annexionis brachii & corporis ad juncturas ſcapularum reponuntur. Hic primum gradum Cognationis conſtituimus, in quo ſunt fratrum ſororumve liberi qui & nepotes appellantur.*

§. XIII.

Et certe quam putida iſta ſit, & plena errorum, & faliſitatum, inſpicienti ſtatim apparet. Veterem illam, & in Eccleſia ubique receptam computationem dicit Alexander, *novo & inaudito errore contra ſacros Canones & morem Eccleſiaſticum à quibusdam defendi.* Jactat ſe *diu ventilatis legibus, & ſacris canonibus diſtincte inveniſſe, ob aliam cauſam alteram legum fieri, alteram canonum computationem:* Cum tamen antea ex anteceſſorum ſuorum

ſive

ſive Calixti & Gregorii Decretis, ſive quorumcunque tandem ſint, ſatis docuerimus, eundem *hereditatis* reſpectum in computatione & legum & canonum habitum fuiſſe *c. 1. & 2. q. 2. c. 35.* Mox contorquere nititur computationem veterem & ad hanc novitatis prolixitatem protendere, ſed in hoc probando miſere fallitur. Ait, *Juſtinianū usq; ad quem gradum conſanguinitas ipſa perduret, in ſuis legibus non definiviſſe.* At definivit, usque ad gradum ſeptimum, in quo ſobrini filius aut filia conſiſtit § *fi. J. de Succ. cogn.* eousque ſcilicet cognatio cum effectu juris & ſucceſſionis, etſi per ſe ulterior, & ex jure Novellarum etiam civiliter efficax. In eo verò cavillatur Juſtinianum, quod ipſe affirmaverit, *decimo etiam gradu conſanguineos ſibi poſſe ſuccedere:* loquitur enim Imperator *de agnationis jure*, eique diſerte contradiſtinguit *Proximitatis* ſeu cognationis *nomen:* & ita cornua, quæ Papæ argumentatio præ ſe fert, evaneſcunt. Sed his immorari non eſt pretium operæ.

§.XIV.

Atque perſpectis iſtis inconvenientiis non dubitavit Innocentius III. *in Concilio Lateran. c. 50.* ex quo *cap. VIII. X.* de *conſang. & affin.* eſt decerptum, hactenus corrigere Alexandrinam ſanctionem, tanquam cum periculo animarum conjunctam, conſtituens: *Vt prohibitio copulæ conjugalis, quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt absque gravi diſpendio hujusmodi prohibitio generaliter obſervari.* reipſa vero nihil novi conſtituit, nam quem ipſe quartum gradum vocat, in eo conſiſtit *Conſobrini filius*, & eſt *ſeptimus* ſecundum veterem computationem, niſi quod etiam octavum quarto includat. *c. 8. X. de Conſ. & Affin.*

 dat.

dat. Novam tamen computandi rationem Innocentius introduxit, quâ hodie utimur. Cæterum articulum Juris Saxonici antea allegatum retinuerunt Saxones in ſucceſſionibus, unde ad finem ejus additum: *In ſeptimo gradu terminatur cognatio in percipiendis hereditatibus. Licet in quinto gradu Papa matrimonia contrahere conceſſit, qui tamen nullam Decretalem in noſtrarum Feudalium & Civilium conſtitutionum poteſt condere prajudicium.* Quam clauſulam tanquam *libertati Eccleſiaſticæ refragantem* condemnavit Gregorius IX. in Bulla Avinionenſi de anno 1373. Verum poteſtas LLatoria Civilis cum Eccleſiæ Libertate minimè confundenda erat.

Concluſ. de Nuptiis Conradi.

§. XV.

Sed ad Conradum noſtrum redeamus, qui ut ex iis, quæ hactenus diſſeruimus, ſatis conſtat, nihil aut inepte aut contra veteres Canones, leges civiles, moresve patrios, ducta, retentaque Giſela in matrimonio admiſiſſe, & non modo nulla diſpenſatione opus habuiſſe, ſed etiam recte hactenus promiſſionem Epiſcopis datam de repudianda uxore, non ſervaſſe, quippe qua ſervata conſcientiam læſiſſet, DEVM graviter offendiſſet, & illuſtriſſimam conjugem atroci injuria affeciſſet. Et facit huc Pauli Langii in Chronico Citicenſi de eo elogium: *Fuit Eccleſiæ catholicæ plurimum fidelis, inſuper in calamitoſos clemens & largus, in bello fortis & ſtrenuus, conſilio promtus, cautusque, ac JVRISPERITIA admodum florens. Cujus devotio erga Deum ſuperosque dilectio fervens, in rebus patet celeberrimis, quas & perfecit, geſſitque magnificè.*

Wippo denique eum Carolo M. comparatum refert.

CA-

CAPVT XI.

DE REFORMATIONE ECCLESIÆ TENTATA IMPERANTE HENRICO III. PRÆSERTIM.

SVMMARIA.

Benedicto VIII. Johannes XIX. & huic Benedictus IX. ſuccedit. Sedis Rom. nova calamitas, quæ in ipſam quoque Eccleſiam redundat. Imperator Conradus reformat Sedem. Status Eccleſiæ corruptus. Tres Papæ ſimul: quartus accedit. Reformanti Pontifici contraria Roma. Cauſa impeditæ reformationis. Gregorius VI. depoſitus. Eccleſia Germanica dat Papam. Cleri Romani ſtatus. Simoniæ natura & vis. Henricus III. cum Pontifice reformat Eccleſiam R. quanquam hic remiſſior: ille defenſus contra Baronium. Simonia eſt hæreſis. Imperator pergit ordinare S. R. Leo IX. reformare cœpit. Affectatio tituli, Papæ Univerſalis exprobrata. Manichæi. Defectus reformationis Papalis. Libellus P. Damiani contra vitia cleri, ſuppreſſus. Papa bellator reprehenſus. de duplici gladio novum dogma. Abuſus relicti in Eccleſia. Auctoritas Sedis Moguntinæ. Jus Agendæ Eccleſiaſticæ. Eccleſia Germ. pergit Pontificem R. dare.

§. I.

Sedis Rom. nova calamitas.

Romæ *Benedictus VIII.* Pontifex mortuus erat! ejus frater *Johannes XIX.* Romanam occupavit ſedem, qui *non legitimè vocatus à Deo, ſedit, ſed malis artibus adſcendit ad ipſam, indignus indignè atque tyrannicè,* ſunt verba Baronii *ad A. C. 1024. §. 3.* Eoque defuncto ſuccedit *Benedictus IX.* A. C. 1033. de quo idem auctor, *Proh nefas!* inquit, *tyrannide Alberici Comitis Tuſculani ejus filius puer in S. S. Petri ſedem intruditur, monſtrum erigitur, ſtatuiturque portentum. Cum enim morte duorum germanorum Pontificum, Benedicti atque Joannis è domo ſua Pontificatum diu retentum egredi ægro animo ferret, ne id fieret, cum alium non haberet, filium quem habebat ætate puerum, malis artibus in Petri cathedram Angelis reverendam idem Albericus intruſit.* Hæc Baronius ad A. C. 1033. §. 3. arguens porrò contra Novatores, quos vocat; à Rectore Eccleſiæ Romanæ intruſo & apoſtatico, non valere conſequentiam ad Eccleſiam ipſam Romanam, quia ipſa invita, iſte non tam Rector, quam Tyrannus ſit. Invita autem Eccleſia Romana iſtum fuiſſe Pontificem, probaſſe ſibi videtur ex Petri Diamani epiſtola, in qua ita ille de hoc Papa judicat: „ Ille nimirum, in quantum mihi videtur, absque ulla „ excuſatione Simoniacus eſt , quia vobis omnibus „ ejusdem urbis Cardinalibus Epiſcopis reclamantibus, „ obſiſtentibus, & terribiliter anathemizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis undique tumultu„ antibus & furentibus inthronizatus eſt. Dehinc ad mar„ ſupiorum patroncinia funeſta concurritur, pecuniæ per „regiones, andronas vel angiportus in populos erogantur: & quæ ſeqvuntur.

§. II. Ve-

§. II.

Verum enim vero primum in quo Baronius non ſatisfacit lectori, eſt, quod nequaquam probat, Eccleſiam Romanam nonniſi invitam ab iſto Papa, & ſuis ſimilibus fuiſſe rectam. Etſi enim *ab initio invitis* Cardinalibus Epiſcopis ſedem Papa occupaſſet, mox tamen *conſenſerunt populi* pecunia corrupti, teſte eodem Damiani; ſed anne putes iſta *marſupiorum patrocinia* non etiam Proceres ipſos & Clerum affeciſſe? Certe ipſe Baronius §. *VII.* non diffitetur, agnitum fuiſſe hunc Benedictum absque controverſia Rom. Pontificem, etiam ab Epiſcopis. Quam porro dicis Eccleſiam Romanam? niſi quam conſtituit populus & Clerus: at uterque Simoniacum recepit, agnovit, & pontificialia munera ab ipſo expectavit. Teſtatur de plurium hac in re conſenſu Glaber, qui *lib. 4. c. 5.* de hujus Papæ conſtitutione tale tulit judicium: *Cum non eſſent in populo, vel rari, qui cæteros corrigentes talia redarguerent, impletum eſt Prophetiæ vaticinium, quod ait: Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos.* Non ſufficienter igitur Eccleſiam Romanam de receptione hujus Simonis Baronius excuſavit. *in ipſam quoque Eccleſiam.*

§. III.

Deinde quidem illud facile conceſſerimus Baronio, non ſtatim omnem Eccleſiam eſſe apoſtaticam, quæ occupata eſt forte à Rectore apoſtata. Neque in hoc rei nervus conſiſtit, ſed in eo potius: anne *omnis Eccleſia, cujus regimen ſeu Sedes à puritate fidei, & ſanctitate vitæ defecit, ipſa quoq; defeciſſe præſumatur.* Etenim cujusq; Eccleſiæ externæ ratio formalis & ſpecifica differentia in publica confeſſione, cujus Regimen Rectorve eſt auctor, conſiſtit. Qualis Rector, tale regimen, talis publica confeſſio, talis *redundans.*

Eccle-

Eccleſia regulariter cenſetur. Qvum enim hæc ſibi invicem ſint ſubordinata, de identitate præſumitur tam diu, quam diu non expreſſe altera pars, v. gr. Eccleſia, aut populus contradicit, aut ipſo facto diſſentit. Atqui in Eccleſia Romana non primus hic erat puer Benedictus IX. qui hanc calamitatem Eccleſiæ Romanæ inferret, ſed ut Glaber teſtatur, *Romana Sedes præfato morbo peſtifero, nempe Simonica labe per viginti quinque annorum ſpatia miſerrime laboraverat.* Qualia hi inſtituta invexerint, teſtis eſt de hoc ipſo Benedicto, & ſimul de pravo dogmate in Eccleſiam Rom. introducto, alios præter Chriſtũ Mediatores ſibi quærendi *Bartholomæus* Abbas Cryptæ Ferratæ: *Qui tunc temporis Apoſtolicæ Sedi præerat, cum juvenis eſſet, voluptatibus deditus, humanæ fragilitati ſe præcipitem dedit. Sed cum tandem ab hoc malo reſipuiſſet, & malefactorum ſolutionem, & veniam ſibi quæreret, B. Bartholomæum ſibi fore MEDIATOREM agnovit, & interceſſorem illum ſibi decrevit. Quapropter advocavit illum majori qua poterat veneratione & honore.* Tandem hic Benedictus IX. *ex præcepto Imperatoris* Conradi *ejectus fuit à Sede & in locum ejus ſubrogatus vir religioſiſſimus ac ſanctitate conſpicuus Gregorius VI.* ut refert idem Glaber, adjiciens, *cujus videlicet bona fama, quidquid prior fœdaverat in melius reformavit.* De quo deinceps videamus. Ejectum quidem præcepto Imperatoris Benedictum verum eſt, ſed & Gregorium VI. Clemens autem II. ab Imp. ſurrogatus fuit.

Imp. reformat S.R.

§. IV.

Status Eccl. corrupta.

Enimvero quæ tunc fuerit rei ſacræ facies, qui mores Eccleſiaſticorum, id aperit Legatio Polonorum, ad Benedictum IX. miſſa A. C. 1039. contra Bohemos; *pleroſque*

que Cardinalium adeuntes, pluribusque largitionibus, & promiſſis ſollicitantes, ut ſuis conſiliis, & ſuffragiis decretum Apoſtolicum de reſtituendis ſanctuariis Eccleſiæ Gneſnenſis reſcinderent, aut ſi reſcindere non poſſent, reſpectibus aliquibus executionem ejus ſuſpenderent. Ineſcati itaque Cardinales pretiis, & precibus cœptam in Sacrilegium, Principemque ſeveritatem, & ipſi remittunt, & Pontifici remittendam perſuadent, ut ex Jo. Longino Dugloſſo refert Baronius.

§. V.

Docet idem porrò ſchiſma Paparum trium, quam *beſtiam tricipitem* vocat idem Cardinalis, *portis inferis ſimul emergentem*, ad A. C. 1044. §. V. *Benedictum* multis criminibus reum Romani expulerant, ſuffecto Joanne Epiſcopo Sabinenſi h. e. *Sylveſtro III. non tamen gratis*, ut ait Leo Oſtienſis *l. 2. c. 80.* Sed hoc iterum depulſo, cedit Benedictus ſedem *Johanni* Archipresbytero; ſed ut Hermannus Contractus teſtis eſt, itidem *ob avaritiam contra canones.* De his tribus Antipapis, ait Otto Friſingenſis Epiſcopus, Conradi III. Imp. frater uterinus: *Circa idem tempus pudenda confuſio Eccleſiæ Dei in urbe Roma fuit, tribus ibi invaſoribus, quorum unus Benedictus dicebatur, ſedem illam ſimul occupantibus, atque ad majoris miſeriæ cumulum diviſis ſimul redditibus, Patriarchiis, uno ad S. Petrum, altero ad S. Mariam majorem, tertio id eſt Benedicto, in Lateranenſi ſedente, flagitioſum & turpem vitam, ut egomet in Vrbe Romanis tradentibus audivi duxere.* Acceſſit & *quartus*, Gratianus h. e. *Gregorius IV.* quem reformaſſe Eccleſiam Glaber antea referebat. De eo pergit Otto: Hunc miſerrimum ſtatum Eccleſiæ religioſus quidam Presbyter, Gratianus nomine, videns, zeloque

Tres Papæ ſimul.

quartus accedit.

„ pietatis matris ſuæ compatiendo, animadvertens, præ-
„ fatos viros adiit, eisque à Sede Sancta cedere PECVNIA
„ perſuaſit, Benedicto redditibus Angliæ, quia majoris
„ videbatur eſſe auctoritatis, relictis. Ob ea cives præ-
„ fatum Presbyterum, tanquam Eccleſiæ Dei liberato-
„ rem in ſummum Pontificem elegerunt, eumque mu-
„ tato nomine Gergorium VI. vocaverunt.

§. VI.

Reformanti Papæ contraria Rom.

Et vero habuit hic Gregorius VI. zelum reformandi Eccleſiam Romanam, eique ſtimulos addidit, maxime tum auctoritatis monachus Petrus Damiani, in epiſtola I. in qua ſtatum Eccleſiæ Rom. ita deſcribit: Conteratur
„ jam milleforme caput venenati Serpentis, ceſſet com-
„ mercium perverſæ negotiationis, nullam jam mone-
„ tam falſarius Simon in Eccleſia fabricet, nulla Giezi
„ præſente providi doctoris abſentia furtiva donare
„ oportet. Reprimatur avaritia ad Epiſcopales infulas
„ anhelantium: evertantur cathedræ columbas venden-
„ tium nummulariorum. Veruntamen utrum iſta, quæ
„ ſcribimus, mundo ſperare ſit licitum, primo Piſauren-
„ ſis Eccleſiæ bonæ ſpei clarum dabit indicium. Niſi
„ enim prædicta de manu illius adulteri, inceſtuoſi, per-
„ juri, atque raptoris auferatur, omnis populorum ſpes
„ quæ de præparatione mundi erecta fuerat, funditus
„ enervatur. Et ſi ille tot criminibus obvolutus ad Epi-
„ ſcopatus arcem reſtituitur, ab Apoſtolica Sede boni ali-
„ quid ulterius poſſe fieri penitus denegatur.

§. VII.

Scævum ſanè augurium! at minus fallax. Namque nec Piſaurenſis Eccleſiæ cauſa deprehenditur deciſa, & cæteroquin ſuſcepta à Papa reformatio admodum len-

tos fecit progreſsûs, & circa politiam Vrbis Romæ fere tota occupata fuit, usque dum toti mox negotio Populus atque Clerus Romanus ſeſe oppoſuit. *Quirites enim rapto vivere aſſueti, Sanguinarium vocarunt illum, & indignum eſſe, qui Deo offerret ſacrificium tot cædium conſcius. Et ut fieri ſolet, quod morbus obloquii ab uno ſerpat in omnes, ipſi etiam Cardinales argumenta Populi probabant*, ſunt verba Principis inter rerum Anglicarum ſcriptores *Guilielmi Malmesburienſis*, qui imperante Conrado III. vixit, *lib. II. hiſt. Anglic. c. XIII.* qui initia difficilia & progreſſus lentos, & exitum infelicem hujus Pontificiæ reformationis ſuccincte deſcripſit, & retulit Baronius *ad A. C. 1044. §. XIII.* Ex quibus oppido pateſcit, non ſingulas Pontificum perſonas à fide & virtute Apoſtolica defeciſſe hactenus invita Eccleſia Romana, ut Baronius fatebatur, ſed imo totam Eccleſiam & urbem Romanam receſſiſſe à viis Domini, nec admiſiſſe reformationis progreſſum à Pontifice tandem aliquo ſuſceptæ.

§. VIII.

Cauſam hujus infelicis ſucceſſus ipſe *Petrus Damiani*, qui ſæpe ex eremo in Vmbria ad reformandam Eccleſiam accerſitus, & tandem etiam ad Epiſcopatum Oſtienſem ſuſcipiendum perſuaſus, quem tamen iterum reſignavit, oleum & operam perdi expertus fuit, aperit *lib. de Contemtu Seculi cap. XXX. ſeq.* ait: Nolite quæſo, Monachi nolite ſub Eccleſiaſticæ compaſſionis ſpecie Regum aulas irrumpere: nolite aures Principum, velut ſalutaria ſuggerendo, faſtidioſa importunitate pulſare. Credite experto, credite in hujus gratia ſtudiis non leviter fatigato. Imperatoriæ nempe Majeſtati ſæpè, quæ ſuggerenda videbantur, expreſſimus: à ſummis Ponti-

Cauſa impetitæ reformat.

„ tificibus invitati, Synodalibus Conciliis interfuimus;
fatum. „ ſed qui hoc tempore iſta proſequitur, tanquam ſi ſemi-
„ na crederet arenoſis littoribus, videtur. Sæpe nam-
„ que in Conciliis Synodalibus poſiti, quosdam clam ibi
Epiſcopi „ feraliter conſcios præſidere in numero Sacerdotum vi-
„ dimus, non modo de ſuis ſecuros, ſed ultro etiam ad
„ aliorum crimina defendenda impudenter accinctos.
„ Qui nimirum, ut ferebatur, & cum Simone prius eme-
„ rant, & cum Giezi poſtmodum chariſmatum dona
„ vendiderant: quorum tanta vis erat ad excuſandas
„ excuſationes in peccatis, ut inter cætera mala etiam Si-
„ moniacæ hæreſeos non modo defenſores, ſed videren-
„ tur potius aſſertores. Quis ad iſtorum invidiam mo-
„ nachus mutire præſumeret? Quis ad arguenda crimi-
„ na vel juſtitiam declarandam vendicare ſibi jus liberta-
ſuppreſſa libertas Eccleſiæ. „ tis auderet? illico in nos duræ ſuggillationis arma cor-
„ riperent, & præmiſſo jurgio ſilentium imperarent, in-
„ ter ſe ſcilicet hoc modo judices conquerentes: Ad
„ concilium hoc judicantes convenimus. Sed ô nova
„ præſumtio! noſtrorum ſententiis ſubjacemus, & Epi-
„ ſcoporum ſunt judices facti, qui legaliter ſub eorum
„ fuerant legibus conſtituti. Quibus aliquando reſpon-
„ detur: Venerabiles Patres & Domini, ſicut vobis ſpeciali-
„ ter prærogatū eſt judicare, ita etiam minoribus Eccleſiæ
„ mēbris competit, quod ſentiunt, in commune conferre:
„ nec ulla canonum auctoritas prohibet juniores, quæ Ec-
„ cleſiæ ducunt profutura depromere, dum tamen ven-
„ tilata negotia Pontificalis judicii debent clauſula ter-
„ minare. Si quando hoc, aut aliquid hujusmodi cum
„ humilitate ſuggeritur; nequaquam patienter admit-
„ titur, ſed ſi quid à nobis in Synodo actum eſt, totum ad

invi-

invidiam noſtram ſuperbo vocabulo JVDICIVM „
nuncupatur. Hæc breviter id circo perſtrinxerim, ut in „
me quilibet inexpertus diſcat, ſibimet etiam à talibus de- „
clinare quantum expediat. „

§. IX.

Scilicet quemadmodum ſe res habet cum diſſolutione ſocietatis hominis ſingularis cum DEO contractæ, ita pariter etiam cum receſſione & divulſione totius alicujus Eccleſiæ localis & externæ à fundamento ſuo, quod in Petra Chriſto ædificatum, & à Regno Chriſti interno, comparatum eſt. Atque ut primo vinculum noſtræ cum Deo amicitiæ, per peccata quotidiana, & malos hominis mores charitati Chriſtianæ contrarios labefactatur, ita etiam per pravos turpesque *mores Rectorum* Eccleſiæ, quæ mox totum corrumpunt ſuo exemplo ovile, vis prima infertur unioni Eccleſiæ localis, quæ cum vita ſua, & forma interna vivificante Regno Chriſti interno eſt unita, ita ut dehinc externam magis ſpeciem Eccleſiæ Chriſtianæ retineat, cæteroquin aut mortua ſit aut moribunda. Hæc *Gradus Apoſtaſiæ* 2. vitæ turpitudo & *charitatis* Chriſtianæ neglectus ſi continuatur, ſtatus SECVRITATIS carnalis oritur, & APOSTASIA COEPTA, qua mox exempla proſerpunt longius in *Rectores ſubordinatos*, & univerſum *populum*. Ejusmodi ſtatum repræſentat Spiritus S. per Eccleſiam Laodicenſem & Sardicenſem.

§. X.

De torpore hoc ſuo, & vitioſo ſtatu *moniti* Recto- 3.
res, Doctoresve Eccleſiæ ſi non auſcultant verbo, aut poteſtatis Civilis præceptis omnino vi etiam reſiſtunt, & mores ſuos corruptos *defendere* ſatagunt, res eò pejor fit, & contumacia, obſtinatio, *& occæcatio, & ſpiritualis ob-*

 ſeſſio

ſcſſio oritur atque etiam non charitas, ſed etiam *Fides*, & puritas Confeſſionis Chriſtianæ labefactata cernitur, *nova dogmata* palliativa cuduntur, quibus malum juſtificari, bonum corrumpi contenditur. Quo in ſtatu Eccleſia Hebræorum tempore Jeremiæ deprehenſa eſt, qui *cap. XXIII. 13. 14.* de eo ait: *Et in Prophetis Samariæ vidi fatuitatem, & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Iſrael. Et in Prophetis Jeruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacii: Et confortaverunt manus peſſimorum, ut non converteretur unusquisque à malitia ſua: facti ſunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quaſi Gomorrha.* In tali ſtatu depingitur Eccleſia Judæorum tempore Meſſiæ futura, ſub vigore *voluminis volantis, juxta quod omnis fur innocens pronunciatur, & omnis perjurus itidem. Zachar. V.* Denique ſi perſeveratur in eodem ſtatu usque ad finem, eſt & dicitur *Apoſtaſia totalis*, & peccatum in Spiritum S. atque æterna ſocietatis divinæ & humanæ diſſolutio. In qua vero Eccleſia Locali talis pertinacia perdurat usque ad finem ſeculi, iſta ſine dubio eſt famoſa illa meretrix Babylonica in SS. Apocalypſi depicta VRBS illa magna, quæ habuit Regnum ſuper reges terræ.

§. XI.

Sed ut ad Gregorium VI. revertamur, non mirum eſt, hunc infelicem fuiſſe Reformatorem, qvum & ipſe non divinâ & legitima vocatione Pontificatum maximum & reformationem Sedis Rom. ſuſcepiſſe feratur, ſed per Simoniam. Neque ſolus *Benno* Cardinalis id refert, *mille quingentas libras perſolviſſe Benedicto IX. ut Pontifex fieret;* ſed etiam Otto, Friſingenſis Epiſcopus fide dignus, ut ſupra vidimus, teſtis eſt, eum tribus ANTIPAPIS

PE-

PECVNIA *perſuaſiſſe, ut Sede Romana cederent.* Hinc Gregor VI. jure merito ab Imp. Henrico III. in Synodo Sutrienſi fuit remotus A. C. 1046. ipſeque *omnium tam Romanorum, quam aliorum conſenſu Suidgerus Epiſc. Babenbergenſis, nimium licet reluctans*, fuit ſuffectus, nomine Clemens II. teſte Hermanno Contracto. *Gregor VI. depoſitus.*

§. XII.

Atque illud admodum notabile eſt, quod de Electione hac refert Leo Marſicanus ex Monacho Caſinenſi Epiſcopus Oſtienſis, *l. II. Chron. Caſin. c. 80.* ſcribens: *Hoc facto Imperator exultans Romam cum omnibus ipſius Concilii Epiſcopis venit, & in Eccleſia B. Petri Apoſtoli congregato Clero, Populoque Romano, quid Sutri geſtum eſſet, exponit. Dehinc de ordinando Pontifice Romanæ Eccleſiæ tractare communiter cœpit: Facta itaque diſcuſſione diligenti, cum nullus (proh dolor!) inveniretur dignus, qui tantæ Eccleſiæ præeſſet, electione tamen omnium Bambergenſis Epiſcopus de gente Saxonum Papa Romanus eligitur, eique Clemens nomen imponitur.* Nec ipſe Papa Leo IX. diſſimulat *in Epiſtola ad Conſtantin. Monomach. Imp.* ſcribens inter alia: *Et quia abundante iniquitate, & refrigeſcente charitate S. Rom. Eccleſia & Apoſtolica Sedes nimium diu obſeſſa fuit mercenariis, & non paſtoribus, à quibus ſua, & non quæ ſunt Jeſu Chriſti, quærentibus, devaſtata jacebat miſerabiliter hactenus.* Etſi enim nonnullos venerabiles viros ſanctæ converſationis ſtudio tum in Italia floruiſſe teſtetur Petrus Damiani, tamen eosdem à Simoniacis ad Sacerdotium provectos fuiſſe, ſimul docet, quos verò Sede ſummâ indignos judicabant. Adeo verum ſcripſit de ejus hoc ſtatu Baronius *ad A. C. 1049. §. X.* dicens: *Cæterum præter ipſos* (Simoniacos) *etiam & frutices illi infeliciſſimi, vepres* *E Germania petendus Papa.*

pres infauſti, ſpiræ, & urticæ agrum Patrisfamil. in immenſum oppleverant, qui ex putore carnis, corruptionis fimo turpiter excreverunt: Omnis quippe caro corruperat viam ſuam, ut non tantum ad eos abluendas ſordes videretur ſatis eſſe diluvium, ſed nefanda ſcelera ignem è cœlo Gomorrhæum, quo eſt exuſta Pentapolis, poſtularent.

§. XIII.

Simonia. Origo tanti, tamque peſtiferi, ac tam late proſerpentis graſſantisque mali non fuit alia tum temporis exiſtimata, quàm iſta radix omnium malorum, Avaritia, quæ peculiari nomine vocata SIMONIA, & non malè *Simoniaca peſtis, quæ ſui magnitudine omnes alios morbos vincat, c. 6. X. de ſimon.* Teſtis omni exceptione major *Petrus Damiani* antea fuit auditus, cui ut denuo auſcultemus operæ eſt: *Quis enim neſciat*, ſcribit ad Henric. Archiepiſcopum Ravenn. Ep. XXXII. *usque ad hujus Henrici clementiſſimi Regis imperium, præſulatumque reverendæ memoriæ Clementis Papæ, iſtiusque beati Leonis, quo nunc videlicet Præſule ſancta ſe gubernari gratulatur Eccleſia per Occidentalia regna VIRVS SIMONIACÆ HÆRESEOS ebulliſſe, ita ut, quod fiebat, paſſim licenter admiſſum, ultimæ animadverſioni nequaquam duceretur obnoxium, & quod erat fere omnibus conſentaneum, pro regula teneretur, tanquam legali ſanctione decretum.* Et Glaber Radulph. l. V. c. V. *Dignoſcens Henricus* (III. Imper.) *per univerſam Galliam ac Germaniam Simoniacæ Philargyriæ graſſari cupiditatem.* Et mox: *Non ſolùm in Gallicanis Epiſcopis hæc peſſima pullulaverat nequitia, verum etiam multo amplius totam occupaverat Italiam; omnia quippe miniſteria Eccleſiaſtica ita eo tempore habebantur venalia, quaſi in foro ſecularia mercimonia.* Nomen *Simoniam* accepiſſe à Simone Mago,

Mago, conſtat, occaſione inde natâ, quod *poteſtatem Apoſtolicam* pretio comparare à Petro contenderat; adeoque *proprie* notat ſollicitationem donorum ſpiritualium *extraordinariorum* oblata pecunia. Vſurpari vero conſuevit etiam de dono ſpirituali *ordinario* poteſtate ſcilicet clavium, & toto jure miniſterii Sacri una cum commodis temporalibus eo conſecratis, & de impetratione illius dato acceptoque pretio. Denique accipi etiam ſolet de comparatione ſolarum rerum ac redituum & commodorum, functionibus Spiritualibus dedicatorum, quam Simoniæ ſpeciem non Jure divino, ſed Eccleſiaſtico introductam tradit Petrus de Marca *l. IX. de C. S. J. c. XXI.*

§. XIV.

Porro qvum mercatura officiorum civilium inter primas cauſas interitus Rerumpubl. referatur à Prudentibus, illudque Claudiani valere præcipiant *emitur ſola virtute poteſtas.* Quanto magis ſacræ poteſtatis mercatura Eccleſiæ interitum, & à vita ſua ac motore primo Spiritu S. ſeparationem afferat? Optimè advertit *J. Lipſius l. 3. Pol. c. 9.* §. *9.* non modo turpem, ſed & exitioſam Reipubl. eſſe illam mercaturam vel hac cauſſa, *quod rara in talibus integritas, & corrumpantur facile, qui corrupere.* Vnde Alexander Severus: *Ego vero non patior mercatores poteſtatum, neceſſe eſt enim, ut qui emit vendat.* Hoc verò in rebus ſacris, & ſpiritualibus tanto abominabilius eſt, quanto impoſſibilius, Salvatore noſtro ipſo pronunciante, *Deo ſervire, & Mammone, Matth. VI. 24.* Qui ergo per Mammonam impetrat ſacram poteſtatem non à DEO vocatus dici poteſt, ſed à DEO ad ejus adverſarium defeciſſe, & huic inſerviiſſe: Apoſtaſiam igitur aliquam continet hoc crimen, *à fide*, *Effectus Simoniæ*

& fiducia in Deum, à ſanctitate, *& charitate*, & plerumque ea cum ignorantia, & ineptitudine interna eſt conjuncta. Statum hunc Simoniacum ex conditore hujus Sectæ cognoſcas, cujus conditionem Spiritus S. ita deſcripſit; οὐκ ἔστι σοι μερὶς, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ· ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἐστὶν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα. *non eſt tibi pars, nec ſors in hac re* (quam ambis) *cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. In felle enim amaritudinis, & colligatione iniquitatis video te eſſe. Act. VIII. 21. 23.* Et quæ Satanæ hominumque eſt malitia, qvum primo Simoniacus fere ſolet eſſe *imperitus* rerum ſacrarum, & ſolum poteſtatis ſacræ & redituum Eccleſiaſticorum *cupidus*, mox reprehenſus, quærit media, quibus pravitatem morum palliet, defendat, & ſi diis placet, ſanctificet; qua re confidentior factus, omnia ut jam tum venalia ita nunc cariora. Sed & nova compendia, nova inventa, quæ ut ſanctitatis ſpeciem habeant, ſuperſtitionibus variis veſtienda ſunt.

§. XV.

Imp. reformat Eccleſ. Romnam.

Imperator igitur *Henricus III.* auguſtum officium ſecutus, *Reformationem* tam neceſſariam Eccleſiæ divino inſtinctu ſuſcipiens, recte atque ordine *à ſede Romana*, veluti capite incepit, & probo tandem ſuffecto Pontifice, Clemente II. (alias Suidgero à Meiendorff, Nobili Marchico. *Frid. Seidel. Elog. Vir. Illuſtr. March.* & Epiſcopo Bambergenſi,) una cum ipſo primò omnium aggreſſus eſt radicem iſtam *Simoniacam* omnibus viribus eo allaborans, ut eam penitus extirparet. Id egit in *Concilio Romano* A. C. 1047. adverſus Clerum Romanum, & Italiæ. In eo

eo cum his, qui à Simoniacis ordinati, ita diſpenſatum fuit, *ut ſi in ipſo ſuæ ordinationis tempore non ignoraſſent Simoniacum eſſe, cui ſe obtulerint promovendos, XL. dierum pœnitentiam agerent, & ſic in accepti ordinis officio miniſtrarent*, teſte Petro Dam. *Ep. 16. c. 30.* Idem in Germaniam reverſus, congregatis Epiſcopis *Germaniæ, & Galliæ* propoſuit *edictum* omni imperio ſuo, ut NVLLVS CLERICORVM (lego Clericatum) VEL MINISTERIVM ECCLESIASTICVM PRETIO ALIQVO CONQVIRERET: AC SI QVIS DARE, AVT ACCIPERE PRÆSVMERET, OMNI HONORE DESTITVTVS ANATHEMATE MVLCTARETVR. Atque qvum Pontifex videretur invidiam atque potentiam timere, Simoniacorum Italiæ, præcepto Imperatoris per Petrum Damiani fuit excitatus ad priorem zelum, in eleganti epiſtola, *Papa remiſſior.* quam exhibet Baronius *A. C. 1047.* §. *XIII.* In qua inter alia dicit, *Eccleſias DEI in partibus Italiæ, per malos Epiſcopos & Abbates omnino confuſas eſſe.* Deinde exprobrat Clementi frigiditatem remiſſæ reformationis: *Sed cum videamus Fanenſem latronem ab his etiam, qui non erant, ſed dicebantur Apoſtolici, maledictum, & excommunicatum Auximanum quoque tot & tantis inauditis criminibus involutum, alioſque ſimili ſententia condemnandos, à vobis cum tanta arrogantia, & exultatione reverti: cogitur in luctum ſpei noſtræ gaudium commutari. Nos autem ſperabamus, quod tu eſſes redemturus Iſraël.*

§. XVI.

Baron. notatur. 1. Quo difficilius itaque videtur, ut à Pontifice Rom. ipſo, etſi vero Epiſcopo & legitimè conſtituto, reformatio Eccleſiæ peragatur, eo magis ſui officii ratus Imperator, Eccleſias imprimis Germaniæ, adverſus iſtam peſtem Apoſtaſiæ Eccleſiaſticæ tueri; ut hinc non dubitarit *anathema* etiam inferre in delinquentes. Quod Baronius *ad A. C. 1047. §. IIX. fi.* ſuggillat ſed fruſtra, qvum edictum illud fuerit in Synodo, ex toto imperio collecta decretum, ut ex Glabri relatione conſtat. Et qvum Epiſcopi ſinguli id juris habeant in ſua Diœceſi, ad hoc ut anathema ubique valeat; *Concil. Nicen. c. V. Capitulare Aquisgranenſe Caroli M. anno 789. cap. 1. & lib. 1. Capitular. c. 1.* quid ni idem Jus Synodo univerſæ competat. Sed & illud diſplicet Baronio, quod Imperator cum Simoniacis

2. *diſpenſatio cum Simoniacis.* Epiſcopis *diſpenſavit*, ut retinerent Epiſcopatum, *non fuiſſe id Imperatoris opus*: Sed non ſolum Imperator ſed totum Concilium diſpenſavit: quale quid in cauſa Clericorum tempore Conſtantii Imperatoris Arriana communione pollutorum diverſis Synodis per Græciam, Galliam, & Hiſpaniam factum fuiſſe teſtatur Athanaſius *in Epiſt. ad Ruffin.* conf. Petr. de Marca *lib. III. de C. S. & J. c. XIII.* Et diſpenſare etiam potuit, quoniam rei *miſericordiæ opem implorabant* pœnitentes, teſte Glabro, qualem ſeſe etiam exhibet Ditmarus Epiſcopus Merſeburg. *l. IV. Chron.* At cum multo firmior ſit fides, quam reponit pœnitentia, *Lactant. l. V. c. XIII.* prudentiæ eſt, peccata ſic compeſcere, ut ſint, quos peccaſſe pœniteat, quia ſæpe meliores, quam qui nunquam peccarunt. Et ut Seneca *l. 2. de Ira c. 10.* ait: *In ſingulos ſeveritas Imperatoris diſtringitur; at neceſſaria venia eſt, ubi totus deſeruit exercitus.*

tus. Eâque prudentia ſe uti oportuiſſe in reformatione Eccleſiæ Mediolanenſis Petrus Damiani *in relatione ad Hildebrand. Archidiac.* fatetur. *Baron. A. C. 1059. §. 51.*

§. XVII.

Atque qvum per *cap. ad abolendum. X. de hæret.* Clericus hæreticus non ſit Eccleſiaſticis officiis privandus, ſi continuò & ſpontè antequam ſæpius monitus, & teſtibus convictus fuerit, ad orthodoxiam revertitur, *Ferd. de Caſtro Palao Op. Moral. P. 1. Tr. 4. D. 4. ſ.* idem de Simoniaca hæreſi ſtatuendum videtur. Etſi autem Simoniam tantum quoad externam profeſſionem hæreſin cum Thoma aliisque idem aſſerit *P. 3. Tr. XVII. D. 3. p. 1. num. 3.* Videtur tamen propriè dicta hæreſis eſſe Simoniæ dogma: quod pro *regula* & *legali ſanctione* in communi habitum, & probatũ fuiſſe in Eccleſia Romana, teſtabatur modo Petrus Damiani. Namque non externus ſingulorum actus, ſed commune inſtitutum, ejusque approbatio & propugnatio fecerat hæreſin. *Vitium quippe in hæreſin vertitur, cum perverſi dogmatis aſſertione firmatur,* ait idem Petrus *Epiſt ad Hildebr. Archidiac.* Sed & *mentalis* dicitur *Simonia,* quam utique oportet eſſe internam, quippe fundamentum externæ & actualis, & quam in Simone fuiſſe, iſtis verbis dignoſcitur ὅτι τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. Et ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ *Act. VIII, 20, 21.* *Simonia eſt hæreſis.*

§. XVIII.

Clemente II. primo regiminis ſui anno in Germania defuncto, & Babenbergæ ſepulto, Romani memores ſuæ obligationis, & Imperatorii Juris Popponem Epiſco- *Imp. ordinat Sedem Romanam.*

pum Brixienſem ab Imp. commendatum, communibus ſuffragiis eligunt, & conſecrant, nominatum *Damaſum II.* Mox verò etiam hoc defuncto, Bruno, Comes Dagsburgenſis, & Epiſcopus Tullenſis, ab eodem Imp. ad ſedem Rom. occupandam deſtinatus, à Clero, populoque Rom. fuit electus, conſecratus, & Leo IX. appellatus. Qui zelum reformatoris Imperatoris, & Anteceſſoris ſecutus in concilio Romæ coacto A. C. 1049. renovavit Clementis II. decretum de Simoniacis, & qui ab iis ordinati. *Nam qvum omnes Simoniacorum ordinationes Synodalis vigoris auctoritas caſſaſſet: Protinus à Romanorum Sacerdotum multitudine magna ſeditionis tumultus exortus eſt, ita, ut non ſolum ab ipſis, ſed à plerisque diceretur Epiſcopis, omnes pene baſilicas ſacerdotalibus officiis deſtitutas, & præcipuè Miſſarum ſolennia, ad ſubverſionem Chriſtianæ religionis, & deſperationem omnium circumquaque fidelium funditus omittenda.* Sunt verba Petri Damiani: Igitur iſthac Clementis II. diſpenſatione opus utique erat. Et ſcripſit *Petrus Damiani* librum cui *Gratiſſimi* titulum dedit, quo demonſtravit, errare hos, qui putarunt, *ordinatos à Simoniacis denuò eſſe ordinandos.*

Leo IX.

§. XIX.

ejus geſta

Rebus in Italia ordinatis, Galliam viſitavit novus Pontifex, & Synodum Rhemenſem inſtituit, Simoniacos Gallos in ea coërcens. Inde Germaniam adiens, *Synodum Moguntinam* præſente Imperatore celebravit, & Principibus Regni Germanici, *Hermann. Contract. A. C. 1049.* ubi *multa ſancita ſunt ad utilitatem Eccleſiæ, præ quibus Simoniaca hæreſis, & nefanda ſacerdotum conjugia, holographâ Synodi manu perpetuo damnata*, ut refert Adam. Brem. *l. 3. c. 31.* Mox qvum à Joanne Scoto, & *Berengario de præſentia corporis Chriſti in S. S. Eu-*

contra Simoniacos,

Berengariũ,

chariſtia lis mota ita intelligeretur, quaſi omnis omnino præſentia corporalis negaretur, in Synodo Romana A. C. 1050. iſta hæreſis fuit condemnata, qua de re poſtea pluribus. Contra vetuſtiſſima conſuetudo *communicandi ex azimis*, poſt tot ſanctos, & orthodoxos Patres per mille & viginti à Paſſione Salvatoris annos, adverſus calumnias Eccleſiæ CPolitanæ, fortiter fuit defenſa, A. C. 1054. Atque ſimul Patriarchæ iſtius Eccleſiæ exprobrata uſurpatio tituli VNIVERSALIS Patriarchæ, quæ licet magis convenire Eccleſiæ Rom. propter ſucceſſionem S. Petri, *veruntamen* inquit Papa, *quia ille non invenitur VNIVERSALIS APOSTOLVS dictus, quamvis Princeps Apoſtolorum ſit conſtitutus: nullus ſucceſſorum ejus tam prodigioſo prænomine conſenſit appellari penitus, licet Magno Leoni prædeceſſori noſtro, & ſucceſſoribus ipſius hoc ſancta decreverit Chalcedonenſis Synodus: Nempe animadvertebant, non eſſe amicum Sponſi, qui pro ſponſo vellet amari. quia potius paranymphum & lenonẽ Antichriſti, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Sunt verba Leonis IX. ad Michaelem Patriarcham CPolit. Improbat itaque hic Pontifex arrogantiam Bonifacii III. qui, ut ſuperius vidimus, edicto promulgaverat, ſibi iſtum titulum debere tribui.

affectatores tit. Papæ univerſ.

§. XX.

Nec minor virtus Imperatoris noſtri pro tuenda Eccleſia Germanica adverſus Manichæos, qui in Germaniam irrepſerant. Nam qvum A. C. 1052. Imperator Goslariæ Natalem diem Domini celebraret, audivit ibi eſſe hæreticos Manichæos non ſine admiratione, ut adeo exſecrandæ hæreſis adhuc reperiri reliquiæ poſſent. Quam ob rem zelo, quo æſtuabat Fidei orthodoxæ, eos

Imp. contra Manichæos.

omnes

omnes repertos *patibuli ſuſpendio* necari juſſit, ne videlicet, ſi parceret eis Chriſtianos Catholicos hæreſis ejusdem veneno inficeret; referente Baronio. Etſi enim in hæreticos Eccleſia non exercet pœnam capitalem, atque Edm. Richerius *Hiſt. Concil. Gen. c. X. 22.* obſervat, Rempubl. Chriſtianam mille & amplius annis nunquam pœnas capitales hæreticis impoſuiſſe: Habet tamen Poteſtas Summa Reipubl. jus, ut quandoque capitaliter puniat hæreticos in Concilio univerſali condemnatos, eo quod turbantt ranquillitatem Reipubl. & ſtatum tum civilem tum ſacrum, id quod crimen publicum eſt, & publicam meretur accuſationem, ita ut & legentes aut habentes libros Neſtorianos ultimo ſupplicio plectendi ſint per Conſtitutionem Theodoſii & Valentiniani, *l. 3. C. de S. Trinit.* Speciatim vero in *Manichæos* ultimum ſupplicium fuit conſtitutum per Impp. ut conſtat ex Eclog. Baſilic. *lib. 1. c. 25.* unde *l. 11. & 12. C. de hæret.* Juſtinianus quoque conſtitutionem Theodoſii & Valentiniani eo extendiſſe videtur, *l. 5. §. 1. eod.* inſerens hæc: *& ultimo ſupplicio tradentis.* quanquam J. Gothofredus ab imperito homine adjecta cenſeat. Imò verò jamtum ab initio ortæ hujus hæreſeos ab Impp. Diocletiano & Maximiano pœna capitalis in Manichæos ſancita fuit, Conſtitutionem ex Codice Gregoriano recitat *Collatio LL. Moſaycar. & Romanar. Tit. XV.* Certè nec Jus divinum repugnat, quin hæretici capite quandoque puniri poſſint, *Deut. c. XIII. c. XVII. 2.*

§. XXI.

Papa reform. Imperf.

Verum enim verò quantumvis hic zelus nationis Teutonicæ, unde Eccleſiæ Romanæ regimen, ac ſalus ſemel atque iterum jam petebatur, diu deſideratam reformatio-

mationem, non inauſpicato cœperat, nec tamen confecerat. Simoniâ in Germania & Gallia aliquantum repreſsâ, *dilapidationem bonorum Eccleſiæ*, poſtea ſucceſſor Victor II. prohibuit, non repreſſit, *Vid. Baron. ad A. C. 1055. §. 2. ſeqq.* cujusque tempore Simoniaca hæreſis totam adhuc Italiam occuparat, *idem*, §. *XVI.* Præterea etiam deteſtanda carnis vitia in Clero Italo graſſabantur, de quibus coercendis *Petrus Damiani* Pontificem monuit ſcripto libro, quem *Gomorrhæum* vocavit, qui etſi Pontifici non ingratus viſus fuit, auctor tamen offenſam Leonis Pontificis, operâ calumniatorum incurrit, ſed & ipſe liber, prætextu obſcoenitatum (quas ſcilicet de Clericis legere, & corrigere magis ſcandaloſum, quam audire, & connivere) fuit ſuppreſſus, ab Alexandro denique II. callide ſurreptus, fruſtra conquerente auctore; teſte Baronio *ad A. C. 1049.* *libellus contra vitia Cleri* *congreſſus*

§. XXII.

Qui idem Petrus etiam in ipſo Pontifice Leone hoc reprehendit *in Epiſtola ad Firmianum Epiſc.* quod *bellicis uſibus ſe frequenter implicuerit*, quemadmodum etiam à Nortmannis, in acie captus fuit. *Nec Petrus*, inquit, *ob hoc Apoſtolicum obtinet principatum, quia negavit: nec David idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia thorum alieni viri invaſit, cum mala vel bona non pro meritis conſiderantur habentium, ſed ex propriis debeant qualitatibus judicari. Nunquid hoc legitur vel egiſſe, vel literis docuiſſe Gregorius, qui tot rapinas, & violentias à Longobardorum feritate eſt perpeſſus? Num Ambroſius bellum Arianis, ſe ſuamque Eccleſiam crudeliter infeſtantibus intulit? Numquid in arma ſanctorum quispiam traditur inſurrexiſſe Pontificum? Cauſas igitur, Eccleſiaſtici cujuscunque negotii leges dirimant fori, vel Sacerdotalis edicta Con-* *Papa bellator.*

cilii, ne quod gerendum eſt in tribunalibus judicum, vel ex ſententia prodire Pontificum, in noſtrum vertatur opprobrium, congreſſione bellorum.

§. XXIII.

Duplex gladius

Hæc Propheta hujus ſeculi Petrus Damiani; innuens reformandam eſſe ſedem Rom. ad tempora Gregorii M. Ambroſii & Sanctorum Pontificum Romanorum, atque paulo antè optimè ἱεϱϐοπμᾶν ait: *Inter regnum & Sacerdotium propria cujusque diſtinguantur officia, ut rex armis utatur ſeculi, & Sacerdos accingatur gladio ſpirituali, qui eſt verbum Dei.* Idem & antea Nicolaus I. confeſſus eſt, Dei Eccleſiam gladium non habere, niſi ſpiritualem. *V. Cau. 33. q. 2. c. 5. & 6.* Sed hæc adeo diſplicent Baronio, ut hæreſeos hic accuſare audeat Petrum. Verum dum ſatagit dogma iſtud ſedis Rom. de duplici gladio, ſtabilire auctoritate Bernhardi, Gregorii IX. Bonifacii VIII. ſatis prodit novitatem ejus, quodque tempore Petri noſtri, & antea, nondum in Eccleſia Chriſtiana fuerit agnitum. Plane quoties Eccleſiæ hoſtis imminet, qui cum nec in foro, nec in Synodis aut comitiis res decidi poterit, tum imploratio Imp. aut regis, aut cujuscunque competentis gladii ſecularis, neque à Petro & orthodoxis improbata eſt, neque caret exemplis ſanctorum; ſed progredimur.

novum dogma.

§. XXIV.

Abuſus in Eccleſ. h. t.

Liquet porrò ex dictis, non modo circa *regimen* Eccleſiaſticum externum etiamnum defectus animadverſos, ſed etiam circa *orthodoxiam* Eccleſiæ Romanæ. Sanè in Galliis, & alibi id omnium operoſiſſimè egit Pontifex, ut cultum religioſum *Angelorum*, itemque *Sanctorum* defunctorum elevatione & canoniſatione veheret. Verba ſunt

ſunt Baronii ad *A. C. 1049. §. 4.* Leonem IX. *Angelorum cultum propenſiori ſtudio frequentaſſe : peregrinationes ad promerenda apud Deum ſuffragia Sanctorum Angelorum* inſtituiſſe. Certe invito Chriſto unico Mediatore ; & ſuffragatore, & invitis ipſis Angelis, *Apoc. XXII. 8. 9.* Hinc grandes controverſiæ inter gentes, atque urbes de reliquiis Sanctorum aſſervatis, qualem de *Dionyſii* Areopagitæ oſſibus inter Ratisbonam & Pariſios Leo IX pro Ratisbona decidiſſe fertur A. C. 1052. contradicentibus tamen Gallis. *Cultus Angelorũ & ſanctorum.*

§. XXV.

B. MARIÆ virginis, benedictæ inter mulieres, Invocatio religioſa, & *cultus* divinus *cum incruento ſacrificio* miſſæ, hoc ipſo tempore ſuas egit radices, atque quod deplorandum, auctore ipſo *Petro Damiani*, viro alias religioſo, & pio reformationis Eccleſiaſticæ zelo flagrante. Ipſe refert ſibi fuiſſe ea in re contradictum : *Satis ſuperque ſufficere, quod S. præcepit Benedictus, nec novæ adinventionis pondus habere ſuperponi, nec nos eſſe antiquis Patribus ſanctiores, qui videlicet hæc ſuperſtitioſa, & ſupervacua judicantes, pſallendi nobis metam, omnemque vivendi regulam præfixerunt.* Sed ſuperſtitionem hanc divino miraculo fuiſſe confirmatam, atque creditam, idem & ex eo Baronius *ad A. C. 1056. §. 5. ſeqq.* aſſerit. Verum enim verò qvum certo certius ſit, ſolum DEVM eſſe adorandum, colendum, inque fraudem divini cultus fingi, neſcio quos gradus illius, λατρείας, ὑπερδουλείας, & δουλείας, certe & hic agnoſcamus quandam ſeceſſionis ſpeciem, eamque cum omni potentia, & ſignis, & prodigiis, ita ut in errorem inducerentur, ſi fieri poſſet etiam electi. Adeo regnum Antichriſti Eccleſiam Chriſti divellere tum nitebatur, ut *Mariolatria.*

partem in extremum Atheiſmi per Simoniacam Apoſtaſiam, partem in alterum ſuperſtitionis extremum raperet; ut quos Scylla non abſorberet, charybdis præcipites ageret.

§. XXVI.

Prohib. matrimonii. Prohibitio *conjugii Sacerdotum*, quanquam juri divino itidem adverſa, tantum abeſt ut hac reformatione fuerit abolita ut confirmata in concilio Moguntino A. C. 1049. *in quo conjugia Sacerdotum* ut *nefanda* fuerunt *condemnata*. Quod etiam idem *Petrus Damiani* miſſus reformator Eccleſiæ Mediolanenſis A. C. 1059. introduxit, & Clericos uxoratos, quos perperam *Nicolaitas* vocabant hoc jusjurandum coegit dicere: *Deinde Nicolaitarum aque abominabilem* (ac Simoniacam) *hareſim, qua imprudenter latrat, ſacri altaris miniſtros debere, vel poſſe licenter uti conjugibus, quomodo & Laicos. Vnde Nicolaitas cum dogmatũ ſectatoribus auctoribusq; ſuis aterno anathemate dignos eſſe pronuncio, jurans per Sanctũ homouſion Trinitatem.* Id quod non immerito reprehendit Eccleſiæ CPlitanæ Patriarcha Michael Cerularius in epiſtola ad Petrum Patriarcham Antiochenum, ibi: *Prater hac nuptias Sacerdotum prohibent, illos videlicet qui uxores habent, ut nullo pacto Sacerdotii dignitatem conſequantur, permittunt, ſed innuptos manere volunt eos, qui Sacerdotes eſſe cupiunt.*

§. XXVII.

Abuſus S. cana Circa uſum *S. S. Eucharistia* hic animadvertitur tunc abuſus, quod in defenſionem innocentiæ ab his qui aliquo crimine inculpati fuerant, uſus ejus perverteretur. Ita in eodem *Concilio Moguntino* A. C. 1049. Spirenſis Epiſcopus Sibico, cui crimen adulterii intendebatur, *examinatione*

natione ſacrificii purgatus eſt, referente *Adamo Brem.3.31.* ſeu ut *Tritbemius* effert, *ſacra ſe communione purgavit.* Quod dogma jamtum in Synodo Wormatienſi c.3. fuit approbatum *c. ſæpe contingit, 23. q. 4. cau. 2.* Ita Ottonis M. filia, Ludgarda Conradi D. Sueviæ uxor, adulterii infamata, *adbibito Chriſti teſtimonio, & ſacramentis ſe nimis excuſaſſe* dicitur Ditmaro *l. 2. Chron.* quo eodem quoque refert de *Abrahamo Epiſcopo Friſingenſi*, ſtupri cum Juditha, Henrici Bavari, Ottonis M. fratris vidua, diffamato, eum in exſequiis Judithæ, Miſſam cantantem, ſe & defunctam ſic expurgaſſe: *Ante communionem is verſus ad populum, quæ merita ejus fuerint circumſtantibus indixit. Hoc inquiens delictum, quo diffamata fuit, ſi hæc unquam commiſit, faciat omnipotens Pater Filii ſuimet corporis & ſanguinis ſalutare remedium mihi provenire ad judicium, & ad debitam damnationem, animæque ejus ad perpetuam ſalvationem. Ac tunc cum mentis, & corporis innocentia ſumſit unicum cunctis fidelibus remedium.*

§. XXIIX.

Contra verò cum Leuthericus Archiepiſc. Senonenſis in Gallia pro quibusdam cauſis probationem in corpore Domini N. J. C. quæreret, inhibuit id Rex Robertus, inter alia reſcribens: *Cum hoc ſit, quod à dante Sacerdote dicitur*, CORPUS DOMINI N. I. C. SIT TIBI SALUS ANIMÆ ET CORPORIS, *cur tu temerario ore, & polluto dicis: Si dignus es, accipe, quum ſit nullus, qui habeatur dignus?* refert Helgaldus, ſeu *Helgandus* in *Vit. Rober. & ex eo Baron. Anno 1004. §.3.* At Hildebrandus Papa non modo ipſe ſe purgavit, ſed etiam Henrico IV. idem perſuadere voluit, ut late refert *Lambertus ad A. C. 1077.* Potuit vero Adrianus Lothario Regi A. C. 870. teſte *Sigberto Gemblacenſe,*

cenſe, & Mar. Scoto. De aliis exemplis nunc taceamus, veluti Imbriconis vel Jamblichi, Auguſtenſis Epiſcopi, de quo apud *Baronium A. C. 1077. § 58.* originem autem hujus moris ad *Novatum* hæreticum referendam eſſe, auctor mihi eſt Cornelius Epiſcop. Rom. apud *Euſeb. l. VI. H. E. c. XLIII.* ait Euſebius: *Poſt hæc facinus quoddam ſubjungit* (Cornelius Papa) *omnium quæ ab illo* (Novato) *commiſſa ſunt longè graviſſimum, ita ſcribens: Etenim oblatione factâ, portionem ſingulis dividens: dum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, nec prius dimittens quàm jurati iſta dixerint; ipſis enim utar illius verbis:* ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μηδέποτέ με καταλιπεῖν καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον, *Jura mihi per corpus & ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum. Ita miſer ille non prius guſtare ſinitur, quàm ſibi ipſe malum imprecatus ſit. Et qvum panem illum accipiens dicere debuiſſet: Amen. ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.*

§. XXIX.

Lib. Eccl. Germ. & auctoritas AEpiſc. Mogunt.

Antequam *Leonem IX.* dimittamus, non eſt prætereundum, quod Wormatiæ A. C. 1052. inter illum, & Archiepiſc. Moguntinum *Luitpoldum*, geſtum fuiſſe refert *Conradus Abbas Urſpergenſis*, qui etiam teſtatur, fuiſſe Luitpoldum ANTIQVAE DISCIPLINAE. Igitur qvum Imperator cum Pontifice Rom. Natalem Domini Wormatiæ, adeoque in Dioeceſi Moguntina, celebraret, & altera Feſtivitatis die, juxta morem Liturgiæ ibi receptum, quidam ex Diaconis, Hunibertus nomine, lectionem decantaret, Papa verò, quia Romano more non ageretur, cantan-

cantanti interdiceret; neque cantans ceſſaret obtemperare mori ac ritui ſuæ Eccleſiæ, Papa verò ipſum propterea degradaret, Archiepiſcopus interceſſit, remque eò redegit, ut in continenti Diaconus à Papa reſtitueretur. Audiamus ipſum Abbatem: *Apoſtolico, & Imperatore Natalem Dominicum divino & regio cultu Wormatia agentibus, Miſſarum celebratione in ſancta die peracta, ut oportuit, ab Apoſtolico: in ſequenti die Luitpoldum Moguntinæ Sedis Archiepiſcopum, utpote in ſua Diœceſi præcipuum, huic ſubrogavit officio. Qui peracta proceſſione, & ubi ad hoc ventum eſt dicta oratione, poſtquam ſe in ſede ſua locavit, quidam ex Diaconis ſuis Hunibertus nomine (ſicut multi ob illius feſti venerationem ſolent) Lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis Papæ aſſiſtentibus vituperantes, & contra Papam, quia Romano more non ageretur, objurgantes, perſuaſerunt, ut ad eundem Diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cum ille juvenum more contemneret, iterum mittendo Papa interdixit. Qui mox eadem vocis ſonoritate, qua prius, cantavit, legendo decenter. Qua finita, Papa illum ad ſe vocavit, & quaſi pro inobedientiæ contumacia degradavit. Archiepiſcopus verò miſit ad illum, ut ſuum ſibi redderet miniſtrum. Quod ubi Papa abnuit, Pontifex, ut erat antiquæ diſciplinæ, licet ægre, patienter tamen interim tacendo ſuſtinuit. Perlecto autem Evangelio, & decantato offertorio, ubi ſancti ſacrificii tempus advenit, Pontifex, Moguntinus ſcilicet Archiepiſcopus, in ſede ſua reſedit, vere conteſtans, nec ſe, nec alium quempiam completurum illud officium, niſi reciperet proceſſionis ſuæ miniſterium. Quod ubi Apoſtolicus intellexit, Pontifici ceſſit, reindutumque miniſtrum continuo remiſit. Quo recepto debito ſe Præſul injunxit officio. Qua in re & Pontificis auctoritas,*

&

& Apoſtolici conſideranda eſt humilitas: dum & ille officii ſui dignitatem defendere contendebat, & iſte licet majoris dignitatis, Metropolitano tandem in ſua diœceſi cedendum perpendebat.

§ XXX.

J. agend. Eccleſ. Scilicet ex his liquet, qua parrheſia *libertatem Eccleſiæ Germanicæ* defenderit Moguntinus, *& jus ordinariæ liturgiæ ſacræ* velut partem libertatis Eccleſiarum Germaniæ non placito Papæ Romani expoſuerit, *ſed Eccleſiis Germanicis in ſua quaque diœceſi* maſculè aſſeruerit. Id quod ut & patriæ & Chriſtianæ libertati, *ac antiquæ diſciplinæ* conſonum, ita etiam ab ipſo Leone IX. hic agnitum, & ab Abbate referente laudatum jure merito. Et hæc communis tum fuit Eccleſiæ ſententia, ut teſtis haud reprobandus eſt Glaber Rudolphus *l. 2. c. 4.* referens, quomodo Joannes Antipapa per Petrum Cardinalem Eccleſiam à Comite Andegavenſi extructam *invito Archiepiſcopo Turonenſi* conſecrare attentarit & ob hanc cauſam divinitus immiſſo turbine iſta corruerit: *Quod cum multi,* inquit, *per regionem factum comperiſſent, nulli venit in dubium, quoniam inſolens præſumtionis audacia irritum inſtituiſſet votum ſimulque præſentibus ac futuris quibusque, ne huic ſimile agerent, evidens indicium fuit. Licet namque Pontifex Romanæ Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ ſedis cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur, non t[illegible]en ei licet transgredi in aliquo canonici moder[illegible] Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ec[illegible]onſus propriæ Sedis uniformiter ſpeci[illegible] liter nulli convenit quidp[illegible] Epiſcopi diœceſi.* Cæt[illegible] *Baronius*, nil niſi ſolit[illegible] *IV. c. VIII. 6.*

§. XXXI.

Defuncto Leone IX. non ceſſavit Roma ſucceſſorem poſtulare ab Eccleſia Germanica & Imperatore, nec hic, quanquam invitus, concedere Gebhardum Epiſcopum Aichſtetenſem, conſenſu Synodi Moguntì ob id celebrati A. C. 1054. Cui rei procurator fuit Hildebrandus, Eccleſiæ Rom. tunc Subdiaconus, poſtea Papa, Gregorius VII. dictus. Rem refert Leo Epiſc. Oſtienſis *l. 2. c. 90.* conteſtans nec tum perſonam idoneam in Eccleſia Rom. repertum, ait: *Defuncto Sanctæ Memoriæ Leone Papa, Hildebrandus tunc Eccleſiæ Rom. Subdiaconus ab Romanis ad Imperatorem mittitur, ut, quoniam in Eccleſia Romana perſona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipſe, tamen vice Cleri Populique Romani, Pontificem elegiſſet, adduceret. Quod cum Imperator annuiſſet, Gebebardum Aiſtetenſem Epiſcopum de Romanorum conſilio poſtulavit. Triſtis ad hæc Imperator (nimis enim illi charus erat) cum illum omnibus modis neceſſarium ſibi diceret, & alios pleroſque huic officio magis idoneos proponeret: Hildebrandus in ſententia perſtitit. Erat enim idem Epiſcopus non modo prudentiſſimus, verum in toto regno ditior, atque potentior omnibus. Hunc itaque invitum licet, ac nolente Rege* (propter quod poſtmodum monachos non amaſſe fortè dictus eſt:) *Romam ſecum adduxit.* Synodi verò meninit Hermannus Contractus: *Conventus ab Imperatore Moguntiæ factus eſt, in quo Gebebardus Aiſtetenſis Epiſcopus ab Epiſco*[illegible]*ctus Romam miſſus eſt.* Ex utrius- *Electio Papæ à Germ. fa-*
que i[illegible] teſti[illegible]tat Eccleſiam Romanam com-
r[illegible] *eſæ Germanicæ, atque* [illegible] *maximum Liberta-*
tate

Caput XII.

De

PRAETENSIONE GERMANIAM INTER ET HISPANIAM SACRA ET CIVILI.

Summaria.

Pratenſio Imperatoris R. German. in Hiſpaniam. Baronius notatus. Mariana relatio: Roderici. Alphonſi R. Hiſpan. attentatum. ἐπιχείρησις. Fundamentum pratenſionis Imperialis. IV. Imperia univerſalia ſunt juris divini. Jus Impp. German. 1. Succeſſio in jus imperii. 2. acquiſitio directorii in Eccleſia externa univerſa. Jus circa regna Chriſtiana ejusdem. Majeſtas Imperatoria & Regia differunt. Eccleſia Hiſpanica ſubeſt Eccleſia Romana. Carolus M. quid in Hiſpaniam. Cau. XI. q. 1. can. 34. Gryphiander notatus. Catalaunia unde dicta. Gl. in cau. 22. diſting. 63. Jus imperii an præſcribatur.

§. I.

In Hiſpaniam Imp. Rom. German prætenſio.

ADauxit illam quam ſuperiori capite vidimus, nationis Germanicæ gloriam, quod Regnum atque Eccleſia Hiſpanorum hoc eodem tempore nexum atque reverentiam

rentiam, quâ Imperio Germanorum Romano in ſacris pariter ac civilibus ab antiquo fuerat devinctum, ad Imperatoris Henrici III. commonitionem redintegravit, prout rem ſuccincte refert Baronius ad A. C. 1055. §. 25. *Ad concilium Thuronenſe* (juſſu Victoris II. ab Hildebrando Legato in Galliis celebratum) *miſſi ab Henrico Imp. Legati, ejus nomine queſti ſunt adverſus Ferdinandum M. Caſtellæ, ac Legionis Regem, detrectantem parere Romano Imperatori, arrogantemque ſibi contra jura, moremque Majorum IMPERATORIS nomen: petentes niſi deſiſtat à cœptis, excommunicatione percelli, univerſamque Hiſpaniam ipſi ſubjectam Interdicto ſubjici debere. Juſta viſa eſt Henrici Imperatoris petitio tum Concilio, tum etiam ad quem eſt delata, Victori Pontifici. Quorum nomine Legatio decreta eſt ad eundem Ferdinandum in Hiſpaniam qua moneretur à cœptis deſiſtere. Cujus legationis occaſione indictum eſt concilium in Hiſpania, ut ex conſulto Principum & Epiſcoporum decerneretur, quid Legatis reſponſi daretur. Variis in re tanta pro cujuscunque arbitratu ſententiis dictis obtinuit pars illa, ut obediretur Romano Pontifici, ſicque ceſſatum ab Imperatorio nomine & rebellione ab Imperatore Germaniæ.*

§. II.

Hæc quidem Baronius, *eaque ex antiquioribus rerum Hiſpanicarum Scriptoribus pluribus proſecutum eſſe Joannem Marianam, qui poſtremam manum ſummo ſtudio pro rei dignitate hiſtoriæ Hiſpaniarum impoſuerit.* At ſi inſpicimus *Marianam* ipſum, ſententiam profert adverſam *l. IX. de reb. Hiſpan. c. V.* nempe viciſſe *Roderici Diacii* ſuffragium, quem ita inter alia dixiſſe inducit: *Baron. ad Mariana relatio.*
„Tam averſas Sanctiſſimi Pontificis aures à rebus noſtris fore non arbitror, ut non juſtiſſimis precibus, atq; æqui-

„ tate cauſæ moveatur ! mittantur modo, qui noſtræ li-
„ bertatis cauſam audacter coram eo tueantur, doceant-
„ que iniqua petere Germanos. Mihi ſtat ſententia,
„ armis ſuſceptam à majoribus libertatem tueri adverſus
„ omnium hominum conatus. &c. atque ſecundum hanc
„ ſententiam Pontifici quidem reſponſum datum. adver-
„ ſus autem Imperatoris conatus, magnis tota provincia
„ delectibus , numeroſum exercitum conflatum, copiis
„ omnibus Rodericum præpoſitum. Toloſam usque
„ perventum, urbem ea tempeſtate amicam, ſic putat, in-
„ de honeſtiſſimam legationem ad Pontificem miſſam,
„ obteſtatum, ut re diligentius perpenſa mitteret, qui co-
„ ram in re præſenti de JVRE IMPERII diſceptarent.
„ Ejus legationis principem Rodericum Comitem fuiſſe,
„ alium à Cido , & Alvarum Fannium Minniam. iis
„ agentibus facile ab æquiſſimo Pontifice impetratum, ut
„ Rupertus S. Sabinæ Cardinalis cum ampliſſimis man-
„ datis , præterea Imperatoris Legati , ejus controverſiæ
„ componendæ cauſa venirent in Hiſpaniam Toloſæ, ubi
„ Legati conſtiterunt, Ferdinandi Rege interea in Patri-
„ am reverſo, agitatam cauſam, atque pro libertate Hi-
„ ſpaniæ pronunciatum, decretumque, Germanis nullum
„ deinceps jus in Hiſpaniæ Reges fore. Quod ab eo ini-
„ tio ſuſceptum , confirmatumque populi deinde mori-
„ bus , conſenſu cæterarum gentium & publica Jure-
„ conſultorum ſententia & judicio eſſe comprobatum.
„ Romanos præterea Pontifices Hiſpaniam ſibi vectigalem
„ reddere cogitaſſe : argumento eſſe literas Gregorii
„ VII. ad Reges, Comites, cæterosque Principes Hiſpaniæ
„ id confirmantis antiquis temporibus obſervatum, prius-
quam

quam à Mauris Hiſpania eſſet everſa. Verum iis co- „ natibus nihil eſſe profectum, ac verò pari animorum „ conſtantia itum obviam, rerum eventum declarare, „ retenta ſemper à ſuis immunitate. Hæc Mari- „ ana.

§. III.

Rodericus Toletanus Epiſcopus, qui circa A. C. 1245. obiit, *lib. VI. de reb. Hiſpan. c. XI.* refert Fernandum Regem factum *Monarchum Hiſpaniæ ulterioris, ſcilicet Gallecia, Aſturiarum, Legionis, & Caſtellæ, Anagari, & Iberi.* De Jure Imperii & Imperatoris diſceptatum fuiſſe, nihil quicquam habet. Illud verò: quod hujus Fernandi nepos ex filia Vraca & *Aldefonſo*, Rege Arragoniæ, & ipſe *Aldefonſus* dictus, Rex Hiſpaniæ, *Legione impoſuerit ſibi Imperii diadema, vocatus deinceps IMPERATOR. lib. VII. c. VII.* id contigit, A. C. 1135. ſub Lothario Sax. Imp. Ea de re hæc Mariana *lib. X. c. XVI.* narrat: In eo conventu *(Legionenſi)* „ omnium qui aderant conſenſu, IMPERII nomen Regi „ decernitur qui Arragonios, Vaſcones, Catalaunos, „ Galliæ partem vectigales beneficiariosque haberet, ei „ AVGVSTI MAJESTATEM convenire. Toletanus „ Præſul coronam capiti impoſuit dextera lævaque Rex „ Vaſco & Arrianus Legionenſis Epiſcopus tenebant. ac- „ ceſſit Rom. Pontificis CONSENSVS, ut noſtri ſcriptores „ adfirmant, Innocentii eo nomine ſecundi ſcilicet: cum „ ea tempeſtate Sacra Chriſtiana gubernaret. quod ad- „ mirari magis poſſum, quàm credere, tantam INJVRIAM „ irrogatam GERMANIAE niſi forte ægre iis Impera- „ toribus facere voluit, novo in Hiſpania Imperatore cre- „ ato: cum toties Italiam vexaſſent, & S. S. Pontificum „ majeſtatem contemtui habuiſſent. Legione in D. Ma- „

Roderici.

Alphonſi R. Hiſp. attentatum.

„ riæ ea ceremonia peracta primum Anno 1135. ipſo Pentecoſtes feſto die: uti ejus ætatis Scriptor ait, & acta ejus conventus declarant. deinde Toleti ſimilis ceremonia peracta eſt, quo die & anno incertum: ſed inde variæ Scriptorum opiniones natæ, quibusdam Toleti, aliis Legione affirmantibus. Extat Toleti in ſcriniis Vrbis diploma ab Alphonſi conceſſum, ubi primam Imperii coronam Legione accepiſſe ſe ait, nempe altera Imperatorum Germanorum æmulatione Toleti ſuſcepta. Inde inter Hiſpaniæ Reges huic VNI Imperatoris cognomen vulgo datur, & Toletanæ Vrbis inſignia eſſe cœperunt, Imperatoris imago conſidentis habitu, aureaque veſte, orbis effigiem ſiniſtra, gladium diſtrictum dextra tenentis eidem Imperatoriæ urbis nomen eo tempore confirmatum : ut per manus ducta opinione vulgo homines perſuaſum habent. Extant Johannis eo nomine ſecundi Caſtellæ Regis tabulæ, quibus Toletum Vrbem Imperatoriam dicit. Extant D. Bernhardi literæ ad Sanctiam, quam Sororem vocat Imperatoris Hiſpaniæ, præcipuâ fœminam pietate, virginemque: cui frater à primo Regni tempore, Reginæ nomen & honorem participarat. Extant etiam Petri Cluniacenſis ad ipſum Pontificem Rom. Innocentium II. literæ, hoc initio: IMPERATOR HISPANVS, MAGNVS CHRISTIANI POPVLI PRINCEPS, DEVOTVS MAJESTATI VESTRÆ FILIVS. Hactenus Mariana.

§.IV.

Sententia de praten-

Quantumvis verò ex hactenus allatis apparet, quam non

non ſatis conveniat inter Hiſtoricos de eventu prætenſi *ſione in*
juris in Hiſpaniam, veritati tamen conſonum eſſe, quod *Hiſpania.*
Baronius retulit, omnino mihi videtur. Mariana verò aut cauſſæ inſerviens, aut plura in ſcriniis, & monumentis nationis non inveniens, rem haud integram conſignaſſe. Scilicet duplici modo poterat Henrici Imp. prætenſio adverſus novellum Hiſpaniæ Imperatorem intelligi, vel duabus ea conſtare potuit partibus; ut enim ſemel deponi IMPERATORIS titulum & jus univerſale jure ſuo poſtulabat, ita duplici effectu hoc poterat intelligi, aut enim ad hoc, ut Rex Hiſpaniæ ſe *ſubditum* Imperatoris Germanici profiteretur aut ſaltem amicum, & ſocium, qui comiter *haberet Imperium* Romanum Germanorum, adeoque ut membrum Imperii Chriſtiani absque ſubjectione. Hæc duo, qvum non ſatis diſtincta à Legatis Imperatoris propoſita videantur, multum negotii, & curarum excitarunt Hiſpaniæ Proceribus. Tandem verò ita res fuiſſe videtur declarata ac deciſa, ut ſicut Eccleſia Hiſpanica Eccleſiam Romanam pro ſuperiore agnoſceret, ita etiam Imperatorem Romanum *pro capite*, & directore ſummo *Regum orbis Chriſtiani*, & proinde huic ſoli IMPERATORIS titulo reſervato, per occidentem. Et hactenus vera, quæ *Baronius*. Eoque referenda verba, quæ Henricus ad Synodum feciſſe fertur Marianæ. *d. c. V. l. IX.* ait: *Reſpicite S. S. Pontificum Majeſtatem, quorum fluxa auctoritas eſt, niſi Imperatorum armis & potentia muniatur.* Cæteroquin ea omnia tamen *ſalvâ libertate Regni Hiſpanici* intelligi, atque Regibus Germanorum *neque jus ſubjectionis, neque ſucceſſionis* in id competere, id quod unicum, in favorem nationis *Mariana* protulit.

§. V. Ne-

cenſe, & *Mar. Scoto.* De aliis exemplis nunc taceamus, veluti Imbriconis vel Jamblichi, Auguſtenſis Epiſcopi; de quo apud *Baronium A. C. 1077. § 58.* originem autem hujus moris ad *Novatum* hæreticum referendam eſſe, auctor mihi eſt Cornelius Epiſcop. Rom. apud *Euſeb. l. VI. H. E. c. XLIII.* ait Euſebius: *Poſt hæc facinus quoddam ſubjungit* (Cornelius Papa) *omnium quæ ab illo* (Novato) *commiſſa ſunt longè graviſſimum, ita ſcribens: Etenim oblatione factâ, portionem ſingulis dividens: dum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, nec prius dimittens quàm jurati iſta dixerint; ipſis enim utar illius verbis:* ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μηδέποτέ με καταλιπεῖν καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον, *Jura mihi per corpus & ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum. Ita miſer ille non prius guſtare ſinitur, quàm ſibi ipſe malum imprecatus ſit. Et qvum panem illum accipiens dicere debuiſſet: Amen. ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.*

§. XXIX.

Lib. Eccl. Germ. & auctoritas AEpiſc. Mogunt.

Antequam *Leonem IX.* dimittamus, non eſt prætereundum, quod Wormatiæ A. C. 1052. inter illum, & Archiepiſc. Moguntinum *Luitpoldum*, geſtum fuiſſe refert *Conradus Abbas Urſpergenſis*, qui etiam teſtatur, fuiſſe Luitpoldum ANTIQVAE DISCIPLINAE. Igitur qvum Imperator cum Pontifice Rom. Natalem Domini Wormatiæ, adeoque in Dioeceſi Moguntina, celebraret, & altera Feſtivitatis die, juxta morem Liturgiæ ibi receptum, quidam ex Diaconis, Hunibertus nomine, lectionem decantaret, Papa verò, quia Romano more non ageretur,

cantan-

cantanti interdiceret; neque cantans ceſſaret obtemperare mori ac ritui ſuæ Eccleſiæ, Papa verò ipſum propterea degradaret, Archiepiſcopus interceſſit, remque eò redegit, ut in continenti Diaconus à Papa reſtitueretur. Audiamus ipſum Abbatem: *Apoſtolico, & Imperatore Natalem Dominicum divino & regio cultu Wormatiæ agentibus, Miſſarum celebratione in ſancta die peracta, ut oportuit, ab Apoſtolico: in ſequenti die Luitpoldum Moguntinæ Sedis Archiepiſcopum, utpote in ſua Diœceſi præcipuum, huic ſubrogavit officio. Qui peracta proceſſione, & ubi ad hoc ventum eſt dicta oratione, poſtquam ſe in ſede ſua locavit, quidam ex Diaconis ſuis Hunibertus nomine (ſicut multi ob illius feſti venerationem ſolent) Lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis Papæ aſſiſtentibus vituperantes, & contra Papam, quia Romano more non ageretur, objurgantes, perſuaſerunt, ut ad eundem Diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cum ille juvenum more contemneret, iterum mittendo Papa interdixit. Qui mox eadem vocis ſonoritate, qua prius, cantavit, legendo decenter. Qua finita, Papa illum ad ſe vocavit, & quaſi pro inobedientiæ contumacia degradavit. Archiepiſcopus verò miſit ad illum, ut ſuum ſibi redderet miniſtrum. Quod ubi Papa abnuit, Pontifex, ut erat antiquæ diſciplinæ, licet ægre, patienter tamen interim tacendo ſuſtinuit. Perlecto autem Evangelio, & decantato offertorio, ubi ſancti ſacrificii tempus advenit, Pontifex, Moguntinus ſcilicet Archiepiſcopus, in ſede ſua reſedit, vere conteſtans, nec ſe, nec alium quempiam completurum illud officium, niſi reciperet proceſſionis ſuæ miniſterium. Quod ubi Apoſtolicus intellexit, Pontifici ceſſit, reindutumque miniſtrum continuo remiſit. Quo recepto debito ſe Præſul injunxit officio. Qua in re & Pontificis auctoritas,*

&

& Apoſtolici conſideranda eſt humilitas: dum & ille officii ſui dignitatem defendere contendebat, & iſte licet majoris dignitatis, Metropolitano tandem in ſua diœceſi cedendum perpendebat.

§ XXX.

J. agend. Eccleſ. Scilicet ex his liquet, qua parrheſia *libertatem Eccleſiæ Germanicæ* defenderit Moguntinus, & *jus ordinariæ liturgiæ ſacræ* velut partem libertatis Eccleſiarum Germaniæ non placito Papæ Romani expoſuerit, *ſed Eccleſiis Germanicis in ſua quaque diœceſi* maſculè aſſeruerit. Id quod ut & patriæ & Chriſtianæ libertati, *ac antiquæ diſciplinæ* conſonum, ita etiam ab ipſo Leone IX. hic agnitum, & ab Abbate referente laudatum jure merito. Et hæc communis tum fuit Eccleſiæ ſententia, ut teſtis haud reprobandus eſt Glaber Rudolphus *l. 2. c. 4.* referens, quomodo Joannes Antipapa per Petrum Cardinalem Eccleſiam à Comite Andegavenſi extructam *invito Archiepiſcopo Turonenſi* conſecrare attentarit & ob hanc cauſam divinitus immiſſo turbine iſta corruerit: *Quod cum multi,* inquit, *per regionem factum comperiſſent, nulli venit in dubium, quoniam inſolens præſumtionis audacia irritum inſtituiſſet votum ſimulque præſentibus ac futuris quibusque, ne huic ſimile agerent, evidens indicium fuit. Licet namque Pontifex Romanæ Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ ſedis cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ Eccleſiæ Pontifex ac ſponſus propriæ Sedis uniformiter ſpeciem gerit Salvatoris: ita generaliter nulli convenit quidpiam in alterius procaciter patrare Epiſcopi diœceſi.* Cæterum quæ Moguntino hic oggerit *Baronius*, nil niſi ſolita eſſe convitia oſtendit *M. A. de Dom. l. IV. c. VIII. 6.*

§ XXXI.

§. XXXI.

Defuncto Leone IX. non ceſſavit Roma ſucceſſorem poſtulare ab Eccleſia Germanica & Imperatore, nec hic, quanquam invitus, concedere Gebhardum Epiſcopum Aichſtetenſem, conſenſu Synodi Mogunti ob id celebrati A. C. 1054. Cui rei procurator fuit Hildebrandus, Eccleſiæ Rom. tunc Subdiaconus, poſtea Papa, Gregorius VII. dictus. Rem refert Leo Epiſc. Oſtienſis *l. 2. c. 90.* conteſtans nec tum perſonam idoneam in Eccleſia Rom. repertum, ait: *Defuncto Sanctæ Memoriæ Leone Papa, Hildebrandus tunc Eccleſiæ Rom. Subdiaconus ab Romanis ad Imperatorem mittitur, ut, quoniam in Eccleſia Romana perſona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipſe, tamen vice Cleri Populique Romani, Pontificem elegiſſet, adduceret. Quod cum Imperator annuiſſet, Gebehardum Aiſtetenſem Epiſcopum de Romanorum conſilio poſtulavit. Triſtis ad hæc Imperator (nimis enim illi charus erat) cum illum omnibus modis neceſſarium ſibi diceret, & alios pleroſque huic officio magis idoneos proponeret: Hildebrandus in ſententia perſtitit. Erat enim idem Epiſcopus non modo prudentiſſimus, verum in toto regno ditior, atque potentior omnibus. Hunc itaque invitum licet, ac nolente Rege* (propter quod poſtmodum monachos non amaſſe fortè dictus eſt:) *Romam ſecum adduxit.* Synodi verò meninit Hermannus Contractus: *Conventus ab Imperatore Moguntiæ factus eſt, in quo Gebehardus Aiſtetenſis Epiſcopus ab Epiſcopis electus Romam miſſus eſt.* Ex utriusque igitur teſtimonio conſtat Eccleſiam Romanam commiſiſſe *electionem Pontificis Rom.* Eccleſiæ Germanicæ, atque hanc quoque eam peregiſſe. Id quod maximum Libertatis ac præeminentiæ eſt indicium.

Electio Papæ à Germ. facta.

Capvt XII.

De

PRAETENSIONE GERMANIAM INTER ET HISPANIAM SACRA ET CIVILI.

Svmmaria.

Prætenſio Imperatoris R. German. in Hiſpaniam. Baronius notatus. Marianæ relatio: Roderici. Alphonſi R. Hiſpan. attentatum. Ἐπίκρισις. *Fundamentum prætenſionis Imperialis. IV. Imperia univerſalia ſunt juris divini. Jus Impp. German. 1. Succeſſio in jus imperii. 2. acquiſitio directorii in Eccleſia externa univerſa. Jus circa regna Chriſtiana ejusdem. Majeſtas Imperatoria & Regia differunt. Eccleſia Hiſpanica ſubjeſt Eccleſiæ Romanæ. Carolus M. quid in Hiſpaniam. Cau. XI. q. 1. can. 34. Gryphiander notatus. Catalaunia unde dicta. Gl. in can. 22. diſting. 63. Jus imperii an præſcribatur.*

§. I.

In Hiſpaniam Imp. Rom. German prætenſio.

ADauxit illam quam ſuperiori capite vidimus, nationis Germanicæ gloriam, quod Regnum atque Eccleſia Hiſpanorum hoc eodem tempore nexum atque reverentiam

rentiam, quâ Imperio Germanorum Romano in ſacris pariter ac civilibus ab antiquo fuerat devinctum, ad Imperatoris Henrici III. commonitionem redintegravit, prout rem ſuccincte refert Baronius ad A. C. 1055. §. 25. *Ad concilium Thuronenſe* (juſſu Victoris II. ab Hildebrando Legato in Galliis celebratum) *miſſi ab Henrico Imp. Legati, ejus nomine queſti ſunt adverſus Ferdinandum M. Caſtellæ, ac Legionis Regem, detrectantem parere Romano Imperatori, arrogantemque ſibi contra jura, moremque Majorum IMPERATORIS nomen: petentes niſi deſiſtat à cœptis, excommunicatione percelli, univerſamque Hiſpaniam ipſi ſubjectam Interdicto ſubjici debere. Juſta viſa eſt Henrici Imperatoris petitio tum Concilio, tum etiam ad quem eſt delata, Victori Pontifici. Quorum nomine Legatio decreta eſt ad eundem Ferdinandum in Hiſpaniam qua moneretur à cœptis deſiſtere. Cujus legationis occaſione indictum eſt concilium in Hiſpania, ut ex conſulto Principum & Epiſcoporum decerneretur, quid Legatis reſponſi daretur. Variis in re tanta pro cujuscunque arbitratu ſententiis dictis obtinuit pars illa, ut obediretur Romano Pontifici, ſicque ceſſatum ab Imperatorio nomine & rebellione ab Imperatore Germaniæ.*

§. II.

Hæc quidem Baronius, *eaque ex antiquioribus rerum Hiſpanicarum Scriptoribus pluribus proſecutum eſſe Joannem Marianam, qui poſtremam manum ſummo ſtudio pro rei dignitate hiſtoriæ Hiſpaniarum impoſuerit.* At ſi inſpicimus *Marianam* ipſum, ſententiam profert adverſam *l. IX. de reb. Hiſpan. c. V.* nempe viciſſe *Roderici Diacii* ſuffragium, quem ita inter alia dixiſſe inducit: *Baron. ad Mariana relatio.*

Tam averſas Sanctiſſimi Pontificis aures à rebus noſtris „ fore non arbitror, ut non juſtiſſimis precibus, atq; æqui- „

„ tate cauſæ moveatur ! mittantur modo, qui noſtræ li-
„ bertatis cauſam audacter coram eo tueantur, doceant-
„ que iniqua petere Germanos. Mihi ſtat ſententia,
„ armis ſuſceptam à majoribus libertatem tueri adverſus
„ omnium hominum conatus. &c. atque ſecundum hanc
„ ſententiam Pontifici quidem reſponſum datum. adver-
„ ſus autem Imperatoris conatus, magnis tota provincia
„ delectibus , numeroſum exercitum conflatum, copiis
„ omnibus Rodericum præpoſitum. Toloſam usque
„ perventum, urbem ea tempeſtate amicam, ſic putat, in-
„ de honeſtiſſimam legationem ad Pontificem miſſam,
„ obteſtatum, ut re diligentius perpenſa mitteret, qui co-
„ ram in re præſenti de JVRE IMPERII diſceptarent.
„ Ejus legationis principem Rodericum Comitem fuiſſe,
„ alium à Cido , & Alvarum Fannium Minniam. iis
„ agentibus facile ab æquiſſimo Pontifice impetratum, ut
„ Rupertus S. Sabinæ Cardinalis cum ampliſſimis man-
„ datis , præterea Imperatoris Legati , ejus controverſiæ
„ componendæ cauſa venirent in Hiſpaniam Toloſæ, ubi
„ Legati conſtiterunt, Ferdinandi Rege interea in Patri-
„ am reverſo, agitatam cauſam, atque pro libertate Hi-
„ ſpaniæ pronunciatum, decretumque, Germanis nullum
„ deinceps jus in Hiſpaniæ Reges fore. Quod ab eo ini-
„ tio ſuſceptum , confirmatumque populi deinde mori-
„ bus , conſenſu cæterarum gentium & publica Jure
„ conſultorum ſententia & judicio eſſe comprobatum.
„ Romanos præterea Pontifices Hiſpaniam ſibi vectigalem
„ reddere cogitaſſe : argumento eſſe literas Gregorii
„ VII. ad Reges, Comites, cæterosque Principes Hiſpaniæ
„ id confirmantis antiquis temporibus obſervatum, prius-
quam

quam à Mauris Hiſpania eſſet everſa. Verum iis co- „ natibus nihil eſſe profectum, ac verò pari animorum „ conſtantia itum obviam, rerum eventum declarare, „ retenta ſemper à ſuis immunitate. Hæc Mari- „ ana.

§. III.

Rodericus Toletanus Epiſcopus, qui circa A. C. 1245. obiit, *lib. VI. de reb. Hiſpan. c. XI.* refert Fernandum Regem factum *Monarchum Hiſpaniæ ulterioris, ſcilicet Gallecia, Aſturiarum, Legionis, & Caſtella, Anagari, & Iberi.* De Jure Imperii & Imperatoris diſceptatum fuiſſe, nihil quicquam habet. Illud verò: quod hujus Fernandi nepos ex filia Vraca & *Aldefonſo*, Rege Arragoniæ, & ipſe *Aldefonſus* dictus, Rex Hiſpaniæ, *Legione impoſuerit ſibi Imperii diadema, vocatus deinceps IMPERATOR. lib. VII. c. VII.* id contigit, A. C. 1135. ſub Lothario Sax. Imp. Ea de re hæc Mariana *lib. X. c. XVI.* narrat: In eo conventu *(Legionenſi)* „ omnium qui aderant conſenſu, IMPERII nomen Regi „ decernitur qui Arragonios, Vaſcones, Catalaunos, „ Galliæ partem vectigales beneficiariosque haberet, ei „ AUGUSTI MAJESTATEM convenire. Toletanus „ Præſul coronam capiti impoſuit dextera lævaque Rex „ Vaſco & Arrianus Legionenſis Epiſcopus tenebant. ac- „ ceſſit Rom. Pontificis CONSENSUS, ut noſtri ſcriptores „ adfirmant, Innocentii eo nomine ſecundi ſcilicet: cum „ ea tempeſtate Sacra Chriſtiana gubernaret. quod ad- „ mirari magis poſſum, quàm credere, tantam INJURIAM „ irrogatam GERMANIAE niſi forte ægre iis Impera- „ toribus facere voluit, novo in Hiſpania Imperatore cre- „ ato: cum toties Italiam vexaſſent, & S. S. Pontificum „ majeſtatem contemtui habuiſſent. Legione in D. Ma- „

Roderici.

Alphonſi R. Hiſp. attentatum.

„ riæ ea ceremonia peracta primum Anno 1135. ipſo Pen-
„ tecoſtes feſto die: uti ejus ætatis Scriptor ait, & acta
„ ejus conventus declarant. deinde Toleti ſimilis cere-
„ monia peracta eſt, quo die & anno incertum: ſed in-
„ de variæ Scriptorum opiniones natæ, quibusdam To-
„ leti, aliis Legione affirmantibus. Extat Toleti in ſcri-
„ niis Vrbis diploma ab Alphonſi conceſſum, ubi primam
„ Imperii coronam Legione accepiſſe ſe ait, nempe alte-
„ ra Imperatorum Germanorum æmulatione Toleti
„ ſuſcepta. Inde inter Hiſpaniæ Reges huic VNI Impe-
„ ratoris cognomen vulgo datur, & Toletanæ Vrbis in-
„ ſignia eſſe cœperunt, Imperatoris imago conſidentis
„ habitu, aureaque veſte, orbis effigiem ſiniſtra, gladi-
„ um diſtrictum dextra tenentis eidem Imperatoriæ ur-
„ bis nomen eo tempore confirmatum: ut per manus
„ ducta opinione vulgo homines perſuaſum habent. Ex-
„ tant Johannis eo nomine ſecundi Caſtellæ Regis tabulæ,
„ quibus Toletum Vrbem Imperatoriam dicit. Extant
„ D. Bernhardi literæ ad Sanctiam, quam Sororem vocat
„ Imperatoris Hiſpaniæ, præcipuâ fœminam pietate, vir-
„ ginemque: cui frater à primo Regni tempore, Regi-
„ næ nomen & honorem participarat. Extant etiam
„ Petri Cluniacenſis ad ipſum Pontificem Rom. Innocen-
„ tium II. literæ, hoc initio: IMPERATOR
„ HISPANVS, MAGNVS CHRISTIANI
„ POPVLI PRINCEPS, DEVOTVS
„ MAJESTATI VESTRÆ FILIVS.
„ Hactenus Mariana.

§. IV.

Sententia de praten- Quantumvis verò ex hactenus allatis apparet, quam non

non ſatis conveniat inter Hiſtoriços de eventu prætenſionis juris in Hiſpaniam, veritati tamen conſonum eſſe, quod Baronius retulit, omnino mihi videtur. Mariana verò aut cauſſæ inſerviens, aut plura in ſcriniis, & monumentis nationis non inveniens, rem haud integram conſignaſſe. Scilicet duplici modo poterat Henrici Imp. prætenſio adverſus novellum Hiſpaniæ Imperatorem intelligi, vel duabus ea conſtare potuit partibus; ut enim ſemel deponi IMPERATORIS titulum & jus univerſale jure ſuo poſtulabat, ita duplici effectu hoc poterat intelligi, aut enim ad hoc, ut Rex Hiſpaniæ ſe *ſubditum* Imperatoris Germanici profiteretur aut ſaltem amicum, & ſocium, qui comiter *haberet Imperium* Romanum Germanorum, adeoque ut membrum Imperii Chriſtiani absque ſubjectione. Hæc duo, qvum non ſatis diſtincta à Legatis Imperatoris propoſita videantur, multum negotii, & curarum excitarunt Hiſpaniæ Proceribus. Tandem verò ita res fuiſſe videtur declarata ac deciſa, ut ſicut Eccleſia Hiſpanica Eccleſiam Romanam pro ſuperiore agnoſceret, ita etiam Imperatorem Romanum *pro capite*, & directore ſummo *Regum orbis Chriſtiani*, & proinde huic ſoli IMPERATORIS titulo reſervato, per occidentem. Et hactenus vera, quæ *Baronius*. Eoque referenda verba, quæ Henricus ad Synodum feciſſe fertur Marianæ. *d. c. V. l. IX.* ait: *Reſpicite S. S. Pontificum Majeſtatem, quorum fluxa auctoritas eſt, niſi Imperatorum armis & potentia muniatur.* Cæteroquin ea omnia tamen *ſalvâ libertate Regni Hiſpanici* intelligi, atque Regibus Germanorum *neque jus ſubjectionis, neque ſucceſſionis* in id competere, id quod unicum, in favorem nationis *Mariana* protulit.

§. V. Ne-

ſione in Hiſpania.

§. V.

Fundam. prætenſ. Imper.

Neque caruit *fundamento* hæc Imperatoris Germanici prætenſio recte intellecta. Nolim equidem vetus jus *Imperatorum Romanorum*, & Græcorum hic reſuſcitatum, quippe qui belli jure amiſerant Hiſpaniam pro derelicta dudum habitam, neque cum Martino, Bartolo & aliis Juri Romano aſſignatis aſſeram Imperatori Germanorum jus ad univerſum terræ orbem occupandum ex l. ἀξίωσις. quam opinionem H. Grotius, & H. Conringius imprimis, pridem exagitarunt. Cæterum ſicut DEVS rerum conditor Opt. Max. imperium in univerſum orbem terrarum, atque in ipſum quoque mare primo dederat homini, & poſtea Noacho, ejusque familiæ ac poſteris, *Gen. IX. 2.* ita deinde *quatuor Imperia univerſalia*, ſeu œcumenica eodem auctore fuerunt condita, adeoque *jure divino* fundata. Teſtatur id divinus *Daniel cap. II. 37.* Nebuchodonoſorem alloquens: *Tu Rex Regum es: & DEVS cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia, in quibus habitant filii hominum, & beſtiæ agri, volucres quoque cæli dedit in manu tua, & ſub ditione tua omnia conſtituit.* Itemque per S. Hieremiam *cap. XXVII. 6.* DEVS ait: *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nebuchodonoſor, Regis Babylonis ſervi mei: inſuper & beſtias agri dedi ei, ut ſerviant illi. Et ſervient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus: donec veniat tempus terræ ejus & ipſius, & ſervient ei gentes multæ & Reges magni.* Conf. *Eſa. XLV. 1. ſeqq.*

Grot. J.B. 2,22,13. Conring. de Imp. R. Germ.

IV. Imperia univerſalia ſunt J. Divini.

§. VI.

Jus Impp. Germ.

Igitur quod jus Imperatores Romani veteres in utroque orbe orientali atque occidentali, etiam de jure divino tenuerunt, idem jus quoque ad Imperatores Francorum

&

& Germanorum fuit translatum ſaltem quantum ad *occi-* 1.
dentem attinet: Niſi ſi quis vel expreſſo, vel tacito, atque *Succeſſio*
de jure gentium præſumto *conſenſu Imperii*, ab ejus jure *in Jus Im-*
immunitatem impetraſſe demonſtretur. Accedit Impe- *perii.*
rio Francorum & Germanorum etiam hæc ratio, quod 2. *Acquiſitio*
qvum ſedes & *Eccleſia Romana* Patriarchalis, caput Eccle- *juris*
ſiarum occidentalium, & directrix, una cum Senatu Po- *in Eccleſia*
Populoque Rom. Regibus Francorum, & Germanorum *extern.*
& in eos omne imperium *& poteſtatem externam* in per- *univerſ.*
ſonas & res Eccleſiaſticas & in ipſam quoque ſedem Romanam, conceſſerit; quod, inquam, neceſſe ſit, ut hoc ipſum imperium etiam *eo usque ſeſe extendat, quousque* extenditur *ipſa Eccleſia Patriarchalis, & quæ per Occidentem* ab ipſa dependeat: alias enim inanis fuiſſet iſta conceſſio, & vanus illius ſcopus. Et quamvis Reges atque Principes ſingulares etiam defenſores Eccleſiæ ſuæ dicti ſunt, & poteſtate circa ſacra in ſuis territoriis gaudent, non fuit tamen iſta univerſalis, ut Imperatoris, ſed ſuo modo ſubordinata in cauſis nempe communibus, & univerſalibus.

§. VII.

Quare etſi poteſtas Imperatorum noſtrorum non *Jus Imp.*
ad univerſum terrarum orbem ſeſe extendat: verum tamen *circa Re-*
eſt, dignitatem, *& auctoritatem* ejus eſſe *primariam*, & *gna Chri-*
ſummam in orbe Chriſtiano, atque eatenus *Caput & Di-* *ſtiana.*
rectorem recte ſtatui in rebus totam Chriſtianitatem concernentibus. Talis erat controverſia de ſucceſſione in ſedem Romanam inter Rolandum ſive Alexandrum III. & Octavianum Cardinalem, quam Imperator *Fridericus I.* judicio Eccleſiæ terminaturus, ad Concilium univerſale Papiam evocavit *totius Imperii ſui & aliorum regnorum*,

ſcilicet Angliæ, Franciæ, Hungariæ, Daciæ, Archiepiſcopos, Abbates, & viros religioſos ac DEVM timentes, ut ipſe in edicto citatorio ad Rolandum meminit, quod ex *Radevici lib. II. c. 54.* exhibet Baronius *ad A. C. 1159. §. 50.* Quod autem Fridericus *Hiſpaniæ* Epiſcoporum nullam ibi facit mentionem, non debet nos turbare, noluit enim omnes & ſingulos enumerare. Quod & in alio ad Epiſcopum Brixienſem reſcripto in eadem cauſa fecit, ubi porro *Hiſpaniæ* expreſſa fit mentio: *omnesque Epiſcopos Imperii noſtri & aliorum regnorum, Franciæ videlicet, Angliæ, Hiſpaniæ atque Hungariæ.* Quorum ſe *amicum* & *ſocium* appellat Fridericus, ut ex Actis refert Baronius *ad A. C. 1162. §. IX.* ipſi verò: *Reges* vocantur *Provinciales, ſeu Provinciarum*, apud Saxonem Gramm. l. XIV. *Baron. §. XIX.* Quid? quod ex hoc ipſo fundamento, Sedis Romanæ prærogativa univerſali, Fridericus Imperator etiam *Imperatorem Græcorum* ſibi ac Sedi Rom. ſubordinatum non dubitavit aſſerere, ut patet ex epiſtola ejus reſponſoria ad Emanuelem Imp. CPolit. A. C. 1179. apud *Cranzium l. IV. c. XXXVII.*

§. VIII.

Quinimo etiam in *civilibus* cauſis Regum Occidentalium jus eſſe Imperii Germanici, apparet ex eo, quod *Ludovicus* Bavarus & ordines Germaniæ *cauſam ſucceſſionis in Regno Franciæ* in Comitiis Francofurtenſibus A. C. 1329. deciderunt. An ex jure ac fundamento hoc *Maximilianus I.* Imp. A. C. 1505. ad petitionem R. Daniæ Suecos tanquam læſæ Majeſtatis reos proſcripſit? Sanè *Carolus V.* Imp. jure ſuo uſus in Comitiis Auguſtanis A. C. 1551. atque omnes Principes orbis Chriſtiani officii ſui admonuit, ut ad Concilium Vniverſale accederent; *R. J. §. 5.* Huc etiam

iam referenda eſt querela Regis Franciæ *Henrici II.* quod Legati ejus adverſus morem antiqvum è Comitiis excluſi fuerint. *Hortled. de B. G. l. V, c. 3, §. 15, & cap. IV, 3. Conf. Buxtorff. ad A. B. c. 2. th. XXIX. 3.* eoque demum ſenſu Imperium & orbis c. XII. pr. dictæ Bullæ conjunguntur. Hinc & Reges Europæi Chriſtiani plerique omnes inter ordines Imperii Romani ſuo modo relati. Vide laterculum apud Goldaſt. & Limnæum. quorum alii nexu feudali Imperio ſubjecti, ut tum Franciæ Rex ratione Regni Arelatenſis, *A. B. c. 24.* alii comiter imperium obſervantes, quoties opus fuit per ſuos Comitiis Oecumenicis Interfuerunt. Atque de præcedentia ipſorum lex lata, in eadem Bulla c. VI.

§. IX.

Ex his etiam illud jam tum comparet, eſſe utique diſcrimen quoddam inter *Majeſtatem Imperatoriam & Regiam.* Vtraque quidem ſumma eſt in ſuo regno, neque enim *majeſtas Imperatoris*, leges præſcribit Regib⁹ Franciæ, Bohemiæ, Hungariæ, Hiſpaniæ, neq; ab eorum tribunalib⁹ appellationes recipit, neque Magiſtratus eorum ordinat; namque Reges ſinguli ea agunt absque dependentia, & hactenus gaudent Majeſtate Regia. At eminet ſuper hac Majeſtas Imperatoria, Reges ſibi ſubordinatos reſpiciens, non quidem ut ſubditos, ſed velut amicos, ſocios, & ut membra S. Imperii Chriſtiani. Inde apparet non late, ſed propriè Regibus v. g. Bohemiæ Majeſtatis titulum tribui, contra ac quidam putarunt. *Carpzov. ad A. B. t. VIII. C. 3.* Nihilominus tamen hinc etiam ratio liquet, ob quam Ordines Imperii ſoli Imperatori & Regi Rom. Regibus verò vicinis non item, tribuant *Majeſtatis* titulum, de quo alias Limnæus *Add. J. P. 3. 2. T. 1.*

Maj. Imp. & Regn. diff.

§. X.

Eccl. Hiſp. ſub Eccl. Rom.

Porro Eccleſias *Hiſpanicas* Sedi Romanæ fuiſſe ſubordinatas, & Pontificem Rom. jam tum ex conciliorum veterum canonibus *titulo* & longa deinceps, quanquam interdum interrupta, *poſſeſſione* uſum fuiſſe, in propatulo eſſe credo: Magis quàm jus ſeculare, quod Gregorius VII. in Regnum Hiſpaniæ prætendere cœpit: de quo M. A. Marcellus *de jur. Sec. Pont. Rom. c. ult.* Conſequens igitur eſt, ut ſumma circa ſacra poteſtas quam Eccleſia Romana Germanis Impp. confeſſa, etiam in Eccleſias Hiſpanicas extenſa intelligatur. Atque qvum Summum circa ſacra Imperium ſit præcipua pars ſummæ poteſtatis Reipublicæ, conficitur, Jus Vniverſale Impp. Germanicorum etiam ad regnum Hiſpaniæ recte extendi, ſalvo tamen jure Regio, atque libertate Procerum Hiſpaniarum, in regno ſuo & in cauſis ipſius ſtatum unice attinentibus.

§. XI.

Carolus M. quid in Hiſpaniã.

Vix dum ſtabilitum erat jus Imperii hoc Regibus Francorum per *Carolum M.* (qui jam tum ante adquiſitum Imperium partem Hiſpaniæ in ſuam redegerat poteſtatem, ut ex Mariana mox dicemus *Conf. Regin. A. C. 878.*) eâ, qua par erat, reverentiâ id agnovit Rex Hiſpaniæ, *Adelfonſus*, tenens tum Gallæciam, & Aſturiam, inæqualiter Carolo fœderatus, ut teſtatur Eginhardus *in Vita Caroli c. XVI. Auxit etiam gloriam Regni ſui, quibusdam Regibus ac gentibus per amicitiam ſibi conciliatis. Adeo namque Adelfonſum Galaciæ, atque Aſturiæ Regem, ſibi ſocietate devinxit, ut is cum ad eum vel litteras, vel legatos mitteret, non aliter ſe apud illum, quam PROPRIUM SVUM appellari juberet.* Ad eundem ferè modum de Duce Poloniæ

niæ refert Ditmarus *l. IV. Chron.* *In diebus illis Miſeco SEMETIPSUM Regi* (Ottoni III.) *dedit & cum muneribus aliis, camelum ei præſentavit, & duas expeditiones cum eo fecit.* Et Adelmus ad A. C. 797. refert, Carolum multis ab Alfonſo *muneribus cultum fuiſſe.* Succeſſorem quoque in Regno ſuo Carolum ab eodem deſtinatum, ſed à Proceribus Regni excluſum, tradunt ſcriptores Hiſpanici; *Rodericus Epiſc. Tolet. l. 4. de reb. Hiſpan. c. X.* Jo. Mariana l. VII. c. XI. Atque qvum *Elipandus* Epiſc. Toletanus Neſtorianam hæreſin profiterentur, *Synodo Francofurdianâ* coacta à Carolo Elipandus condemnatus eſt, A. C. 794. *Vid. Act. quæ ex eâ ſuperſunt.*

§. XII.

Ex iis intelligitur quoque, quo jure Carolus M. *l. VI. cap. 281.* quod relatum eſt à Gratiano in *can. volumus. 34. cau. 11. q. 1.* inter *ditioni ſuæ ſubjectos, aut quocunque legis vinculo conſtrictos, vel conſuetudinario more connexos populos* etiam Hiſpanos recenſeat: per quos *Aquitani & Waſcones* quod viſum *Gryphiandro de Weichb. c. X. 11.* non poſſunt intelligi, quia Vaſcones eodem loco peculiariter quoque referuntur. Aquitania vero non ad Hiſpaniam, ſed ad Galliam pertinuit, ut conſtat ex Notit. Imperii Occident. *& ibi Panciroll. c. LXVIII.* unde & perperam Eginhardi verba eo detorquet Gryphiander, referentis, Carolum poſt Aquitaniam, etiam Vaſconiam, & Hiſpaniæ partem ad Iberum usque Imperio Francorum adjeciſſe. *c. XV. Ipſe per bella memorata primò Aquitaniam, & Vaſconiam, totumque Pyrenæi montis jugum, & usque ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertuſæ civitatis moenia Balearico mari miſcetur.* Scilicet Gothi & Hiſpani Francico imperio ſubjecti eandem

c. 34. q. 1. cau. 11.

Gryph. not.

dem regionem incolebant, eamque *Hiſpaniæ partem*, quæ nunc *Catalonia* dicitur usque ad fluvium Rubricatum, ut eleganter expoſuit St. Baluzius *ad Gratianum d. cau. 11. q. 1. c. 34.* obſervans quoque, Gothos iſtos *Hoſtolenſes* in Præceptis Karlomanni & Karoli ſimplicis dici, atque ex compoſitione iſtorum vocabulorum dictos iſtos populos *Gothoſtolenſes* & per abbreviationem *Gotholenſes*, h. e. Gotholanos, Catalaunos. Pertinet huc Capitulare Caroli M. anno 807. Aquisgrani conditum, §. V. *Si partibus Hiſpaniæ ſive Avaratiæ ſolatium fuerit neceſſe præbendi, tunc de Saxonibus quinque ſextum præparare faciant.* Ludovici Pii præceptum anno 815. in præfat. ibi: *In Septimania atque in ea portione Hiſpaniæ, quæ à noſtris Marchionibus in ſolitudinem redacta fuit.* Conf. Capitulare Caroli Calvi anno 844. Pars itaque citerioris Hiſpaniæ, quæ inter Pyrenæos, mare mediterraneum & fluvium Rubricatum habitatur, fuit tum in regno Francorum, *Marca Hiſpanica* dicta, in qua præclaræ urbes, Auſona, Barcino, Gerunda, Vrgellis. *Baluz. in Tom. 1. Capitular. pag. 768.*

§. XIII.

Neque diffitetur Mariana *l. VII. c. XI.* Carolum M. *non ſemel veniſſe in Hiſpaniam, idque fama*, inquit *fert veterum ſcriptorum conſtanti fide fundata.* Et Pyrenæo monte transcenſo *Pampilonem* redegiſſe in ſuam poteſtatem: *Cæſarauguſtæ* Regem dediſſe, & vectigalem feciſſe: poſt aliquot annos & *Gerundam* & *Barcinonem* in ejus poteſtatem veniſſe. Inde *Barcinonenſium*, inquit, *Comitum initia, & origo gentis Catalaunicæ: cum Cathelauni populi ad Tholoſam, urbem in Gallia Narbonenſi late fuſi, ad novas ſcilicet ſedes in Hiſpaniæ partem eam penetraſſent. Nam qui ex Gothis & Alanis Catalauniæ vocem duplicant, aut à*

Catalone

Catalone quodam Aquitaniæ Præfecto, quo tempore Martelli armis occupata eſt, Eudonique filiis erepta, derivant, nulli erudito ſuam opinionem probarunt. Thomicbus ejus gentis ſcriptor Carolum denuò ait, poſt aliquantum tempus Narbone capta ereptaque Mauris, in Hiſpaniam irrupiſſe, tractumque illum adjeciſſe imperio, Catalaunia veteri nomen eſt ad Ceretanos. Præterea cum Mauris dimicatum in valle, cui ab eo prælio Caroli nomen eſt factum.

§. XIV.

Sed iſta *jura ſingularia* Caroli in Hiſpania parum ad Imperatores Germanorum; at *jus imperii univerſum* per orbem Chriſtianum Occidentalem à Carolo & Francis ad Germanos per Carolomannum & Carolum Craſſum translatum eſt. Ex quibus omnibus judicari poteſt, quatenus Gloſſa *in can. Adrianus. XXII. diſt. 63.* & doctores, quos Carol Molinæus ibi allegat, pro exemtione Hiſpaniarum ab Imperio Romano Germanico admitti debeant. Atque obſervandum eſt, Jus quodcunque quo *univerſalius*, eo retineri poſſe diutius, quippe quod non præcisè in ſubjectione, ſed vel in ſummâ directione duntaxat, & fœdere atque amicitia inæquali cernitur. quod quo rarius actu ſecundo exerceri videtur, eo difficilius, aut præſcriptione aut non uſu amiſſum dici poterit. Accedit denique huic noſtro Juri hoc, quod ad *fundamenti* inſtar nitatur Vniverſali poteſtate, & *directione Eccleſiæ Chriſtianæ:* ubi locorum ergo hæc viget, ibi etiam illa perdurare præſumitur. Quod jamtum ſupra *lib. 1. cap. 3. §. 4.* expoſitum. Quò etiam facit, quod Carolus M. in Conſt. *Concil. Francof.* contra hæreſin *Elipandi A. C. 794. §. 8.* ait: Hi (Doctores Eccleſiæ) ſunt rectores per diverſas ſedes *Civitatis Chriſti* (Imperii Chriſtiani) *cujus antemurale eſt fides Catholica.*

Gl. in can. 22. diſt. 63.

Jus imperii an præſcribatur.

HER-

Hermannus Conringius
ad
Jo. Schilterum
d. XVII. Decembr. 1677.

Scriptus libellus tuus perquam eſt acceptus. Ne quid diffitear tamen, hactenus mihi non potuit perſuaderi, Imperatores Germanicos quicquam juris (ſuperioritatis ſcilicet, non directorialis) *in Hiſpaniam aut Reges Hiſpanicos unquam ſibi arrogaſſe, aut factum illud eſſe ab ipſo Carolo Magno obtentu Cæſareæ dignitatis. Credo autem etiam nunc, omnem controverſiam Baronio Marianæ aliisque Hiſpanicis ſcriptoribus memoratam fuiſſe de titulo Imperatorio* (non ſolo, ſed de dependente inde auctoritate & obſervantia) *quem ſolis ſibi inter Occidentales Principes deberi noſtri exiſtimaverunt, nec immerito. Attingam hanc rem libro Supplementorum de Finibus tertio, cum juſto nominis tui præconio, niſi & ipſum libellum tuum inſerere operi licuerit.*

Idem ad eundem.
XXII. Jan. 1678.

Placet quoque tua ſententia, qualem illam explicaſti de Cæſarea auctoritate. Veriſſimum ſcilicet eſt reverentiâ Romani nominis titulum Imperatorum in ambitioſo illo Hiſpano improbatum eſſe. Perinde atque Imperio Conſtantinopolitano Ruſſicum CZAR, quod barbarus effinxit ex CAESAR, intolerabile viſum fuit: & jure deteſtari debemus adulatores illos, qui non dubitant Regi ſuo Imperatorium titulum obtrudere.

Liber

LIBER QVARTVS DE LIBERTATE ECCLESIARVM GERMANIÆ AB HENRICO IV. VARIE DEFENSA.

CAPVT PRIMVM. DE NOVIS S. R. INSTITVTIS.

SVMMARIA.

Periodus imperii Pontificii. Initia parva. Progreſſus lenti. occaſiones: diviſio imperii Carolini. Henrici IV. infelix educatio. Seditio Saxonum: Papam implorantium. Qui hac anſâ fundamentum libertatis evertendum duxit: contra propria anteriora facta. Mutans titulum ordinandi S.R. Titulus Patricii callidè reductus. Jus ordinandi S.R. ſub alio & Privilegii titulo renovatum. Mutatio tituli an juſta? & in Synodo Baſilienſi anno 1061. abrogata?

P. R. recipit Nortmannos adjutores, in præjudicium Impp. German. Alexander II. vitio creatus habetur: Ejus legatus pro illegitimo habitus. Cadaloeus Papa electus & remotus. Concilium Osborienſe. Saxonum accuſationem contra Imp. Papa recipit, itemque Burgundiam in clientelam: Duci Bohemiæ Mitram mittit. Conſtantienſis Epiſcopus remotus in Imperatoris invidiam: & Abbas Augienſis. Cauſa decimarum per Thuringiam. Appellatio ad S. R. prohibita. P. R. citat Imperatorem. Annonis abdicatio.

§. I.

Periodus Monarchiæ Papalis.

HEnricum III. Imperatorem fato functum A.C.1056. *ultimum fuiſſe, qui Majeſtatem Imperii contra potentiam Pontificiā conſervarit illibatā, obſervatū eſt.* Scilicet ſi retro computamus ſecula, periodum quingentorum annorum deprehendimus jam elapſam, à morte Gregorii M. Pontificis Rom. à quo tempore ita adoleſcere illa viſa eſt, ut hoc annorum decurſu in ἀκμὴν & virilem ætatem conſcendiſſe videatur: quanto viciſſim temporis intervallo in hoc Senium, quo nunc cernitur vergit. Acerbè tum Petrus Damiani luſit,

Cæli Roma ſeras tenet, & regit orbis habenas;
His ſi plura velit, Tartara ſola petit.

Atque quod Ariſtoteles *lib. V. Polit. c. IIX.* de mutatione Rerumpubl. generatim animadvertit, eam pedetentim ex parvis oriri initiis, adeoque τὸ μικρὸν φυλάττειν maxime

me omnium præcipit, exemplis è re familiari, & λόγῳ σωριτικῷ, quem *Soritem* Stoici poſtea vocarunt, deſumtis: Id certe ipſum quoque apparet conſideranti priſcam Epiſcoporum Romanorum conditionem, & rudia poteſtatis initia, augmenta verò lenta quidem, & ferè inſenſibilia, ſed quæ tarditatem gravitate, atque vehementia compenſarunt.

§. II.

Parum fuit ex urbis eminentia prærogativam Sedi Epiſcopali concedere inter Epiſcopos, mox etiam ante IV viros Patriarchas: Inde & Oecumenici titulus oblatus; ſed titulus, & is aliquandiu nec uſurpatus. At uſurpatus, qvum imbelle Græcorum Imperium Romam aut alieno jugo ſubdi, aut ſui juris fieri pateretur. Atque hactenus non niſi dignitas & auctoritas, nulla dominationis potentia: quæ orta demum ex liberalitate Imperatorum ac Regum, maximè Francorum, & Germanorum, in dotem Eccleſiæ ſuæ, aliis etiam Epiſcopis communis. Parva hæc viſa, proin admiſſu facilia Principibus, qui non animadverterunt, ex his initiis imminere Imperio Romano maximam μεταμόρφωσιν ac mutationem, ut ſeptimum caput ſeu Reipubl. Romanæ facies, ex Conſtantini M. ad Eccleſiam Chriſti acceſſione nata, i.e. *Imperium Rom. Chriſtianum*, nova & octava foret. Nam fato ita datum erat, ut Imperii Principes communi quaſi conſenſu, & velut ex compacto imperium ſuum traderent octavo huic capiti. *initia parva.*

§. III.

Hæc poſt Gregorium M. usque ad Caroli M. & Ludovici Pii imperium jacta ſunt fundamenta, quibus Dominatio univerſalis in Rempubl. pariter & in Eccleſiam ſu- *Progreſſ9.*

perſtruenda, quam primum occaſio tulerit. Et tulit iſtam mox *Diviſio Imperii*, inter poſteros Caroli, *omnibus Regnis ac principatibus noxia:* nam peperit, ut fieri fere aſſolet, æmulationes, diſſidia, bella, inter Imperatorem & Reges ipſos, qui quantum Majeſtatis Imperatoris detrahebant tantum Pontifici Rom. nec intelligentes tradebant. Hinc qui arbiter erat receptus, mox judicem ſe venditabat, & ſub ſpecie ſacræ auctoritatis, imperium ſupereminens exſtruere viſus.

Diviſio Imp.

§. IV.

Henrici IV. infelix educatio.

Quæ cum hactenus parturiret Roma, erupere tandem ſub Henrico IV. Imp. Optimi Parentis, optimæ indolis filio, ſed per ætatem univerſam, infeliciſſimo. Puerulus curæ & diſciplinæ *Hildebrandi Tuſci* monachi, à Patre fuit traditus, cui in ſomnis Præceptor bicornis apparuit, diſcipulum cornibus in cœlum ferens & in abyſſum deprimens. Quinquennis, Patre mortuo, *Imperatricis* maternæ curæ creditus, donec ab Archiepiſcopo Colonienſi atque Bremenſi vi aut clam raptus, peſſimè educatus, ut educatores adminiſtratione Imperii matri ereptâ, ipſi ſoli liberrimè gauderent. *Educatio Regis atque ordinatio omnium rerum publicarum,* inquit Lambertus Schaffnaburgenſis A. C. 1063. *penes Epiſcopos erat, eminebatque inter eos Moguntini & Colonienſis Archiepiſcoporum auctoritas. A quibus cum in partem conſilii Adelbertus Bremenſis Archiepiſcopus* (vicarius tum Papæ per Germaniam Baron. A. C. 1062. §. 106.) *tum propter claritatem generis, tum propter ætatis atque archiepiſcopatus prærogativam ille ſæpius colloquendo, obſequendo etiam, atque aſſentando ita ſibi Regem brevi devinxerat, ut cæteris Epiſcopis poſtbabitis, totus in eum inclinaretur, & ipſe in REGNO COMMUNI pene Monarchiam*

narchiam (tale quid metuebatur etiam de Gallo in Electione Caroli V. *Regnum* vero *commune* vocatur ſcilicet *cum Statibus* Regni & Imperii) *uſurpare videretur. Secundas poſt eum partes agebat Werenher Comes, juvenis tam ingenio, quam ætate ferox. Hi duo pro Rege imperitabant, ab his Epiſcopatus & Abbatiæ, ab his quicquid Eccleſiaſticum, quidquid ſecularium dignitatum eſt emebatur &c.*

§. V.

Hac ratione adſvetus Henricus libidinibus atque licentiæ, qvum adminiſtrationem Reip. ipſe ſubiiſſet, liberiorem iſtis campum nactus. Hinc multarum, & illuſtrium familiarum querelæ de adulteriis, de ſtupris, de violentiis. Senatus Imperii poſthabitus, & abjectæ ſortis homines in conſilium Reip. adſciti. Saxonum natio conſangvinea & educatrix, neglecta; & gens Svevica in aula prælata Goslariæ. Hinc invidia Saxonum, quam auxit Otto, Dux Bavariæ, ab Imp. & Imperio depoſitus, reus læſæ Majeſtatis. Acceſſit multa arcium imperialium extructio per Saxoniam. Jactatum fœdus cum Rege Daniæ, ad eripiendam Saxonibus & Thuringis libertatem. *V. Lamb.* ad *A. C. 1073.* Ex hac tali oppreſſione, injectoque metu, fomes ac ſcintillæ ſeditionis Saxonicæ, cujus flabellum Otto, ut mox omnia audacius agerentur, & ſub prætextu libertatis turpe imperatori bellum inferretur. Imperator qua erat & prudentia & fortitudine nulla remedia intermittebat, nec modica nec fortiora, ut de felici exitu dubium eſſet nullum, ſi fata voluiſſent. Sed ultimum Saxonum refugium tandem fuit ad Curiam Romanam, qua occaſione Hildebrandus Papa arreptâ, præcipuus uſurpator ſacræ libertatis pariter & civilis per Germanias extitit, ut ſequente capite videbimus.

Seditio Saxonum.

imploratio Papæ.

§. VI.

fundamentum Libertatis

Hactenus tentata quidem, ſatis tamen ſervata ab Imperatore *Poteſtas ordinandi ſedem Romanam*, h. e. poteſtas ſumma *conſtituendi Magiſtratus* ſacros ſive Epiſcopos, tum omnes & ſingulos per Imperium regulariter; tum vero ipſorum quoque principem imprimis Papam Romanum: cujus viciſſim eligendi & ad Imperatoris voluntatem, & confirmationem præſentandi jus ac libertas Clero, Populoque Romano, ſalva atque integra fuerat relicta. Alteram ſummæ Majeſtatis partem, *LLatoriam* circa ſacra poteſtatem, etſi Pontifices ſæpe per Epiſtolas decretales adfectaverant, nunquam tamen tanquam independentem, ſed ut ſubordinatam Conciliis Generalibus aut Nationalibus; Pontificis decernendi, & ſtatuendi facultatem agnoverant hactenus Eccleſiæ Germanicæ. Conciliorum autem Univerſalium ſummum Moderatorem & Tutanum, Imperatorem, Præſidem primarium Papam, & Adſeſſores Epiſcopos, & ordines Imperii Chriſtiani habebant. Quo etiam cauſæ ſacræ ab inferioribus, & ipſius Papæ judiciis tandem devolvebantur, ſicut ex ſuperioribus diſputatis liquet.

§. VII.

evertendum ſibi ſumſit Hildebrandus

Hoc fundamentum noſtræ libertatis quamdiu manebat, impoſſibile erat, Pontifices cæteroſque magiſtratus ſacros novas res moliri. Verum enim verò cum jam fata eò inclinarent; non erat amplius difficile, fundamentum ipſum movere & emovere. Id quod quibus adminiculis, quo jure, quave injuria, atque conſcientia perpetratum, nunc videndum eſt, id quod multum nos juvabit, perſpexiſſe hactenus penitius totius rei ordinem, cauſas, atque occaſiones. Atque meminerat Hildebrandus jam tum

aliquot

aliquot Paparum conſtitutiones, nam cum nonnullis tum ſeſe intermiſcendo, tùm aliàs, concurrerat, ac uti jus eligendi clero Rom. liberum ſervare ſategerat, ita ſummam Imperatoris poteſtatem in ordinanda ſede ſemper adhuc agnoverat.

§. VIII.

Brunonis ſeu Leonis IX. in electione, ut libertas eligendi Romanis ſervaretur, curavit, ſalvo tamen Imperatoris jure eminente. *Baron. A.C. 1049. 2.* Eo defuncto Legatus à Romanis ad Imperatorem miſſus, petiit Papam ex Germanica Eccleſia, qvum in Romana perſona idonea reperiri non poſſet. *Baron. A.C. 1054. n. 53.* Stephanus X. Victori II. ſuccedens, à Clero P. Q. R. electus, Hildebrandum ad Imperatricem, Henrici IV. tutricem, A. C. 1058. miſerat, *Clero P. Q. R. ſub diſtricta nimis inhibitione conſtituens, ut ſi ſe, ægrotantem, ante reditum nuncii mori contingeret, nullus omninò Papam eligere auderet, ſed usque ad illius reditum ſedes Apoſtolica intacta vacaret, ejus demum ordinanda conſilio*, ſunt verba *Leonis Oſtienſ. 2. 161.* Mortuo mox Stephano, Hildebrandus ſecundò abit ad Imperatricem, & ut Lambertus habet, *Romani Principes ſatisfactionem ad Regem mittunt, ſe ſcilicet fidem, quam patri dixiſſent, filio, quoad poſſent, ſervaturos, eoque animo vacanti Romanæ Eccleſiæ Pontificem, usque ad id tempus non ſubrogaſſe, ejus magis ſuper hoc expectare ſententiam: orantque ſedulò, ut, quem ipſe velit, transmittat, nihil ejus ordinationi obſtare, ſi quis non per legitima* (qualis hæc ab Imper. petita) *ordinationis oſtium, ſed aliunde adſcendiſſet* (Mincius Antipapa) *in ovile ovium. Rex habita cum Primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum Epiſcopum, in quem & Romanorum, & Teutonicorum ſtudia conſenſerant, Pontificem deſignat, Romamque*

contra propria facta.

mamque per Godefridum Marchionem transmittit. Ita Benedicto (Mincio) *qui ſine juſſu Regis & Principum Sacerdotium uſurpaverat, reprobato, Gerardus, qui & Nicolaus*(II)*Pontificatum obtinuit.* Id factum A.C. 1058. vel ſequente.

§. IX.

Papa mutat titulū ordinandi Sed. Rom.

Germanis hactenus imperium & libertatem tuebantur vires, prudentiæ conjunctæ, quam Διάνοιαν ac θυμὸν vocat Ariſtoteles *VII. Polit. VII.* Etſi verò Romani, τῇ διανοίᾳ ſuperiores, Germanorum potentiæ ſeſe ſubmitterent, & fidem huc uſque tenerent, non intermittebant tamen interea omnia calliditate ſua moliri, quæcunque ad imminuendam Germanorum potentiam, atque imperium univerſale in occidente facere videbantur, qvum jam eorum ope non ut antea indigerent, & adfectatæ ſacræ dominationi ſolos Imperatores obniti crederent. Eo pertinet, quod *Henrico III. Imp.* jam tum perſvaſerant, ut reciperet titulum PATRICII ROMANORUM, quem Carolus M. Imperator factus, prudenter depoſuerat. Rem prodidit Petrus Damiani in Diſcept. Synodali inter regis advocatum, & Romanæ Eccleſiæ defenſorem, ubi Regius Advocatus ita fari inducitur: *Aſſentior planè & ratum duco, quod loqueris: ſed eſto, quod nunc Regia Celſitudo ex antiquorum conſvetudine Principum hoc ſibimet allegare non poſſit; veruntamen tu hoc negare non potes, quod pater Domini mei Regis piæ memoriæ Henricus Imp. factus eſt PATRICIUS ROMANORUM, à quibus accepit in electione ſuper ordinando Pontifice Principatum.*

§. X.

Patricii titulus callide reductus.

Acceperat *Pipinus* Rex dignitatem Patriciatus Rom. primum abſque ſuprema poteſtate in Urbem & ordinandi ſedem Romanam, ſed eam adjecerat *Carolus M.* adeptus

verò

verô imperium, titulum iſtum rejecit, qvum jure Imperii poteſtas in Urbem & ordinandi ſedem Rom. veniret: Titulus porrò Patriciatus per ſe nil niſi jus magiſtratus, aut ſedi Romanæ independentiam, à Pipino indultam, inferret, ut ſuperioribus fuit oſtenſum. Equidem *Ottoni M.* jus patriciatus videri poſſit renovatum; ſed ſi forte, illud tamen *ex cauſa*, quia iſtud hactenus à Ducibus Thuſciæ & Lombardiæ fuerat invaſum; quanquam non ipſum jus Patriciatus, & merum iſtud Otto quæſivit, ſed conſtituendi ſibi ſucceſſorem in Patriciatu h.e. Regem Romanorum ſine interventione Papæ S.P.Q.R. ut ſuo loco dictum pluribus fuit. Verum enim verò iſta cauſa in Henrico III. de quo loqui cæpimus, ceſſabat omninò. Quamobrem callide *Jurisjurandi formula*, quam Henrico II. propoſitam ſuprà explicuimus, mutata & *Patricii* vox ſuppoſita videtur, non alio fine, quam ut tandem res ad ſtatum *Pipini* Regis reduceretur.

§. XI.

Occaſionem haud ineptam ſuggerebat porrò ætas Henrici IV. pupillaris, & adminiſtratio Imperio ab Adelberto Archiepiſc. Bremenſi Pontificis Rom. vicario, Imperatoris Protutore occupata, itemque Hildebrandi ſumma inter Cardinales auctoritas. Celebrabatur A. C. 1059. Synodus Romæ à Nicolao II. in qua Berengarius revocavit dogma ſuum, formulam habet Gratianus *diſt. 2. de conſecr. c. ego Berengarius. 42.* & decretum contra Simoniacos factum, quod refertur in *can. ſtatuimus. 107. q. 1. can. 1.* In hac Synodo etiam de jure ordinandi, & eligendi pontificem Rom. fuit actum, & *nova conſtitutio* de eo edita, ut fatetur Baronius, §. *XXIII.* Rem refert dicta *diſceptatio Synodalis*, quæ poſt verba antea allegata pergit: *Jus ordinandi Sedem R. renovat. ſub tit. Privilegii*

 Huc

Huc accedit, quod præſtantius eſt, quod Nicolaus Papa hoc domino meo Regi PRIVILEGIVM, quod ex paterno jam jure ſuſceperat, præbuit, & per Synodalis inſuper decreti paginam confirmavit. & poſtea idem Regius advocatus: *Synodalis enim decreti pagina, quam cum concilii totius aſſenſu B. Nicolaus Papa conſtituit, cui* (cujus) *quippe manus articulum indidit, quam tot Epiſcoporum venerandus celebrisque conventus ſubſcriptione firmavit, anathematis vinculo juxta morem carere non potuit.* Ipſius decreti tenorem exhibet Gratianus *can. 1. diſt. XXIII.* quanquam ut Baronius putat non nihil corruptum: *Eligatur &c. ſalvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui in præſentiarum rex habetur, & futurus Imperator, DEO concedente, ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, & ſucceſſoribus illius, qui ab hac Apoſtolica ſede PERSONALITER hoc jus IMPETRAVERINT.* Ex quibus patet, id intendiſſe Curiam Romanam, ut labefactaret fundamentum Superioritatis Imperialis in Pontificem Romanum, non amplius *jure Imperii, ſed jure privilegii,* & ex ſpeciali conceſſione Romanæ Sedis, Imperator jus ordinandi ſedem habere inciperet. Ad eum ferè modùm, quo Princeps Romanus, Lege Regia legibus Romanis ſolutus, eadem jura, quæ ipſe ita jure Majeſtatis habet, concedere dicitur Auguſtæ uxori, ut privilegia, *l. 31. D. de LL.* itaque perſonalia, *l. 56. 57. D. de Leg. 2.*

§. XII.

Mutatio tituli an juſta?

Scilicet qvum ſimul ac ſemel non poſſe imperatoribus eripi ſummum jus circa ſacra, & ejus pars, jus ordinandi Sedem Romanam: res per gradus adgredienda videbatur. Inceptum igitur à mutatione *tituli*, ex quo Impp. jure illo gaudebant, & pro titulo univerſali *imperii*

ſubmi-

ſubmiſerunt titulum ſingularem *Privilegii* eo conſilio, quod hujus tollendi poteſtas penes concedentem reſidere præſumatur & concedens etiam ſuperioritatem reſpectu privilegiati obtinuiſſe intelligatur. At unde hoc jus mutandi tituli? Semel adquiſita erat omnis poteſtas Sacra pariter & civilis Imperatoribus Germanorum, poſtquam Pontifex S. P. Q. R. eis & in eos omne imperium ſuum ac poteſtatem conceſſerat; more veterum Imperatorum. Accedebat, quod, deficientibus filiis, ſi electione opus erat, jus eligendi Imperatorem ſolis Germanici Regni ſtatibus reliquerant Romani ac Lombardi. Quæ omnia ſuperius ſatis ſunt demonſtrata. Injuſta igitur fuerit neceſſe eſt, iſta immutatio tituli, ac cauſæ, ex qua Impp. jure ordinandi ſedem Rom. uterentur.

§. XIII.

Quamobrem veriſimile eſt, in Concilio Baſileæ ab Imperatrice A. C. 1061. habito, ab ipſis quoque Italicis & Lombardicis Epiſcopis, cum cæteris quæ à Nicolao Papa fuerant ſtatuta, etiam hoc ſancitum de jure Privilegii, caſſatum fuiſſe, contra quam Baronio viſum §. *IV*. Namque & totum *myſterium Concilii* iſtius Romani de A. 1059. ut vocat Petrus Damiani, non fuit admiſſum in aula Imperatoris, ut conqueſtus eſt Petrus ſub perſona Defenſoris Rom. Eccleſiæ: *Sed abſit à nobis, ut propter cujuslibet hominis inſolentiam Rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem ſui juris amittat; & quem auctore DEO votis omnibus præſtolamur ad Imperiale faſtigium, non permittemus ob alienam culpam regiæ dignitatis incurrere detrimentum. Sed ut totam inauditæ calamitatis noſtræ percurramus hiſtoriam, Stephanus Cardinalis Presbyter Apoſtolicæ Sedis, vir videlicet tantæ gravitatis, & honeſtatis nitore conſpicuus, tantis* *Et in Synodo Baſil. abrogata.*

 deni-

P. R. recipit Nortmannos adjutores, in præjudicium Impp. German. Alexander II. vitio creatus habetur: Ejus legatus pro illegitimo habitus. Cadalous Papa electus & remotus. Concilium Osborienſe. Saxonum accuſationem contra Imp. Papa recipit, itemque Burgundiam in clientelam: Duci Bohemiæ Mitram mittit. Conſtantienſis Epiſcopus remotus in Imperatoris invidiam: & Abbas Augienſis. Cauſa decimarum per Thuringiam. Appellatio ad S. R. prohibita. P. R. citat Imperatorem. Annonis abdicatio.

§. I.

Periodus Monarchiæ Papalis.

HEnricum III. Imperatorem fato functum A.C. 1056. *ultimum fuiſſe, qui Majeſtatem Imperii contra potentiam Pontificiã conſervarit illibatã, obſervatũ eſt.* Scilicet ſi retro computamus ſecula, periodum quingentorum annorum deprehendimus jam elapſam, à morte Gregorii M. Pontificis Rom. à quo tempore ita adoleſcere illa viſa eſt, ut hoc annorum decurſu in ἀκμὴν & virilem ætatem conſcendiſſe videatur: quanto viciſſim temporis intervallo in hoc Senium, quo nunc cernitur vergit. Acerbè tum Petrus Damiani luſit,

Cœli Roma ſeras tenet, & regit orbis habenas;
His ſi plura velit, Tartara ſola petit.

Atque quod Ariſtoteles *lib. V. Polit. c. IIX.* de mutatione Rerumpubl. generatim animadvertit, eam pedetentim ex parvis oriri initiis, adeoque τὸ μικρὸν φυλάττειν maxime

me omnium præcipit, exemplis è re familiari, & λόγῳ ϲυφιϲικῷ, quem *Soritem* Stoici poſtea vocarunt, deſumtis: Id certe ipſum quoque apparet conſideranti priſcam Epiſcoporum Romanorum conditionem, & rudia poteſtatis initia, augmenta verò lenta quidem, & ferè inſenſibilia, ſed quæ tarditatem gravitate, atque vehementia compenſarunt.

§. II.

Parum fuit ex urbis eminentia prærogativam Sedi Epiſcopali concedere inter Epiſcopos, mox etiam ante IV viros Patriarchas: Inde & Oecumenici titulus oblatus; ſed titulus, & is aliquandiu nec uſurpatus. At uſurpatus, qvum imbelle Græcorum Imperium Romam aut alieno jugo ſubdi, aut ſui juris fieri pateretur. Atque hactenus non niſi dignitas & auctoritas, nulla dominationis potentia: quæ orta demum ex liberalitate Imperatorum ac Regum, maximè Francorum, & Germanorum, in dotem Eccleſiæ ſuæ, aliis etiam Epiſcopis communis. Parva hæc viſa, proin admiſſu facilia Principibus, qui non animadverterunt, ex his initiis imminere Imperio Romano maximam μεταμέρφωσιν ac mutationem, ut ſeptimum caput ſeu Reipubl. Romanæ facies, ex Conſtantini M. ad Eccleſiam Chriſti acceſſione nata, i.e. *Imperium Rom. Chriſtianum,* nova & octava foret. Nam fato ita datum erat, ut Imperii Principes communi quaſi conſenſu, & velut ex compacto imperium ſuum traderent octavo huic capiti. *initia parva.*

§. III.

Hæc poſt Gregorium M. usque ad Caroli M. & Ludovici Pii imperium jacta ſunt fundamenta, quibus Dominatio univerſalis in Rempubl. pariter & in Eccleſiam ſu- *Progreſſ.*

Diviſio Imp. perſtruenda, quam primum occaſio tulerit. Et tulit iſtam mox *Diviſio Imperii*, inter poſteros Caroli, *omnibus Regnis ac principatibus noxia:* nam peperit, ut fieri fere aſſolet, æmulationes, diſſidia, bella, inter Imperatorem & Reges ipſos, qui quantum Majeſtatis Imperatoris detrahebant tantum Pontifici Rom. nec intelligentes tradebant. Hinc qui arbiter erat receptus, mox judicem ſe venditabat, & ſub ſpecie ſacræ auctoritatis, imperium ſupereminens exſtruere viſus.

§. IV.

Henrici IV. infelix educatio. Quæ cum hactenus parturiret Roma, erupere tandem ſub Henrico IV. Imp. Optimi Parentis, optimæ indolis filio, ſed per ætatem univerſam, infeliciſſimo. Puerulus curæ & diſciplinæ *Hildebrandi Tuſci* monachi, à Patre fuit traditus, cui in ſomnis Præceptor bicornis apparuit, diſcipulum cornibus in cœlum ferens & in abyſſum deprimens. Quinquennis, Patre mortuo, *Imperatricis* maternæ curæ creditus, donec ab Archiepiſcopo Colonienſi atque Bremenſi vi aut clam raptus, peſſimè educatus, ut educatores adminiſtratione Imperii matri ereptâ, ipſi ſoli liberrimè gauderent. *Educatio Regis atque ordinatio omnium rerum publicarum,* inquit Lambertus Schaffnaburgenſis A. C. 1063. *penes Epiſcopos erat, eminebatque inter eos Moguntini & Colonienſis Archiepiſcoporum auctoritas. A quibus quum in partem conſilii Adelbertus Bremenſis Archiepiſcopus* (vicarius tum Papæ per Germaniam Baron. A. C. 1062. §. 106.) *tum propter claritatem generis, tum propter ætatis atque archiepiſcopatus prærogativam ille ſæpius colloquendo, obſequendo etiam, atque aſſentando ita ſibi Regem brevi devinxerat, ut cæteris Epiſcopis poſthabitis, totus in eum inclinaretur, & ipſe in REGNO COMMUNI pene Monarchiam*

narchiam (tale quid metuebatur etiam de Gallo in Electione Caroli V. *Regnum* vero *commune* vocatur ſcilicet *cum Statibus* Regni & Imperii) *uſurpare videretur. Secundas poſt eum partes agebat Werenher Comes, juvenis tam ingenio, quam ætate ferox. Hi duo pro Rege imperitabant, ab his Epiſcopatus & Abbatiæ, ab his quicquid Eccleſiaſticum, quidquid ſecularium dignitatum eſt emebatur &c.*

§. V.

Hac ratione adſvetus Henricus libidinibus atque licentiæ, qvum adminiſtrationem Reip. ipſe ſubiiſſet, liberiorem iſtis campum nactus. Hinc multarum, & illuſtrium familiarum querelæ de adulteriis, de ſtupris, de violentiis. Senatus Imperii poſthabitus, & abjectæ ſortis homines in conſilium Reip. adſciti. Saxonum natio conſangvinea & educatrix, neglecta; & gens Svevica in aula prælata Goslariæ. Hinc invidia Saxonum, quam auxit Otto, Dux Bavariæ, ab Imp. & Imperio depoſitus, reus læſæ Majeſtatis. Acceſſit multa arcium imperialium extructio per Saxoniam. Jactatum fœdus cum Rege Daniæ, ad eripiendam Saxonibus & Thuringis libertatem. *V. Lamb.* ad *A. C. 1073.* Ex hac tali oppreſſione, injectoque metu, fomes ac ſcintillæ ſeditionis Saxonicæ, cujus flabellum Otto, ut mox omnia audacius agerentur, & ſub prætextu libertatis turpe imperatori bellum inferretur. Imperator qua erat & prudentia & fortitudine nulla remedia intermittebat, nec modica nec fortiora, ut de felici exitu dubium eſſet nullum, ſi fata voluiſſent. Sed ultimum Saxonum refugium tandem fuit ad Curiam Romanam, qua occaſione Hildebrandus Papa arreptâ, præcipuus uſurpator ſacræ libertatis pariter & civilis per Germanias extitit, ut ſequente capite videbimus.

Seditio Saxonum.

imploratio Papæ.

aliquot Paparum conſtitutiones,nam cum nonnullis tum ſeſe intermiſcendo, tùm aliàs,concurrerat, ac uti jus eligendi clero Rom. liberum ſervare ſategerat, ita ſummam Imperatoris poteſtatem in ordinanda ſede ſemper adhuc agnoverat.

§. VIII.

Brunonis ſeu Leonis IX. in electione,ut libertas eligendi Romanis ſervaretur, curavit, ſalvo tamen Imperatoris jure eminente. *Baron. A.C. 1049. 2.* Eo defuncto Legatus à Romanis ad Imperatorem miſſus, petiit Papam ex Germanica Eccleſia,qvum in Romana perſona idonea reperiri non poſſet. *Baron. A.C. 1054. n.53.* Stephanus X. Victori II. ſuccedens, à Clero P.Q.R. electus, Hildebrandum ad Imperatricem, Henrici IV. tutricem, A. C. 1058. miſerat, *Clero P. Q. R. ſub diſtricta nimis inhibitione conſtituens,ut ſi ſe, ægrotantem,ante reditum nuncii mori contingeret,nullus omninò Papam eligere auderet,ſed usque ad illius reditum ſedes Apoſtolica intacta vacaret, ejus demum ordinanda conſilio,* ſunt verba *Leonis Oſtienſ. 2. 161.* Mortuo mox Stephano, Hildebrandus ſecundò abit ad Imperatricem, & ut Lambertus habet, *Romani Principes ſatisfactionem ad Regem mittunt,ſe ſcilicet fidem,quam patri dixiſſent, filio,quoad poſſent,ſervaturos,eoque animo vacanti Romanæ Eccleſiæ Pontificem, usque ad id tempus non ſubrogaſſe, ejus magis ſuper hoc expectare ſententiam: orantque ſedulò, ut, quem ipſe velit,transmittat,nihil ejus ordinationi obſtare, ſi quis non per legitima* (qualis hæc ab Imper. petita) *ordinationis oſtium, ſed aliunde adſcendiſſet* (Mincius Antipapa) *in ovile ovium. Rex habita cum Primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum Epiſcopum,in quem & Romanorum, & Teutonicorum ſtudia conſenſerant, Pontificem deſignat, Romamque*

contra propria facta.

mamque per Godefridum Marchionem transmittit. Ita Benedicto (Mincio) *qui ſine juſſu Regis & Principum Sacerdotium uſurpaverat, reprobato, Gerardus, qui & Nicolaus*(II)*Pontificatum obtinuit.* Id factum A.C. 1058. vel ſequente.

§. IX.

Papa mutat titulũ ordinandi Sed. Rom.

Germanis hactenus imperium & libertatem tuebantur vires, prudentiæ conjunctæ, quam διάνοιαν ac θυμὸν vocat Ariſtoteles *VII. Polit. VII.* Etſi verò Romani, τῇ διανοίᾳ ſuperiores, Germanorum potentiæ ſeſe ſubmitterent, & fidem hucusque tenerent, non intermittebant tamen interea omnia calliditate ſua moliri, quæcunque ad imminuendam Germanorum potentiam, atque imperium univerſale in occidente facere videbantur, qvum jam eorum ope non ut antea indigerent, & adfectatæ ſacræ dominationi ſolos Imperatores obniti crederent. Eo pertinet, quod *Henrico III. Imp.* jam tum perſvaſerant, ut reciperet titulum PATRICII ROMANORUM, quem Carolus M. Imperator factus, prudenter depoſuerat. Rem prodidit Petrus Damiani in Diſcept. Synodali inter regis advocatum, & Romanæ Eccleſiæ defenſorem, ubi Regius Advocatus ita fari inducitur: *Aſſentior planè & ratum duco, quod loqueris: ſed eſto, quod nunc Regia Celſitudo ex antiquorum conſuetudine Principum hoc ſibimet allegare non poſſit; veruntamen tu hoc negare non potes, quod pater Domini mei Regis piæ memoriæ Henricus Imp. factus eſt PATRICIVS ROMANORVM, à quibus accepit in electione ſuper ordinando Pontifice Principatum.*

§. X.

Patricii titulus callide reductus.

Acceperat *Pipinus* Rex dignitatem Patriciatus Rom. primum abſque ſuprema poteſtate in Urbem & ordinandi ſedem Romanam, ſed eam adjecerat *Carolus M.* adeptus

verò

verô imperium, titulum iſtum rejecit, qvum jure Imperii poteſtas in Urbem & ordinandi ſedem Rom. veniret: Titulus porrò Patriciatus per ſe nil niſi jus magiſtratus, aut ſedi Romanæ independentiam, à Pipino indultam, inferret, ut ſuperioribus fuit oſtenſum. Equidem *Ottoni M.* jus patriciatus videri poſſit renovatum; ſed ſi forte, illud tamen *ex cauſa*, quia iſtud hactenus à Ducibus Thuſciæ & Lombardiæ fuerat invaſum; quanquam non ipſum jus Patriciatus, & merum iſtud Otto quæſivit, ſed conſtituendi ſibi ſucceſſorem in Patriciatu h.e. Regem Romanorum ſine interventione Papæ S.P.Q.R. ut ſuo loco dictum pluribus fuit. Verum enim verò iſta cauſa in Henrico III. de quo loqui cæpimus, ceſſabat omninò. Quamobrem callide *Jurisjurandi formula*, quam Henrico II. propoſitam ſuprà explicuimus, mutata & *Patricii* vox ſuppoſita videtur, non alio fine, quam ut tandem res ad ſtatum *Pipini* Regis reduceretur.

§. XI.

Jus ordindandi Sedem R. renovat. ſub tit. Privilegii

Occaſionem haud ineptam ſuggerebat porrò ætas Henrici IV. pupillaris, & adminiſtratio Imperio ab Adelberto Archiepiſc. Bremenſi Pontificis Rom. vicario, Imperatoris Protutore occupata, itemque Hildebrandi ſumma inter Cardinales auctoritas. Celebrabatur A. C. 1059. Synodus Romæ à Nicolao II. in qua Berengarius revocavit dogma ſuum, formulam habet Gratianus *diſt. 2. de conſecr. c. ego Berengarius. 42.* & decretum contra Simoniacos factum, quod refertur in *can. ſtatuimus. 107. q. 1. cau. 1.* In hac Synodo etiam de jure ordinandi, & eligendi pontificem Rom. fuit actum, & *nova conſtitutio* de eo edita, ut fatetur Baronius, §. *XXIII.* Rem refert dicta *diſceptatio Synodalis*, quæ poſt verba antea allegata pergit:

Huc accedit, quod præſtantius eſt, quod Nicolaus Papa hoc domino meo Regi PRIVILEGIVM, quod ex paterno jam jure ſuſceperat, præbuit, & per Synodalis inſuper decreti paginam confirmavit. & poſtea idem Regius advocatus: *Synodalis enim decreti pagina, quam cum concilii totius aſſenſu B. Nicolaus Papa conſtituit, cui* (cujus) *quippe manus articulum indidit, quam tot Epiſcoporum venerandus celebrisque conventus ſubſcriptione firmavit, anathematis vinculo juxta morem carere non potuit.* Ipſius decreti tenorem exhibet Gratianus *can. 1. diſt. XXIII.* quanquam ut Baronius putat non nihil corruptum: *Eligatur &c. ſalvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui in præſentiarum rex habetur, & futurus Imperator, DEO concedente, ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, & ſucceſſoribus illius, qui ab hac Apoſtolica ſede PERSONALITER hoc jus IMPETRAVERINT.* Ex quibus patet, id intendiſſe Curiam Romanam, ut labefactaret fundamentum Superioritatis Imperialis in Pontificem Romanum, non amplius *jure Imperii, ſed jure privilegii,* & ex ſpeciali conceſſione Romanæ Sedis, Imperator jus ordinandi ſedem habere inciperet. Ad eum ferè modum, quo Princeps Romanus, Lege Regia legibus Romanis ſolutus, eadem jura, quæ ipſe ita jure Majeſtatis habet, concedere dicitur Auguſtæ uxori, ut privilegia, *l. 31. D. de LL.* itaque perſonalia, *l. 56. 57. D. de Leg. 2.*

§. XII.

Mutatio tituli an juſta? Scilicet qvum ſimul ac ſemel non poſſe imperatoribus eripi ſummum jus circa ſacra, & ejus pars, jus ordinandi Sedem Romanam: res per gradus adgredienda videbatur. Inceptum igitur à mutatione *tituli*, ex quo Impp. jure illo gaudebant, & pro titulo univerſali *imperii*

ſubmi-

ſubmiſerunt titulum ſingularem *Privilegii* eo conſilio, quod hujus tollendi poteſtas penes concedentem reſidere præſumatur & concedens etiam ſuperioritatem reſpectu privilegiati obtinuiſſe intelligatur. At unde hoc jus mutandi tituli? Semel adquiſita erat omnis poteſtas Sacra pariter & civilis Imperatoribus Germanorum, poſtquam Pontifex S. P. Q. R. eis & in eos omne imperium ſuum ac poteſtatem conceſſerat; more veterum Imperatorum. Accedebat, quod, deficientibus filiis, ſi electione opus erat, jus eligendi Imperatorem ſolis Germanici Regni ſtatibus reliquerant Romani ac Lombardi. Quæ omnia ſuperius ſatis ſunt demonſtrata. Injuſta igitur fuerit neceſſe eſt, iſta immutatio tituli, ac cauſæ, ex qua Impp. jure ordinandi ſedem Rom. uterentur.

§. XIII.

Quamobrem veriſimile eſt, in Concilio Baſileæ ab Imperatrice A. C. 1061. habito, ab ipſis quoque Italicis & Lombardicis Epiſcopis, cum cæteris quæ à Nicolao Papa fuerant ſtatuta, etiam hoc ſancitum de jure Privilegii, caſſatum fuiſſe, contra quam Baronio viſum §. *IV*. Namque & totum *myſterium Concilii* iſtius Romani de A. 1059. ut vocat Petrus Damiani, non fuit admiſſum in aula Imperatoris, ut conqueſtus eſt Petrus ſub perſona Defenſoris Rom. Eccleſiæ: *Sed abſit à nobis, ut propter cujuslibet hominis inſolentiam Rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem ſui juris amittat; & quem auctore DEO votis omnibus præſtolamur ad Imperiale faſtigium, non permittemus ob alienam culpam regiæ dignitatis incurrere detrimentum. Sed ut totam inauditæ calamitatis noſtræ percurramus hiſtoriam, Stephanus Cardinalis Presbyter Apoſtolicæ Sedis, vir videlicet tantæ gravitatis, & honeſtatis nitore conſpicuus, tantis*

Et in Synodo Baſil. abrogatam.

Qqq 2 deni-

denique, ſicut non obſcurum eſt, virtutum floribus inſignitus cum Apoſtolicis literis ad aulam regiam miſſus ab aulicis adminiſtratoribus non eſt admiſſus, ſed per quinque ferè dies, ad B. Petri & ſedis Apoſtolicæ injuriam, pro foribus manſit excluſus. Quod ille utpote vir gravis, & patiens æquanimiter tulit: Legati tamen officium, quo fungebatur, implere non potuit. Clauſum itaque ſignatumque myſterium concilii, cujus erat gerulus, retulit, quia Regiis eum præſentari conſpectibus Curialium plectenda temeritas non permiſit. Unde ſi vellemus injuriam noſtram diſtrictius perſequi, jure poſſemus obtendere, quia vos Romanæ Eccleſiæ vosmetipſos DONO privaſtis, qui ſcilicet ei præjudicii veſtri gratiâ contumeliam intuliſtis. Ille quippe fœdus amicitiæ violat, qui gratis amicitiæ per offenſionis moleſtiam pulſat. Veruntamen Rom. Eccleſia non vult exaggerare quod pertulit, ſed perſeverare cupit in munere, quod regio culmini liberaliter prorogavit. Hæc defenſor Eccleſiæ Petrus, Hildebrandi *Sancti ſui Satanæ*, ſic eum vocavit ipſe, teſte Baronio *A. C. 1061. §. 37.* calliditatibus, tanquam in officina ferraria jam ſatis obfuſcatus, corruptum enim ſeſe in curia Romana ipſe conqueſtus eſt, epiſt. ad Alex. II. & Hildebr. deplorans Eccleſiæ Rom. ſtatum. *vid. ibid. Baron. §. 40.*

§. XIV.

Papa recipit Nortmannos adjutores.

Cum verò non ſolum *conſilio*, ſed & *potentia* Monarchia ſtabiliatur, prioribus acceſſerat ingens occaſio, robur conſiliis his addere. *Nortmanni*, ſedibus ſuis egreſſi, in Galliam, Hiſpaniam, & denique in Italiam quoque delati expulſis Græcis, *Apuliam* & *Calabriam* occupaverant, territorium quoque Romanum ſubinde infeſtantes, Pontifice Rom. ſemel etiam capto. Hi circa A. C. 1059. legatis

tis miſſis invitaverant Papam Nicolaum II. ut in Apuliam deſcenderet, & ſatisfactione ſuſcepta, eos Eccleſiæ reconciliaret. Ejus rei non dubito pararium fuiſſe Hildebrandum. Quia igitur hi potentia & viribus comites Tuſculanos, & reliquos Magnates Romanos ſuperabant, ut adverſus eos Romano Pontifici magnum ſolatium, & opportunum auxilium valida manu poſſent exhibere, omnino non modo à vinculo excommunicationis abſoluti & in gratiam recepti, ſed etiam juramento fidelitatis, & cenſu annuo pro uno quoque jugo boum XII. denariis Papienſis monetæ, Sedi Rom. obſtricti, & in Dominio utili Apuliæ & Calabriæ, itemque Siciliæ Græcis adhuc eripiendæ tum, confirmati fuerunt.

§. XV.

Sed eventus mox docuit, ad invidiam Impp. Germanorum hoc fœdus Nortmannicum fuiſſe concinnatum, atque in præjudicium juris ordinandi ſedem Rom. Nam qvum A. C. 1061. Nicolaus II. moneretur, *& ingens Seditio*, referente Leone Oſtienſi l. 3. c. 20. *inter Romanos de ordinando Pontifice cœpiſſet oriri; Hildebrandus Archidiaconus habito conſilio cum Cardinalibus Nobilibusq; Romanis, ne diſſenſio increſceret, Anſelmum, Lucenſem Epiſcopum, poſt menſes fermè tres in Rom. Pontificem eligunt, Alexandrumque vocari decernunt, Deſiderio* Abbate Caſſinenſi *Romam tum Principe* Nortmannorum Richardo *proficiſcente* (ut defenderet electum) *Quod cum Imperatrix audiſſet, unà cum filio tulere graviter, hæc ſine ſua auctoritate geſta fuiſſe.* Hæc Leo. *in præjudic. Impp. German.*

§. XVI.

Quare qvum Cardinales ſoli cum quibusdam nobilibus, non unanimi S. P. Q. R. conſenſu elegiſſent, nec cum *Alex. II. vitio creatus.*

auctòritate & præſentia Miſſi Imperatricis: haud agnitus fuit pro legitimè electo Pontifice Alexander iſte II. Sed ut Hermannus Contractus refert, *Romani coronam, & alia munera Henrico Regi transmiſerunt, eumque pro eligendo ſummo Pontifice interpellarunt. Qui ad ſe convocatis omnibus Italiæ Epiſcopis generalique conventu Baſileæ habito, eadem impoſita corona, Patricius Romanorum appellatus eſt.* Stephanus autem Cardinalis cum literis Apoſtolicis novelli Alexandri ad aulam Imperatoris excuſatum miſſus, non fuit admiſſus, ut antea audivimus, idque jure omninò, quoniam is qui mittere audebat, jus mittendi ab Imperatore impetrare prius debuiſſet, non poterat ergo ut Nuncius cum litteris Apoſtolicis admitti. Color porro quo utitur Petrus Damiani in ſuo defenſore: *Glorioſo Regi*, inquiens *nobis eligendo Pontificem, abſit, ut nos intulerimus injuriam, cum ad hoc nos neceſſitas impulerit, non rapina. Ad hoc, inquam, nos invitos attraxerit periculum Civilis belli, non lædendi vel minuendi liver Imperii.* πρόφασις eſt inſufficiens, qvum nullum periculum immineret belli civilis protegentibus Nortmannis, & Proceribus Romanis fidem Imperatori integram hic obſervantibus, Longobardis quoque in fide permanentibus.

Legatus illegitimq.

§. XVII.

Cadalous Papa.

Contra verò Epiſcopi Longobardiæ, & comites Tuſculani, Galeriani aliique Proceres Romani, machinationes Hildebrandinas Imperatrici expoſuerunt, Baſileam evocati, convenerunt, jura Imperatoris Germanici aſſeruerunt, atque auctoritate Imperatoria Cadaloum Pallavicinum Epiſcopum Parmenſem, Papam elegerunt Honorium II. appellatum. Planè etſi jure ſuo uſus hic Imperatoris Senatus; tamen calido magis, quàm bono maturoque

que conſilio id factum reor. Erat adverſaria Imperatori factio Cleri Romani ad ſeditionem jam longè inſtructior, quam unquam alias, Nortmannorum ope jam ſuffulta, qui Patriciatui Romanorum in hiabant, eumque mox A. C. 1066. bello petebant. *Leo. Oſt. l. 3. c. 23.* Quamobrem conſultius fuiſſet, diſſimulatione uti, ab Electione novi Papæ abſtinere, & illuſtre exemplum Ludovici Pii Imp. erga Stephanum IV. & Paſchalem II. ſequi, de quo ſuprà egimus. Sed manum injicientibus fatis, hebetari Senſus hominum, & obtundi, Prudentum obſervatio eſt.

§. XVIII.

Accedebat, quod viſi Itali plus offerre Imperatori quam per Canones & pacta liceret, h. e. non jus modo confirmandi, & adprobandi electum, ſed ipſum eligendi jus; quod tamen Henricus non appetiit, ut teſtis ejus eſt epiſtola ad Populum Rom. de Hildebrando depoſito, *A. C. 1080. Baron. §. 25.* hinc querelæ de præjudicio Eccleſiæ Romanæ facto circa liberam electionem: hinc prætextus novarum rerum: hinc accuſatio Guiberti, Cancellarii Imperatricis. Tandem per Vicarium Pontificium, Adelbertum Archiepiſc. Bremenſem, & Annonem Archiepiſc. Colonienſem res eo redacta, ut impubes Imperator matri auferretur, adminiſtratio Imperii in publicis Comitiis ad modo dictos duumviros devolveretur, Guibertusque à Cancellariatu removeretur. Scilicet videbant Prudentiores Germanorum Proceres, id, quod ſemel imprudenter admiſſum, arte corrigendum eſſe. Quare habitum A. C. 1062. *Concilium Osborienſe*, quod vocat *Petrus Damiani in defenſore ſuo*, qui locus Baronio incompertus, neſcio an *Oſnabrugum* intelligatur? quod *Eventus illius electionis.*

Maria-

Marianus Scotus A 745. vocat caſtrum Oſſenburg. In eo Cadalous *ab omnibus Teutonicis, & Italicis Epiſcopis* (ſunt verba ejusdem Petri, in Epiſt. ad Cunibertum Taurin. Epiſcopum) *& Metropolitanis, qui cum Rege tunc aderant, damnatus eſt, & depoſitus.* Idem refert Leo Oſtienſis Epiſc. Sic igitur confirmata Electione Alexandri II. ab Imperatore Henrico IV. omnia in integrum videbantur eſſe reſtituta.

§. XIX.

Saxones ad Papam contra Cæſarem,

Verum enim verò adhuc anguis in herba. Erat Rex Germanorum verus ſucceſſor Imperatorum Romanorum veterum per Occidentem inde à tempore Caroli M. ad hanc usque ætatem: qui quum, ut hactenus perſpeximus, Jus circa ſacra, & Imperium in Sedem quoque Romanam, jure ſummæ poteſtatis in Republ. Romano-Germanica, & univerſo Populo Chriſtiano per Occidentem obtinuiſſet, non poterat ei eripi hoc à Pontifice, niſi diviſis Regni ordinibus. Ad fatalem hanc diviſionem organa ſeſe præbuerunt *Saxones*, toties Imperatori ſuo contumaces, usque dum denique A. C. 1072. inſtigatore Ottone, cui ſucceſſorem in Ducatu Bavariæ dederat Imperator, *accuſationem* contra Imperatorem inſtituunt coram curia Pontificis Romani Alexandri II. Ita refert Vrſpergenſis: *Ipſo* (Ottone) *denique mediante non ceſſat gens Saxonum, ut eſt animis acerrima, conjurationem adverſus Regem unanimi conſpiratione confirmare; accuſationes & blaſphemias inauditas ad Sedem Apoſtolicam in illum referre, ſociosque ſibi ex omni Regno Teutonico literis & nuntiis adſciſcere. Nam primò Sigefridum Moguntinæ Sedis Metropolitanum, Adelbertum Wormatienſem, Adalberonem Wirceburgenſem, Gebehardum Salzburgenſem, aliosque*

quam

quam plures Præſules, indeque per ipſos etiam Papam Alexandrum fautores efficiunt. Quidam quoque ſummæ Sanctitatis virum, Annonem Archiepiſcopum Colonienſem, conjurationis ejusdem conſcium aſſerunt.

§.XX.

Baronius reprehendit Abbatem, quod *Conjurationem* adpellet eam, quæ propriè eſſet *conſenſio in proſequendo legitime cauſſam adverſus Regem apud Romanum Pontificem.* Verum quod ipſe vocat proſecutionem hanc legitimam, petit id quod eſt in principio poſitum, & quod hactenus nemò Imperatorum Germanorum conceſſerat, quod cauſſæ ordinum Germaniæ adverſus Regem vel Imperatorem legitime per appellationem ad Romanum Pontificem, eſſent ventilandæ. Notum eſt ex cauſa Caroli Calvi, & ordinum Regni Lotharingici adverſus Imp. Ludovicum II. quod nec Eccleſiaſtici ſtatus agnoverint jus Pontificis Romani in cauſis civilibus: Neque contrarium in Regno Germaniæ hactenus fuiſſe receptum unquam probari poterit. Et quanquam Reges & Impp. utique fuerint in quaſi poſſeſſione libertatis, ut nulla juris probatio ipſis incumbat, haut difficulter tamen adparet *titulus poſſeſſionis*, ſumma putà Reipubl. Chriſtianæ (cujus pars eſt Societas Eccleſiaſtica externa) *poteſtas & independentia* ab alia ſuperiori poteſtate humana, aut quæ Imperatoribus, ac Regibus *jure Majeſtatis* per Leges Divinas pariter & humanas propria eſt. Contra ea *Pontifici Romano poteſtas* quidem conceſſa fuit in Eccleſiam Occidentalem, ſed ſecundum Leges divinas *ſubordinata* ſummæ poteſtati Imperatoriæ aut Regiæ, & Conciliorum, ac ſolis in *cauſis Sacris Fidei* Chriſtianæ, *at jure Magiſtratus.* Atque hanc ſubordinationem, & hanc dependentiam, à Poteſtate

Forum incomp. quoad poſſeſſ.

& titul.

ſumma Imperatoris, & Conciliorum peſſumdare allaboravit, jam majori niſu Curia, quam unquam alias.

§ XXI.

Burgundia in clientelam à Papa recepta.

Hinc nullam ea prætermiſerat huc usque occaſionem cauſæ ſuæ inſerviendi. Poſt conciliatos ſibi Nortmannos, etiam Burgundiæ, & Bohemiæ Principes ſibi obligaverat, ut teſtis ipſe Hildebrandus *l. 1. ep. 46.* ad Guilelmum Burgundiæ Comitem: *Neque enim ſe concedet oblviſci promiſſionis, qua DEO ſe ante corpus B. Principis Apoſtolorum Petri, præſente venerabili anteceſſore noſtro Alexandro Papa, Epiſcopis, & Abbatibus plurimis, atque diverſarum gentium multitudine, quarum non eſt numerus, obligavit, ut quacunque hora neceſſe fuiſſet, veſtra manus ad dimicandum pro defenſione rerum S. Petri non deeſſet, ſiquidem requiſita fuiſſet. Vnde memores nobilitatis veſtræ fidei, rogamus & admonemus ſtrenuitatis veſtræ prudentiam, quatenus præparetis militiæ veſtræ fortitudinem ad ſuccurrendum Rom. Eccleſiæ libertati, ſcilicet ſi neceſſe fuerit, veniatis huc cum exercitu veſtro in ſervitio S. Petri. Et hoc idem rogemus vos manere Comitem S. AEgidii, & ſocerum Richardi Capuani Principis, & Amadeum filium Adeleitæ, cæterosque, quos cognoſcitis S. Petri eſſe fideles, & qui ſimiliter manibus ad cœlum extenſis promiſere.*

Dux Bohemiæ mitram impetrat.

De Ducis Bohemiæ devotione idem Papa Ep. XXXVIII. *Longa jam temporis intervalla tranſacta ſunt: ex quo & nobilitas tua B. Petro Apoſtolorum Principi non modicæ devotionis animum ſpoſpondit & ſtudium, & tibi in Apoſtolica Sede inter cæteros Principes larga benignitas, præ multis etiam ſingularis, & egregia fuit aſtricta charitas. Cujus rei fidem & indicium ex benevolentia Domini & Anteceſſoris noſtri Alexandri Papæ ſatis percepiſſe*

cepiſſe potes, qui petitionibus tuis non unquam ſine ſua, & filiorum ſuorum S. Romanæ Eccleſiæ ſollicitudine, & labore condeſcendit, & ad ſignum intimæ dilectionis, quod laicæ perſonæ tribui non conſuevit, MITRAM, quam poſtulaſti direxit.

§. XXII.

Mitram vocant, quam nos *Pileum Ducalem*, Romani *Infulas* Præfectis Prætorio, & Præſidibus uſurpatas, de quibus *Lazius de republ. Rom. c. 3.* Originem hinc inſignium Ducalium à Papa collatorum colligere eſt: antea enim inconſuetum fuiſſe Papa ipſe fatetur. At dignitatem ipſam Ducalem non dederat Alexander II. quippe quam diu hactenus obtinuerat. Quid ergo? *Jus mitræ*, ſive tiaræ gerendæ, quo hactenus Epiſcopi ſoli gaudebant; & his ringentibus, etiam Abbates, præſertim exemti indultu Paparum: Vid. *Sirmond. ad Goffrid. Abb. Vindocin. l. 2. Ep. XXVII.* Qua in re quidem parum præjudicii factum videtur Majeſtati Imperatoriæ, qvum etiam Epiſcopis mitras dare poſſet Pontifex, nec tamen jus conſtituendi Epiſcopos haberet, quod ſine dubio hactenus penes Imperatores inconcuſſum permanebat. Sic igitur Pontifex potentiam etiam ſpecie inanium augebat. At Imp. Henricus IV. *A.* C. 1086. Ducem Bohemiæ *Regem* creavit, Vratislaum, cui & Moravia, & Polonia tum adjecta; quam dignitatem filio cognomini Fridericus I. Imp. in poſteros confirmavit, vid. *Paul. Lang. Chron. Citiz.* Steuchi fabulam de dignitate Regia Bohemiæ à Pontifice Rom. collata perſtrinxit *M. A. Marcellus de Jur. Secul. Pont. Rom. c. XXV.* *Ducatus Bohemiæ.*

§. XXIII.

Cæteroquin ita erat educatus, formatusque Imp. ut *Depoſitus Epiſcopus*

Conſtant. in invidiam Imp. ne quæ immineret μεμψιμοιρίας absque culpa ejus accidiſſe videretur. Præter quam quod conſilia *ſcindendi conjugii* ſæpè jam tentata, non absque magna auctoritatis imminutione, non proceſſerant; mox A. C. 1071. accedebat cauſa Caroli, Canonici Magdeburgenſis, & Imperatori familiaris, cui propterea *Epiſcopatum Conſtantienſem* contulerat. „ Is *inquit Lambertus*, à Clericis Conſtantienſibus primò benigne ſuſceptús eſt, ſed proceſſu temporis, dum pro libitu ſuo magis quam ex ratione gereret: indignantes Clerici à communione ejus ſe abſtinere cœperunt propter Simoniacam hæreſim, per quam Epiſcopatum uſurpaſſe dicebatur, id quoque ei crimini dantes, quod plerosque Eccleſiæ theſauros, furtivè abſtuliſſet. Qua accuſatione Romam perlata, Romanus Pontifex cognitionem cauſæ à ſe ad Archiepiſc. Moguntinum rejecit, juſſitque ut utrisque (*Epiſcopo & Clero Conſtantienſi, quod hodie Capitulum vocamus*) vocatis ad Synodum, rem diligentiſſimè ventilaret. Et ſi crimina, quæ objiciebantur, refellere non poſſet, nulla eum ratione conſecraret. Hac de cauſa Synodum Archiepiſcopus Moguntiæ indixit in menſem Auguſtum. Rex concertationem hanc iniquo valdè animo ferebat propter amicitiam Caroli, & plurima ſervitia, quibus etiam in re familiari plerumque ſibi commodiſſimè affuerat, & idcirco munera ſua rata ei manere cupidiſſimè volebat. Vnde Moguntino Archiepiſcopo graviter ſuccenſebat, quod non ſtatim eum contemtis obſtrepentium Fratrum ſimultatibus ordinaſſet. Sed ille immobilis perſiſtebat in ſententia; illud præ ſe ferens, quam terribiliter anno ſuperiore à Papa pro ſimili cauſa objurgatus fuiſſet, & quid poſtea recen-

Synod. Mogunt.

tibus litteris Sedis Apoſtolicæ, ne ſine diligentiſſima „ diſcuſſione manus illi imponeret, commonitus fuiſſet. „ Itaque inſtantibus jam Kalendis Auguſti Rex Moguntiam properabat, cupiens ipſe in diſcuſſione tanti negotii „ cum Archiepiſcopo cognitor aſſidere. Rex quantum „ ſalva verecundia poterat, dedita opera nitebatur modò „ objecta crimina purgare, modo pondus objectorum, „ quæ non poterat purgare, callidis ſermonibus attenuare, „ plerumque etiam inſtantium, & perurgentium procacitatem „ verbis durioribus corripiebat, ac frontis imprudentiam, „ oppoſita auctoritatis ſuæ majeſtate refringere „ tentabat. Ad ultimum, probatis, quæ objecta fuerant „ criminibus, baculum Epiſcopalem ab eo recepit, „ verbis tamen exquiſitiſſimis mœſtitiam ejus conſolabatur „ promittens, quod dum primum ſibi oportunum fieret, „ benigna vice hanc calamitatem ei compenſaret. „ Par ratio erat, ob quam *Robertus* Abbas Babenbergenſis, qui annumeratis in ærarium Regis mille pondo argenti puriſſimi, Abbatiam *Augienſem* (quæ hodiè cum adjectione *Reichenauenſis* vocatur, Epiſcopatui Conſtantienſi unita) acceperat, & centum pondo auri promiſerat, ut Abbatia Fuldenſi potiretur, remotus fuit, eodem anno, quo Saxones accuſabant Imperatorem coram Pontifice *A. C. 1027.*

item Abbas Augiens.

§. XXIV.

Supra diximus Imperatorem, attentaſſe divortium, in cujus rei turpitudinem induxerat Archiepiſcopum Moguntinum ſub ſpe impetrandi *decimas per Thuringiam.* Etſi verò divortium impeditum recte fuerat, neſcio tamen, qua religionis ſpecie, dicam? an pactione participandæ prædæ inductus Imperator, & Archiepiſcopus in

Cauſa decimarum Thuring.

Synodo Erffurtenſi, *ſtipatus uterque*, ut habet Lambertus, *magno grege Philoſophorum, imo Sophiſtarum,* ait, *quos ex diverſis locis ſummo ſtudio conſciverant, ut canones ſibi non pro rei veritate, ſed pro Epiſcopi voluntate interpretarentur, & cauſam ejus, quomodo veris non poterant, ſophiſticis allegationibus roborarent. Habebat præterea Rex circa ſe armatorum copias non modicas, quibus eos, ſi qui forte negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret. Primus ac ſecundus dies in ſumma concertatione jam fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, utra pars ceſſura foret. Jamque res in eo vertebatur, ut Thuringi improbata Synodo, Sedem Apoſtolicam appellarent. Sed Rex ſub atteſtatione nominis divini affirmabat ſe, in eum, ſi quis id præſumſiſſet, capitali ſententia animadverſurum & omnia, quæ ejus eſſent, usque ad internecionem diſſipaturum. Re ita tandem quomodocunque transacta, Rex ſciens haud bene placitura Romano Pontifici, quæ geſta fuerant, ſub interminatione gratiæ ſuæ utrique Abbati Fuldenſi, & Hervoldenſi, præcepit, ut neque per ſe ipſos, neque per nuntium, neque alio quovis modo, quo inſinuata Synodo Apoſtolicam ſedem interpellarent.*

Appell. ad Pap. prohib.

§. XXV.

Papa citat Imperat.

Ita viſum, libertatem in licentiam verſum iri. Quod cauſam Saxonum favorabilem reddebat. Quare nec dubitavit amplius Pontifex, Imperatorem citare Romam per ſuosmet Legatos. Vrſpergenſis A. C. 1073. *Anno Colonienſis Epiſcopus, & Hermannus Bambergenſis Romam miſſi ſunt, pecuniam, quæ Regi* Fiſco Imperatoris *debebatur, congregandi gratia, qui legatione peracta reverſi, literas Alexandri Apoſtolici attulerant; Regem vocantes Romam ad ſatisfaciendum pro Simoniaca hæreſi, aliisque nonnullis emendatione dignis, quæ de ipſo Romæ fuerint audita.* Atque

ita

ita omnia in pejus ruere in Imperio. Idem ille Anno, *Annonis*
Archiepiſcopus Colonienſis qui & auctoritate, & civili *abdicatio*
prudentia eminebat, & ad quem Henricus *omnem cauſarum cognitionem, tanquam ad Patrem ac Salutis ſuæ auctorem rejecerat, & à quo Respubl. in priſtinum ſtatum, dignitatemque reformari cœperat, ut teſtis* Lambertus eſt ad A. C. 1071. *offenſus his, quæ plurima præter æquum & bonum, ſiebant in Palatio, petiit à Rege vacationem deinceps dari ſibi à rerumpubl. adminiſtratione, cauſatus in ſenium jam vergentem ætatem, & laborioſis regni negotiis minus minusque indies ſufficientem. Quod Rex haud difficulter annuit, quia pravis libidinibus ſuis, & juvenilibus ineptiis jamdudum animadverterat eum graviter offendi, & plerumque quantum, ſalva regia dignitate poterat, pro viriliportione obniti. Is ergo ubi ſe in ſua recepit, Rex tanquam ſeveriſſimo Pædagogo liberatus, ſtatim in omnia genera flagitiorum, ruptis in omnibus modeſtiæ & temperantiæ frenis, præcipitem ſe dedit.* hæc Lambertus. Hinc & omnium adverſus ſeſe odia Imperator concitavit, & Pontificum molitiones adverſus Imperii & Eccleſiarum Germanicarum libertatem faciliores reddidit.

Capvt II.

De

ERRATIS AVLICIS HENRICO IV. IMPERANTE.

Svmmaria.

Cæptum conſilium de inveſtitura Epiſcoporũ Imperatori eripienda. Hildebrandus Papa electus; prohibet inveſtituram ab Imp. impetrare. Vicarios in Germaniam mittit ad Concilium indicendum, qui non admiſſi. Vicarii S. R. Moguntinus & Bremenſis. Vis privilegii Papalis: Regularum Cancellariæ. Arcanum ſacræ dominationis, Legationes & Vicariatus. Legati nati. Henricus accuſat Saxones apud P. R. Filius Imp. ſucceſſor deſignatus. Annonis ſucceſſor. Papa citat Imperatorem: qui cum Concilio abrogat Papæ Pontificatum: non ſine tumultu. Aulæ error. Pontificis uſurpatio imperii in Imperatorem, & excommunicatio. Fatalis imprudentia. Imp. impetrat abſolutionem à P. R. cum præjudicio libertatis Germaniæ. Cauſæ erroris.

§. I.

Conſilium de inveſt. Epiſc. eripienda. VAcabat tum *Epiſcopatus Lucenſis*, cui deſtinaverat Alexander II. *Anſelmum*, eumque ad Imperatorem, ut ad quem pertineret collatio, miſerat.

Sed

Sed quia perfectè jam, ſunt verba ſcriptoris vitæ Anſelmi, *cœperat* Anſelmus, & ſine dubio etiam Pontifex & multus cum eo Clerus, *odiſſe, ut ſacri ordines Eccleſiaſtici, ipſi nempe Epiſcopatus à ſecularibus darentur poteſtatibus: quacunque occaſione vel ratione absque dignitatis inveſtitura diſceſſit, quanquam ex intentione Dominus Papa illum direxerit.* Harum molitionum auctor præcipuus videtur Hildebrandus: unde nec cum morte Alexandri Pontificis iſtæ ceſſarunt; ſed imo erupere fortius. Hildebrandus enim à Romanis Pontifex electus, & ab Henrico Imp. confirmatus, & ordinari juſſus, teſte Lamberto Schaffnabrug. & Actis Vaticanis, quæ laudat Baronius *A.C.1073.§.XXVII.* ſtatim ſcripſit Anſelmo *l. 1. ep. XXI. ut ſe ab inveſtitura Epiſcopatus, de manu regis abſtineret, donec de communione cum excommunicatis DEO ſatisfaciens, rebus bene compoſitis pacem cum Papa poſſit habere.* Et quanquam Anſelmus inveſtituram ab Imperatore ſuſceperat, tamen eandem *in manus Papæ reddidit, & refutavit, ipſe mox à Papa in plenitudinem dignitatis mutato tantum habitu reſtauratus,* teſte ſcriptore vitæ Anſelmi. *Hildebrandus Papa.*

§. II.

Calliditas Romana adhuc formidabat θυμὸν ac robur Germanorum. Itaque proceſſus, quem decreverat Alex. II. adverſus Imperatorem, aliquo modo ſuſpenſus, intervenientibus quoque Auguſta Agnete & ducibus Tuſciæ. Legati quoque à Pontifice ad Imperatorem A. C. 1074. miſſi, *qui profeſſum ſecundum Eccleſiaſticas leges pœnitentiam de inſimulata hæreſi Simoniaca, anathemate abſolverunt:* & mox Synodum cogere voluerunt, *quà omnes Epiſcopos & Abbates, qui ſacros gradus pretio redemiſſent, diſcuſſione habita deponerent.* Sed Imperator & ſtatus id *Jus Synodi hab. in Germ. quæt. Papæ per miſſ.*

abnuerunt Legatis, tanquam inuſitatum, nec ſe hujus auctoritatis privilegium ulli alii prœterquam ipſi Romano Pontifici unquam delaturos affirmabant, ut habet Lambertus; inprimis verò Archiepiſcopus Bremenſis Liemarus, vices Romani Pontificis ſibi, ſicut & Moguntino Archiepiſcopo in Germania antiquis privilegiis eſſe conceſſas, allegavit, cui Legati quidem reſponderunt: *quod neque auctoritas canonica, neque mos eccleſiaſticus ſit, ut ultra obitum ejus, qui dederat, Romani Pontificis auctoritas protendatur:* & præterea Bremenſem Archiepiſcopum, ut inobedientem, & rebellem ab officio Sacerdotali ſuſpenderunt & Romam in jus vocarunt, habito concilio eâ de re Romæ anno MLXXIV. tamen ad habendam Synodum admiſſi non fuerunt.

§. III.

Vis privilegii papalis. Quod de vigore privilegiorum Pontif. Rom. concedentibus coævo dixerunt hîc legati, id tempore Hadriani II. fuit improbatum. Ita enim iſte ad Impp. Baſilium, Conſtantinum & Leonem A. C. 871. inter alia ſcripſit: *Neque enim nobis moris eſt, ut pro libitu proprio paternis Sanctionibus abutamur, quemadmodum quibusdam, qui apud vos ſumma rerum Eccleſiaſticarum gubernacula moderantes, tunc Synodorum ſtatuta, vel etiam Apoſtolicæ Sedis decreta proferunt, cum vel alios lædere vel ſe juvare concupiſcunt. Et hæc tunc ſub ſilentio tegunt, quando fortaſſe contra ſe, vel pro aliis proponerentur.* Atque conqueritur alicubi Baronius de more iſto ſequiori, ex quo hodieque *regulæ*, quæ vocantur, *Cancellariæ*, hoc eſt conſtitutiones, de cauſis beneficialibus, cum morte ſummi Pontificis exſpirant, & nullam vim habent ſede Papali vacante, ſed à quolibet novo Pontifice reaſſumuntur & renovantur, *Lud. Engel.*

Regul. Cancell.

Engel. Proem. Jur. Can. §. *14.* Illud denique ex his obſervare licet, & ſi illud retinendæ dominationis arcanum per *Legationes*, quod à Nicolao I. ſatum, ſub ſucceſſoribus creverat, & per Eccleſias Gallicanas libertatem Metropoliticam valde obfuſcaverat, in Eccleſiis tamen *Germaniæ* hac ætate nondum radices egiſſe, ſed religioſiſſima illa Pontificum verba, quibus hoc ſacræ potentiæ arcanum pietatis ſpeciem induere oportebat, fortem paſſum eſſe contradictionem, nec jus *habendi Concilium* Legatis conceſſum; id quod egregie *in ſupplemento Lib. V. de C. S. & J. Cap. XLVII.* Steph. Baluzius annotavit. Cæterum de jure Legatorum R. P. diſputat M.A. de Dom *l. IV. de Republ. Eccl. c. XII.* Atque apparet hinc, tum temporis triplex Legatorum Pontificis Rom. genus nondum fuiſſe cognitum, imò verò ad excludendos ejusmodi Vicarios extraordinarios inventi videntur *Legati nati*, ut vocantur. *V. L. Maimburg. lib. 3. de la decad. de l' Empir. p. 229.* Quanquam hodie eorum poteſtas reſtrictior. *L. Engel. Coll. J. Can. P. 1. lib. 1. T. 30. num. 10. Dn. Ziegler. ad Lancellott. 1. 27, 9.*

§. IV.

Miſerat eodem anno 1074. Henricus querelam de Saxonibus ad ſedem Romanam, teſte Lamberto: *Quandoquidem*, inquit *nec forenſes leges contra violentiam Saxonum quicquam proficiunt, nec injurias meas deſertus à milite armis perſequi valeo, ad leges Eccleſiaſticas jam neceſſitate coactus confugiam, & ubi humana ceſſant auxilia, divinam opem implorabo. Protinus Legatos Romam miſit, Sedem Apoſtolicam contra eos interpellare, qui Eccleſiam incendiſſent* (Hartsburgi) *altaria confregiſſent, ſepulchra violaſſent, & odio viventis in ſepultos cineres barbara* *Henricus accuſat. Sax. ap. Papam.*

crudelitate debacchati fuiſſent. Quid reſponſi tulerint Legati, non refert auctor. Interim ſequente anno Imperator Principes modis omnibus ad inſtaurandum bellum Saxonicum ſollicitabat, atque indicta in Saxoniam expeditione, Saxones gravi clade afficiebat, Principibus in deditione contra interpoſitam Principum fidem retentis, prout late refert Lambertus. Sequente anno à Principibus, qui Goslariæ convenerant, jusjurandum accepit, *ut non alium poſt ſe quam filium ejus, tenerum adhuc infantulum, Regem ſibi eligerent.* Annoni Archiepiſcopo Colonienſi defuncto Hildolphum quendam Goslarienſem Canonicum, ſufficere conatus. *Rex* inquit Lambertus, *recolens Annonis Archiepiſcopi conſtantiam, & invictum adverſus omnes nefarios ſuos conatus Spiritum, conſulto talem ei ſucceſſorem ordinari ſatagebat, cujus facilitate ad omnia, quæ vellet, pro libitu ſuo abuti poſſet. conteſtatus quam ſanctè, ſe vivo aut nullum eos, aut hunc habituros eſſe Pontificem.*

§. V.

Papa cit. Imp. Ita efficitur tandem, quod eſt miſerrimum, ut quod accidit, etiam merito accidiſſe videatur. *Aderant*, inquit Lambertus ad A. C. 1076. *Hildebrandi Papæ Legati, denunciantes Regi, ut ſecunda feria ſecundæ hebdomadæ in Quadrageſima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus, quæ objicerentur, cauſam dicturus: alioquin ſciret, ſe abſque omni procraſtinatione eodem die de corpore S. Eccleſiæ Apoſtolico anathemate abſcindendum eſſe. Quæ Legatio Regem vehementer permovit: ſtatimque abjectis cum gravi contumelia Legatis, omnes, qui in regno ſuo eſſent, Epiſcopos, & Abbates Wormatiæ dominica Septuageſimæ convenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Rom.*

Pon-

Pontificem, ſi qua ſibi via, ſi qua ratio pateret: in hoc cardine totam verti ſalutem ſuam & regni ſtabilitatem, ſi is non eſſet Epiſcopus. Commodè quoque conficiendis tantis rebus intervenit quidam ex Cardinalibus Romanis, Hugo cognomento Blancus, quem ante paucos dies propter ineptiam ejus, & mores inconditos, ſic habet Lambertus, *Papa de ſtatione ſua amoverat; hujus auctoritatem ſecuti, ſententiam promulgarunt, quod Papa eſſe non poſſit, nec ullam juxta privilegium Romanæ Sedis, ligandi aut ſolvendi poteſtatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commacularit.*

§. VI.

Imperator & Concilium abrogat Papæ Pontificat.

Cumque cæteri omnes damnationi ejus nihil hæſitantes ſubſcriberent, Adelbero Wirzburgenſis Epiſcopus, & Herimannus Mettenſis Epiſcopus aliquandiu reſtiterunt; dicentes, incongruum valde & contra canonum ſcita eſſe, ut Epiſcopus aliquis abſens, abſque Generali concilio ſine legitimis & idoneis accuſatoribus & teſtibus, nec dum probatis criminibus, quæ objicerentur, condemnaretur, ne dum Romanus Pontifex, adverſus quem nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi cujusquam recipienda ſit accuſatio. Sed Wilhelmus Trajectenſis Epiſcopus, qui cauſam Regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, ut aut cum cæteris in damnationem Papæ ſubſcriberent, aut Regi, cui ſub jure jurando fidem ſpopondiſſent, protinus renunciarent. Igitur ex nomine omnium, qui convenerant Epiſcoporum, & Abbatum, plenæ contumeliarum literæ Romam deſtinantur, quibus denunciatur Rom. Pontifici, ut Pontificatu, quem contra Eccleſiaſticas leges uſurpaſſet, ſeſe abdicet, ſciatque poſt eam diem quidquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi. Papa nil permotus atrocitate nuncii, poſtera die, cum clerus

& populus ad Synodum frequens confluxiſſet, in auribus omnium literas recitari fecit, & ſic cunctis, qui convenerant Epiſcopis id fieri decernentibus Regem excommunicat, & cum eo Archiepiſcopum Moguntinum Sigifridum, Epiſcopum Traject. Wilhelmum Epiſc. Babenbergenſem Robertum, ceteris, qui conſpirationis hujus (ſunt verba Lamberti) *participes extiterant, diem ſtatuit, qua, niſi Romæ præſentati cauſam dicerent, novæ hujus & inuſitatæ contra Sedem Apoſtolicam rebellionis, ſimilem cæteris excommunicationis ſententiam ſortirentur.*

§. VII.

Auctor vitæ Anſelmi Lucenſis Epiſcopi: *Apoſtolicus excommunicavit tam ipſum quam ipſius fautores, atque omnem ſibi regiam dignitatem interdixit & obligatos ſibi Sacramentis ab omni debito fidelitatis abſolvit. Quia præter hæreticam culpam, aderant in Concilio Nuncii illius* (Imperatoris) *ſic audentes latrare: Præcipit Dominus noſter REX, ut ſedem Apoſtolicam, Papatum, utpote ſuum, dimittas nec locum hunc ſanctum ultra impedias.* Cæterum ex eodem ſcriptore apparet, Epiſcopos Italiæ non conſentire voluiſſe, in excommunicationem adverſus Imperatorem, niſi literis Epiſcoporum Germaniæ (veris an fictis judicet Lector) eo fuiſſent animati, ait: *Die verò alterâ* (ſed unde tam citò) *ab Epiſcopis Ultramontanis, literæ ad Pontificem ſunt allatæ, in quibus confitebantur ſe erraſſe, & nimium deliquiſſe, qui poſtulabant quoque veniam; & omnem de cætero ſibi obedientiam obſervaturi firmiter reſponderunt. Vixque ſedato tumultu, Synodalis tractatus in tranquillitate proceſſit. Sed cum tempus jam inſtaret abſolvendi Synodum, Pontifex habito cum Epiſcopis utiliori conſilio, in eundem Regem, qui Eccleſiaſticam unitatem ſcindere attentavit,*

non ſine tumultu

tavit, excommunicationis ſententiam protulit, & usque ad condignam ſatisfactionem ſententiam ipſam firmiter obſervari præcepit. Si autem veræ fuerunt iſtæ literæ, non generatim Epiſcoporum, qui adhæſerant Imperatori in Concilio Wormatienſi, ſed tantum quinque illorum fuerint, Salzburgenſis, Patavienſis, Wurzburgenſis, Metenſis & Friſingenſis, cæteros enim omnes cum Longobardis Imperatori fideles, & cum ipſo pro libertate Eccleſiæ & Reipubl. Germanicæ excommunicatos fuiſſe non diffiteri poteſt Baronius *A. C. 1076.* §. *29.* eosque Papiæ convenientes idem anathema in Hildebrandum retorſiſſe. §. 34.

§. VIII.

In his ex parte Synodi Wormatienſis *prudentiam*, ex parte Pontificis *jus* deſideraveris. Imperatori non deerat jus ac Poteſtas, more majorum in facta, doctrinam atque mores Pontificis Romani cæterique cleri Imperio Germano ſubjecti inquirere, atque ſervato ordine, quem urgebant Epiſcopi Wirzburgenſis & Metenſis, reos à magiſtratu ſacro removere. Sed nec citatum nec auditum, tumultuario judicio condemnare eum, qui judicis partes ipſe jam ſumſerat, & ſententiam excommunicationis minitatus fuerat, calidioris videtur conſilii, præſertim qvum adverſarius opibus atque amicis valeret, Imperator omnibus exoſus, à ſuis quoque deſeri cœpiſſet, nec interim eo minus abſtineret à Saxonum ſuppreſſione, & Thuringiæ vaſtatione: ſed & qui Hildolphum Colonienſibus obtruderet, & anſam dare Statibus non ceſſaret conveniendi & conquerendi, *de levitate, crudelitate de peſſimorum hominum convictu, & familiaritate: nihil ſibi deinceps ſpei, nihil præſidii reliqvum fore, ſi fortè, ut ſunt humana, eum of-* *Aula error.*

fen-

fendiſſent, cum in deditios contra jusjurandum, contra fidem Principum, tam fœda, tam crudelia exercuiſſet. Hinc denique factum, ut plerique Principes ſeceſſionem meditarentur, præſertim qvum *frequentes ab Italia nuncii quotidiè deferrent, Excommunicatum eſſe Regem à Rom. Pontifice;* ut refert Lambertus. Satius ergo fuiſſet, ab his talibus abſtinere, jura ſtatibus integra ſervare, & tranquillatis rebus domeſticis exemplo Ottonis Magni expeditionem Romanam ſuſcipere, de pontificis exceſſibus rite inquirere & convictum condemnare: innocentem verò abſolvere quidem, eique magiſtratum relinquere, ſed ſimul reipſa demonſtrare, non eſſe jus Pontifici Romano Imperatorem in jus citare, judicare & ſententiam excommunicationis, & depoſitionis in eum ferre. Ad quam rem tota Longobardia Imperatorem debita devotione auxiliari jam pridem parata erat, ut *Lambertus ad A.C. 1077.* teſtatur.

§. IX.

Pontificis Rom. uſurpatio imperii in Imp.

Attentatum tale tempore etiam Caroli Calvi ut inuſitatum & illegitimum nequaquā admiſſum fuiſſe ſupra viſum. Nec usque ad hanc ætatem in Imperio introductum erat: Sed ſi quæ gravamina ſtatus adverſus Imperatorem habebant, in comitiis Imperii fuerunt tractata & transacta. At Hildebrandus repetiit attentatum iſtud, & ſub ſpecie poteſtatis Eccleſiaſticæ affectavit Imperium, & ſuperioritatem in Imperatorem. Et non attentâ excommunicatione facta à Pontifice, multi tum fuerunt, qui aſſeruere: *Non debere Regem excommunicari, neque deponi.* Epiſcopus Metenſis etiamſi cauſſam Papæ defenderet, tamen dubitavit, & Papam de hac re conſuluit, cui late reſpondit hic *l. IV. Ep. 2. quæ incipit, multa interrogando.*

gando. Atque hujus malæ cauſæ dubius adhuc eventus effecit, ut Hildebrandus, compaſſionem ſimulans, de Henrico Imp. ut liberaretur iujuſto anathemate, ipſe per literas ad Epiſcopos & principes Germaniæ datas laboraſſe videatur. *Vid.l.4. Ep.3.*

§. X.

Superius demonſtravimus, quatenus Principes & Impp. excommunicationi Eccleſiaſticæ ſubjecti ſint, ſcilicet non ratione ſuæ poteſtatis, ac majeſtatis in Republ. ſed quatenus *communionem Eccleſiæ* amplexi ſunt, hanc impœnitentibus ſuſpendere, aut penitus diſſolvere utique fas eſt, jure poteſtatis clavium: Verum in poteſtatem Reipubl. & obligationem ſubditorum nullum jus eſt Eccleſiæ, neque eo extenditur poteſtas Clavium ſecundum divinam Salvatoris inſtitutionem, aut Apoſtolorum exemplum. Sed neque *ſtatibus* ipſis jus eſſe ſolvere ſuam obligationem, & Regem deponere. Quare rectius fortè tum feciſſe videntur ordines Imperii & libertati tum ſacræ, tum civili melius conſuluiſſent, & imminentem utrique dominationem facilius averruncaſſent, ſi conditiones ab Henrico ipſis in conventu Triburienſi oblatas acceptaſſent: *Se veterum injuriaurm memoriam ſequentibus beneficiis, ſi vita comes foret, aboliturum; nihilque deinceps circa rerumpublicarum adminiſtrationem, absque communi conſulto acturum. Poſtremo ultro ſe ſuo jure cedere, eisque gubernandi, diſponendique pro ſuo arbitratu totius regni jus poteſtatemque facere, dummodo æquo animo paterentur ſola Regii nominis Regiique cultus rata ſibi manere inſignia, quæ ſemel legitime accepta, ſine ſumma omnium eorum ignomia amittere non poſſet: retro ſeculis intactum, incontaminatumque ſua ætate tam turpis exempli ma-*

Excomm.

Imprudentia fatalis.

A. 1076.

cula ſordeſcere. Paratum ſe, quibus vellent ſacramentis, quibus vellent obſidibus fidem facere, quod nullâ unquam dies, nulla rerum vel caſuum mutabilitas hanc ſuam in eos benevolentiam corruptura foret.

§. XI.

Sed has Reipubl. & libertati Germanicæ haud nocivas conditiones ſuis iſtis ad ſervitutem pronis commutarunt *ſe rem integram Rom. Pontificis cognitioni reſervare, acturos ſe cum eo, ut in Purificatione S. Mariæ Auguſtam occurrat, ibique celeberrimo conventu habito Principum totius Regni, diſcuſſis utrinque partium allegationibus; ipſe ſuo judicio vel abdicet, vel abſolvat accuſatum. Quod ſi ante diem anniverſarium excommunicationis ſuæ, ſuo præſertim vitio excommunicatione non abſolvatur; absque retractione in perpetuum cauſa ceciderit, nec legibus deinceps regnum repetere poſſit, quod legibus ultra adminiſtrare, annuam paſſus excommunicationem, non poſſit. Si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Rom. Pontifici per omnia ſubditum ſe, dictoque obtemperantem fore polliceatur, hinc ſe experimentum capturos, omnes quos ille excommunicavit, exemplo à convictu contubernioque ſuo amoveat: ipſe in urbem Spirenſem dimiſſo exercitu ſecedat, ibique ſolo Verdunenſi Epiſcopo, paucisque miniſtris, quos tamen ſententia Principum ab hac excommunicatione integros, incorruptosque probaverit, contentus, privatam interim vitam agat, Eccleſiam non ingrediens, nihil circa publica negotia ſuo jure diſponens, nullam Regii apparatus pompam, nulla Regiæ dignitatis inſignia ſibi juxta ſolitum adhibens, usque ad Synodicam cauſſæ ſuæ examinationem. Præterea Civitatem Wormatienſem, quam expulſo Epiſcopo, diſſipato cœleſtis militiæ ſanctuario, arcem belli, ſpeluncamque latro-*

latronum fecerat, abducto præſidio, Epiſcopo Wormatienſi reſtituat: datis inſuper ſacramentis, & obſidibus, ne quid deinceps rebellionis vel inſidiarum ab civibus timere debeat. Porrò ſi quid horum prævaricaretur, tum ſe omni culpa, omni jurisjurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato ulterius Rom. Pontificis judicio, quid Reipubl. expediat, communi conſilio viſuros. hæc Lambertus Schaffnab. quibus ſubjicit, Regem hac quatumvis *fœda conditione* accepta, urgentem ad præſens calamitatem declinaſſe, Epiſcopos aliosque excommunicatos, & ſibi fideles dimiſiſſe, præſidium Wormatiæ eduxiſſe, cæteraque præſtitiſſe conventa.

§. XII.

Henricus ad retinendum imperium magis conſultum ratus, prævenire Pontificem Rom. & Romæ abſolutionem ab excommunicatione impetrare potius, quàm expectare illius in Germaniam adventum, *& ſic infeſto judici, ſic obſtinatis accuſatoribus cauſam ſuam addicere ventilandam*, ut habet idem Lambertus. Scilicet ſubodorabatur eſſe, qui ſub prætextu religionis & libertatis, inhiarent Imperio, ut ſolent talium motuum auctores, *qui ut imperium evertant, Libertatem præferunt, ſi everterint ipſam aggrediuntur. Tac. An. XVI, 22, 8. Ariſtot. VI. Pol. c. 1.* Certè Dux Rudolphus, Welphus, & Bertholdus omnes vias, omnesque aditus in Italiam, vulgo *Cluſas*, appoſitis cuſtodibus anticiparant, ut Rex per Burgundiam iter aggredi coactus. Etſi porrò Imperator hoc conſilio abſolutionem impetravit, & imperium retinuit, excluſis procis; tamen libertatem Germanicam, & Majeſtatem Imperatoriam fœdè proſtituit, & conſcientiam jurejurando oneravit. Promiſit enim Henricus Papæ; quod *die*

Henricus impetrat abſolut. cum præjudicio

libert. Germ.

& loco quemcunque Papa deſignaſſet, evocatis ad Generale concilium Teutonicis Principibus, præſto eſſet, & accuſationibus, quæ intenderentur, reſponderet; ipſo Papa cognitore cauſſarum aſſidente, & ad ejus ſententiam vel retineret Regnum, ſi objecta purgaſſet, vel æquo animo amitteret, ſi probatis criminibus, regio deinceps honore indignus juxta Eccleſiaſticas leges decerneretur; nullam ſive retento ſive amiſſo regno bujus injuriæ vindictam à quopiam hominum in perpetuum exacturus. Quod ſi purgatis, quæ objicerentur, potens, confortatusque in regno perſtitiſſet ſubditus Romano Pontifici ſemper, dictoque obtemperans foret; & ad corrigenda quæcunque in Regno ejus contra Eccleſiaſticas Leges pravæ conſuetudine inoleviſſent, conſentiens ei, & pro virili portione cooperator exiſteret. teſte Lamberto.

§. XIII.

Cauſæ erroris. Sed veniam merebitur, ſi cauſas pariter, & exitum ſpectaverit. Prima cauſa erat *Neceſſitas* ſummumque periculum, quo detruſerat Henricum ſeceſſio plerorumque Principum Germaniæ, unde non elabi poſſe videbatur, niſi abſolutionem præveniendo impetraret; præſertim qvum eſſent, qui Imperium jam tum ambirent: igitur aut hoc deſerendum, aut armis res tentanda, aut liberatio ab excommunicatione impetranda. Sed armorum periculum in tanta deſertione omnium maximum videbatur, igitur quod minus eligebatur. Idque eo facilius, quod & conſcientiam tranquillare videretur. Iſta enim opinio inſederat hominum animis *Excommunicationis* Papalis eam *vim* re vera eſſe, quam verba formulæ præ ſe ferebant: *Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos à vinculo juramenti, quod ſibi fecere, &*

1. Neceſſitas

2. Superſtitio.

faci-

facient, abſolvo. vid. lib. 3. Epiſt. Gregor. VII, 6. Denique 3.
& hæc acceſſerat perſuaſio, gaudere Pontificem Rom. jure *3. cognoſcendi Papæ.*
cognoſcendi cauſam hanc inter Imperatorem, & ſtatus
Germaniæ controverſam, & de objectis criminibus ſtatuendi.

§. XIV.

Videlicet etſi certum erat, nullum jus, & nullum imperium eſſe Pontificis Rom. *in cauſis civilibus* & Reipubl. omnium minimè in Rempubl. ipſam, aut Imperatorem: ſed in ſolis cauſis *Eccleſiaſticis*, nec ſolius tamen, ſed una cum Synodo Epiſcoporum & Eccleſiæ. Tamen ita noverant Pontifices ampliare cauſarum Eccleſiaſticarum fines, ut ſub prætextu cauſæ Eccleſiaſticæ ſeu Canonicæ de quibusvis majoris momenti, & ſtatum Reipubl. attinentibus rebus ſtatuere præſumerent. Itaque duas adinvenerant cauſas, SIMONIAM & CONJVGIVM SACERDOTVM, quibus commune HÆRESIS nomen impoſitum, atque his in univerſum, & jus cognoſcendi, & deponendi circa Magiſtratus ſacros pariter & Impp. Regesque ipſos ſibi aſſerebant. eoque res redacta, ut in poſſeſſione quaſi conſtituti ipſi, & Imperatores Regesque forum ſedis Romanæ hactenus agnoviſſe, ejusque poteſtati judiciariæ ſe ſubjeciſſe viderentur. Hac arte prius fideliſſimos quosque Reges Epiſcopos, poſtea & Reges ipſos poteſtate exſuere ſua non erat difficile. *quatenus id competat.*

§. XV.

Sed operæ pretium eſt, ut de hac ipſa re luculentius diſpiciamus. Quæſtio eo redit: Poteſtas Imperatoria Regiave an ſubjecta ſit poteſtati & jurisdictioni Pontificis Rom. Atque pro Pontifice dici poſſet: Et Henricum IV. accuſantem Saxones apud ſedem Rom. & anteceſſores *Qu. an Imperator ſit Papæ ſubjectus? R. Dub.*

ejus, etſi ſumma poteſtate gauderent in Imperio tamen agnoviſſe forum curiæ Romanæ. Quæ porrò ſumma poteſtas Forum Curiæ Rom. agnoſcit, eadem ſeſe ſubjectam jurisdictioni ejusdem profitetur: ſaltem in iis cauſis, in quibus forum hoc ipſa adit, atque admittit; id quod quantum ad cauſas Eccleſiaſticas, demonſtrare ſupervacaneum omninò videri poterit.

Hypoth.

§. XVI.

R.Dec. Verum enim verò multiplex captio hic latet, quæ jam evolvenda. Nempe primò de ſubjecto videamus.

Limit.

1\. *Summa Poteſtas Reipubl.* veluti Rex aut Imperator, *non qua talis* agnoſcit forum Curiæ Rom. ſed quatenus eſt *Eccleſiæ Romanæ membrum*, atque ita poteſtati clavium hujus Eccleſiæ ſubjectus.

2\. Vnde porrò conſequitur de prædicato, nec illud in allato argumento rectè habere; Neque enim ſolum Pontifici, aut ejus Curiæ, ſed toti Eccleſiæ, & quæ eam repræſentat *Synodo legitimæ* cauſas ſuas membra hæc Eccleſiæ ſubmittunt.

3\. Tandem nec cauſæ promiſcuè omnes intelligi poſſunt, ſed pro ſubjecta materia illæ tantum, quæ *membrum Eccleſiæ, qua tale*, afficiunt, hoc eſt, quæ afficiunt vinculum, quod intercedit inter Eccleſiam & membra ſua, juxta *Fidem Chriſtianam.* Id urget Henricus Imp. in Epiſt. ad Hildebrandum: *Me quoque, licet indignus inter Chriſtianos ſum ad Regnum vocatus, te teſte, quem Sanctorum Patrum traditio ſoli DEO judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi à Fide, quod abſit exorbitaverim, deponendum aſſeruit. Baron. A. C. 1080. §. 24.*

4\. Denique & illud hinc conficitur, agnoſcere quidem Reges in cauſis fidei cognitionem Eccleſiæ, & compulſionem ad ſatisfaciendum ipſi, aut *excluſionem à communione Eccleſiaſtica*, non vero à *civili*, in quam nulla data eſt Eccle-

ſiæ poteſtas, qvum Eccleſiæ & omnes Chriſtiani Poteſtati civili Jure divino ſint ſubditi,& obedire teneantur ex conſcientia, ſalvâ modo Fide Chriſtianâ. Multo minus igitur poteſtas ſumma Reipubl. agnoſcere poteſt Eccleſiæ poteſtatem ad effectum *pœna civilis*, qui ex illa per naturam rei non ſequitur. Eoquepertinet *prohibitio communicandi* civiliter *cum excommunicatis*, quam quoties Eccleſia ejusve Rector affectat, egreditur limites poteſtatis Eccleſiaſticæ ſeu clavium, qvum excluſio à civili communione & ſocietate non pertineat ad Eccleſiam,ſed ad Rempubl.& ſummam ejus poteſtatem.

§. XVII.

Quamobrem illud demum ſequitur, & ſalva Majeſtate Imperatoria concedipoteſt, ſummam Reipubl.poteſtatem, non qua talem, ſed ut membrum Eccleſiæ Chriſtianæ, agnoſcere judicium Eccleſiaſticum, non ſolius tamen Patriarchæ in Republ. illa exiſtente, ſed totius illius Eccleſiæ vel ſynodi generalis, & quidem non niſi in cauſis Eacleſiaſticis, ſeu fidem Chriſtianam concernentibus, ad effectum emendationis ſecundum Regulam Fidei, aut ſeparationis à communione Eccleſiæ, non verò Reipubl. aut civilis ſocietatis. Neque ad rem facit, quod videmus in Judiciis Eccleſiaſticis, & Epiſcopalibus tota die etiam civiles ex parte pœnas irrogari, aut civili communione interdici, imo hæreſes etiam igne atque gladio puniri : illud enim ex poteſtate civili dependet, quam ſumma Reipubl. poteſtas, Judiciis Eccleſiaſticis præſidens exſerit. *Deciſ.*

§. XVIII.

Cæterum de duabus iſtis cauſis *Simoniæ*, & prohibiti matrimonii Sacerdotalis videamus? Et cauſas Fidei, *Cauſa Eccleſ. aut*

ac

Simonia quat. hæreſis. ac proin cognitionis Eccleſiaſticæ eas eſſe, aſſeruit Curia Romana, quippe qvum *hæreſin* contineant. Atque nec nos diffeſſi ſumus antea, incidere tempus, qvum Simonia non amplius ſimplex ſit crimen, ſed hæreſis quoque, tum nempe, qvum non ut *crimen* defletur, ſed ut licitum docetur, ac propugnatur, quod in Eccleſia Rom. aliquando factum, ex Petri Damiani ſcriptis compertum eſt, in Germanicis Eccleſiis non item. Igitur hactenus crimen tantum erat, & exceſſus Epiſcoporum, atque Principum, de quo ut de aliis peccatis Eccleſia hactenus cognoſcendi habet poteſtatem, ut pœnitentibus illud remittat, non ut jure Reipubl. exuat; civilis autem hujus criminis punitio non Eccleſiæ, ſed Reipubl. eſt. Atque in hanc ſententiam recte functus officio Gregorius: *l. 3. Ep. 10.* ad Henricum ſcribens: *Vnde excellentiæ tuæ conſulimus, ut ſi in hac re te culpabilem ſentis, celeri confeſſione ad conſilium religioſi alicujus Epiſcopi venias, qui cum noſtra licentia congruam tibi pro hac culpa injungens pœnitentiam te abſolvat, ut nobis tuo conſenſu modum pœnitentiæ tuæ per epiſtolam ſuam veraciter intimare audeat.* Quod ſi Rex non pœnituiſſet hujus criminis, à communione Eccleſiaſtica ſuſpendi poterat, poteſtatem ſummam Reipubl. ipſi eripere, nec Eccleſiæ erat, nec ſubditorum.

§. XIX.

Cauſſa matrimoniales quat. Eccleſ. *De cauſis matrimonialibus* videndum. Eas *ſua natura* non eſſe Eccleſiaſticas, ſed *Civiles*, non eſt obſcurum, qvum matrimonium ſit ſpecies, atque pars civilis ſocietatis, *Ariſt. 1. Pol. 2.* & legibus civilibus cernitur ordinatum pariter & dijudicatum. Id quod omnium gentium leges Civiles abundè oſtendunt. Plane qvum etiam Gentiles agnoverint, ineſſe quid *divini* nuptiis, inde non modo auſpici-

auſpiciorum, omniumque captandi mos defluxit, ſed etiam ad ſocietatem ſacram cujusque Reipubl. fuit de nuptiis relatum, & cauſæ matrimoniales ex *Jure Pontificio* deciſæ. Quemadmodum, *An concepto, nec dum edito partu rite nuberet* abducta Neroni uxor? conſulti ab Auguſto Pontifices. *C. Tacitus Ann. 1, 10.* Quanto magis idem in Eccleſia Chriſtiana obtineat? in qua DEVS nuptiarum conciliator creditur, *Marc. X, 9.* Quæ & ipſa *matrimonium conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant*, ut loquitur Tertull. *2. ad uxorem.* Quare obſervare eſt, jam inde ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ, Eccleſiam à Republ. adhuc ſemotam, ejusque Præſules, & Legislatoriam, & Judiciariam exercuiſſe poteſtatem circa cauſas matrimoniales.

§. XX.

Enimvero *Paulus* Apoſtolus non modo de invaliditate matrimonii, & nuptiarum inceſtarum in facto cognovit, & decrevit, atque pœnam Eccleſiaſticam executioni mandavit, veluti de nuptiis inter novercam & privignum, *1. Cor. V. & VII.* ſed etiam præter Divinas Leges tum veteris Teſtamenti, tum Novi de prohibito divortio & polygamia *1. Cor. VII. 10. Matth. V. 31. 32. c. XIX. 9.* *Jus poſitivum* ipſe Apoſtolica auctoritate ſtatuit, ne fidelis infidelem deſerat invitam ob diverſitatem religionis, *1. Cor. VII. 12. 17.* ne fidelis cogatur ſequi infidelem conjugem, ob religionis diverſitatem ſeſe ſeparantem, *ibidem.* quas Leges ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ſe ſtatuiſſe ait. Adjecit deinde Eccleſia actum *Liturgiæ* ſacræ & *Benedictionem* Sacerdotalem; quas ſanctiones Respubl. Eccleſiam recipiens auctoritate ſua quoque adprobavit, & ita ex jure ſacro nova quoque forma Nuptiis ſuperaddita, cauſæque

LL. Eccl. circa Matrim.

V u u matri-

matrimoniales naturam *mixtam* obtinuere, forumque Eccleſiaſticum quidem, ſed non mere, verum à poteſtate Reipubl. dependens: quale erat Senatus Eccleſiaſticus, cui præſidebat Patriacha CPolit. ubi cauſas matrimoniales deciſas refert Codinus Curopalata *de offic. Palat.* Et modo Præfectis, modo Epiſcopis reſcripſerunt Impp. in his cauſis, *Vid. l. 16. & l. pen. C. de Epiſc. audient.* Denique natura rei dubitare non patitur, quin cauſæ matrimoniales tale forum requirant, quod utrinque ex Reipubl. & Eccleſiæ auctoritate eſt conflatum. *Conf. M.A. de Dom. l. V, c. XI.*

§. XXI.

Jus probibendi Sacerdotib. matrim. examinatur. ex J. Publ.

Ex his quidem id conficitur, cauſas matrimoniales Principum Chriſtianorum rectè atque ordine in Comitiis Synodalibus fuiſſe tractatas atque deciſas, veluti Lotharii & hujus ipſius Henrici IV. Verum *de probibitione conjugii Sacerdotalis* videamus, an ſub ejus prætextu Sedes Rom. jus in Epiſcopos & ſacerdotes Imperii Teutonici, & in ipſum tandem Imperatorem acquirere potuit? Quamvis verò vix videatur Eccleſiæ cum Republica jam coalitæ jus eſſe, abſque conſenſu, & auctoritate hujus, legem ferre *de jure perſonarum*, qua certo perſonarum ordini jus connubii interdicitur; qvum perſonæ, etiam Eccleſiaſticæ ſint *membra Reipubl.* & de eorum jure, & leges ferre, & jus dicere, atque eos in munere quoque ſuo conſtituere, ad τὸ κύριον in Rep. pertineat. Quidquid tamen ſit, certe etiam Impp. atque Reges canones, quibus prohibitũ eſt Sacerdotibus nubere, aut in matrimonio permanere, auctoritate ſuâ, à ſede Romana perſuaſi, roborarunt.

§. XXII.

ex Sacro.

Quæſtio igitur eo devenit, an iſti canones *obligent* Clericos? id quod negandum videtur, quoniam ſunt

con-

contrarii Juri non modo *naturali*, atque *gentium*, ſed & *divino*, quo in genere omnis prohibitio matrimonii, per ſe alioquin non injuſti, damnata eſt, & doctrina dæmoniorum pronunciata, *1. Tim. IV.* Quare & hæc prohibitio, quæ ſacerdotibus Germaniæ à ſede Romana obtruſa eſt, talis fuit reputata; præſertim qvum veteri puræque Eccleſiæ fuerit ignorata, & ab plurimis Eccleſiis hujus ætatis nondum admiſſa. Quare recte omnino, atque ex præcepto divino, & exemplo S. Petri, Eccleſiæ Germanicæ & Longobardicæ iſti decreto Sedis Romanæ reſtiterunt, DEO magis, quam hominibus obedientes, & proprio nomine hoc dogma *Hæreſin* appellarunt, Hildebrandumque, qui hoc omnibus modis, & vehementiori auſu, quam quisquam antecesſorum Eccleſiis omnibus ac ſingulis obtrudere aggresſus, *hominem hæreticum*, ut eſt apud *Lambertum*; qvum refert, quomodo exprobrarint Longobardi, quod Imperator ſeſe tam turpiter Sedi Rom. ſubjeciſſet: *Quod homini hæretico, & probris omnibus infamato Majeſtatem Regiam ſubmiſerit, & quem juſtitiæ Patronum, Legumque Eccleſiaſticarum vindicem ſibi paraſſent, is fœdiſſima ſubjectione ſua Fidem plane Catholicam, auctoritatem Eccleſiæ, dignitatem Reip. prodiderit.* *& praxi Eccl. pur.*

§. XXIII.

Quod enim illi Sacerdotes, qui jus connubii ſibi aſſerebant, *hæreſeos Nicolaitarum* noviter inſimulabantur, ſumma erat injuria, aut craſſa ignorantia. Conſtat enim Nicolaitarum ſectam jam tum tempore Apoſtolorum, auctore Nicolao Antiocheno diacono ortam, & in concilio Hieroſolymitano ac deinceps condemnatam fuiſſe, ubi tamen neutiquam Sacerdotes *nuptiis* interdicti aut uſu conjugum. *Scortationem* iſti & idolothytorum eſum ap- *Nicolaitæ qui.*

cula ſordeſcere. Paratum ſe, quibus vellent ſacramentis, quibus vellent obſidibus fidem facere, quod nulla unquam dies, nulla rerum vel caſuum mutabilitas hanc ſuam in eos benevolentiam corruptura foret.

§. XI.

Sed has Reipubl. & libertati Germanicæ haud nocivas conditiones ſuis iſtis ad ſervitutem pronis commutarunt *ſe rem integram Rom. Pontificis cognitioni reſervare, acturos ſe cum eo, ut in Purificatione S. Mariæ Auguſtam occurrat, ibique celeberrimo conventu habito Principum totius Regni, diſcuſſis utrinque partium allegationibus, ipſe ſuo judicio vel abdicet, vel abſolvat accuſatum. Quod ſi ante diem anniverſarium excommunicationis ſuæ, ſuo præſertim vitio excommunicatione non abſolvatur; absque retractione in perpetuum cauſa ceciderit, nec legibus deinceps regnum repetere poſſit, quod legibus ultra adminiſtrare, annuam paſſus excommunicationem, non poſſit. Si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Rom. Pontifici per omnia ſubditum ſe, dictoque obtemperantem fore polliceatur, hinc ſe experimentum capturos, omnes quos ille excommunicavit, exemplo à convictu contubernioque ſuo amoveat: ipſe in urbem Spirenſem dimiſſo exercitu ſecedat, ibique ſolo Verdunenſi Epiſcopo, paucisque miniſtris, quos tamen ſententia Principum ab hac excommunicatione integros, incorruptosque probaverit, contentus, privatam interim vitam agat, Eccleſiam non ingrediens, nihil circa publica negotia ſuo jure diſponens, nullam Regii apparatus pompam, nulla Regiæ dignitatis inſignia ſibi juxta ſolitum adhibens, usque ad Synodicam cauſſæ ſuæ examinationem. Præterea Civitatem Wormatienſem, quam expulſo Epiſcopo, diſſipato cœleſtis militiæ ſanctuario, arcem belli, ſpeluncamque*

latro-

latronum fecerat, abducto præſidio, Epiſcopo Wormatienſi reſtituat: datis inſuper ſacramentis, & obſidibus, ne quid deinceps rebellionis vel inſidiarum ab civibus timere debeat. Porrò ſi quid horum prævaricaretur, tum ſe omni culpa, omni jurisjurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato ulterius Rom. Pontificis judicio, quid Reipubl. expediat, communi conſilio viſuros. hæc Lambertus Schaffnab. quibus ſubjicit, Regem hac quatumvis *fœda conditione* accepta, urgentem ad præſens calamitatem declinasſe, Epiſcopos aliosque excommunicatos, & ſibi fideles dimiſiſſe, præſidium Wormatiæ eduxiſſe, cæteraque præſtitiſſe conventa.

§. XII.

Henricus ad retinendum imperium magis conſultum ratus, prævenire Pontificem Rom. & Romæ abſolutionem ab excommunicatione impetrare potius, quàm expectare illius in Germaniam adventum, *& ſic infeſto judici, ſic obſtinatis accuſatoribus cauſam ſuam addicere ventilandam*, ut habet idem Lambertus. Scilicet ſubodorabatur eſſe, qui ſub prætextu religionis & libertatis, inhiarent Imperio, ut ſolent talium motuum auctores, *qui ut imperium evertant, Libertatem præferunt, ſi everterint ipſam aggrediuntur. Tac. An. XVI, 22, 8. Ariſtot. VI. Pol. c. 1.* Certè Dux Rudolphus, Welphus, & Bertholdus omnes vias, omnesque aditus in Italiam, vulgo *Cluſas*, appoſitis cuſtodibus anticiparant, ut Rex per Burgundiam iter aggredi coactus. Etſi porrò Imperator hoc conſilio abſolutionem impetravit, & imperium retinuit, excluſis procis; tamen libertatem Germanicam, & Majeſtatem Imperatoriam fœdè proſtituit, & conſcientiam jurejurando oneravit. Promiſit enim Henricus Papæ; quod *die & lo-*

Henricus impetrat abſolut. cum præjudicio

libert. Germ.

& loco quemcunque Papa deſignaſſet, evocatis ad Generale concilium Teutonicis Principibus, præſto eſſet, & accuſationibus, quæ intenderentur, reſponderet; ipſo Papa cognitore cauſſarum aſſidente, & ad ejus ſententiam vel retineret Regnum, ſi objecta purgaſſet, vel æquo animo amitteret, ſi probatis criminibus, regio deinceps bonore indignus juxta Eccleſiaſticas leges decerneretur; nullam ſive retento ſive amiſſo regno hujus injuriæ vindictam à quopiam hominum in perpetuum exacturus. Quod ſi purgatis, quæ objicerentur, potens, confortatusque in regno perſtitiſſet ſubditus Romano Pontifici ſemper, dictoque obtemperans foret; & ad corrigenda quæcunque in Regno ejus contra Eccleſiaſticas Leges prava conſuetudine inoleviſſent, conſentiens ei, & pro virili portione cooperator exiſteret. teſte Lamberto.

§. XIII.

Cauſæ erroris. *1. Neceſſitas* Sed veniam merebitur, ſi cauſas pariter, & exitum ſpectaverit. Prima cauſa erat *Neceſſitas* ſummumque periculum, quo detruſerat Henricum ſeceſſio plerorumque Principum Germaniæ, unde non elabi poſſe videbatur, niſi abſolutionem præveniendo impetraret; præſertim qvum eſſent, qui Imperium jam tum ambirent: igitur aut hoc deſerendum, aut armis res tentanda, aut liberatio ab excommunicatione impetranda. Sed armorum periculum in tanta deſertione omnium maximum videbatur, igitur quod minus eligebatur. *2. Superſtitio.* Idque eo facilius, quod & conſcientiam tranquillare videretur. Iſta enim opinio inſederat hominum animis *Excommunicationis* Papalis eam *vim* re vera eſſe, quam verba formulæ præ ſe ferebant: *Henrici Regi filio Henrici Imperatoris, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos à vinculo juramenti, quod ſibi fecere, &*

faci-

facient, abſolvo. vid. lib. 3. Epiſt. Gregor. VII, 6. Denique & hæc acceſſerat perſuaſio, gaudere Pontificem Rom. jure cognoſcendi cauſam hanc inter Imperatorem, & ſtatus Germaniæ controverſam, & de objectis criminibus ſtatuendi. *3. J. cognoſcendi Papæ.*

§. XIV.

Videlicet etſi certum erat, nullum jus, & nullum imperium eſſe Pontificis Rom. *in cauſis civilibus* & Reipubl. omnium minimè in Rempubl. ipſam, aut Imperatorem: ſed in ſolis cauſis *Eccleſiaſticis*, nec ſolius tamen, ſed una cum Synodo Epiſcoporum & Eccleſiæ. Tamen ita noverant Pontifices ampliare cauſarum Eccleſiaſticarum fines, ut ſub prætextu cauſæ Eccleſiaſticæ ſeu Canonicæ de quibusvis majoris momenti, & ſtatum Reipubl. attinentibus rebus ſtatuere præſumerent. Itaque duas adinvenerant cauſas, SIMONIAM & CONJVGIVM SACERDOTVM, quibus commune HÆRESIS nomen impoſitum, atque his in univerſum, & jus cognoſcendi, & deponendi circa Magiſtratus ſacros pariter & Impp. Regesque ipſos ſibi aſſerebant. eoque res redacta, ut in poſſeſſione quaſi conſtituti ipſi, & Imperatores Regesque forum ſedis Romanæ hactenus agnoviſſe, ejusque poteſtati judiciariæ ſe ſubjeciſſe viderentur. Hac arte prius fideliſſimos quosque Reges Epiſcopos, poſtea & Reges ipſos poteſtate exſuere ſua non erat difficile. *quatenus id competat.*

§. XV.

Sed operæ pretium eſt, ut de hac ipſa re luculentius diſpiciamus. Quæſtio eo redit: Poteſtas Imperatoria Regiave an ſubjecta ſit poteſtati & jurisdictioni Pontificis Rom. Atque pro Pontifice dici poſſet: Et Henricum IV. accuſantem Saxones apud ſedem Rom. & anteceſſores *Qu. an. Imperator ſit Papæ ſubjectus? R. Dub.*

ejus, etſi ſumma poteſtate gauderent in Imperio tamen
Hypoth. agnoviſſe forum curiæ Romanæ. Quæ porrò ſumma
poteſtas Forum Curiæ Rom. agnoſcit, eadem ſeſe ſubje-
ctam jurisdictioni ejusdem profitetur: ſaltem in iis cau-
ſis, in quibus forum hoc ipſa adit, atque admittit; id quod
quantum ad cauſas Eccleſiaſticas, demonſtrare ſupervaca-
neum omninò videri poterit.

§. XVI.

R.Dec. Verum enim verò multiplex captio hic latet, quæ
jam evolvenda. Nempe primò de ſubjecto videamus.
Limit. *Summa Poteſtas Reipubl.* veluti Rex aut Imperator, *non*
1. *qua talis* agnoſcit forum Curiæ Rom. ſed quatenus eſt *Ec-
cleſiæ Romanæ membrum,* atque ita poteſtati clavium hujus
2. Eccleſiæ ſubjectus. Vnde porrò conſequitur de prædica-
to, nec illud in allato argumento rectè habere; Neque
enim ſolum Pontifici, aut ejus Curiæ, ſed toti Eccleſiæ, &
quæ eam repræſentat *Synodo legitimæ* cauſas ſuas membra
3. hæc Eccleſiæ ſubmittunt. Tandem nec cauſæ promiſcuè
omnes intelligi poſſunt, ſed pro ſubjecta materia illæ tan-
tum, quæ *membrum Eccleſiæ, qua tale,* afficiunt, hoc eſt, quæ
afficiunt vinculum, quod intercedit inter Eccleſiam &
membra ſua, juxta *Fidem Chriſtianam.* Id urget Henri-
cus Imp. in Epiſt. ad Hildebrandum: *Me quoque, licet in-
dignus inter Chriſtianos ſum ad Regnum vocatus, te teſte,
quem Sanctorum Patrum traditio ſoli DEO judicandum do-
cuit, nec pro aliquo crimine, niſi à Fide, quod abſit exorbita-
verim, deponendum aſſeruit. Baron. A. C. 1080. §. 24.*
4. Denique & illud hinc conficitur, agnoſcere quidem Re-
ges in cauſis fidei cognitionem Eccleſiæ, & compulſionem
ad ſatisfaciendum ipſi, aut *excluſionem à communione Ec-
cleſiaſtica,* non vero à *civili,* in quam nulla data eſt Eccle-

ſiæ

ſiæ poteſtas, qvum Eccleſiæ & omnes Chriſtiani Poteſtati civili Jure divino ſint ſubditi,& obedire teneantur ex conſcientia, ſalvâ modo Fide Chriſtianâ. Multo minus igitur poteſtas ſumma Reipubl. agnoſcere poteſt Eccleſiæ poteſtatem ad effectum *pœnæ civilis*, qui ex illa per naturam rei non ſequitur. Eoquepertinet *prohibitio communicandi* civiliter *cum excommunicatis*, quam quoties Eccleſia ejusve Rector affectat, egreditur limites poteſtatis Eccleſiaſticæ ſeu clavium, qvum excluſio à civili communione & ſocietate non pertineat ad Eccleſiam,ſed ad Rempubl.& ſummam ejus poteſtatem.

§. XVII.

Quamobrem illud demum ſequitur, & ſalva Majeſtate Imperatoria concedipoteſt, ſummam Reipubl.poteſtatem, non qua talem, ſed ut membrum Eccleſiæ Chriſtianæ, agnoſcere judicium Eccleſiaſticum, non ſolius tamen Patriarchæ in Republ. illa exiſtente, ſed totius illius Eccleſiæ vel ſynodi generalis, & quidem non niſi in cauſis Eacleſiaſticis, ſeu fidem Chriſtianam concernentibus, ad effectum emendationis ſecundum Regulam Fidei, aut ſeparationis à communione Eccleſiæ, non verò Reipubl. aut civilis ſocietatis. Neque ad rem facit, quod videmus in Judiciis Eccleſiaſticis, & Epiſcopalibus tota die etiam civiles ex parte pœnas irrogari, aut civili communione interdici, imo hæreſes etiam igne atque gladio puniri : illud enim ex poteſtate civili dependet, quam ſumma Reipubl. poteſtas, Judiciis Eccleſiaſticis præſidens exſerit. *Deciſ.*

§. XVIII.

Cæterum de duabus iſtis cauſis *Simoniæ*, & prohibiti matrimonii Sacerdotalis videamus? Et cauſas Fidei, *Cauſæ Eccleſ. quæ*

ac

Simonia quat. hæreſis. ac proin cognitionis Eccleſiaſticæ eas eſſe, aſſeruit Curia Romana, quippe qvum *hæreſin* contineant. Atque nec nos diffeſſi ſumus antea, incidere tempus, qvum Simonia non amplius ſimplex ſit crimen, ſed hæreſis quoque, tum nempe, qvum non ut *crimen* defletur, ſed ut licitum docetur, ac propugnatur, quod in Eccleſia Rom. aliquando factum, ex Petri Damiani ſcriptis compertum eſt, in Germanicis Eccleſiis non item. Igitur hactenus crimen tantum erat, & exceſſus Epiſcoporum, atque Principum, de quo ut de aliis peccatis Eccleſia hactenus cognoſcendi habet poteſtatem, ut pœnitentibus illud remittat, non ut jure Reipubl. exuat ; civilis autem hujus criminis punitio non Eccleſiæ, ſed Reipubl. eſt. Atque in hanc ſententiam recte functus officio Gregorius: *l. 3. Ep. 10.* ad Henricum ſcribens: *Vnde excellentiæ tuæ conſulimus, ut ſi in hac re te culpabilem ſentis, celeri confeſſione ad conſilium religioſi alicujus Epiſcopi venias, qui cum noſtra licentia congruam tibi pro hac culpa injungens pœnitentiam te abſolvat, ut nobis tuo conſenſu modum pœnitentiæ tuæ per epiſtolam ſuam veraciter intimare audeat.* Quod ſi Rex non pœnituiſſet hujus criminis, à communione Eccleſiaſtica ſuſpendi poterat, poteſtatem ſummam Reipubl. ipſi eripere, nec Eccleſiæ erat, nec ſubditorum.

§. XIX.

Cauſſæ matrimoniales quat. Eccleſ. *De cauſis matrimonialibus* videndum. Eas *ſua natura* non eſſe Eccleſiaſticas, ſed *Civiles,* non eſt obſcurum, qvum matrimonium ſit ſpecies, atque pars civilis ſocietatis, *Ariſt. 1. Pol. 2.* & legibus civilibus cernitur ordinatum pariter & dijudicatum. Id quod omnium gentium leges Civiles abundè oſtendunt. Plane qvum etiam Gentiles agnoverint, ineſſe quid *divini* nuptiis, inde non modo auſpici-

auſpiciorum, omniumque captandi mos defluxit, ſed etiam ad ſocietatem ſacram cujusque Reipubl. fuit de nuptiis relatum, & cauſæ matrimoniales ex *Jure Pontificio* deciſæ. Quemadmodum, *An concepto, nec dum edito partu rite nuberet* abducta Neroni uxor? conſulti ab Auguſto Pontifices. *C. Tacitus Ann. 1, 10.* Quanto magis idem in Eccleſia Chriſtiana obtineat? in qua DEVS nuptiarum conciliator creditur, *Marc. X, 9.* Quæ & ipſa *matrimonium conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant*, ut loquitur Tertull. *2. ad uxorem.* Quare obſervare eſt, jam inde ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ, Eccleſiam à Republ. adhuc ſemotam, ejusque Præſules, & Legislatoriam, & Judiciariam exercuiſſe poteſtatem circa cauſas matrimoniales.

§. XX.

Enimvero *Paulus* Apoſtolus non modo de invaliditate matrimonii, & nuptiarum inceſtarum in facto cognovit, & decrevit, atque pœnam Eccleſiaſticam executioni mandavit, veluti de nuptiis inter novercam & privignum, *1. Cor. V. & VII.* ſed etiam præter Divinas Leges tum veteris Teſtamenti, tum Novi de prohibito divortio & polygamia *1. Cor. VII. 10. Matth. V. 31. 32. c. XIX. 9.* *Jus poſitivum* ipſe Apoſtolica auctoritate ſtatuit, ne fidelis infidelem deſerat invitam ob diverſitatem religionis, *1. Cor. VII. 12. 17.* ne fidelis cogatur ſequi infidelem conjugem, ob religionis diverſitatem ſeſe ſeparantem, *ibidem.* quas Leges ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ſe ſtatuiſſe ait. Adjecit deinde Eccleſia actum *Liturgiæ* ſacræ & *Benedictionem* Sacerdotalem; quas ſanctiones Respubl. Eccleſiam recipiens auctoritate ſua quoque adprobavit, & ita ex jure ſacro nova quoque forma Nuptiis ſuperaddita, cauſæque

LL. Eccl. circa Matrim.

contrarii Juri non modo *naturali*, atque *gentium*, ſed & *divino*, quo in genere omnis prohibitio matrimonii, per ſe alioquin non injuſti, damnata eſt, & doctrina dæmoniorum pronunciata, *1. Tim. IV.* Quare & hæc prohibitio, quæ ſacerdotibus Germaniæ à ſede Romana obtruſa eſt, talis fuit reputata; præſertim qvum veteri puræque Eccleſiæ fuerit ignorata, & ab plurimis Eccleſiis hujus ætatis nondum admiſſa. Quare recte omnino, atque ex præcepto divino, & exemplo S. Petri, Eccleſiæ Germanicæ & Longobardicæ iſti decreto Sedis Romanæ reſtiterunt, DEO magis, quam hominibus obedientes, & proprio nomine hoc dogma *Hæreſin* appellarunt, Hildebrandumque, qui hoc omnibus modis, & vehementiori auſu, quam quisquam anteceſſorum Eccleſiis omnibus ac ſingulis obtrudere aggreſſus, *hominem hæreticum*, ut eſt apud *Lambertum*; qvum refert, quomodo exprobrarint Longobardi, quod Imperator ſeſe tam turpiter Sedi Rom. ſubjeciſſet: *Quod homini hæretico, & probris omnibus infamato Majeſtatem Regiam ſubmiſerit, & quem juſtitiæ Patronum, Legumque Eccleſiaſticarum vindicem ſibi paraſſent, is fœdiſſima ſubjectione ſua Fidem plane Catholicam, auctoritatem Eccleſiæ, dignitatem Reip. prodiderit.* *& praxi Eccl. pur.*

§. XXIII.

Quod enim illi Sacerdotes, qui jus connubii ſibi aſſerebant, *hæreſeos Nicolaitarum* noviter inſimulabantur, ſumma erat injuria, aut craſſa ignorantia. Conſtat enim Nicolaitarum ſectam jam tum tempore Apoſtolorum, auctore Nicolao Antiocheno diacono ortam, & in concilio Hieroſolymitano ac deinceps condemnatam fuiſſe, ubi tamen neutiquam Sacerdotes *nuptiis* interdicti aut uſu conjugum. *Scortationem* iſti & idolothytorum eſum ap- *Nicolaitæ qui.*

 proba-

approbarunt, quæ Apoſtoli damnarunt in Concilio, *Act. XV, 29. conf. 1. Cor. VII, 1. c. VIII. & C. X. 15. 16. 2. Pet. 2. 10. c. ult. 16. 1. Joh. 2, 16. 19. 26. Jud. Ep. verſ. 3. 12. ſeqq. Philaſtr. de Hæres. p. m. 28. Euſeb. 3. c. 26. Tertull. de præſcript. hæret. Auguſtin. lib. de Hæreſ. Chemnit. Exam. Concil. Trid. P. 3. pr. Boxh. hiſtor. univerſ. ad A. C. 50. 65. 96.* Sed de his ſatis.

Capvt III.

De LIBERTATE ADVERSVS HILDEBRANDVM HENRICO VICTORE SERVATA.

Svmmaria.

Henricum pœnitet pacti cum Papa: Excuſat ſe ſtatibus. An juſtè? vis juramenti. actio mixta quatenus obligat. Anticæſar eligitur. Imperatori inveſtituræ Epiſcoporum denegari cœptæ, per decretum Papæ. Primatum nova ſpecies. Decreti Papalis color: can. XXII. Synodi VIII. Generalis. Conſtitutio Sacerdotum ſuis conſtat partibus: quæ Imperatoris in ea. Henrici arma juſta. Sonia quid. Henrici victoria. Vaticinium Hildebrandi fallit. Formula execrationis. Judicium in Hildebrandum, duplicis criminis reum. Suppreſſio S. Scripturæ. Principia Hildebrandina. Roma capitur. Hildebrandus moritur. Ejus reformatio conſiderata.

§. I. Cum

§. I.

CUm Hencicus Imp. tantum præjudicium feciſſet, & Eccleſiæ orthodoxæ, & Reip. Germanicæ,& utriusque libertati,atq; ejus rei indignabundi arguerent Regem ordines Regni Longobardici, ut modo audivimus, emendaturus admiſſum, & offenſos Italorum animos, ſeditionem graviorem jamjam meditantium, atque Electionem Imperatoris & Pontificis novi , ſibi reconciliaturus, hoc unicum præſidium ratus, ut initum cum Romano Pontifice fœdus abrumperet, & inde reparandæ concordiæ initium faceret, unde fuerat orta diſcordia, *inquit Lambertus*. Hinc non tantum Italorum ſtudia denuò in eum incaleſcere cœperunt, ſed etiam ex Principibus Teutonicis pene omnes, quos in Oppenheim Legati Romanæ Sedis à contubernio ejus propter excommunicationem ſegregaverant, nunc poſt receptam communionem unanimiter ad eum, Eccleſiæ reconciliatum confluxerant, & ei deinceps peregrinationis ejus individui comites adhæſerunt; Imperator vero in conventu Principum aſſidue conteſtatus, quod Papa ipſe omnem hunc,qui Remp. concuſſiſſet, ventum turbinis, & commotionis ſæviſſimæ procellam ſuis machinationibus concitaſſet, ipſe omniũ, quæ in Eccleſia omni recenti memoria ſecus accidiſſent, auctor incentorque extitiſſet, hortabaturque omnes in commune, ut ſuo ductu ſuisque auſpiciis tantarum ab eo injuriarum vindictam expeterent, neque moleſte acciperent, aut in contumeliam ſuam factum reputarent, quod extrema neceſſitate compulſus, communis commodi ratione feciſſet, nec Teutonicis principibus, qui ſibi per calumniam regnum eripere, dedita opera machinarentur, nec Rom. Pontifici, qui ad evertendum ſtatum S. Eccleſiæ ſpirituali gladio cir-

Henricum pœnitet pacti cum Papa.

Excuſat ſe ſtatibus.

cumquaq; fulguraret, aliter ſatisfacere potuiſſe, quàm ante ſtatutam diem excommunicatione abſolveretur. Nunc ſe omnibus anguſtiis, quibus vias ejus concluſiſſent inimici liberatum, omnem deinceps curam, induſtriamque ad vindicandas ſuas & illorum injurias translaturum.

§. II.

Qu. an juſte? Aff. Videamus an jure & ſalva conſcientia reſilire à facta Pontifici promiſſione Imperator potuerit? Et potuiſſe conficitur, ſi cauſas modo penitius ſpectes, quibus inductus fuit ad pactum. *Rat. Dub.* Ais: ſponte & ante terminum præfi-
1. fixum, præveniendo Papam, Henricus abſolutionem petiit, eamque non adeò facile impetravit, *ſed importunitate tandem perurgentium*, ut ait Lambertus. Et quamvis non ſpontaneus actus hicce fuerit, ſed mixtus ut vocant Philo-
2. ſophi, conſtat tamen, *actiones mixtas obligare;* quippe ſpontaneis magis accedentes quam invitis, qvum ſint tunc cum aguntur electivæ & voluntariæ, *Ariſt. 3. Nicom. I.* quare merito *Baronius* Henrici defenſorem Bennonem
3. Cardinalem reprehendere videtur ad *A. C. 1077. §. 22.* His denique acceſſiſſe *jusjurandum*, quo promiſſio Papæ ab Henrico facta, ita fuerit roborata, ut, etſi id, cui jusjur. accefferat, per ſe invalidum fuiſſet, tamen hac acceſſione firmum, atque validum redditum eſſet. *c. cum contingat. 28. X. de jurejur. Auth. Frid. Imp. C. ſi adv. vend. & Dd. paſſim.*

§. III.

Rat. Dec. Verum ea non conficiunt, quod deſideras. Ut ad
1. poſterius prius reſpondeamus, recentius eſt iſtud *jus, de*
vis juramenti. *vi juramenti convalidandi actum per ſe invalidum*, quam ut ad præſentis temporis negotium applicari poſſit, *ab Innocentio III.* demum introductum, atque adeo *domeſti-*

cum:

cum: qvum contra hactenus *Jus Romanū* vigeret, quo generaliter quoties pactum à jure communi remotum eſt, ſervari hoc non oportet, nec jusjurandum de hoc exactum, *l. 7. §. 16. D. de pact. l. 5. fi. C. de LL. l. 12. fi. D. de leg. 1.* Quanquam nec ita ſimpliciter ab Innocentio aliud ſancitum, verum *triplici cautione* adhibita, ſi ſine vi aut dolo ſponte, & ſine alterius præjudicio, ac denique ſi nec obſervatum vergat in diſpendium æternæ ſalutis, *d. c. cum contingat.* At in præſenti caſu, neque ſeditio vim ac metum excludit: & præjudicium ſummum libertatis & Eccleſiæ, & Reip. verſatur, & ſi obſervata fuiſſet iſta promiſſa ſubjectio Imperatoris, ordo divinus fuiſſet violatus, & dogmata de cœlibatu Sacerdotum, adoratione imaginum aliaque heterodoxa approbata contra conſcientiam, & juri reformandi renunciatum non ſine periculo ſalutis æternæ.

§. IV.

Porro quemadmodum jusjurandum actum, qui per ſe non valuit, nullo neque civili, neque canonico jure firmare potuit: ita certum eſt, actum iſtum ſubmiſſionis, & flagitatæ abſolutionis, non fuiſſe ſpontaneum, ſed per ſeditionem, & confœderationem quorundam res novas molientium extortum. Quamvis verò hic actus ſit mixtus, & mero jure obligatorius, vis tamen ſeditionis ac metus propter majorem malitatem veniam etiam de Jure Naturali impetrat. *Hornejus Phil. Moral. 3. 4, 11.* Habet enim etiam Juris naturalis regula: *Voluntatem mixtam eſſe voluntatem, & inde orta pacta eſſe ſervanda.* hanc exceptionem: *Niſi alterutrius vel tertii læſionem & injuriam contineat.* Comperta enim læſione vel injuria, læſus non obligatur, & in privatorum quidem cauſis, reſcis-

[Margin: 2. — 3. *actio mixta quat. obliget.*]

Reſtit. in integr. reſciſſorio judicio opus eſt, in cauſis verò Regum, & Rerumpubl. juſtum bellum inde naſcitur, niſi alter quieſcat, & læſum in integrum ac priſtinum ſtatum ſeſe reſtituere patiatur. Quantopere verò Majeſtas Reipubl. & Imperatoria Libertasque Eccleſiæ hoc pacto fuerit læſa, qvum remonſtraſſent Status regni Longobardici, agnovit Henricus, & jure itaque ſe in ſtatum priſtinum reſtituit, & contra renitentes juſta arma arripuit.

§. V.

4. Error. Idque eò magis, quod etiam error & ignorantia pravæ diſpoſitionis, ut antea vidimus perſuaſerat Henrico hanc ſubmiſſionem, quaſi Hildebrandus jus haberet ſolvendi vinculum ſubditorum Imperatoris & in perſonam ejus jus dicere, ſaltem ſub prætextu accuſatæ hæreſeos. Qvum verò ejusmodi facta, & attentata Pontificis dijudicare & æſtimare, ab omnibus partim deſertus, partim remotus, per ſe ſolus non poterat, igitur hæc *ignorantia juſta* erat, errorque probabilis, qui & Civili & Naturali Jure actum reddit involuntarium, & excuſat atque haud nocet. *Judicia ſapientū.* Graviſſimum graviſſimi Scriptoris, *Ottonis*, Epiſcopi *Friſingenſis*, & Friderici I. Imp. patrui, judicium meretur apponi: *A. D. MLVII. Henricus IV. pene puer patri in regno ſucceſſit. Hic excommunicatus per Papam Gregor. VII, ſi rectè, videat ipſe. Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nusquam invenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel REGNO PRIVATUM: niſi quis pro anathemate accipiat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodoſius à B. Ambroſio propter cruentam cædem à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus eſt.*

§. VI.

Nec hic ſolus ita judicavit, ſed multi alii, teſte auctore vitæ Henrici IV. *Quod factum* (Excommunicationis) *multum* (multis) *diſplicuit (ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus fecit) & aſſerebant, tam inefficaciter, quam illicite factum eſſe. Sed non auſim aſſertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apoſtolici factum refellere.* Nec tantum Teutonici & Longobardici Epiſcopi ac Clerici auſa Hildebrandina improbarunt, ſed & tredecim cardinales, quos legas apud Baronium *ad A. C. 1078. §. 13.* & multi Lateranenſium Clericorum, ab Hildebrandi communione receſſerunt, inter quos etiam qui ab eodem officiis aucti fuerant. Nec diffiteri potuit ipſe Papa ad Epiſcopos Germaniæ *l. 7. Ep. 3.* ſe excuſando ſcribens : *Quot quot Latini ſunt, omnes cauſam Henrici, præter admodum paucos, laudant, ac defendunt, & per nimiæ duritiæ ac impietatis circa eum me redarguunt.* Confer *Baron. A. C. 1079. §. 27.*

§. VII.

Sed videamus rerum progreſſum. Status qui ab Imperatore receſſerant, convenerunt, inter eos Moguntinus, Wirzburgenſis, Metenſis, Epiſcopi, Rudolphus, Welpho, & Bertholdus duces, nec veriti ſunt Imperatori ſucceſſorem dare *Rudolphum* Ducem Sueviæ, & Imperatori imperium conari abrogare A. C. 1077. Hildebrandus neutrarum partium ſeſe aliquamdiu ſimulavit, inhians jam pleno rictu libertati Germaniæ & Sacræ, & civili. Et quanquam revera favebat Rudolpho, id tamen partim metu armorum Henrici, partim callidiori conſilio occaſionem invadendi τῆς κυρίας captans, occulte & ambiguè diſſimulabat. Quare de eripiendo *jure inveſtiendi Epiſcopos* Imperatorio ac Regio omnem movit lapidem. Nam

Anticæſar eligitur

Imperatori Inveſtitura Epiſcop. denegari cœpta.

& in Gallia jubet inſtitui Synodum, & Regi inveſtituras deinceps denegari, *vid. Epiſt. 22. Gregor. VII. lib. IV. Petr. de Marca l. VIII. de C. S. & J. c. XIX. u. ſeqq.* & in partibus Borealibus idem decretum promulgat, *Baron. A. C. 1078. §. 26. &* ſequenti anno 1078. ipſe Romæ agit Synodum præſentibus Henrici & Rudolphi legatis, idem decretum hoc publicat: *Quoniam inveſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta S. S. Patrum à Laicis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſia oriri, ex quibus Chriſtiana religio conculcaretur: DECERNIMUS, ut nullus clericorum inveſtituram Epiſcopatus vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ de manu Imperatoris vel Regis vel alicujus Laicæ perſonæ, viri vel fœminæ ſuſcipiat. Quod ſi præſumſerit, recognoſcat, inveſtituram illam Apoſtolica auctoritate irritam eſſe, & ſe usque ad condignam ſatisfactionem excommunicationi ſubjacere.*

per decretum Papæ.

§. IIX.

Primates perpetui cum jurisdict.

Fuerat hactenus magna *Libertas Metropolitanarum* Eccleſiarum, earumque Primatum, ut nulla inter eos neque in Gallia, neque in Germania, aut Belgio eſſet prærogativa, niſi *ordinis,* ut ex *Hincmari Epiſt. VIII. c. XVI.* docuit Petrus de Marca *diſſ. de Primatib. §. LVII.* eamque diſciplinam duraſſe usque ad annum hunc MLXXIX. quo anno Gregorio VII. viſum fuerit, in Gebuini Epiſcopi Lugdunenſis gratiam Eccleſiæ Lugdunenſi *perpetuum* Primatum conferre in quatuor provincias Lugdunenſes: *Arduum,* inquit, *negotium adgrediebatur, quo trium Metropolitanorum, atque adeo Regni Gallici dignitatem imminuere videbatur, eo quod Lugdunenſis civitas eâ tempeſtate regno Burgundico accenſeretur. Ideo prudentisſimus Pontifex, ne adverſus decretalem illius epiſtolam exceptio novitatis*

tatis apponeretur, remtotam à capite arceſſit, ut reſtaurare potius Eccleſia Lugdunenſis primatum in quatuor provincias, quam inſtituere videretur: & quæ deinceps de tota Lugdunenſis Primatus hiſtoria ſeqvuntur, itemque de Primatu *Toletano*, quæ impugnata à *P. Fr. Chiffletio*, defendit *Steph. Baluzius* append. libr. de Primatibus.

§. IX.

Porrò decretum Hildebrandinum in Synodo Romana Anni 1080. repetitum & exaſperatum, ut patet ex ejus *Epiſt. XIV. l. VII. appendice*; ibi: *Inter cætera in fine Synodalis abſolutionis de inveſtituris hæc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro poſteris ſcribenda mandavit, ita dicendo: Sequentes ſtatuta S. S. Patrum ſicut in prioribus conciliis, quæ DEO miſerante, celebravimus, de ordinatione Eccleſiaſticarum dignitatum ſtatuimus, ita & nunc Apoſtolica auctoritate decernimus, ac confirmamus.* & quæ ſequuntur ibi fulmina in clericos pariter & Laicos, Reges ac Imperatores, ſi qui contravenerint. Hæc ita interim decreverat Hildebrandus qvum jam nec Imperator, nec Anticæſar apertè contradiceret, ſed exitum cauſſæ expectarent; Papa verò illi eorum aſſiſtentiam polliceri ita videbatur, uter ſeſe huic decreto ſubmiſſurus eſſet. Atque qvum Rudolphus paratum ſeſe in omnibus modis Papæ obedire, per Nuncium ſignificaſſet, fatente ipſo Gregorio *loco jam citato Baron. A. C. 1077. §. 44.* igitur non potuit non favere Rudolpho, & Henricum conſequenter odio perſequi; quem etiam eodem anno 1080. denuò excommunicare auſus eſt. *Baron. d. ann. §. 78.* *decreti confirmatio.*

§. X.

Cæterum quod *S. S. Patrum ſtatuta ſe ſequi* dixit Hildebrandus, rhetoricatus fuit, & intellexit *decretum* *Color decreti Papalis.*

Hadriani Papæ in octava Synodo, ut ipſe ſuorum verborum eſt interpres in Epiſtola ad Epiſcopum Dienſem, *l. 4. Ep. 22.* Is eſt *Hadrianus II.* ſub quo Concilium quod VIII. dicitur Latinis, A. C. 869. in cauſa Ignatii & Photii CPoli celebratum, Ludovico II. Imperatore in occidente. Et eſt hæc illa Synodus, in qua canon Synodi ſeptimæ ſeu Nicenæ. II. *de adoratione imaginum fuit* repetitus, & confirmatus; ſed *ab Eccleſiis Germanicis*, ſecundum ſtatuta Concilii Francofurdiani à Carolo M. celebrati, reprobata; ſicuti ſuperius ſuo loco oſtendimus. Si autem omnes Synodi iſtius canones inſpiciantur, nihil de prohibitis inveſtituris Impp. ac Principum: ſed illud duntaxat cautum, ne libera electio Eccleſiæ turbetur à Laicis ac Magiſtratibus. Quod Hildebrandus detorſit *ad totum conſtituendi Sacerdotis negotium.* Id quod verò tribus potiſſimum conſtat actibus, *Electione* Eccleſiæ, *Conſecratione* cleri, & *Inveſtitura* ſeu *Confirmatione* ſummæ poteſtatis Reipubl. Imperatoris, Regis, aut Principis, vel Senatus ſummi. Hic etiam *collatio* dicta, eſtque actus ſua natura Poteſtati Reipubl. competens, tanquam Regale ſeu pars Majeſtatis circa ſacra, & conſtituendi magiſtratus, perſonasque publicas ſacras. Quemadmodum medius actus ſua natura eſt ſacer & Eccleſiaſticus. Primus autem regulariter toti Eccleſiæ communis, niſi quis ſpeciali conceſſione jus eligendi nactus, quod tum *Jus Patronatus* vocatur.

Synod. IIX. c. 22.

Electio ordinatio inveſtitura.

Jus Patronat.

§. XI.

Jus Impp. in Conſtit. Epiſcop.

Ex quibus apparet Imperatorem, & quamlibet ſummam Reipubl. poteſtatem duplici jure concurrere ad con„ ſtitutionem Sacerdotum aut Epiſcoporum, primò ad „ Electionem ut pars Eccleſiæ, & caput populi; deinde

ad

ad Confirmationem aut inveſtituram, jure proprio Majeſtatis, aut Superioritatis in Republ. Hæc ita diſtingui à Dd. & Scriptoribus hujus ſeculi XI. ita conſtat, ut ſuperfluum videatur id docere. Vide ſaltem Lambertum Schaffnab. *ad A. C. 1069.* de Carolo Epiſcopo Conſtantienſi, ubi datio & collatio ſeu inveſtitura Epiſcopatus Regi vindicatur, ordinatio ſeu conſecratio à Papa petitur. Et vitæ Anſelmi auctor refert, Anſelmum ab Alex. II. miſſum ad Henricum IV. ad ſuſcipiendam inveſtituram ſeu Collationem. Optimè hæc intellexit *Ivo* Carnotenſis Epiſc. qui *Epiſt. LXV.* hac de re graviter ad Legatum Vrbani II. ſcripſit, & inter alia hæc: *Dominus quoque Papa Vrbanus Reges tantum à corporali inveſtitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione. Quæ conceſſio ſive fiat manu, ſive nutu, ſive lingua, ſive virga, quid refert? cum Reges nihil ſpirituale dare intendant, ſed tantum aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis Eccleſiis concedere.* Adde ejusdem *Ep. XLVII.* Nicol. de Cuſa *Cardinal. l. 2. de Concordant. c. 32.* Et Petr. de Marca *l. VIII. de C. S. & J. c. XIX. 6. 9.* contra Baron. & Binium. Porrò neque jus fuit, neque intentio Synodi orientalis, de Jure ac poteſtate Impp. & Regum Occidentalium ſtatuere, & ſi ſtatuiſſent, ut actus ipſo jure irritus, neque Eccleſias, neque Principes Occidentales & Germaniarum ſine horum conſenſu obligaſſet; quemadmodum etiam per integra duo ſecula à Synodo illa CPolitana Jus inveſtiendi Impp. ac Reges, ut partem Majeſtatis inconvulsè, ut antea, retinuerunt.

Synodi IIX. intellectus.

§. XII.

Henrici oppoſitio juſta.

Ex his omnibus ſatis cauſarum apparet, ob quas Henricus ſibi viſus fuit non amplius obligatus Majeſtatem ſibi à DEO O. M. datam, & Eccleſiæ Germanicæ libertatem cuiquam proſtituere, ſed imo obligatum omnino ſe ratus, pœnitere de admiſſis, eaque corrigere vera & non ſimulata prudentia Chriſtiana, ac divinitus conceſſa poteſtate gladii adverſus eos, qui reſiſtunt Majeſtati, ut DEI ordinationi, *Rom. XIII.* Quamobrem, cum A. 1079. in Synodo Romana ad accuſationem Legatorum Rudolphi, Legati Henrici Imp. ſacramento promiſiſſent: *Legati Domini mei Regis ad vos venient infra terminum Adſcenſionis Domini, exceptis legitimis Soniis* (Sünen/ excuſationibus, Ehehafften/ Voſſ. de Vit. Serm. Lat. l. 2. c. XVII. verb. Sunnis Gloſſ. Dufreni eod.) *i. e. morte, vel gravi infirmitate, vel captione, absque dolo, qui Legatos Romanæ Sedis ſecurè ducent, & reducent. Et dominus Rex obediens erit illis in omnibus ſecundum juſtitiam & judicium illorum. Et hæc omnia obſervabit absque dolo, niſi quantum ex juſſione veſtra remanſerit. Et hæc juro ex præcepto Domini mei Henrici.* ut ex actis concilii hæc conſtant. Henricus tamen concilio habito in comitiis Brixienſibus A. C. 1080. intelligens intentionem Pontificis, & perpendens penitius juſtitiam cauſæ ſuæ ac libertatis Germanicæ, rectius ſe facturum arbitratus, ſi non mitteret Legatos Romam, neque judicio aut arbitrio Legatorum Pontificis ſe ac Majeſtatem, Libertatemque Eccleſiæ exponeret, ſed juſtis armis ea defenderet, ac violatores Majeſtatis & Reipubl. ac Eccleſiæ libertatis puniret, qua ſalva utique jusjurandum intelligi debuit, niſi ſibi aliquid contra leges divinas & humanas validè promitti poſſe Pontifex putaverit.

Sonia quid?

§. XIII.

§. XIII.

Victoria Henrici.

Atque approbavit acta exitus: Rudolphus occubuit funeſto prælio idibus octobr. A. C. 1080. quem conſtat *pænituiſſe in ipſo exitu, quod contra Henricum Regem inſurrexiſſet, dexteramque qua ipſi juraverat, juſto DEI judicio abſciſſam, pati ſe dixiſſe. Baron.* §. 55. etſi Marianus Scotus aliique cauſæ Imperatoris minus faventes, ea reticuerint. Dextera adhuc hodiè, in ſignum vindictæ divinæ his, qui reſiſtentes Summæ Reipubl. Poteſtati, τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ reſiſtunt, *Rom. XIII. 2.* Martisburgi in Eccleſia Cathedrali aſſervata, oſtenditur, ubi & corpus ſepultum eſt. Refert Sigebertus *ad h. A. 1080.* quod prædixiſſet *Hildebrandus Papa, quaſi divinitus revelatum ſibi hoc anno falſum regem eſſe moriturum: & verum quidem prædixit, pergit ille, ſed refellit eum de falſo Rege conjectura, ſecundum ſuum velle ſuper Henrico Rege interpretata. Rex enim Henricus Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congreſſu falſus Rex Rudolphus cum multis Saxoniæ Principibus extinguitur.*

Fallit Papa vaticinium.

§. XIV.

Excomm. formul.

In Excommunicationis porro repetitæ formula, ita fatus eſt, & imprecatus: *Agite nunc quæſo Patres & Principes Sanctiſſimi* (Petrum & Paulum invocat) *ut omnis mundus intelligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in cœlo ligare & abſolvere, poteſtis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere unicuique, & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus frequenter tuliſtis pravis & indignis & religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia judicatis, quid de ſecularibus vos poſſe credendum eſt? Et ſi Angelos, dominantes omnibus ſuperbis Prin-*

Principibus, judicabitis; quid de illorum ſervis facere poteſtis? Addiſcant nunc Reges, & omnes ſeculi principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis: & timeant parvipendere juſſionem Eccleſiæ veſtræ, & in prædicto Henrico tam cito judicium veſtrum exercete, ut omnes ſciant, quia non fortuito, ſed veſtra poteſtate cadet. Baron. A. C. 1080. §. XIII. At Petrus, atque Paulus noluerunt judicium exercere in Henricum Imp. memores, nullam poteſtatem Regiam, aut Imperatoriam, ſibi fuiſſe concreditam, qvum in Eccleſia eſſent militanti, in triumphante verò nullam exercere amplius ſe clavium poteſtatem, multoque minus depoſitionem Regum, atque Principum, & Regnorum translationem, ſoli DEO competentem. *Dan. IV. 14.*

§. XV.

Papa judicatur. Henricus igitur Imperator victor hoſtis Rudolphi, juſto zelo velut adverſus auctorem, & inſtigatorem motus hujus, Hildebrandum, arma vertit. Romam A. C. 1081. obſedit, & contra Hildebrandum competentem executionem ſuſcepit decreti, quo iſtum anno ſuperiori Concilium Germanicum Brixienſe ob facta prædicta notoria, neque ab Hildebrando negata, juri tamen divino, pariter ac humano contraria, judicaverat *canonice deponendum, & expellendum, & niſi ab ipsâ ſede deſcenderet, in perpetuum condemnandum. Baron. A. C. 1080. §. 20.* Igitur denuo habita Synodo per epiſtolam juſſit eum, *ne amplius Apoſtolicam ſedem pro tantis criminibus condemnatus intraret*, ut habet *Marianus Scotus*, crimina objecta hæc referens: *Eum prophanum, ſceleſtum, amatorem diſcordiæ, virum ſanguinum, ſedem Apoſtolicam uſurpaſſe per necromantiam.* Abbas Vrſpergenſis cum ipſo Brixienſi decreto hæc recitat: *Procaciſſimum, ſacrilegia ac incendia prædicantem, per-*

perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apoſtolicam Fidem de corpore & ſanguine Domini in quæſtionem ponentem, hæretici Berengarii antiqvum diſcipulum, divinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, pythonico ſpiritu laborantem , & idcirco à vera fide exorbitantem. Accedebant dogmata nova Juri divino & humano contraria maxima ex parte, de poteſtate Papæ *imperiali:* de jure *deponendi Imperatorem:* de *Infallibilitate* Papæ indubitata, & ſummatim de ſumma & abſolutiſſima poteſtate Papæ circa divina & humana, quæ ſub titulo DICTATVS PAPÆ, habentur *l. 2. Ep. 55.* & apud *Baron. A. C. 1076. n. 31.* Quibus omnibus reipſa reſiſtere Imperatorem ſalus publica Eccleſiæ, & Reipubl. exigere videbatur. Petrus de Marca *l. III. de C. S. & J. Cap. I. §. VI.* hac de re judicans, non diffitetur, Gregorium hunc αὐτονομίαν Sacram Eccleſiæ Catholicæ, extendiſſe ad capita politiæ, unde factum, ut ſacerdotium & Imperium inter ſe commiſſa ſint, populique Chriſtiani in Europa diriſſimis & diuturnis bellis lugubriter attriti. Libertas à Gregorio, *pergit*, vindicata, Principes ab Epiſcopatuum inveſtituris arcebat: quæ deinde porrecta fuit ad eas immunitates ſignificandas, quæ omnem omnino in perſonas, & res Eccleſiaſticas auctoritatem Principibus adimunt.

§. XVI.

Suppreſſio Sacra Scriptura

Illud quoque non eſt diſſimulandum, hunc ipſum Hildebrandum, inter cætera ſua principia, etiam *dogma de ſupprimenda S. S. Scriptura* præcepiſſe. Nam qvum anteceſſor ejus Joannes VIII. conceſſiſſet Eccleſiis Sclavicis uti lingua vernacula in ſacris, & lectiones divinas N. & V. Teſtamenti benè translatas, & interpretatas legere: Hildebrandus exadverſo illud prohibuit, & Vratiſlao Boe-

miæ Duci A. C. 1080. *l. 7. Ep. II.* reſcripſit: *Quia vero nobilitas tua poſtulavit, quod ſecundum Sclavoniacm linguam apud divinum celebrari annueremus officium : ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere. Ex hoc nempe ſæpe volventibus liquet, non immerito S. Scripturam omnipotenti DEO placuiſſe quibusdam locis eſſe occultam, ne ſi ad liquidum cunctis pateret, forte vileſceret, & ſubjaceret deſpectui, aut pravè intellecta à mediocribus, in errorem induceret. Neque enim ad excuſationem juvat, quod quidam religioſi viri hoc* (quod) *ſimpliciter populus quærit, patienter tulerunt, ſeu incorrectum dimiſerunt, cum primitiva Eccleſia multa diſſimulaverit, quæ à S. S. Patribus poſtmodum firmata Chriſtianitate, & religione creſcente, ſubtili examinatione correcta ſunt.*

§.XVII.

Principia Hildebrandina.

Scilicet fundamenti loco poſuit : *DEO placuiſſe, S. Scripturam quibusdam locis* ſive Eccleſiis eſſe *occultam*, inter quas Eccleſias etiam Slavicam & Bohemicam reputat. Si ad ipſam S. Scripturæ normam hæc exiguntur, invenimus ea eſſe dictis Chriſti, & Apoſtolorum è diametro contraria. Chriſtus enim præcipit generatim ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, *Joh. V. 39. Scrutamini ſcripturas quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtificantur de me.* Id quod Paulus, qui omne conſilium DEI nobis revelavit, ita interpretatus, ut hanc ipſam in ſimili caſu quæſtionem deciderit, *1. Cor. XIV.* ubi poſtquam late comparaſſet donum linguæ peregrinæ, & donum prophetiæ, ſeu interpretationis in vernaculo, & hoc illi prætuliſſet, tandem hoc apponit interdictum : *Quod ſi non ſit interpres, taceat in Eccleſia is*, qui lingua Eccleſiæ non intellecta loquitur : *cæterum ſibi ipſi loqua-*

tur & DEO. Atque hac praxi uſi fuerunt in Eccleſia primitiva, exemplo Beroenſium *Act, XVII. 11.* & ſequentium ſeculorũ, usque ad hoc Hildebrandi interdictum, cui parere Eccleſiæ Slavicæ non debuerant.

§. XIIX.

Annus agebatur 1084. à C. N. obſeſſæ autem Vrbis tertius, qui cum ſequente fatalis Hildebrando illuxit. Occuparat Imp. anno ſuperiore eam urbis partem quæ *Leonina* vocata. Inſtante jam Paſchatis feſto capit & *Lateranenſe Patriarchium* h. e. Pontificale ſolium, eo enim deſerto fugerat Hildebrandus in Arcem S. Angeli, inde in Monaſterium Caſſinenſe, duce Roberto Nortmanno, & tandem deſperans, Salernam, *ubi usque ad obitum ſuum habitavit,* ut ſcribit Marianus Scotus; contigit autem ejus mors anno ſequente ſtatim. Adeo verax ſibi fuit vates, qvum *ſe aut moriturum, aut Henrico animam, regnumque ſublaturum* aſſeveraret, ut ipſe Imperator iſti exprobrat *in epiſtola apud auctorem anonym. vita Henrici.* quam & Baronius habet *ad A. C. 1080. §. XXVI.* Qvum itaque de ſede jam deſcendiſſe reputaretur exauctoratus Pontifex, reliqvum erat, ut ſucceſſor daretur idoneus. Qua in re eum ſe geſſit Imperator, ut & liberam Romanis electionem relinqueret, & vetus Jus Romanam ſedem ordinandi ſibi Imperioque aſſereret. Teſtis eſt alia ejus epiſtola ab iisdem relata, his verbis excitans Romanos: *Exurgite in eum, fideliſſimi, & primus in fide ſit primus in ejus damnatione. Non autem ut ſanguinem ejus effundatis, dicimus, quippe qvum major ſit ſibi poſt damnationem pœna vita, quam mors; ſed uti eum ſi nolit, deſcendere cogatis, & alium communi omnium Epiſcoporum, & veſtro conſilio à vobis electum in Apoſtolicam ſedem recipiatis, qui*

Roma capta.

Hildebrandus moritur.

Clemens III. Papa.

 quod

quod iſte in Eccleſia vulneravit, curare velit & poſſit. Vindicata ſic Eccleſiæ, & Populo, & Imperio ſua cuilibet libertate, & abolitis *Hildebrandinis dictatibus, ac invidioſa Nicolai II. conſtitutione,* electus, ordinatusque eſt Archiepiſcopus Ravennas, Guibertus & *Clemens III.* appellatus. Imperatori porrò & Auguſtæ corona in ſolennitate Paſchali impoſita, quæque ſic Romæ geſta ſunt, etiam in Germania in Conventu Gerſtungenſi & Moguntino A.C. 1085. fuerunt approbata. Dignum & illud annotatu, quod cum in *Concilio Quedlinburgenſi* A. C. 1085. pro Gregorio conſultaretur, & Papatus extolleretur, *Gunibertus* Clericus Bambergenſis in medium proſiliens, aſſeruit: Romanos Pontifices hunc ſibi Primatum adſcripſiſſe: non aliunde conceſſum hereditaſſe. *Baron. h. ann. §. V. M. A. de Dom. IV, 8, 62.*

§. XIX.

Hildebrãdi reformatio examinata.

Hic exitus fuit, hoc fatum regiminis Eccleſiaſtici ab Hildebrando ſuſcepti. Quod ſi ſtatum Eccleſiæ occidentalis, & primæ ſedis Romanæ, qui ſub Henrico III. Imp. fuit, memoria repetimus, ad præſentem comparantes, cœperat defectus in ipſa ſede illa, & ne proſerperet latius, piiſſimus Imperator ſerio anniſus fuerat. Quamobrem & idoneos ex Germanicis Eccleſiis permiſit Pontifices, & ipſos dormitantes ſubinde excitavit. Gregorio enim VI. ob ſcandaulm Simoniæ remoto ſuffecerat Clementem II. cum ipſo Eccleſiæ reformationem adgreſſus, quam cum Leone IX. continuavit. Sed quousque res proceſſerit, & quanti errores, atque abuſus, circa cultum & adorationem Angelorum, Sanctorum defunctorum, Imaginumque, circa obtruſum clero cœlibatum, circa S. Euchariſtiæ uſum & ſic deinceps, ſuperius demonſtravimus. In hanc

Abuſus reformãdi.

hanc meſſem falcem manumque mittere debuiſſent Alexander II. & Gregorius VII. Pontifices, Imperatore Henrico pupillo. Sed non tantum relicta ſunt iſta lolia, verum & aucta, & ex parte pro bono ſemine verbi divini venditata, ac defenſa.

§. XX.

Reformatio abrupta.

Petrus Damiani, etſi & ipſe quibusdam ſeculi erroribus implicitus fuerit, alios tamen & vidit & corrigendos omnibus viribus laboravit, ſed qvum fruſtra hactenus in conciliis id tentaſſet, ad monaſterium, atque ad lacrymas tandem deſperabundus reverſus ad Alexandrum II. ita ſcripſit: *Quapropter hæc apud me definita ſententia eſt, quia de cætero niſi me neceſſitas inevitanda compellat, donec advixero Romanis me conciliis funditus abſentabo.* Monere autem nec tum intermiſit Pontificem de corrigendis abuſibus, quorum duos ibi exprimit: *Unum quod cunctis fere decretalibus paginis Anathema ſubjungatur: alterum, quod cujusque Eccleſiæ filius, ſive clericus ſit, ſive Laicus, exponere proprii exceſſus Antiſtitis prohibeatur.* utrumque prolixe refellit. Extat etiam epiſtola apud *Baron. ad A. C. 1065. §. XXIV.*

abuſus excommun. & immunitat. Eccl.

§. XXI.

Intentio Hildebrandi.

Sed etſi ſpeciem aliquam reformandi præ ſe ferrent Alexander, & Gregorius, revera tamen viſa non intendi continuatio cœptæ ab Impp. & piis Pontificibus, ſed imo ſub ſpecie hac valde accommoda latebat introductio novi ſtatus in Eccleſiam & Imperium, ut hoc illi ſubjiceretur, & poteſtas ſedis Romanæ hactenus Patriarchalis, & Eccleſiaſtica, jam fieret Imperatoria, ac *Monarchica* abſolutiſſimè per univerſum Chriſtianum orbem. Et ne quis calumniari me putet Pontifices, habemus confitentem reum, Hilde-

brandum, ſi ſaltem DICTATVS PAPÆ, quos vocant, memineris. De quibus omnino vide Edm. Richer. *Hiſtor. Concil. Gen. c. ult.*

§. XXII.

Reformatio quid?

Iſtud porrò non erat *reformare*, h. e. ſtatum Eccleſiæ corruptum abuſibus abrogatis ad priſtinam formam canonum, libertatem, decus ac puritatem, & morum, & doctrinæ reducere, atque ſocietatem hanc Eccleſiaſticam externam & viſibilem ad internum Chriſti regnum, & cum DEO ac Salvatore noſtro veram ac vivam communionem redigere, & invicem redunire: Verum iſtud quidem erat perdere Eccleſiam, & ſecum εἰς ἀπώλειαν & in abyſſum rapere. *Affectare* enim *imperium* in Impp. Principes, atque Reſp. & Petro, & toti Apoſtolorum Collegio, à DEO atque Chriſto erat interdictum, *Marc. X. 42.* Chriſtoque contrarius character à S. Paulo aperitur, efferri ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, & ſedere εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ ὡς θεὸν, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός. *2. Theſſ. 2.* hæc verò ipſa intendiſſe, & attentaſſe Hildebrandum, & tota ejus vita demonſtrat, & inprimis quos ſæpius dixi *dictatus*. Hæc fuit cauſa, ob quam ab eo usque tempore, & ſequentibus ſeculis reformatio, quam omnes probi, & Clerici, & Laici ſummè neceſſariam, faſſi ſunt, nihil progreſſa, ſed ſemper magna vi, multaque arte cohibita, & ferè abſorpta. Nempe *fons mali* in ipſa Curia ſemper hæſit, contraria ſcilicet reformationi intentio ac ſtudia. Hunc fontem noluit obturari Hildebrandus, ſed aperiri latius, atque inde in rapidum excreſcentem flumen per eccleſias univerſas transfundi.

CAP.

CAPUT IV.

De

LIBERTATE ADVERSUS PASCHALEM II. INFELICITER DEFENSA.

SUMMARIA.

Bellum civile continuatur. Victor III. Antipapa eligitur. Thimo Marchio Lansbergiæ acquirit Marchiam Miſniæ. Origo Sereniſſimæ domûs SAXONICÆ. Filius à patre Imp. ſecedit: uxor divortit. Imperator victor. Conradi Vrsperg. fides defenſa. Paſchalis II. prætendit totum jus conciliorum: urgens jusjur. Archiepiſcoporum. c. 4. X. de elect. Hæreſis Henriciana. Alter filiorum & Cancellarius Imp. etiam ſecedunt. Captivus pater Imp. obit. Cauſæ hujus eventus. Jus vitæ & necis in Imp. prætenſum. Cauſa privata à publica, & eventus ab exitu ſeparandus.

§. I.

PEſſumdato Hildebrando Succeſſorem jam dederat Imperator, atque ordines obſequioſi: At Saxones & qui ſeceſſioni huic adhærebant, ſicuti Regem ſibi, ita & Papam peculiarem eligere ſatagebant. Qua de re varia conſilia habita ab A. C. 1085. usque ad A. C. 1087. quo Deſiderius tandem, Abbas Caſſinenſis Pontificatum ſuſcepit, *Continuatio belli civilis.*

Victor III. antipapa. pit, *Victor. III.* appellatus. Qui qvum anteceſſoris decretum de *Inveſtituris* Imperatori eripiendis confirmaſſet, eodem anno moritur; qvum paulo ante Saxones regem ſuum *Hermannum* Lotharingum expuliſſent iterum, & Henricus Imperator in gratiam eum recepiſſet, qui tamen mox periit. Princeps factionis Saxonicæ poſt eum *Ecbertus* Marchio Miſniæ. Sed & ipſe prope Numburgum in molendino Eyſenbeutel divertens, obrutus, & interfectus fuit, & Marchionatus Miſniæ *Thimoni* Marchioni Landsbergiæ ab Imperatore Henrico conceſſus fuit. A. C. 1090. Illius poſteritas, adjecto Thuringiæ Landgraviatu, Saxoniæque Ducatu & Palatinatu, & Electorali dignitate, una cum aliis Provinciis, hodieque Imperatori Imperioque fideliſſima, Libertatem & Imperii & Eccleſiæ quam maximè tuetur, in omne ævum perennatura.

Marchia Miſniæ. Thimonis poſterioritas. Domus SAXONICA.

§. II.

Filius Imp. à patre ſecedit. Pacata ſic utcunque Germania, Henricus Italiam in ordinem redigens, & Vrbanum II. quem interim Romani Victori III. ſuffecerant Roma ejicere adgreditur. Pulſus Roma biennio Vrbanus, per Guelphonem Ducem Italicum, filium Welphonis ducis Boiariæ, nepotem Azonis Marchionis Ferrarienſis, cui Mathildem matrimonio junxerat, rem eo redegit, ut *Conradus* filius Imperatoris patri rebellans, coronam regiam Mediolani arriperet, A. C. 1093. Hinc nova rerum inverſio, quam multum auxit, quod divorteret *Imperatrix* quoque à marito, plurimas ad Vrbanum deferens querelas: iis in concilio Conſtantienſi, & Placentino mox propoſitis, magna invidia adverſus maritum concitat: Rebelli autem filio, ſtratoris officium ſibi exhibenti, & fidelitatem promittenti Vrbanus viciſſim *Regnum* & *Imperium* pollicetur, *ſalva quidem*

Vxor divortit.

juſtitia

juſtitia Rom. Eccleſiæ, & ſtatutis Apoſtolicis, maximè de inveſtituris in Spiritualibus officiis à Laico non uſurpandis, ut habet *Bertholdus*, & ex eo Baron. *ad A. C. 1095.* §. *VII.* Verum dedit DEVS his quoque finem, nam & *Vrbanus* A.C.1099. & biennio poſt etiam *Conradus* fato functi, poſtquam hic à Patre proſcriptus, & filius minor natu Henricus V. ex conſenſu Principum Rex conſtitutus, dato Patri jurejurando, ſe ei fidum futurum. *teſtis Vrsbergenſis*, cujus fidem etſi ſuſpectam reddere contendit Baronius, defendit eam tamen eleganter L. Maimburgius *lib. 3. de la decad. de l' Empir. pag. 305.* *Imperator victor.*

§. III.

Viciſſe jam videbatur Henricus Imp. & cum ipſo Libertas Germaniæ. Sed quæ fato manebant, quantumvis contra niteretur, evitare tandem non poterat. Eodem anno, quo Conradus, etiam *Clemens III.* Pontifex Rom. Imperatori fidelis, obierat, qvum biennio ante Vrbano Succeſſorem Romani elegiſſent *Paſchalem II.* qui veſtigiis Hildebrandinis & ipſe Tuſcus, & Monachus Cluniacenſis, per omnia inſiſtens, non modò urget jusjurandum ab Archiepiſcopis à Bonifacio primo invectum, ab Hiſpanis ægrè admiſſum; ſed etiam prætendit omnia Concilia à Sede Rom. dependere, & in eorum ſtatutis excipi auctoritatem Rom. Pontificis: extat ejus epiſtola in hanc ſententiam ad Archiepiſcopum Toletanum *cap. ſignificaſti X. de elect.* Ita enim verior lectio, non *Panormitanum.* quia tunc Dux Normanniæ Siciliam tenens, Regiam dignitatem nondum habebat. Sed & pluribus hæc perſecutus eſt in Concilio anno 1102. habito adverſus *hæreſin*, ut vocabat, *Henricianam*, ut habet Vrſpergenſis. *Paſchalis II.* *Jus Concilii.* *c. 4. X. de elect.*

§. IV.

Otto Cancellarius & Henricus filius ſecedunt.

Rem itaque majori auſu dicam an ſucceſſu denuò aggreſſus, eo peregit, ut Imperatoris *Cancellarius Otto* Epiſcopus Bambergenſis, inſignia inveſtituræ ab Imp. acceptæ ad pedes Paſchalis reponeret, & ab ipſo demum reciperet. A.C. 1103. Mox & ipſe Imperatoris *filius, Henricus* Rex, *rebellationem*, ut ait Vrspergenſis ad A. C. 1105. *adverſus Patrem in Bojaria parat, Pontifici debitam profitetur obedientiam: fœderatis ſibi Noricis Principibus, & nonnullis ex Alemannia & orientali Francia Nobilibus, conſilio atque miniſterio Bouthardi Moguntini, atque Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi, Reſponſalium,* ſic eos idem vocat, *Papæ, totam Saxoniam Eccleſiæ reconciliavit. Epiſcopis verò atque clericis conventum generalem in villam regiam, quæ Northuſum dicitur indixit*, ubi omnia ad nutum ac votum Paſchalis ac Curiæ Romanæ ordinavit. Vertente anno conventum Moguntiæ, una cum Legatis Sedis Romanæ, ubi & Imperator, *quum ſe exhibere tentaret*, pergit idem Abbas Vrspergenſis, *Principes propter cavendum tumultum vulgi, ſua potius, quam filii parti favere ſolentis* (vid. Joh. VII. 48. 49.) *ipſi Ingelheim occurrerunt, tandemque generali illum circumvenientes conſilio, usque ad reatus confeſſionem, ſatisfactionisque profeſſionem perducunt. Cui cum Legati communionem, ſeu pœnitentiæ modum absque generalis Synodi, & Apoſtolicæ diſcuſſionis cenſura reddere ad præſens non poſſent, ipſe partis utriusque conſiliis annuens, regalia vel Imperialia inſignia, crucem ſcil. & lanceam, ſceptrum, globum atque coronam filii poteſtati tradidit, proſpera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, & ex tunc juxta ſummi ſacerdotis, totiusque Eccleſiæ decreta, ſuæ conſulturum animæ promiſit.* Hæc Ab-

captivus Pater.

bas

bas. Quæ prolixiori ſerie ipſe *Henricus* Imp. conquerens vim ac fraudes filii, enarravit in diverſis *epiſtolis ad Regem Celtarum,* ut appellat, ſive Galliæ, atque ad alios, inprimis etiam ad ipſum *filium,* in qua inter alia: *Tu,* inquit, *ipſe ſcis, ſicut ipſe publico experimento facti tibi conſcius es, qualiter data fide, & ſecuritate perſonæ, & honoris noſtri, omni affectione devotionis promiſiſti nos ducere Moguntiam coram Principibus, & inde nos ſecuriſſimè reducere quocunque vellemus. Hac fiducia cum tecum amanter, & indubitanter adſcenderemus, contra datam fidem apud Bingam nos cepiſti. Vbi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, nec triſtitia, qua ad pedes tuos, aliorumque ad volvebamur, te commovit ad miſericordiam, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis illudendum, & cuſtodiendum traderes, ubi multimodo genere contumeliæ & terroris afflicti, compulſi fuimus ferme venire usque ad ipſum mortis articulum. Ante captivitatem abſtuliſti nobis Epiſcopatus, & quidquid de bonore potuiſti, & prædia noſtra, & ipſam familiam; in captivitate verò quidquid reſiduum erat, ut lanceam & crucem, & omnia regalia inſignia vi & timore mortis (ut ipſe bene ſcis & omni fermè notum eſt Chriſtianitati) à nobis extorſiſti, relicta vix ipſa vita.* Hæc pater ad filium. *Quid multa,* pergit Vrſpergenſis, *abrenunciata Imperiali dignitate, privatus diſceſſit, & ad quandam civitatem, quam filius victui illius permiſerat, receſſit.* Inde tamen fuga elapſus, Coloniam primum, inde Leodium venit, & milites congregans, in priſtinum ſtatum ſe revocare niſus fuit, ſed ſubita morte extinctus eſt. *Leodienſis autem Epiſcopus, cæterique Coëpiſcopantes,* ait idem Abbas, *inter cætera recipiunt, ut in communionem pœnitentiæ, hac conditione, quod cadaver ipſius excommunicati per ſe pridie in monaſterio*

tumulatum effoderent, & absque ulla ſepultura vel exequiarum communione in loco non conſecrato deponerent, comprobantibus his qui aderant Archiepiſcopis & Epiſcopis: quia quibus vivis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare poſſit: quo facto, paulo poſt corpus ipſum Spirenſi civitati in ſarcophago lapideo Regis conſenſu delatum, ſicque extra Eccleſiam ibidem per quinquennium manſit inhumatum. Adeo quippe Leoni mortuo inſultandum erat.

§. V.

Cauſa hujus eventq. Sed fato ita datum fuit, atque à DEO O. M. ſummæ ingratitudinis populi Chriſtiani juſto vindice, hoc permiſſum, ut Eccleſiæ libertas ſupplantaretur, Reformatio Eccleſiæ per tot annorum ſpatia à piiſſimis Impp. ac principibus toties impedita, tandemque in contrarium acta, puritatem Eccleſiæ & orthodoxiam Evangelicam corrumperet. Neque enim ex cauſæ *juſtitia* hæc ſummæ Reipubl. Poteſtati inſultandi licentia à Chriſto conceſſa ulli fuerat, cujus majeſtatem ἀμίστως ἐμμίστως toties læſerant. Exponit ex parte ſtatum Eccleſiæ Romanæ ejus temporis αὐτόπτης Ivo Carnotenſis Epiſcopus ad Legatum Eccl. Rom. Ep. XCIV. *Si qua adhuc ſunt, quæ pro conſuetudine antiqua publicè exigant Decanus & Cantor, & alii miniſtri ab his, qui canonici fiunt, me contradicente & perſequente: ROMANÆ ECCLESIÆ CONSVETVDINE ſe defendunt, in qua dicunt cubicularios & miniſtros Sacri Palatii multa exigere à conſecratis Epiſcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus, nec charta, gratis, ut ajunt habeatur.* Et paulo poſt: *Ad hoc ab origine naſcentis Eccleſiæ Romana Eccleſia laboravit, nec à gremio, etiam ſuo, tales ſua quærentes penitus prævaluit elimi-*

eliminare: nec in diebus malis regnare deſinit cupiditas, donec finito mundi termino, pacatum regnum accipiat charitas. Integram epiſtolam & Baronius exhibet ad A. C. 1104, 9. Idem Ivo *Epiſt. XLIV.* ad ipſum Paſchalem graviter conqueſtus de *injuſtitia* Curiæ in recipiendis, & approbandis accuſationibus falſis monet eum, *ut indulto congruo & prolixo ſpatio, religioſorum, qui in vicina regione rem liquide noſſe poſſunt, teſtimonia requirat, & ita cognita veritate, juſte vel miſericorditer qualibet negotia terminet. Ita enim bonam famam veſtram,* inquit, *quæ ſedi Apoſtolicæ valde neceſſaria eſt, conſervando, multorum ſaluti providebitis, & æmulorum linguas à maledicto revocabitis. Alioquin ſi quæ pudenda Patris, quod DEVS avertat, revelata fuerint, non ea ut filii averſionis deridebimus, ſed tamen ab hujusmodi admonitionibus, quas infructuoſas videbimus, ſtylum & linguam cohibebimus.* Atque ad Legatum Pontificium *Epiſt. LXV.* ulteriorem ducit querelam: *Non iſta dico, tanquam velim adverſus ſedem Apoſtolicam caput erigere, vel ejus ſalutaribus diſpoſitionibus obviare, vel meliorum ſententiis præjudicium facere, SI VIVIS nitantur RATIONIBVS & evidentioribus VETERVM PATRVM AVCTORITATIBVS: ſed hæc vellem cum multis mecum piè ſentientibus, ut Romanæ Eccleſiæ miniſtri, tanquam probati Medici majoribus morbis ſanandis intenderent, & non ab irriſoribus ſuis audirent: Culicem excolantes, & camelum glutientes, mentam, rutam, cuminum, & anethum decimatis; graviora autem legis prætermittitis cum per totum pene mundum flagitia & facinora videamus publicè perpetrari, nec ea à vobis aliqua juſtitiæ falce reſecari. Quorum exempla, quia vel à vobis non ſunt remota, vel vobis non ignota, non eſt meum ea ſpeciali ſermone taxare.*

§. VI.

Jus vitæ & necis in Imp.

Captus itaque à filio pater, Imperator Auguſtus infamoſam captivitatem vadebat qui jure ſuo hoſtes Eccleſiæ & Reipubl. in captivitatem ducendi jus habebat, & qui gladio occidendi jus obtinuerat, vix effugiebat, quin gladio occideretur. Etſi enim Henricus noſter non fuerit *decollatus*, *jus* tamen ac facultatem eum *decollandi* ſeſe habere, adverſarios ſtatuiſſe, conſtat ex narratione ipſius Henrici ad Regem Celtarum: *In qua* (villa) *cum aliquo tempore commoratus eſſem, & filius meus, ex eodem fraudis ſuæ conſilio demandaſſet, ut ibidem eum expectarem, ſuperveniens quorundam fidelium meorum legatio præmonuit, ut ſiquidem ad monitum ibi remanerem, fore, aut in perpetuam raperer captivitatem, aut in eodem DECOLLARER.* Scilicet poſito uno abſurdo, de ſuperioritate in ſummam poteſtatem, ſeqvuntur talia infinita. Ex quorum grege eſt, quod in artic. VIII. Weichb. legitur: **So ſoll man über ihn** (Imp.) **richten/und ihm das Haupt abſchlahen mit einer gülden Parte.** Quæ tamen in vetuſtiſſimo Cod. MSS. Bibliothecæ Ambraſianæ non apparent, & ad noviſſima tempora referenda.

§. VII.

Cauſa privata à publica ſeparanda

Cæterum ex repentino hoc mortis genere quod Henricum Imp. rapuit, nihil eſt judicandum de juſtitiâ cauſæ *publicæ* & libertatis Eccleſiæ: Et mereatur tandem vita *privata* talem exitum, id quidem, nihil ad imperium, nihil ad libertatem, cujus defenſor perduravit Henricus ad extremum usque vitæ halitum ſummis etiam in miſeriis conſtitutus. Duplex hoc cauſarum genus ipſe Henricus, ad Regem Celtarum ſcribens, optimè diſtinxit, ubi inter alia conteſtatur, *ſe obedientiam, & omnem ſubjectio-*

nem debitam (Eccleſiæ à ſuo membro) *ſæpe obtuliſſe Apoſtolicæ ſedi, ſi tamen honor debitus & reverentia, ſicut anteceſſoribus ſuis, exhiberetur & ipſi.* Poſtea de cauſa ſua ac privata filiique ſubjicit: *ſe admonuiſſe, & obteſtatum fuiſſe filium per fidem, per ſalutem animæ ſi pro peccatis ſuis flagellandus eſſet à DEO ne de patre filius conquireret maculam honori & nomini ſuo; quia culpæ patris vindicem filium eſſe, nulla divinæ legis conſtitueret ſanctio.* Atque eventus docuit, quam verè judicaverit Pater de intentione filii, qvum in literis ad Epiſcopos Germaniæ, & Saxoniæ eumprimis datis ſcriberet: *Manifeſtum eſſe, eum non divinæ legis zelo, vel Romanæ Eccleſiæ dilectione, ſed concupiſcentia Regni patre injuſte eo privato hæc incepiſſe.* Quamobrem ſicuti cauſa Hildebrandina omni & divino & humano jure fuit improbata: ita non fuit, cur ex hoc eventu ſibi ſuisque gratularentur adverſarii, neque enim hic fuit rerum exitus, ſed initium dolorum, exitum porrò & ſuperiori XVI. ac præſenti ſeculo conſpeximus, ac poſteri mox plenius intuebuntur. *Exitus ab eventu.*

CAP.

Caput V.

De
SVPPRESSA LIBERTATE SVB HENRICO QVINTO.

Summaria.

Henricus V. inconſtans, inveſtituras repetit: reddit. Quæ juramentorum hinc inde præſtitorum vis, disquiritur. Paſchalis Papa defenditur contra Baronium. Ejus orthodoxia de ſub utraque. Eucharistia infantibus olim data. Caliſti II. niſus ultimus. Henrici V. renunciatio: Reverſales Papæ. Quid in hoc negotio actum. an de jure ordinandi S. R. Cauſæ concurrentes. Imp. Ordines: Archiepiſc. Mogunt. Gallia. Reſignatio iſta an jure facta? negativæ fundamentum. Objectio Goffridi Vindocinenſis examinata. Imperatoris gravis & Chriſtiana adhortatio de vera & non ſimulata libertate. de natura Inveſtituræ Epiſcopalis. An ceſſio ejus utilis Eccleſiæ? Effectus & ſtatus Eccleſiæ illius temporis. Reliquiæ Juris Imp. circa ſacra. Jusjur. Epiſcoporum auctum. Dictatus Gregorii VII. recenſentur.

§. I.

Henricus V. inconſtans. SIc preſſa jam Libertas Germaniæ ſub jugo gemebat, quæ quondam Arſacis regno acrior. Porro ſicuti lucerna,

cnera, quæ jam jam deficiente oleo extinguitur, collectam quaſi ſplendoris vim exſerit ultimam: Ita etiam ſacra noſtra Libertas reſplendeſcebat denuo. Enimverò Henricus regnandi libidine præoccupatus, ſacris Sedis Romanæ perſuaſionibus facillimè aures dederat: Imperium hac arte adeptus facilior erat ad revocandum quod ita promiſerat. De ejus ingenio & moribus videndus *Sugerius* Abbas S. Dionyſii in vita Ludovici Craſſi R. Galliæ, quem incognitum Baronio notat L. Maimburgius *l. 4. de la decad. ad A. 1106.* Henricus V. igitur à Principibus Germaniæ edoctus de jure inveſtiturarum Epiſcopalium, id inde usque à Carolo M. competere Imperatoribus atque Regibus Germaniæ, renunciavit Papæ ceſſionem, A. C. 1107. defendente Archiepiſcopo Treverenſi in conventu Catalaunenſi jura Imperii magnificè. *Petr. de Marca l. VIII. c. XX. Sugerius in vita Ludovici. Maimburgius d. l. pag. 331.* qui etiam viciſſim A. C. 1111. jus inveſtituræ Henrico juratò confeſſus, ipſum coronavit. *Paſchalis epiſt. XXII. ad Henricum. Otto Friſing. 7. 14. Acta Sutrina apud Baronium.* Quamvis porrò anno mox ſequente Curia Romana omnibus revocatis, Imperatorem excommunicarat; Imperator tamen Albertum Archiepiſcop. Moguntinum, decretum Romanum publicaturum, cepit, Saxones cum Papa iterum facientes, proſcripſit, & adverſus Paſchalem, Gelaſium, & Calixtum II. libertatem defendit; usque dum Albertus liberatus, Papæ Legatus, Saxones incitans rem eo redegit, ut A. C. 1121. tractatus in diæta Wirzburgenſi inſtituti, & anno ſequente in Conventu Wormatienſi res transacta, & Jus inveſtituræ Pontifici ceſſum denuo fuit. Sed de his deinceps dilucidius.

inveſtituras repetit

reddit.

§. II.

Vis juramentorũ præſtitorũ qua?

Quemadmodum *Henrici ceſſio* invito Imperatore, læſa pietate, adverſus proprium jusjurandum, ſine conſenſu Imperii, irrita utique erat, & propterea ab ejus obſervatione Henricus ipſo jure liber: Ita viciſſim ei, quam *Paſchalis* cum quibusdam Epiſcopis fecerat *ceſſionem* juratam captivus, & doli & metus exceptio opponitur. At quia tamen & juramentum deſuper præſtiterat, quod exhibet ex Actis Baron. *ad A. C. 1111.* §. *18.* & captivitate jam ſolutus, ſub uſu S. S. Euchariſtiæ ſeſe devoverat ſi contraveniret, *ibid.* §. *24.* merito & ex dictamine conſcientiæ noluit Imperatori litem movere; quantumvis id Curia Romana usque ad importunitatem urgeret, & excommunicationem adverſus Imperatorem decerneret. *Idem A. C. 1112.* §. *17.* Quippe qvum non potuerit ignorare, jus ſacrum hoc ab Hildebrando primo Imperatoribus ac Regibus fuiſſe ereptum & velut partem ſummæ Reipubl. poteſtatis, nunquam Sedis Romanæ proprium, nec ante Hildebrandum aut obtentum aut exercitum. Cujus ablatio qvum contra Reipubl. ſtatum ac Majeſtatem Imperii, contra Eccleſiæ libertatem, & contra divini juris auctoritatem eſſet, certe jurejurando non potuit juſta atque valida fieri, aut jurantem obligare, qvum jus ſuperioris in omni juramento exceptum intelligatur, *c. 19. X. de jurejur.* Ex quo ſatis pateſcit, quod & ſuperius animadvertimus, non *Pontifices* ſemper libertati graves fuiſſe, ſed ipſam quoque Eccleſiam Rom. clerum atque Populum, reluctantibus ſæpe Pontificibus ſuis, iis principiis, iisque moribus inhæſiſſe, quæ ſacræ libertati contrariantur.

Paſchalis defenditur contra Baron.

§. III.

Ejus orthod. de

Illud quoque in Paſchali laudandum, quod qvum jam

jam inciperet abuſus circa adminiſtrationem S. S. Eucha- *ſub utraq;*
riſtiæ ita, ut ea ſub ſola ſpecie panis, *intincti* tamen, exhiberetur illud ſevere prohibuerit, & ſub utraque porrò adminiſtrari præceperit. Exhibet epiſtolam Baronius ad *A. C. 1118. §. 3.* ex ſcripto Chronico Cluniacenſi, dignam, quæ huc ponatur, velut indicium priſtinæ libertatis, *Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum DEI chariſſimo filio ſuo Pontio Cluniacenſi Abbati Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Scribens ad Cæcilium B. Cyprianus ait: Quando aliquid DEO inſpirante, & mandante præcipitur, neceſſe eſt, domino ſervus fidelis obtemperet, excuſatus apud omnes, quod nihil arroganter ſibi aſſumat, ne aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit. Igitur in ſumendo Corpore & Sanguine Domini juxta eundem Cyprianum Dominica traditio ſervatur, nec ab eo, quod Chriſtus Magiſter & præcepit, & geſſit, HUMANA & NOVELLA inſtitutione diſcedatur. Novimus enim per ſe Panem, per ſe Vinum ab ipſo Domino traditum. Quem morem ſic ſemper in S. Eccleſia conſervandum docemus atque præcipimus præter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt.* quibus ſatis, *addit Baronius* communicari in ſanguine.

§. IV.

Namque olim *infantibus* exhiberi ſolitam S. S. Eu- *Infantib. Euchariſtia data.*
chariſtiam, conſtat ex Cypriani *lib. de Lapſis.* Gennadio *de Dogmatib. c. 52.* Alcuino *de Divin. Offic. cap. de S. Sabb. Paſchæ.* Dionyſ. *de Hierarch. in fi.* Ordine Romano *t. de Baptiſmo.* Concil. Tolet. *XI. c. XI. & adjectis ibi Caranzæ notis.* Vid. & Herbert. Thorndicii *Orig. Eccleſ. cap. XV. p. 284.* Gibb. de Burgo *Diſp. 2. de Luth. Calv. Q. 3. §. ult. th. 19. ſeqq.* Adjicit porro Baronius: *Sed quod nec ſic ceſſaretur*

retur ab uſu introducto intinctionis: *communionem SVB VNA tandem ſpecie Panis ſancta frequentare poſtea cœpit Eccleſia.* id quidem verum eſt, ſed etiam hæc inſtitutio humana & novella eſt, ac Divinæ inſtitutioni adhuc magis adverſa, & proin etiam à Paſchali in perpetuum æque damnata. Ivo in tractatu de divinis officiis ita hac de re: *Non autem juxta Concilii Toletani definitionem, intincto pane, ſed ſeorſum corpore, & ſeorſum ſanguine communicat* (ſacerdos) *excepto populo, quem intincto pane, NON AVCTORITATE, ſed ſumma neceſſitate timoris ſanguinis Chriſti effuſionis permittitur communicare.* Sed timor iſte nullam habet neceſſitatem, qvum non ſit talis, qui cadat in hominem prudentem ac θεοδίδακτον. Vnde rejicit hanc ſuperfluam cautelam quoad populum ſive laicos auctor Micrologi c. XXVI. *Non eſt authenticum, quod quidam corpus domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam ordo Romanus contradicit.* Atque eleganter adjicit Petrus de Marca *Not. ad can. VII. concil. Claromant.* iſtam formam non tantum adverſam fuiſſe ordini Romano, ſed etiam Inſtitutioni Chriſti, qui corpus ſeorſim à ſanguine commendaſſet, oſtenditque ſubtractionem calicis Laicis factam originem cœpiſſe demum ex inſtituto Eccleſiæ Hieroſolymitanæ poſt conſtitutum à Chriſtianis regnum Hieroſolymitanum; ibi enim nulla ſpecierum commixtione facta, ſolo Pane ſibi exhibito, advenas ſacramentum percepiſſe: Nec tamen hunc morem recepiſſe omnes Eccleſias occidentis, usque dum *Thomas Aquinas* ea de re conſultus, eum approbarit. 3. p. q. 80. art. 12. *Provide in quibusdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſumendus ſanguinis non detur.* Addit Marca: *Quare in Concilii Conſtantienſis Seſſ. XIII.*

aſſer-

aſſertum eſt, conſuetudinem unius ſpeciei DIVTISSIME obſervatam fuiſſe: cujus obſervatio, ut legitime præſcripta, omnibus indicta eſt, donec univerſali Eccleſiæ aliud ſtatuendum videatur. Sacri calicis reſtaurationem Concilium Tridentinum S. Pontificis prudentiæ commiſit, ſi provinciæ alicujus à communione Eccleſiæ per hæreſim abſciſſæ unitas hac ratione procurari poſſet. Quod de præſcriptione dictum, vix impetrare poteſt aſſenſum; conſtat enim præſcriptionem in rebus ac myſteriis divinæ inſtitutionis, ad hanc infringendam locum non invenire poſſe, alioquin & intincti panis conſuetudo præſcriptione defendi potuiſſet: cæteroquin non obſcure innuitur contra intentionem Patrum Tridentinorum Eccleſiis Germanicis uſum calicis denegatum eſſe.

§.V.

Gelaſio, Paſchalis ſucceſſore, Roma relicta in Franciam profugo, & mox ibi extincto, ibidem Pontifex eligitur Guido, Archiepiſcopus Viennenſis, *Calliſtus II.* nominatus. Is Rhemis coacto concilio dogmata Hildebrandina, de Jure inveſtituræ & Conjugio Sacerdotum, renovavit, A. C. 1119. & Imperatorem in hæc talia non conſentientem, excommunicavit. Romam rediens, obſedit Pontificem ab Imperatore conſtitutum, *Burdinum*, & captivum tenuit. Inde *Adelbertum* Archiepiſcopum *Moguntinum* Legatum conſtituit, quem adverſarium Imperatoris noverat, qui hac *auctoritate*, & alioquin *vir eloquens & primatum in Ciſalpinis partibus multiformiter tenens*, & Saxoniam totam, ac pleroſque omnes Epiſcopos & Principes Germaniæ commovit, ingentemque armorum apparatum adverſus Imperatorem collegit, ſed imminente jam fato, *factum, ut cum propinqui inter ſe utriusque par-*

Calliſti II. niſus ultimiis.

partis eſſent exercitus, non ad pugnandum, ſed ad conſulendum de pace inter Imperium & Sacerdotium duodecim ex utraque parte Primates electi, convenerint Wirceburgi in feſto S. Michaelis, menſe Septembris (A. C. 1121.) *ubi interfuit Imperator Henricus, & ſeptem diebus iteratis Comitiis tantummodo de tollendo ſchismate regnique concordia inter „ nos eſt diſceptatum; concluſum verò, ut omnino pax fir- „ miſſima ſanciretur, pareretque Imperator iis, quæ ab ipſis in eo conventu decernerentur, qui eadem ſe ſervaturum promiſit.* referente Vrſpergenſi. Anno ſequente Concilium in Laterano Pontifex habuit, in quo Legatio decreta ad Henricum pro repetendis Inveſtituris & Excommunicatione tollenda. *Facto igitur univerſali conventu apud Vrbem Vangionum, quæ nunc Wormatia dicitur,* ſunt ejusdem Abbatis verba, *ſicut longum, ita & incredibile memoratu eſt, quam inſtanti, quamque per omnia ſollicito cunctorum procerum conſilio, pro pace, & concordia, per unam vel amplius hebdomadam certatum ſit; donec ipſe, in cujus manu cor Regis eſt, omnem animoſitatem Auguſti, ſub Apoſtolicæ reverentiæ obedientiam cauſa matris Eccleſiæ, etiam ultra ſpem plurimorum inflexit. Mox tamen ab Apoſtolicæ ſedis Apocriſiariis in communionem receptus tam ipſe Imperator, quam univerſus ſibi ſubjectus exercitus: imo generali abſolutione cunctis hoc ſchismate pollutis per auctoritatem Apoſtolicam facta, qualiter Eccleſiaſticas inveſtituras, cæteraque ſpiritalia negotia, quæ TANTO TEMPORE Reges Teutonici adminiſtraverant, quæque ipſe, ne Regni diminueretur honor, nunquam vita comite, ſe dimiſſurum propoſuerat, humiliatus pro Chriſto, coram multitudine maxima abnegaverit, & in manus domini Epiſcopi Oſtienſis, ac*

per ipſum Domino noſtro JESV CHRISTO, ſuaque in perpetuum jus Eccleſiæ dimiſerit.

§. VI.

Diploma reſignationis aureâ bullâ Imperatoris ſignatum in archivis Romanis reconditum, ex cujus autographo Baronius quædam ſupplevit, quæ Vrſpergenſis non habet. Tenor eſt iſte: *Ego Henricus DEI gratia Romanorum Imp. Aug. pro amore DEI & S. Romanæ Eccleſiæ, & domini Papæ Calliſti, & remedio animæ meæ, dimitto DEO, & Sanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo, & Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ OMNEM INVESTITVRAM PER ANNVLVM ET BACVLVM, & concedo in omnibus Eccleſiis fieri electionem, & liberam conſecrationem* (h. e. ſine auctoritate, & confirmatione Imp.) *Poſſeſſiones & Regalia Beati Petri, quæ à principio hujus diſcordiæ, usque ad hodiernam diem, ſive tempore Patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem S. Rom. Eccleſiæ reſtituo, quæ autem non habeo, ut reſtituantur fideliter juvabo. Poſſeſſiones etiam aliarum Eccleſiarum, & Principum & aliorum, tam clericorum, quam Laicorum concilio Principum, & juſtitia, quæ habeo, ut reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem Calliſto, S. R. Eccleſiæ, & omnibus, quæ in parte ipſius ſunt, & fuerunt. Et in quibus S. Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo. Et in quibus mihi querimoniam fecerit; debitam ſibi juſtitiam. Hæc omnia acta ſunt conſilio, & aſſenſu Principum, quorum nomina ſubſcripta ſunt:* *Renuntiatio Henrici V.*

Adelbertus Moguntinus Archiepiſcopus.
Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus.
Otto Bambergenſis Epiſcopus.

B. Spi-

B. Spirenſis Epiſcopus.

A. Auguſtenſis Epiſcopus.

G. Traiectenſis Epiſcopus.

V. Conſtantienſis Epiſcopus.

E. Abbas Fuldenſis.

Nortmannus Dux.

Fridericus Dux.

Bonifacius Marchio.

Theobaldus Marchio.

Cynulphus Comes Palatinus.

Orbertus Comes Palatinus.

Berengarius Comes.

Godefredus Comes.

Ego Fridericus Colonienſis Epiſcopus & Cancellarius recognovi.

§. VII.

Reverſales Papæ. Pontificis contra diploma hoc fuit: *Ego Calliſtus ſervus ſervorum DEI, dilecto filio ſuo Henrico DEI gratia Rom. Imp. Aug. concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri, absque Simonia, & aliqua violentia: ut, ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio vel judicio, Saniori parti aſſenſum, & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Rom. Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam*

xiam feceris, ſecundum officii mei debitum, auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt, & fuerunt, tempore hujus diſcordiæ. data Anno MCXXII. IX. Kalendas Octobris.

§. VIII.

Sic tandem tamen obtinuit Romana ſedes, quod hactenus tanto molimine machinata fuerat. Nempe non ſolum id, quod expreſſe *diploma Imperatoris* continet, *Inveſtituram Epiſcoporum* per Germaniam, & Italiam, ſed eo ipſo quoque ſuperioritatem, & *independentiam* à ſumma Reipubl. poteſtate. Etſi enim ea ſalva atque integra Imperatori ac Imperio reſervata eſſe videatur, quia expreſſe non renunciatum apparet in illo diplomate juri ordinandi ſedem Romanam, & ſuperioritati in eam, quæ Imperatoribus Francorum, & Germanorum hactenus jure ſuo competierat, ut ſuperius affatim fuit oſtenſum: tamen id ipſum à ſede Romana intentum atque actum fuiſſe patet ex *Calliſti reverſalibus*, quibus jus intereſſendi electionibus Epiſcoporum Imperatoribus competens, ita reſtrinxit, ut extra regnum Teutonicum, ejusque fines ne extenderetur. id cavit iſtis verbis Pontifex: *Concedo, electiones Epiſcoporum, & Abbatum TEVTONICI Regni, QVÆ ad REGNVM PERTINENT in præſentia tua fieri.* Igitur illæ electiones, quæ extra Regnum Teutonicum fiunt, & ad Principatum Vrbis Romæ pertinent, in præſentia Imperatoris aut ejus Miſſorum amplius fieri non debent, nec Imperator concurrere: adeoque nec ad Electionem Pontificis Romani. Hoc intendit, inquam, Pontifex, hoc egit: quod ſi jam has reverſales Imperator acceptavit, certe adparet ipſo facto τὸ κῦρος circa ſacra ad Pontificem tranſlatum, *ſola Advocatiâ*, & *Jure feudi* in

Quid hic actum. An de jure ordinandi Sedem Rom.

bona Eccleſiaſtica Regni, & Imperii Imperatori relictis. Cæterum *Regnum Lombardiæ* ſub nomine *Regni Teutonici* veniſſe, innuit hiſtoria Friderici Imp. circa electionem Epiſcopi Ravennatis, A. C. 1159.

§. IX.

Cauſa Imp. Quid actum fuerit vidimus: conſequens eſt, ut cauſas rei inveſtigemus. Atque *Imperatorem* & vivo adhuc Patre, & deinde impetraturum Conſecrationem Romæ, ac denique præſenti in tractatu primariò rem gesſiſſe, in aprico eſt. Sed & illud conſtat, & primam illam reſignationem Juris ſacri, & alteram illam propterea invalide à ſe geſtam agnoviſſe, quod unanimi Principum, *ordinumve Imperii* conſenſu deſtitueretur. Itaque qvum A. C. 1110. Legati Apoſtolici ſignificarent Henrico, *promtum eſſe Papam ad conſecrationem, & omnem Regis honorem, & voluntatem, ſi tamen ipſe ſibimet annueret libertatem Eccleſiarum, laicam ab illis prohibens inveſtituram, recipiendo nihilominus ab Eccleſiis Ducatus, Marchias, Comitatus, Advocatias, monetas, telonia, cæterorumque Regalium, quæ poſſident, ſummam. Præbuit Rex aſſenſum, ſed eo pacto, quatenus hæc transmutatio firma, & authentica ratione, conſilio quoque & concordia totius Eccleſiæ, ac Regni Principum aſſenſu ſtabiliretur;* uti refert Vrſpergenſis Abbas. *Ordines* Potiſſima igitur adhuc ratio rerum penes ordines Imperii ſtetit, facente Imperatore, hos direxerat Bouthardus Archiepiſcopus Moguntinus, reſponſalis papæ: Eo extincto, *Adelberto* *AEpiſcop. Mogunt.* Cancellario Imperator Archiepiſcopatum contulerat. Hic quantopere huc usque propugnaverat Imperii jura, ac τῷ Κυρίῳ: tanto jam vehementius Imperatorem, ac Libertatem perſequi multis videbatur. Certè non prius quievit, donec ordinum conſenſum de fatali iſthac renuncia-

cia-

ciatione impetravit. Baronius eum *omnium horum malorum auctorem* dixit *ad A. C. 1112. §. 19.*

§. X.

Galliam quoque *unicum illud uſitatum, tutum certumque refugium fuiſſe ſemper Romanis Pontificibus*, idem Cardinalis profitetur ad *A. C. 1118. §. 14.* adeo ut ſi quis diceret, *portum Romanæ Eccleſiæ fluctuantis naviculæ Petri Galliam eſſe, non mentiturum.* Huc equidem fugiens Gelaſius, Calliſtum dedit ſucceſſorem qui mox *Rhemenſi* habito concilio generali, cum Rege Galliæ de inveſtituris pactus fuit. Verum quidquid ejus ſit, tenacior tamen libertatis Gallia fuiſſe videtur, & fortè etiam princeps, quæ priſtinam plenè recipiendi exemplum præbeat aliis. *Gallia.*

§. XI.

Sed ad rem, & renunciationem Henrici. Quâ factam fuiſſe ſeparationem τῆς κυρίας communi Imperatoris, atque Statuum conſenſu, in aperto apparet, ut ſuperfluum videri poſſit quærere, an jure hæc renunciatio ſeparatioque facta ſit, nec ne? qvum hi, qui id egerint, utique jus ac facultatem agendi habuiſſe videantur. Verum enim verò ad juſtitiam actus iſtud quidem non ſufficit. Nam etiam quilibet Dominus jus habet ac facultatem alienandæ rei ſuæ; at quoties alienatio non ad normam, ac præſcriptas ejusmodi actui leges facta reperitur, injuſta tamen eſt, atque invalida. Illud igitur quæritur, utrum hæc ſeparatio, atque Juris circa ſacra alienatio, facta ſit ad præſcriptum Juris divini, atque humani? Atque eſſe eam *adverſus Jus divinum*, ipſe Adelbertus Cancellarius & cæteri qui cum Imperatore ad hujus coronationem A. C. 1111. Romam venerant, aſſeruerunt, *ſcriptum illud renunciatorium, quod conditum fuerat* ab Imperatore de cedendis inveſti- *An jure à facta renunciatio* *Neg.*

veſtituris *non poſſe firmari auctoritate, & juſtitia, quibus Evangelica, & Apoſtolica auctoritas objiceretur, ſcilicet, quia reddenda ſunt Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Nemo militans DEO implicet ſe negotiis ſecularibus, cum armorum uſus, ſecundum Ambroſium ab Epiſcopali officio alienus ſit*: quare velle ac debere Imperatorem *Imperii coronam ita ſuſcipere, ſicut illam Carolus, Ludovicus, Pipinusque ſumſere.* Recitat hæc Baronius *ex actis Sutrinis Codicis Vaticani, ad A. C. IIII.* §. 7. quibus additum: *Ad hæc & alia illis Apoſtolica & Canonica capitula objecta fuiſſe.*

§. XII.

Fundam. neg. Enim verò vis argumenti ſtatuum Imperii hæc erat: Cujus petitio adverſatur Juri divino, illius conceſſio, ac confirmatio eſt injuſta, & prohibita. Jus inveſtituræ autem, ſeu jus conſtituendi Epiſcopos, & Magiſtratus Eccleſiaſticos, h. e. Jus Majeſtatis circa ſacra, contra jus, & ordinationem DEI, & contra ſpeciale ab Apoſtolo Romanæ Eccleſiæ datum præceptum, petitur à Pontifice, & Eccleſia Romana. Igitur dari, & confirmari, id quod ita petitur, nefas eſt. Subſumtio conſtat ex enumeratione præceptorum Divinorum, quibus prohibetur Eccleſiæ, & clericis appetere *Jura Majeſtatis*, in univerſum, inprimis verò, *armis* quoque ea ſibi aſſerere. *conf. Ierem. V. fin.* Quibus addendum eſt interdictum Salvatoris Petro, & omnibus Apoſtolis inculcatum, VOS AUTEM NON SIC, ut Principes ſeculares, debetis poteſtate gaudere regia, & dominari populis. Atque ſpeciatim *Eccleſiæ Romanæ* Apoſtolus Paulus, ejus fundator, quaſi præcavendo hujus potiſſimum Eccleſiæ futuram affectationem, prolixius interdixit, atque verbis tam generalibus, ut neminem clericum, ſacerdotumve nullumque penitus hominem animâ

vitaque

vitaque hac mortali gaudentem, exciperet: *omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit.* addita ratione itidem univerſali, *quia omnis ejusmodi poteſtas ſupereminens à DEO ſit ordinata.* Atque ne obſcurum ſit, quid per *poteſtatem ſupereminentem* intelligi velit, id explicat mox de ea, quæ eſt τῶν ἀρχόντων, *Principum, & quæ gladium geſtat, & cui vectigalia ſolvenda, & tributa,* h. e. ſumma Reipubl. poteſtas, qualis jam tum erat Imperatoris Romani. Atque hanc regulam per ſe univerſalem, ampliando quoque explicat, quod *reſiſtendi jus* ſubditi non habeant, ſed reſiſtentia ſit crimen, *quo reſiſtentes ſibi ipſis judicium accipient:* Scilicet tum divinum judicium, & vindictam ſubituri, tum humanum, & ipſius ſummæ poteſtatis, quæ hoc jus ut *miniſter & vicarius DEI* habeat. Unde denuò concludit de omnibus Eccleſiæ membris: *Quamobrem oportet eſſe ſubditos non ſolum propter vindictam,* ſeu metu pœnæ humanæ, *ſed etiam propter conſcientiam.* Confer Theg. Chorepiſcop. Trever. *de Geſt. Ludov. Pii. num. 44.*

§. XIII.

Satis itaque conſtat de veritate illius propoſitionis, quod nemo de Eccleſia Chriſtiana, nullus Eccleſiaſticus, nullus Pontifex de jure divino poſſit appetere, multo minus armis invadere τὸ κύριον ſeu ſummam Reipubl. poteſtatem: ſed ea relinquenda eſt Imperatoribus, Regibus, atque Principibus, aut Reipubl. neque clerici poſſunt ſalva conſcientia ſeſe his implicare partibus ſummæ Majeſtatis. Fuiſſe porrò jus inveſtiturarum, ſeu conſtituendorum Epiſcoporum, velut Magiſtratuum ſacrorum penes Impp. & Reges, ut partem τῦ κυρίυ ac majeſtatis, jam inde à Conſtantino M. itemque à Carolo M. usque ad Henricum IV. *Concl.*

 ſine

ſine interruptione, illud quidem & in confeſſo fuit, & conſtat ex hiſtoriæ veritate. *Petr. de Marca l. VIII. de C. S. & J. c. XIX.* Igitur Hildebrandus, & quidam ſucceſſores contra jus faſque, & contra divinam ordinationem illud ſibi aſſeruerunt, renitentibus Regibus ac Impp. armis injuſtis reſtiterunt, ex S. Pauli Apoſtoli pronunciato, & denique Henricus V. & ordines Imperii contra jus divinum hanc ſummam majeſtatis Imperatoriæ ac ſupereminentis poteſtatis partem conceſſerunt.

§. XIV.

Objectio Vindocinenſis Abbatis.

Ex his facile apparet, quam nihili ſit fundamentum, quod aula Rom. & defenſores regeſſerunt, ex Apoſtolicis h. e. Pontificum Rom. & Canonicis capitulis h. e. Hildebrandi & aſſeclarum Epiſcoporum ſancitis in cauſa propria arceſſitum. Acris illarum partium defenſor illo tempore extitit Gottfridus, ſeu *Goffridus, Abbas Vindocinenſis,* Cardinalis, cujus epiſtolas & opuſcula edidit Jacob. Sirmondus, is *lib. 1. Ep. VII.* Paſchali Papæ graviter exprobrans ceſſionem, verbis ad ſeducendum compoſitis, & quæ ſpeciem ſanctitatis habent, ſed vim nullam, nullum in S. S. ſcripturis ſolidum fundamentum. Inter alia, *Firmiter,* inquit *credimus, nec erramus dominum noſtrum duobus diſcipulis, Petro videlicet & Paulo, Eccleſiæ dediſſe Principatum. Petrum fidei catholicæ principem fecit, Paulum DOCTRINÆ. In terra quidem Petrum elegit, ut Eccleſiam ſuam ejus fidei robore firmaret; Paulum poſtea de cœlo, quatenus ejus ſancta doctrina fide firmatam Eccleſiam exornaret.* Anne hæc è diametro ſunt contraria dictis Paulinis qui, *qvum ab Hieroſolymis per circumjacentes Provincias, usque ad Illyricum implevißet Evangelium Chriſti, ita porrò ſeſe anniti prædicare Evangelium, non ubi nomi-*

Separantis Fidem Catholicam à doctrina Paulina.

Rom. XV.

natus eſſet Chriſtus, ut ne ſuper alienum fundamentum ædificaret, ad ipſam Eccleſiam Rom. profitetur *c. XV. 20.* Et quæ iſta eſt diſtinctio inter *fidem Catholicam, & doctrinam?* Anne *fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum DEI* ſive doctrinam? Certe id aſſeverat idem Eccleſiæ Rom. fundator ad *eandem cap. X. 17.* Porro *ſi quis aliam* ſive doctrinam ſive fidem catholicam, ſive Evangelium ipſum ſive quocunque nomine diſſentiens dogma fidei *prædicaverit, etiamſi angelus de cœlo fuerit, anathematiſatum* divinitus pronunciavit Apoſtolus *ad Galat. 1. 8.*

§. XV.

Ait porro: *Fide, caſtitate, ac libertate vivit, ac viget Eccleſia; quæ ſi non habet, languet, & ſeparatur à vita. Nam fide fundatur, ornatur caſtitate, libertate tegitur.* Bona verba, quibus etiam Apoſtolus uteretur. Nam & S. Paulus *Fidem* ſalutis noſtræ fundamentum agnoſcit, ſed πίστιν ἀληθείας *fidem veritatis*, 2. *Theſſ. II. 13.* non perverſæ perſuaſionis, *Galat. V. 8.* quæ proficiſci ſolet à Pſeudoapoſtolis, & operariis doloſis, ſumta perſona apoſtolorum Chriſti, *2. Cor. XI. 13.* Idem *caſtitatem* commendat Eccleſiæ, ſed non ſicut Hildebrandus, ut laqueum injiciat Chriſtianis, *1. Cor. VII. 35.* neque ut uxor à viro ſeparetur, id enim prohibere Dominum ait Apoſtolus *eod. cap. VII. 10.* at præceperat ſeparationem Pontifex Romanus. Sed neque cavillatio in verbo *ſeparationis* probanda eſt, nam imo Apoſtolus ſeparationem *corporum*, & denegationem τῆς εὐνοίας interdictam à DEO aſſeverat, *d. c. VII. 3.* præceptam à ſede Romana. Porrò & *Libertatem* fundamentum Eccleſiæ prædicat Apoſtolus, *Vos enim*, inquit, ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε, *in libertatem vocati* eſtis fratres. Sed carnalem & ſimulatam à ſpirituali atque vera ſeparat, adjici-

Profitentis ſanctitatem & libertatē ſimulatam

adjiciens: *modo ne libertatem in occaſionem detis carni* rebellanti adverſus jus divinum, & majeſtatis humanæ, *ſed per charitatem ſervite vobis invicem, Galat. V. 13.* Hanc ipſam libertatem ſervitutemque mutuam ſpiritualem offerebat Henricus noſter Eccleſiæ Rom. ad coronationem, & ereptarum inveſtiturarum repetitionem A. C. 1117. in urbem veniens, & *referente Petro Diacono lib. IV. Chron. Caſſin. c. 57.* ita fatus:

§. XVI.

Imperatore ad libertatem veniam excitante.

Si divinitus datum foret, Patres conſcripti, rerum publicarum ſtatum digno moderamine gubernari, digna reverentia earũ rectores alter ab altero præveniretur: pax foret, nec Imperialibus Comitiis Vrbis abeſſet Pontifex, nec in Pontificalibus, orbis abeſſet Imperator, alter alterius gloria fulciretur, gloria alterius, gloria utriusque foret, & robur utrorumque timor omnium, amoreque in utrosque ſe converteret civitas: nos Patres, nos Conſules, nos Primores, nos omnes boni Vrbis & orbis intuerentur, Gothi, Galli, Hiſpani, & Afri, Græci & Latini, Parthus, Indus & Arabs aut timerent nos, aut diligerent. Nunc autem dum ſecus agitur, fit aliter. dimiſſis cæteris, dum invicem agimus invicem agitur ab omnibus: merito hoc patimur, maledicimur, impugnamur, exterminamur. Convertimini igitur, & mei licet peccantis votum, correctionemque ſuſcipite; ne dum per vos nimia rigeſcit juſtitia, multiplicatis ſceleribus, malum ſine me qualiter rigeſcat, non habeat. Ecce à patre Romanæ Eccleſiæ, domino Paſchali Papa, è Galliis coronandus adveni in urbem: eum abeſſe infortuniis meis deputo. Nunc autem id à vobis expoſco, tantoque ſi id recipiam, mihi fiet gratius, quantum, ut mihi fieret gravius, elaboravi. Solet accuratius excolere homi-

nes, quod diu quæſitum periculis adinvenitur. Sit pax, & quidem erit, ſi velitis, ſine crimine loquor; profectò ſedatis ventis quieſcunt maria.

§. XVII.

Sed quid ad hæc Patres credas reſpondiſſe, certe nihil quicquam; quod ſpiraret illam toties jactatam libertatem, qua per charitatem alteri alter ſervit, ſalva obedientia ac reverentia Poteſtati ſupereminenti ab Eccleſia etiam Romana jure divino debita. Quid tum verò? urgere *pœnitentias, ſatisfactiones* canonicas, objicere *rapinas, ſacrilegia, ſeditiones*, patrimoniorũ *Petri & Pauli* cauſam agi: denique cauſati Papæ ſui abſentiam. Scilicet hæc non ſpirant *libertatem* Chriſtianam & ab Apoſtolis commendatam Eccleſiæ, ſed *carnalem* iſtam licentiam, excuſſionem debitæ ſubjectionis, reſiſtentiam contra poteſtatem ſupereminentem à DEO ordinatam, & *curam terreni patrimonii*; at hæc nihil ad Paulum, cæteroſque Apoſtolos, ne quidem vivum, nedum defunctum; *noſtrum enim*, inquit, *πλίνυμα* ac patrimonium apoſtolicum *in cœlis eſt*; at hos, qui terreſtria curant patrimonia, *flendo fatetur inimicos eſſe crucis Chriſti, eorumque finem perditionem, Deumque ventrem, & gloriam tandem in dedecore, Philipp. 3, 18, 19.* A quibus præcipuè *Romanam* dehortatus Eccleſiam, præſaga mali mente, aït: *obſecro vos fratres, ut conſideretis eos, qui diſſidia, & offendicula contra DOCTRINAM, quam vos didiciſtis gignunt, & declinetis ab illis. Nam qui ejusmodi ſunt, domino noſtro Jeſu Chriſto non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per blandiloquentiam, & aſſentationem decipiunt corda ſimplicium. Rom. XVI, 18. 2. Petr. II, 19.*

ſed fruſtra

de patrimonio apoſtolico Pauli ſententia.

§. XIIX.

Laica inveſtit. an hæreſis? Aff. Abbas.

Pergit Abbas Vindocinenſis: *ſed cum Laicam inveſtituram, quæ ſecundum traditiones ſanctorum Patrum hæreſis comprobatur, non contradicit, ſed præcipit, cum corrumpitur ipſa muneribus, cum ſeculari poteſtati ſubjicitur; fides, caſtitas, & libertas ei ſimul aufertur; & quæ vitam non habet, nec immerito mortua creditur. Hujus mortis auctorem vel noviſſimum Eccleſiæ membrum credere, etiamſi paſtor videatur, errare eſt. Huic errori quicunque inhæſerit, merebitur ab ipſa vitæ radice præcidi. Super his autem ſi quis aliter ſenſerit, non eſt Catholicus, manifeſtetur, & veritatis argumento probabitur eſſe hæreticus.* Verum enim verò ita eſt, ut ait Regum ſapientiſſimus: *Omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autem corda Dominus, Proverb. XXI, 2.* Audiamus itaque quid Dominus reſpondeat: Οἶδά σου τὰ ἔργα, ὅτι τὸ ὄνομα ἔχεις ὅτι ζῇς, καὶ νεκρὸς εἶ. *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Eſto vigilans, & confirma cætera quæ moritura ſunt: non enim inveni opera tua plena coram Domino. In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & ſerva & reſipiſce. Apoc. III, 1.*

§. XIX.

1. Fundamentum excuſſum à traditione Patrum.

Scilicet quam vitam Eccleſiæ dicit Abbas, mors ipſi fuit, mutato tantum nomine, quò Satanæ artificio jam inde ab origine rerum, genus mortalium ſeductum eſſe conſtat, *Gen. 3, 4.* Sed ſuggerit oraculum modum atque viam, vitam à morte, lucem à tenebris, Fidem Catholicam ab hæreſi discernendi, ait: μνημόνευε πῶς εἴληφας, καὶ ἤκουσας, καὶ τήρει, καὶ μετανόησον. Nempe in memoriam revocare debet Eccleſia quælibet à Satana tentata, quo auctore, quo animo, quo ardore, qua ſinceritate ab initio Evangelicam

licam veritatem ab Apoſtolis vel literis acceperit vel audiverit, eoque modo eandem ſervandam, tuendamque eſſe, & à dogmatibus, moribusque diſſentaneis ac perverſis reſipiſcendum. Scripturæ ſacræ ſunt, quas pro norma dijudicandi fidem Catholicam & hæreſin, urget Spiritus Sanctus, ea demum vera ac unica eſt doctrina Apoſtolica. Hanc urgebant Impp. Henrici, urgebant item & ordines Imperii: Deſeruerat Hildebrandus, & qui cum eo fecerunt. Hic eſt, qui primus Laicam, quam vocitant, inveſtituram Dominis ſuis veris ac genuinis eripere aggreſſus: hujus decreta ſunt iſtæ ſcilicet *ſanctorum Patrum traditiones*, quas Abbas hic jactitat, quum ante ipſum nemo Paparum id voluerit aut auſus ſit. Et videas *M.A. de Domin. l. VI. de Rep. Eccl. c. VII.* Atque ipſe Abbas mox veritatem fateri cogitur: *Sunt quidam Epiſcopi, quos nec clerus, nec populus elegit*, (de his non fuit quæſtio; ſalva enim debuit eſſe electio populo & clero & ſalva inveſtitura ſeu confirmatio Principi) *ſed eos tantum laica perſona inveſtivit, ii contra catholicorum ſtatuta Patrum, & MAXIME contra veridicam B. GREGORII ſeptimi Papæ vocem, qui pro defenſione hujus fidei mortuus eſt in exilio, inveſtituram palliantes, eam negarunt hæreſin eſſe.* Nec temerè. Denique quod Hilarius Papa, ejusque ſucceſſor Simplicius, Laicis inveſtiendi poteſtatem abrogaſſe vulgo feruntur, fundamento caret.

§. XX.

Quamobrem dogma, quod Majeſtati ſummæ denegat, quod ipſi Jure divino atque gentium proprium eſt, quale quid eſt Jus inveſtituræ ſeu conſtituendi magiſtratus ſacros; illud certe quantumvis Hildebrandinorum Patrum traditionibus approbatur, hæreſin tamen ipſam eſſe, *Hæreſis Hildebrandina.*

 & con-

& contrariari S. Scripturæ manifeſtum eſt. Quod etſi clerici iſtorum temporum non auderent, partim non cuperent proferre, inhiantes ſacræ libertati, fuerunt tamen, qui ſaltem negarent, hæreſin eſſe, dogma iſtud non admittere. Ea fuit inter alios *Jvonis Carnotenſis Epiſcopi* ſententia, quam *Ep. CCXXXVIII*, adverſus Joannem Archiepiſcopum Lugdunenſem defendit. *Poſtremò*, ſcribit, *quod quidam Inveſtituram hæreſin vocant, cum hæreſis non ſit, niſi error in fide. Sicut enim fides cordis eſt ad juſtitiam, oris autem confeſſio ad ſalutem: ita hæreſis error eſt ad impietatem, profeſſio autem ejusdem erroris eſt ad perniciem. Et fides & error ex corde procedunt, Inveſtitura verò illa, de qua tantus eſt motus, in ſolis eſt manibus dantis & accipientis, quæ bona & mala agere poſſunt, credere vel errare in fide non poſſunt. Ad hæc ſi inveſtitura hæc hæreſis eſſet, ei renuncians ſine vulnere eam redire (reddere) non poſſet. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum, multas honeſtas perſonas, purgato iſto nævo per quamlibet ſatisfactionem, paſtorales virgas reddidiſſe, & per manum apoſtolicam refutatas inveſtituras recepiſſe. Quod ſummi Pontifices minimè feciſſent, ſi in tali inveſtitura hæreſim, & peccatum in Spiritum ſanctum latere cognoviſſent.* Et quæ ibi ſequuntur, quibus jejunè admodum reſpondit Joannes Archiepiſcopus Lugdunenſis, *Epiſt. ſequente*, ut non operæ pretium ſit ea referre. Conf. P. de Marca *lib. VIII. de C. S. & J. c. XX.*

§. XXI.

2. *Fundam. à natura inveſtituræ actus ſa-*

Sed Abbas noſter *l. III. Epiſt. XI. & opuſc. II, III, IV.* aliud ſibi inveniſſe effugium videtur, ait: *Ibi etiam imprimis omnis Eccleſiaſticus ordo confunditur, quando hoc quod unicuique à ſolo ſuo conſecratore in Eccleſia cum orationibus*

quæ

quæ ibi conveniunt, dari debet, à ſeculari poteſtate prius accipitur. Quod ſancti Apoſtoli non ſolum interdixerunt, verum etiam omnes illos, qui per ſecularem poteſtatem Eccleſiam obtinent, à Chriſto ſibi tradita poteſtate damnaverunt. Et merito Apoſtoli judicio Spiritus Sancti hanc hæreſin in ipſo Eccleſiæ principio damnare decreverunt, quam longo poſt tempore ex patre diabolo naſcituram eſſe præviderunt. Cum igitur Laico, & inveſtitura, & omnis etiam diſponendarum Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticarum rerum facultas à Spiritu Sancto, qui in Apoſtolis loquebatur, negata ſit & penitus interdicta; qui inveſtituram à Laico ſuſcipit, non jam contra Apoſtolos tantum, imo contra dominum Apoſtolorum, quod ſanctum eſt cænibus exponit. Inveſtitura enim, de qua loquimur, SACRAMENTVM EST, id eſt, ſacrum ſignum, quo Princeps Eccleſiæ, Epiſcopus ſcilicet, à cœteris hominibus ſecernitur, pariter atque dignoſcitur, & quo ſuper Chriſtianum gregem cura paſtoralis ei tribuitur. Hanc inveſtituram ab illo ſolo ſuſcipere debet, à quo & conſecrationem habet. Illum ſiquidem prius oportet conſecrari, deinde verò tanquam Regem Eccleſiæ ſacris inſignibus decorari.

ter non eſt poteſtatis ſecularis; jur. divinalis eſt inveſtitura.

§. XXII.

Et mox: *Hæc præterea hæreſis de inveſtitura, ſi rectè perſpiciatur, etiam hæreſis Simoniacæ eſſe viva & vera ratione probatur. Nam quæ ſecularis poteſtas ſibi vindicare nititur inveſtituram, niſi ut per hoc aut pecuniam extorqueat, aut quod eſt gravius, ſibi inordinate ſubjectam efficiat Pontificis perſonam? Item annulus & virga, quando ab illis dantur, à quibus dari debent, & quando & ubi, & quomodo debent, Sacramenta Eccleſiæ ſunt, ſicut ſal & aqua, oleum & chriſma, & quædam alia ſine quibus hominum & Eccleſiarum conſecrationes fieri non poſſunt.* Tandem:

3. à Fine inveſtit.

Diſt. inter inveſtit. de officio & de bonis

 In Eccl.

In Eccleſiaſticis poſſesſionibus, quamvis nec in legibus nec in canonibus inveniatur, tamen propter ſcandalum & ſchiſma vitandum, talis regibus inveſtitura conceditur, ut nec ipſi propter hoc pereant, nec ſancta Eccleſia detrimentum patiatur. Inveſtituram per virgam & annulum accipere, niſi à ſuo conſecratore manifeſtum eſt, eſſe damnoſum: quia nulli Laico licet illa Eccleſiæ ſacramenta dare; ſicut ei non licet Epiſcopum conſecrare. Res etiam, quæ ſemel Eccleſiæ datæ ſunt, Reges iterum eas dare, vel de ipſis inveſtire nec debent, nec convenienter poſſunt. Nam alicui dare quod habet, & de hoc inveſtire aliquem, quod ille jam tenet, ſuperfluum eſt, & vanum, non tamen videtur criminoſum. Alia utique eſt inveſtitura, quæ Epiſcopum perficit, alia quæ Epiſcopum paſcit. Illa ex divino jure habetur, iſta ex jure humano. Et poſtea: *Poſſunt itaque ſine offenſione reges, poſt electionem canonicam & conſecrationem, per inveſtituram regalem in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus conceſſionem, auxilium & defenſionem Epiſcopo dare. quod quolibet ſigno factum extiterit, Regi vel Pontifici ſeu Catholicæ fidei non nocebit.*

§. XXIII.

Reſp. ad 2. petitur principiũ.

Agnoverant jam tum Romanæ ſedi addicti lubricitatem fundamenti de Traditionibus & Canonibus Epiſcoporum, ſi veritas Evangelica & S. Scripturæ, uſusque veteris Eccleſiæ eſſet in contrarium; quare eo laborandum duxerant, ut etiam auctoritas & conſenſus SS. Scripturarum in conſortium cogeretur. Qua arte id, quove ſpiritu diſpiciamus. Argumentum à natura Inveſtituræ Epiſcopalis petit, cujus propoſitionem majorem auctoritate divina S. Scripturæ demonſtrare ſatagit; verum aſſumtionem de natura inveſtituræ præſupponit duntaxat, nulla ratione neque ex Scriptura, neque ex Jure humano docet

docet, adeoque committit petitionem τοῦ ἐν ἀρχῇ. Eſt etenim *μέγα λίαν ἄτημα, Inveſtituram Epiſcopalem eſſe Sacramentum,* cujus adminiſtratio non poſſit niſi à conſecratore Epiſcopo exerceri. In naturam igitur Inveſtituræ verius inveſtigandum.

§. XXIV.

Origo rei ſanè vetuſtior eſt vocabulo Inveſtituræ, *Inveſtitura origo* quod Baronius temporibus Caroli M. in uſu fuiſſe negat, *& natura.* reprehenſus propterea à P. Pithæo in Gloſſario ad Capitularia, (quem locum Lindenbrogius in ſuum Gloſſarium transtulit expilatum) quum ante Carolum M. in Synodo Liptinenſi anno 743. dicatur *Eccleſia cum propriâ pecuniâ reveſtita,* quod mox aliis verbis effertur: *Eccleſiæ reddatur integra poſſeſſio.* Scilicet *Veſtitura* poſſeſſionem notat in Capitularibus Francorum, ante & poſt Carolum M. ut Gloſſarium DuFrenii pluribus oſtendit. Etſi porrò vox ipſa Francicæ, aut Germanicæ originis videri poſſit, à noſtrate Veſten/ Inveſten/ firmare, Veſt/ firmum, Latinis confirmare, beſtettigen/ ita viſum H. Grotio *de Imper. circa ſacra. Cap. X.* aliis tamen Latinæ originis cenſetur, eâdem verò ſignificatione, quod ex vetuſtiſſimo more, poſſeſſionem tradens *manum veſtiebat* ejus, cui traditio fiebat. Lex Baivvariorum *Tit. XVII. §. 3. Mei anteceſſores tenuerunt* (territorium) *& mihi in allodium reliquerunt, & veſtita eſt illius manus cui tradidi.* Variè autem veſtitæ manus, chirothecâ, feſtucâ aut viridi ſcirpô, glebâ, aliisque ſymbolis pro rerum diſcrimine. Eſt itaque inveſtitura generatim poſſeſſionis traditio ſolennis & ſymbolica, tam in privato jure, quàm in publico & ſacro. Atque inprimis Confirmationes in quaſi poſſeſſione functionum atque Munerum tum Sacrorum, tum Civilium, quæ fiebant à

Regi-

Regibus & Principibus, dicebantur inveſtituræ, atque cum functionibus illis publicis, Salariorum loco adjecta eſſet conceſſio uſusfructus aut dominii utilis & ſubordinati in certis fundis ac poſſeſſionibus, quæ *Beneficia* dicebantur, itemque *Feuda*, inde inveſtitura ſpeciatim quoque de ſolenni contractus feudalis confirmatione dici cœpit. Confirmationes autem munerum ſacrorum & ſacerdotiorum, quanquam & hæ continebant conceſſiones beneficiorum & bonorum Eccleſiaſticorum, primario tamen atque formaliter conſiſtebant in dando conſenſu, auctoritate atque validitate Functioni per electionem delatæ, & quidem antequam conſecratio fieret. Concilium Aurel. V. cap. 3. *Ut nullum Epiſcopatum per præmia aut comparatione liceat adipiſci, ſed VOLUNTATE REGIS juxta electionem cleri ac plebis, ſicut in antiquis canonibus continetur ſcriptum.* vid. *Petr. de Marca l. VIII. c. XIX. 6. 7. XX. fin.*

§. XXV.

Uſu. Eoque jure non modo Impp. Germanorum, à Carolo M. usque ad Henricum V. ſed & antea Reges Francorum uſos fuiſſe Walrhamus Epiſcopus Numburgenſis cauſam hanc pro Henrico IV. Imperatore adverſus Curiam Romanam publicè defendens, docuit, ac ſupra *lib. II. cap. IV.* oſtendimus. Et tralatitium eſt omnino, jus hoc confirmandi Epiſcopos ab Impp. Romanis orientalibus ac occidentalibus, itemque Regibus Italiæ Longobardis fuiſſe exercitum, & primum fuiſſe Conſtantinum Pogonatum, qui Exarcho Italiæ ſuum Confirmationis Imperatoriæ exercitium commiſerit, *lib. II. cap. VII.* §. 7. diximus. Adrianum verò III. Pont. Rom. tanti animi fuiſſe ait Caranza in Epit. Conciliorum, ut initio ſui Pontificatus ad S. P. Q. R. retulerit; ne in creando Pontifice Imperatoris auctoritas

expe-

expectaretur, utque libera eſſent & Cleri, & Populi ſuffragia, idque inſtitutum à Nicolao I. tentatum potius, quàm inchoatum fuiſſe.

§. XXVI.

Scilicet res eſt magnæ audaciæ, auctoritati Imperatoriæ detrahere, & quod Majeſtati jure ſuo proprio ex divinis atque omnium Gentium legibus ac moribus competit, denegare velle. Id enim adeo proprium eſt ſummæ poteſtatis cujusvis Reipublicæ, ut nec diverſæ religionis Principi denegandum. Sed & Turcarum Imperator Patriarcham CPolitanum confirmare ſolet, ut eſt apud Cruſium *lib. III. Turco-Græciæ.* Rectiſſimè igitur Jvo Epiſt. LX. ſcripſit: *Reges nihil ſpirituale inveſtientes ſe dare contendere.* Figmentum igitur eſt temporum iſtorum, *Inveſtituram eſſe Sacramentum, & partem Conſecrationis ſeu ordinationis ſacræ,* quæ fit per χειροτονίαν more Apoſtolico. Nihil enim commune habet Jus confirmandi Sacerdotem cum Conſecratione aut ordinatione: *Conſecratio* enim utique eſt, non quidem ſacramentum propriè, ſed actus tamen ſacer & Eccleſiæ proprius: at Confirmatio ſeu inveſtitura eſt actus ſummæ poteſtatis Civilis, electionem cleri atque populi ratam habentis, absque qua eſſet, ſumma reip. poteſtas deterioris eſſet conditionis, quàm populus & clerus, quod abſurdum eſt, & recte monitum fuit à Fr. Duareno *l. V. de S. Eccl. Min. c. 1.* Ac Petrus de Marca *l. VIII. c. XX. fi.* de Goffrido Vindocinenſi judicat: *Modificationem porro Jvoni incognitam, & vetuſtæ conſvetudini contrariam affert Goffridus, nimirum non debere Epiſcopum accipere inveſtituram à rege, niſi poſt conſecrationem, cum tamen olim conſecrari non poſſet, donec approbatus fuiſſet à Rege.*

Pars Majeſt.

different. ab ordinatione.

§. XXVII.

Finis & effectus. Neceſſaria autem omnino eſt hæc confirmatio, ut electus *agnoſcat* ſecundum legem divinam ac Civilem *ſummam Reip. poteſtatem*, cujus membrum ac civis ipſe eſt, etiam quoad Sacerdotium, & *Magiſtratum ſacrum.* Omnino igitur hunc finem intenderunt Principes, ut confirmando Epiſcopum, dependentiam & ſubjectionem ejus erga ſummam poteſtatem, mediante *juramento fidelitatis* ſtabilirent, æque ac cum aliis Reip. Magiſtratibus actum fuit, quod nos Homagium vocamus, non vaſallagii modo, ſed & ſubjectionis, ad quod etiam Epiſcopi & Abbates omnino adſtricti ſunt, ſed Urbanus Hildebrandi ſucceſſor, hoc interdixit: *Ne quis Eccleſiaſticorum Principi ſuo Sacramentum diceret.* Id quod defenſurus Goffridus noſter, *gravius crimen* putat, *ſibi inordinate ſubjectam efficere Pontificis perſonam.* Sed qua fronte *crimen* dicamus, *aut inordinatam ſubjectionem*, quam & DEUS præcepit, & Apoſtoli docuerunt, & per tot ſecula Eccleſia orthodoxa omnis agnovit?

§. XXVIII.

Conc. Nic. c. 4. Sed hæc omnia tam clara ſunt, & tam ſuda, ut nemo veritatem eorum non videat, niſi ſit inter eos, quibus collyrium offert Spiritus Sanctus, quo inungant oculos, ut videant, *Apoc. III. 18.* Unicum adhuc moneamus, ne qué errare faciat *can. IV. Concil. Niceni*, quem Gratianus præfixit diſtinctioni ſuæ LXIV. In ejus fine legitur: *Poteſtas ſanè vel confirmatio pertinebit per ſingulas provincias ad Metropolitanum Epiſcopum.* Sed textus authenticus in Codice canonum Eccleſiæ univerſæ ita habet: τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. *auctoritas vero eorum, quæ in quaque provincia geruntur, penes* … *Metro-*

Metropolitanum eſto. Seu ut Fr. Duarenus interpretatur, *l. V. de S. Eccl. Miniſter. c. 1.* Epiſcopus ab omnibus ſuæ provinciæ Epiſcopis, ſi commode congregari poſſint, ordinetur: in eoque negotio primas partes obtineat Metropolitanus, ejusque præcipua ſit auctoritas. de confirmatione enim apud nos uſitata non loquitur canon iſte, ait.

§. XXIX.

Sed vereor, ne in re tam manifeſta nimius eſſe videar. Quamobrem quum ſatis jam demonſtratum ſit, Transactionem iſtam & ceſſionem Inveſtiturarum Epiſcopalium ſeu Juris Majeſtatici, in epiſcopos & ſocietatem Reip. ſacram, factam non jure fuiſſe, adeoque per ſe invalidam, & ipſo jure nullam, ulteriori tractationi ſuperſedere poſſemus; ſed ut iniquitas rei eo magis pateat, diſpiciamus, anne iſta ceſſio ex re, aut ratione ſtatus publici Eccleſiæ aut Reipublicæ fuerit? Non quaſi putemus, aliquid utile eſſe poſſe, quod non ſit juſtum, ac honeſtum, ſed ut tantum eo plenius rem ipſam ſecundum utrumque *conſiderandi* modum ſemel pertractemus. Neque verò illud hic attendimus, quod ceſſio iſta medium tum fuerit, quo ſeditio diuturnior adverſus Imperatorem & Imperium tandem aliquamdiu ſopita: illud enim non niſi minoris mali habet rationem, idque de præſenti; ſed hoc quæritur, an talem ceſſionem ratio ſtatus Eccleſiaſtici ac Civilis poſtulaverit, absque qua fuiſſet, neuter perſiſtere, ac vigegere potuiſſet? Atque tantum abeſt, ut vera aliqua utilitas ad tuendum ſtatum Imperii publicum, ſive in ſacris, ſive in civilibus, ex iſta ceſſione redundarit, ut potius eum utrobique, ex ea peſſundatum cernere liceat. Is erat ſtatus rerum, maxime ſacrarum, jam indè à Ludovici Pii temporibus, ut maxima *reformatione* eum indigere, omnes

An ceſſio inveſtituræ utilis Eccleſiæ & Reip.

omnes faterentur, ipſe etiam Ludovicus reformationem ſtrenue aggreſſus, eumque ſecuti ſucceſſores, ut quisque erat melior, atque potentior, præſertim quum per longam ſeriem Populus Romanus Pontifices ex clero *Germaniæ* ab Impp. dari ſibi peterent, quemadmodum ſuperius fuit expoſitum. At quamprimum ad Clerum Romanum ſumma Pontificatus per Hildebrandum, Hetruſcum, rediit, id quod hactenus egerant, jam majori ſucceſſu ac molimine ſatagebant, ne qua reformatio novorum dogmatum, atque morum in Eccleſia progrederetur, ſed ut iſta talia tractandi, perpetrandique facultas, ſummæ reipublicæ Majeſtati eriperetur, & talia contra & dogmata, & inſtituta Eccleſiis obtruderentur, quibus Potentia Romana ſemel conſtitueretur.

§. XXX.

Ceſſionis effect. Iſto fundamento tandem per hanc ceſſionem jacto, quanto majorem in molem ſedes Romana aſſurrexit, tanto magis imminuta credita fuit Eccleſia Chriſti per Univerſum occidentem, tantoque gravius detrimentum Reſpubl. & Imperii Majeſtas fuit paſſa. Teſtis luculentus eſt *Arnoldus* continuator Chronicorum Slavicorum *l. 3. c. 17. Sciatis*, inquit, *quia dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti ſunt inventi Sacerdotes, quam hoc tempore quum per electionem inthronizantur.* Certe *libertas ſacra* ſuppreſſa fuit penitus, & omnia ab unius nutu atque arbitrio cœperunt pendere. Idque adhuc ferendum chriſtianis fuiſſet, ſi unius voluntas ſalutem Eccleſiæ, ac Reipubl. revera, ut præ ſe ferebat, obſervaſſet.

§. XXXI.

err umpi cœpit ſta- Libertatis Sacræ chriſtianæ unica norma *S. Scripturæ* eſt: hanc ſuppreſſam hoc ævo antea oſtenſum: hinc facilè

cilè eſt, libertatem Eccleſiæ ereptam *εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ* *tus Eccleſ.*
convertere, *Gal. V, 13.* contra Decreta Pontificum Roman. majori in auctoritate eſſe cœperunt; qua tamen re veritas *Civilis* Evangelica oblitterata, Majeſtatis jura ac ſumma rerũ ſedi Romanæ aſſerta, atque ita *Civilis* quoq; *libertas* Reip. peſſumdata. Denique nec *Oeconomicum ſtatum* corrumpe- *& Oecon.* re rigido *cœlibatus* dogmate, atque duriori ejus obtruſione, omiſſum. Neque enim Virginitas ab Apoſtolis præcepta, ſed pro temporum ac perſonarum ratione ſuaſa fuit: contra quoties periculum ſcortationis non evitari poſſit, ab iisdem matrimonium omninò præceptum, idque non Laicis ſolis, ſed unicuique Chriſtiano, *διὰ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω. 1. Cor. VII, 2.* Interdictum verò matrimonii dæmoniacum dogma ab Apoſtolis pronunciatum, quippe ſcortationis indultum.

§. XXXII.

De Antichriſti adventatione hoc ipſo ævo tanta u- *Fama de* bique fuit fama, ut Paſchalis Papa, ut ex actis vitæ ipſius *Antichriſto.* Baronius *ad A. C. 1106. §. XXV.* refert, *dum in itinere in Galliam ad concilium celebrandum poſitus Florentiam perveniſſet, de adventu Antichriſti, proxime futuro ſparſam famam inveniens, Florentiæ ſubſtiterit.* Et quanquam verò *cum audiviſſet, quæ ferrentur, ut nullius fidei, & auctoritatis aſſertionem contemſit;* fuerunt tamen pii quidam homines, qui omnino crediderunt antichriſti adventum adeſſe. Ipſe *Bernhardus Epiſt. LVI.* ad Ganfridum Carnotenſem Epiſcopum, de *Norberto,* viro hujus temporis fama celeberrimo, ut eum Baronius ad *Ann. C. 1106. §. XXVI.* appellat, hæc ſcribit: *De Antichriſto cum inquirerem, quid ſentiret: durante adhuc eâ, quæ nunc eſt generatione, revelandum illum certiſſimè ſe ſcire proteſtatus eſt.* At

 cum

cum eandem certitudinem unde haberet, ſciſcitanti mihi exponere vellet, audito, quod reſpondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad ſummam tamen hoc adſeruit, non viſurum ſe mortem priusquàm videat generalem in Eccleſia perſecutionem. Ea porrò perſecutio non erat, cum Gelaſius II. Papa in Galliam fugeret, ſed fortaſſe illa, quam Spiritus S. deſignat, quâ qui aliàs in captivitatem ducit, ipſe contra in captivitatem vadit, & qui gladio occidendi jus habet ſeditioſos, oportet eum gladio occidi. Hæc eſt patientia & fides ſanctorum, *Apoc. XIII, 10.* Cæterum Gelaſius referente Pandulpho cum Romam relinqueret, dixiſſe fertur: *Fugiamus Sodomam, fugiamus Ægyptum, fugiamus novam, juxta verbum Propheticum, Babyloniam, civitatem ſanguinum fugiamus. Baron. ad A. C. 1118. §. XIV.* Atque hic ſtatus fuit Eccleſiæ ac Reip. qui ceſſionem iſtam juris in Epiſcopos & in ipſam ſedem Romanam ſequutus eſt.

perſecutio Eccleſiæ generalis.

§. XXXIII.

Reliquiæ jur. Sacri.

Cæterum quæ poſt ceſſas Inveſtituras alia Jura Majeſtatica circa Eccleſiæ ſtatum reliqua manſerunt, & quibus deinceps pariter derogare allaboratum fuit, ferè hæc fuerunt. Neceſſitas ſuſcipiendi *regalia* ab Imper. priusquam Electi, tam cisalpini, quam transalpini ordinentur Epiſcopi. *Otto Friſ. l. VII. c. 16.* Arbitrium conſtituendi Epiſcopum, ſi *diſſenſerint* eligentes. *Otto l. II. de G. Frid. c. 16.* Jus percipiendi fructus Epiſcopatuum vacantium illius anni, quo Epiſcopus mortuus, donec alius conſtitueretur, quod poſtea *Regalia* nomine venit in Gallia. de quo P. de Marca *lib. VIII. de C. S. & J. c. XVII. & ſeqq.* Jus *Conciliorum* quod & aliis Regibus competebat, ut de Regibus Galliæ docet P. de Marca *l. VI. de C. S. & J. c. XXXII. ſeq.*

Jus *Imperii* in Italiam & *Vrbem* Romam. Jura *Fiſci* per eandem. Jus *Advocatiæ* conferendæ *Nobilibus* de bonis Eccleſiæ. Et ſi quæ alia.

§. XXXIV.

Antequam hoc caput claudamus, duo ſunt adjicienda, unum de Juramento Epiſcoporum, alterum recenſio Dictatuum Gregorii VII. quorum ſemel atque iterum facta fuit mentio. Supra *lib. 2. cap. IIX. §. fin.* relatum fuit, quod Bonifacius primus fuerit, quo juramento obedientiæ Epiſcopi Germaniæ obligati fuerint ſedi Romanæ arctius. Sunt qui de illo capiunt, quod Zacharias Papa *diſt. XCIII. can. 4.* vocat *chirographum:* quæ ſententia ſi admittenda eſt, ſequitur quotannis jusjurandum à propinquis Epiſcopis oretenus, à longinquis per chirographum fuiſſe præſtandum. At Hildebrandus ſive Gregorius VII. illam formulam jurisjurandi vel homagii concepit, quæ extat *cap. 4. X. de jurejur.* ut obſervat A. Auguſtinus *de emendat. Gratiani Part. poſter. dialog. 1.* Quomodo aucta fuerit hæc formula à ſucceſſoribus apparet ex illa, quæ ſuperiori ſeculo, initio reformationis Evangelicæ, fuit conſueta, quæque extat *in Tom. IV. oper. Luth. Latin. Jenenſ.* *Jusjur. Epiſcop.*

§. XXXV.

Denique nova dogmata Hildebrandina ſub titulo DICTATVVM PAPÆ in Concilio Romano anno MLXXVI. à Gregorio VII. condita hæc fuerunt: *Dictatus Gregorii VII.*

I. *Quod Romana Eccleſia à ſolo domino ſit fundata.* *Baron. an. 1076. §. 31.*

II. *Quod ſolus Romanus Pontifex jure dicatur Vniverſalis.*

III. *Quod ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos vel reconciliare.*

IV. Quod Legatus ejus omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adverſus eos ſententiam depoſitionis dare poſſit.

V. Quod abſentes Papa poſſit deponere.

VI. Quod cum excommunicatis ab illo, inter cætera nec in eadem domo debemus permanere.

VII. Quod illi ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica Abbatiam facere, & è contra, divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire.

VIII. Quod ſolus poſſit uti imperialibus inſigniis.

IX. Quod ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.

X. Quod illius ſolius nomen in Eccleſiis recitetur.

XI. Quod unicum eſt nomen in mundo, Papæ videlicet.

XII. Quod illi liceat Imperatores deponere.

XIII. Quod illi liceat de ſede ad ſedem, neceſſitate cogente, Epiſcopos transmutare.

XIV, Quod de omni Eccleſia quocunque voluerit, clericum valeat ordinare.

XV. Quod ab illo ordinatus alii Eccleſiæ præeſſe poteſt, ſed non militare, & quod ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere.

XVI. Quod nulla ſynodus absque præcepto ejus debet Generalis vocari.

XVII.

XVII. Quod nullum Capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate.

XIIX. Quod ſententia illius à nemine debeat retractari; & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

XIX. Quod à nemine ipſe judicari debeat.

XX. Quod nullus audeat condemnare Apoſtolicam ſedem appellantem.

XXI. Quod majores cauſæ cujuscunque Eccleſiæ ad eum referri debeant.

XXII. Quod Romana *Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, ſcriptura teſtante, errabit.*

XXIII. Quod Romanus *Pontifex ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus, teſtante S. Ennodio Papienſi Epiſcopo, ei multis SS. Patribus faventibus, ſicut in decretis B Symmachi Papæ continetur.*

XXIV. Quod *illius præcepto & licentiâ ſubjectis liceat accuſare.*

XXV. Quod *absque ſynodali conventu poſſit Epiſcopos deponere & reconciliare.*

XXVI. Quod *Catholicus non habeatur, qui non concordat* Romanæ *Eccleſiæ.*

XXVII. Quod *à fidelitate iniquorum ſubjectos poteſt abſolvere.*

CAPUT VI.

De
LIBERTATE ECCLESIÆ GERMAN. SVB LOTHARIO SAX. IMP. GEMENTE.

SVMMARIA.

Lotharius obſequioſus in P. R. Innocentium II. Repetit tamen jus inveſtiturarum. Mox deſiſtit, Bernhardi auctoritate. Intenditur independentia, potentia & opes. Jus creandi Duces à S. R. occupatum. Opinio de Majeſtate Eccleſiæ judaizat. Jus concilii tamen adhuc ſalvum Lothario.

§. I.

Lotharii obſequiũ in Papam. MOrtuo Henrico V. Imp. ſine liberis, Imperii Status elegerunt inter tres competitores *Conradum* Ducem Sveviæ, & Fratrem *Fridericum*, nepotes Henrici defuncti ex ſorore, atque *Lotharium* Comitem Suplebúrgenſem & Querfurtenſem Ducem Saxoniæ, elegerunt, inquam, favente Curia Romana LOTHARIVM. Is enim Henrico V. contra Parentem belli auctor, & Pontificis ab Henrico poſtea deſerti, defenſor fuerat, mercede inde relata Saxoniæ Ducatu. Lib. V. Aimoini *de Geſt. Francor. c. 51. Imperium ſiquidem Romanorum, regnum etiam Anglorum, in defectu ſucceſſivæ prolis multa incommoda, fere usque ad ſtatus ſui ruinam ſuſtinuiſſe conſpicantes, quantum dictorum regnorum indigenas ſuper his dolere audie-*

diebant, tantum regni & regis ſucceſſibus omnium & ſingulorum commoditatibus applaudebant. Defuncto etenim abſque hærede Imperatore Romanorum Henrico, in ea quæ maxima & generalis eſt habita Maguntiæ curia fere LX. millium militum tanta emerſit, hac occaſione, controverſia, ut cum dux Allemanniæ Fredericus, eo quod defuncti Imperatoris Henrici nepos eſſet, regnum epiſcopi & ſuperior pars optimatum & procerum regni eum rejicerent, & ad ducem Saxoniæ Lotharium ſe convertentes, regio eum diademate Aquisgrani cum ſumma cleri & populi exultatione coronarent. Quod etſi nobile factum, non ſine læſione multorum conſtitit, cum ipſe præfatus dux Fredericus ſolio regni depulſus cum Conrado fratre (qui tamen præfato Lothario decedenti in regnum ſucceſſit) cum parentibus & reliquis fautoribus ſuis, multa diſpendia, bella, incendia, pauperum deprædationes, eccleſiarum deſtructiones, damna innumera ſimilia perpeſſus ei intulerit. Qui præfatus Lotharius cum multa egregie geſſerit, tum hoc ſupremum & dignum laude atque admiratione magnanimitati ejus aſſignatur: quod regnum Alemannorum nullo hæreditatis jure ſortitus, ſtrenuè adminiſtravit: Italiam poteſtati ſuæ ſubjugavit; Romani coronam imperii ab Innocentio Papa Romæ, repugnantibus Romanis, aſſumpſit: Capuanam & Beneventanam pertranſiens provinciam, Apuliam in ore gladii perdomuit: regem Siculum fugavit: Barenſem civitatem & circumjacentem patriam occupavit: plenoque potitus trophæo, à partibus illis rediens, morte communi præventus, ad nativum ſolum & proprios Ducatus Saxoniæ penates relatus, tantis laboribus finem egregium deſtinavit.

§. II.

Is Innocentium II. Papam, in Gallias profugum,

Leodii A. C. 1131. honorifice exceperat, & ut *Sugerius* S. Dionyſii Abbas in vita Ludovici Craſſi refert, *cum magno Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & Teutonici Regni optimatum collegio, in platea ante Epiſcopalem Eccleſiam humillime ſeipſum ſtratorem offerens, pedes per medium ſanctæ proceſſionis ad eum feſtinans, alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tanquam dominum deduxit: deſcendente denique tota ſtatione eum ſubbrachiando deportans, celſitudinem paternitatis ejus notis & ignotis clarificavit.* Verum enim vero hæc ceremoniarum inania tam nullam ſubjectionis notam inferre etiam tum ratus Lotharius cum ſuis, ut iniquitate amiſſi juris inveſtiturarum nunc agnita, non dubitarit, illud ipſum jus à Pontifice hic repetere. Refert *Bernardus* Abbas Bonævallis *in vita Bernhardi Claravallenſis l. 2. c. 1.* ait: *Sed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Si quidem importune,* (ut clero viſum) *idem rex inſtitit, tempus habere ſe reputans opportunum, Epiſcoporum ſibi reſtitui inveſtituras, quas ab ejus prædeceſſore Imperatore Henrico per maximos quidem labores & multa pericula Romana Eccleſia vendicarat. Ad quod verbum expavere, & expalluere Romani, gravius ſeſe apud Leodium arbitrati periculum offendiſſe, quàm declinaverint Romæ.*

repetit jus circa ſacra.

§. III.

mox deſtitit.

Magna igitur ſpes apparebat, recuperandi juris circa ſacra, ſed deſtitiſſe tamen Imperatorem ab illo poſtulato, perſuaſū à Bernhardo Clarævallenſi, teſtatur idem ejus vitæ ſcriptor: *Nec conſilium ſuppetebat, donec murum ſe oppoſuit Abbas ſanctus. Audacter enim reſiſtens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit.* Scilicet promiſſa coronatione Romana, & domi-

dominio utili ditionis à Mathilda ſedi Romanæ relictæ. *Petrus* Diaconus Caſſinenſis *l. IV. c. 99.* refert: *Innocencentius igitur Germaniam ingreſſus, à Lothario Rege juxta Leodium excipitur, virgam ei & Annulum antiquo ex more confirmans, & terram Comitiſſa Mathilda condonans.*] Hinc pax inter Papam & Imperatorem, & ſequenti anno imperator in Roncaliis cum eodem Papa & Longobardis generale colloquium de ſtatu Eccleſiæ atque Imperii habuit, ut ex Actis refert Baron. ad *A. C. 1132.* §. 2. ac ita ſubſequenti anno Coronatio & inveſtitura ſecuta eſt. Qua de re pictura in Laterano fertur cum iſthac inſcriptione:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores:
Poſt homo fit Papa: ſumit quo dante Coronam.

Ex quo tamen perperam colligitur, jus hoc Pontificibus à Lothario datum, *ut quos illi vellent, Imperatores admitterent, quos illi nollent ſua auctoritate aut rejicerent, aut amoverent.* Jus enim eligendi Imperatorem, ut antea, ita & poſtea permanſit penes Imperii Teutonici ordines, nec unquam ad Papam pervenit, nec Lotharius transferre potuit quod ſuum non eſſet. Vaſallagium denique, quo Lotharius ſedi Romanæ teneri cœpit, non niſi ditionem Mathildæ ſeu Comitatum ultra & citra montanum attinuit, non Imperium. ſed de hac pictura infra ad Friderici I. Imp. tempora dicemus.

§. IV.

Si, unus itaque Abbas Claræ vallenſis, *Bernhardus*, impedimento fuit, quo minus Pontifex hanc partem Majeſtatis reſtitueret vero domino. Id quod mirum videri poteſt de unico clerico, eoque pauperis monaſterii Abbate, & ideo minus potente, atque adverſus Imperatorem, adverſus ordines Imperii, ac durante bello inteſtino inter *Bernhardi auctoritas.*

 Anti-

Antipapas. At hæc eſt vis opinionis & ſanctitatis, quæ quanta fuerit, de hoc viro, etiam ex cauſa Mediolanenſi poteſt judicari, quem eo miſſum legatum à Papa ad reconciliandos ſibi Mediolanenſes, quomodo exceperint, ſcriptor ejus vitæ ita narrat: *Tranſcenſo itaque Apennino, ubi audierunt Mediolanenſes Abbatem deſideratum ſuis finibus propinquare: longe à civitate milliaribus ſeptem omnis ei populus obviat, nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes quaſi de civitate migrarunt, proprios lares deſerunt, & diſtinctis agminibus, incredibili reverentia virum DEI ſuſcipiunt. Omnes pariter delectantur aſpectu, felices ſe judicant, qui poſſunt frui auditu. deoſculantur pedes ejus univerſi, & licet hoc ille moleſte acciperet, nulla potuit pronos, & devotos ratione compeſcere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant de indumentis ejus, & ad morborum remedia, de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia ſancta judicantes, quæ ille tetigiſſet, & ſe ſanctificari tactu eorum, vel uſu. Præcedentes itaque, & ſubſequentes lætabundis acclamationibus applaudebant abbati, & diu inter agminum ſpiſſamenta detentum, tandem ſolenni reddidere hoſpitio. Et cum tractatum eſſet in publico de negotio, propter quod tam vir DEI quàm Cardinales advenerant: oblita fortitudinis ſuæ civitas omni ferocitate depoſita ſe ita Abbati ſubſtravit, ut obedientia eorum non incongrue ille poſſet aptari Poëtæ verſiculus:*

Juſſa ſequi, tam velle mihi, quam poſſe neceſſe eſt.

Miracula. Hæc ſanctitatis opinio aucta fuit ex miraculis veris, fictis, nec à Divini nominis & S. Euchariſtiæ abuſu remotis, quo pertinent *literæ* ab abbate *in medium prolatæ ſanguine Chriſti conſcriptæ, & bulla crucis impreſſæ;* quibus & *terreſtria* & *inferna incurvare* potuiſſe, itemque S. S. panis Euchari-

chariſtici, patinæ impoſiti in publicum impetuoſa elatio, qua Comitem Aquitaniæ epilepſia correptum fuiſſe, idem ſcriptor narrat.

§. V.

Certe intentio hujus Patris non alia fuit, quam quæ propoſita fuerat Synodo Rhemenſi, Colloquio in Roncaliis, & Concilio Piſano, de quorum ultimo idem auctor vitæ Bernhardi ſynonymus: *Innocentius rurſus Piſas revertitur, ibique aggregatis totius Occidentis Epiſcopis aliisq; religioſis viris magnæ gloriæ ſynodus celebratur. Affuit per omnia & conſiliis & judiciis, & definitionibus omnibus ſanctus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, & excubabant ante ejus limina Sacerdotes, non quod faſtus, ſed multitudo communem prohibebat acceſſum: & aliis aggredientibus, alii introibant, ita ut videretur humilis, & nihil ſibi de his honoribus arrogans, non eſſe in parte ſollicitudinis, ſed in plenitudine poteſtatis. Actiones Concilii longum eſt proſequi, ſumma tamen in excommunicatione Petri* (Leonis, adverſarii Innocentii) *& irregreſſibili fautorum ejus dejectione conſtitit. & usque hodie hæc ſententia perſeverat.* *Intentio Cleri.*

§.VI.

Hic ipſe eſt *ſtatus* ille *Eccleſiæ atque Imperii*, de quo generale colloquium in Roncaliis antea habitum, ſcilicet, ut Innocentius Lotharium, & Lotharius Innocentium mutuo fœdere in ſtatu tueretur ſuo, adverſus æmulos & ſacri & civilis Imperii. Atque hic ſcopus & effectus erat *viſitationis* ac reformationis *Eccleſiarum Gallicarum*, evitare perſecutionem Petri Leonis, & Antipapæ, conciliare ſibi reges & principes, Epiſcopos & Abbates, monaſteria & Eccleſias reditibus ac opibus augere, & ita ſuam contra *independentia.*

adver-

adverſarium ſtabilire potentiam. Iſthac arte pauperrimum *Clarævallenſe monaſterium* ex Cluniacenſi abundantia ditatum, ut late refert Baronius ad *Ann. Chr. 1131. §. 10.* Quid ergo fuit quæſitum, quis finis, & ſcopus niſi & ſedis Romanæ & adhærentium Epiſcoporum atque Abbatum ſplendor externus, opes ac Majeſtas? ut Innocentius audiret *Pater univerſalis, Epiſcopi Principes mundi & Judices terræ,* ſicut eos appellat Bernhardus noſter in gratulatoria ad Piſanos de translata ad eos Curia Romana. *Ep. 130.*

§. VII.

Jus creandi duces à Papa invaſum.

Eo etiam ſedes Romana mox proceſſit, ut non contenta jure circa ſacra, Civilis quoque imperii Majeſtatem invaderet, & jus Duces Imperii creandi ſibi arrogaret. Rem refert *Falco* in Chronico Beneventano ad A. C. 1137. quum Papa & Imperator prope Beneventum in Avellina civitate conveniſſent. *Ubi* inquit, *ipſe Apoſtolicus Innocentius Ducem ad defenſionem Apuliæ ordinare nomine ſuo ſatagebat. Imperator vero nomine ſuo contra voluntatem Apoſtolici ordinare volebat. Unde factum eſt, ut per triginta fere dies ad invicem ea de re fuit diſcordatum, ſed ſapientium conſilio communicato, diſcordia talis deſtructa eſt. Quid multa? divina favente clementia & ipſo Imperatore annuente, omnibusque ſuis, prædictus Apoſtolicus ſuo nomine ad B. Petri fidelitatem, Comitem Rainulphum virum utique prudentem & diſcretum, in Ducem elegit, & eo electo, vexillum ad honorem Ducatus Apoſtolicus & Imperator in conſpectu omnium ei tradiderunt & confirmaverunt.*

§. IIX.

Opinio de Eccleſ. Majeſtate judaizat.

Cæterum agnoſco in Bernhardo ſummum religionis Chriſtianæ zelum, & ardorem Eccleſiæ augendæ, ampliandæque, atque parrheſiam ſummam etiam aulæ Roma-

manæ vitia & exceſſus reprehendendi, *videſis epiſt. CLXXVIII, CLXXX, CCXXXV. l. 3. de conſid. c. 2.* & M. A. *de Domin. lib. IV. cap. VIII. §. 74.* ubi hunc & alios viros pios utcumque ex ratione temporum excuſat. Attamen *Zelus* ejusmodi præferebat externum Eccleſiæ Romanæ ſplendorem ac potentiam cum imminutione Majeſtatis & ſummæ Reip. Poteſtatis, & Libertatis Eccleſiarum. Habebant ſanè zelum etiam perſecutores Apoſtolorum, eumque adverſus hos exercebant, exiſtimantes eo ipſo ſe λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ, prædicente Chriſto ipſo, *Joh. XVI, 2.* Enimverò quâm habebant *Judæorum* Doctores de *Meſſiæ regno* opinionem, quaſi futura eſſet mundana monarchia, eandem etiam dictatus Papæ perſuaſerant jam tum Chriſtianis, qui quæ de Regno Gloriæ poſt alterum CHRISTI Regis noſtri adventum, & omnium rerum renovationem, exſtant ſacra oracula, ſeducti auctoritate pſeudoclericorum, & pſeudopoliticorum, perperam de ſtatu Eccleſiæ preſſæ & cum antichriſto adhuc colluctante expoſuerunt, eoque ipſo in gremio Eccleſiæ ſedem illi præpararunt.

§. IX.

Jus Concilii Imp.

Hic erat tum mœſtiſſimus Eccleſiæ & Reip. ſtatus, utraque ſub rigidiſſimo jugo gemente. Attamen *Jus Conciliorum* adhuc obtinuit, ac ſtrenuè exercuit Lotharius Imp. ut & ipſe *directorem* ſe geſſerit, & quum Pontificis nuncius urgeret, ut Monachi *ordinis S. Benedicti* obedientiam ſedi Romanæ *jurejurando* promitterent, ordo autem tum ex Regula ſua, tum ex Impp. confirmationibus jusjurandum detrectaret, ita defendit Imp. Majeſtatem Imperii, ut Pontifex repulſam tulerit. Atque *normam* quoque ſecundum quam controverſiæ in Concilio deciden-

dæ, luculente *S. S. Scripturam* eſſe voluit, non pontificum decreta: *Ea*, dixit, *quæ conferenda ſunt, præcipimus ut Scripturarum teſtimoniis roboretis, ut amotis omnibus dubietatis ambagibus, juſtitiæ & veritati tenaciter inhærere valeamus.* Chron. Caſſinens. l. IV. *Lehm. l. V, chron. c. 67.*

Caput VII.

De

DEFENSORIBVS LIBERTATIS IMPERANTE CONRADO III.

Summaria.

Conradi III. juſta querela de invaſione Imperii. Invaſionis defenſor Bernhardus. Majeſtas Apoſtolica hoc tempore & plenitudo Poteſtatis cœpta aſſeri, quam tamen Cardinalium poteſtas adhuc reſtringebat. Sacerdotium Regale quid ſit. Joslenus Epiſcop. Sueſſionum reprehendit Bernhardum. Bernhardus pœnitet in libris tribus ad Eugenium. In Academiis contradicitur novis Curiæ R. inſtitutis: Petri & Arnoldi dogmata pro libertate Eccleſiarum. Studium Tigurinum. Formula juramenti à Doctoribus præſtandi. Populus Rom. ad libertatem provocat contra S. R. & Conrado plenum Imperium rurſum offert. De poteſtate Pontificis in Vrbem Romam.

§. I.

§. I.

LOthario fatis functo ſucceſſerat A. C. 1139. CONRADVS Sueviæ dux, Henrici V ſororius, Lotharii olim competitor. Is ad Bernhardum Clarævallenſem Abbatem promachum ſedis Romanæ ſub auſpiciis Imperii literas exprobratorias ſcripſerat, quibus hic ita reſpondet, ut jura divina & humana ſat imperiosè permiſceat, ſummam Reip. Majeſtatem Curiæ Romanæ ſubjiciat, & ſupremam Imperii poteſtatem cum clavium & Eccleſiaſtica poteſtate confundat. Eſt epiſtola CLXXXIII. ex qua ingenium his temporibus accomodum perſpici poteſt: *Scripta veſtra,* inquit, *& ſalutationes tam devotus ſuſcipio, quàm modicus ſum ad illa. modicus dixerim dignitate, ſed non devotione. Querimoniæ Regis noſtræ ſunt, & maxime illa, quam dignanter exprimitis de Invaſione Imperii. Regis dedecus, regni diminutionem nunquam volui, volentes odit anima mea, legi quippe: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: & qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit; Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reverentia ſummæ & Apoſtolicæ ſedi, & B. Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab univerſo ſervari Imperio. Sunt quæ non putavi ſcribenda, præſens ea fortaſſis opportunius intimarem.*

Conrad. III.

Bernhard defenſor invaſionis Imperii.

II.

Vis argumenti Imperatorii hæc erat: Penes quem poteſtas ſummi Imperii ex divina ordinatione reſidet, illi omnis anima, ſeu omnia membra ſocietatis illius, imperii ve debent eſſe ſubjecta, ipſa contra nemini homini eſt ſubdita. Porrò Imperator & rex Romanorum gaudet ſummo Imperio ex divina ordinatione, quod tam ex præcepto apoſtolico ad Eccleſiam Romanam, quam ex Apoſto- *refut.*

lorum exemplis liquido conſtat; Igitur huic omnis anima, omnia Imperii Romani membra, omnes cives, omnes ordines, ſive ſacri, ſive civiles, ſubjecti ſunt. At Pontifex Romanus tum ante, tum poſt Carolum M. Imperii Romani membrum præcipuum, & ordinis ſacri caput habitum fuit, quamobrem etiam Pontifex cum omni clero ſummæ Imperii poteſtati ex divina ordinatione tenetur eſſe ſubjectus. Denique penes Pontificem Rom. nunquam neque ex divina, neque ante Henricum V, ex humana ordinatione fuit ſumma Imperii poteſtas, quare nec Pontifici omnis anima, omnium autem minimè ipſa ſumma Reip. Majeſtas ſubjecta eſſe poteſt.

§. III.

Majeſtas apoſtolica Non male itaque Conradus Imp. ſub auſpiciis Imperii de invaſione Imperii perpetrata conqueſtus fuit. Contra non absque ſummo Eccleſiæ & Reip. periculo ab aliis ex Clero præſertim Pontifici Rom. poteſtas ſumma in Imperatores, Reges, & univerſum Imperium fuit tributa. Neque enim veriti tum temporis Pontifici Romano *Majeſtatem Apoſtolicam* aſſerere, ut ex Petri Cluniacenſis Abbatis epiſtolis, & aliunde conſtat. Quo etiam pertinent Bernhardi Claræva llenſis verba de plenitudine po-

plenitudo poteſt. teſtatis ep. CXXXVIII: *Peremtoriam dare ſententiam, ad depoſitionem Epiſcoporum, ſolius Romani Pontificis noſcitur eſſe, pro eo nimirum, quod etſi alii multi vocati ſunt in partem ſolicitudinis, ſolus ipſe plenitudinem habet poteſtatis.* Hæc erant noviſſima dogmata ex ceſſione inveſtiturarum pronata, ex qua quam libertatem ſperaverant Epiſcopi & Eccleſiæ majorem, eam ferè omnem perdiderant, ſacra Conciliorum atque Canonum poteſtate ſub unius ſacri Monarchæ, nutum ſubacta. Idque exinde, quod perſuaderi

deri ſibi paſſi ſunt Chriſtiani, Petro Apoſtolo unquam competiiſſe externum in univerſum orbem Romanum & ejus Eccleſias Imperium, idque ſedi Romanæ jure ſucceſſionis quæſitum eſſe.

§. IV.

Quantumvis verò tantum laboravit Bernhardus pro abſoluta Papæ poteſtate adverſus Eccleſiæ Chriſtianæ libertatem, non potuit tamen collegio *Cardinalium* id perſuadere, quin, quum Eugenius III, cum Bernhardo, & aliis Epiſcopis Gallicanis in cauſa Gilberti in ſynodo Rhemenſi A. C. 1148. aliquid inſciis cardinalibus egiſſet, collegium *cum magna mentis indignatione curiam intraret, & tanquam unum corpus effecti, una omnes voce Pontifici ſuo dicerent: ſcire debes, quod à nobis tanquam per cardines univerſalis Eccleſiæ volvitur axis, ad regimen totius Eccl. permotus, à privato univerſalis Pater effectꝰ, jam deinceps te non tuum, ſed noſtrũ potius eſſe oportere, nec privatas & modernas amicitias antiquis & communib.* (ſtatiſticas hodie vocant) *præponere ſed omniũ utilitati conſulere, Romanæq; curiæ culmen* (ſcil. hæc eſt Eccleſiæ Chriſtianæ libertas) *ex officii tui neceſſitudine curare & obſervare debet. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Eccleſia? Qua fronte, quo auſu cervicem contra Romanæ ſedis Primatum & apicem erexit?* Et quæ plura ab exprobrantibus tum prolata, & ab *Ottone Friſing.* diligenter conſignata *l. 1. c. 57. de geſt. Frid.* quo etiam id effectum fuit, ut Bernhardus cum Pontifice & ſociis ceſſerit Cardinalibus, adeo nec ab ipſa Romana Eccleſia plenitudo monarchicæ poteſtatis in Papa aut infallibilitas etiam tum agnita fuit.

Cardinalium poteſtas.

§. V.

Ex eodem porrò ſpiritu profluxit & alterum Bernhardi-

Sacerdo-

tium regale quid? hardinum dogma de bicipiti populi Chriſtiani regimine, & conjunctione *Sacerdotii & Regni* Epiſtolâ ad Conradum Regem Romanorum CCXLIII. non ſine detorſione S.S Scripturarum, quæ loquuntur de prærogativa omnium Chriſtianorum fidelium, Regio-Sacerdotali. Enimverò fideles Chriſtiani facti ſumus per Chriſtum, βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, *Ap. I, 6.* γένος ἐκλεκτὸν, ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιποίησιν, populus, qui in lucrum acceſſit, ἱεράτευμα ἅγιον, βασίλειον ἱεράτευμα, Regale ſacerdotium, ad offerendum ſpirituales hoſtias, & prædicandum virtutes illius, qui è tenebris nos vocavit in admirabilem ſuam lucem, *1. Petr. II, 5. & 9.* θείας κοινωνοὶ φύσεως, divinæ participes naturæ, *2. Petr. I, 4.* Mutuavit Apoſtolus hæc verba à Moſe *Exod. XIX, 5, 6.* Sed notabile eſt quod Moſes Populum Iſraeliticum vocat *ſacerdotale Regnum:* Apoſtolus contra Eccleſiam N. T. *Regium Sacerdotium.*

§. VI.

Iſraeliticū Quod myſterio carere non credo. Iſraeliticus cœtus vocatur *Regnum*, quia erat externa quædam politia, habens certos ſuos Rectores & Reges, at *Sacerdotale*, quia erat θεοκρατεία, & Sacerdos ſummus particeps erat Regiminis, quoad Eccleſiaſtica, imo & quoad Civilia *Deut. XIX 17. 2. Paral. XXIII, & XIX, 8.* unde aliisque ex locis paſſim apparet in Rep. Judaica Sacerdotes ſimul, cum Magiſtratu politico judicaſſe & gubernaſſe. Verum quum Eccleſia non ſit tale Regnum externū, quod certis legibus Politicis ſit fundatum, *Joh. XVIII, 36.* idcirco Apoſtolus eam notanter non vocat regnum, ſed *ſacerdotium*, quia omnes fideles officio Sacerdotum debent fungi, orando, & laudando DEVM: *Regium* tamen vocat ſacerdotium, quoniam hi Sacerdotes regnabunt ſuper terram. *Apoc. V, 10.* Novam

ſcili-

ſcilicet in qua juſtitia habitat, *2. Petr. ult. 13. Ap. 21.* Nimium præceps itaque eſt, qui iſtis verbis ſuperſtruit in hoc ſeculo hierarchiam, quam in altero ſeculo deberet expectare. *v. Baron. ad A. C. XXXIII, XXXI:*

§. VII.

Contradictum aulæ Pontificiæ à Bernbardo.

Atque non defuerunt jam tum ſua ætate viri divinarum & humanarum rerum periti, qui Abbatis noſtri Zelum notarint. Inter quos Joslenus Epiſcopus Sueſſionenſium, & Regis Galliæ Conſiliarius, & Suggerius Abbas S. Dionyſii, quorum ille acerbiores ad Bernhardum reſponſorias reddens, ipſum *ſpiritu blaſphemiæ afflatum* eſſe redarguit, ad quem ſe Bernhardus excuſat *epiſt. CCXXIII.* Planè illud conſtat, quod *Bernhardus*, perinde ut olim Petrus Damiani omnem faſtum ac dominatum improbaverit in ſumma ſede, eôque conſilio *libros V. de Conſideratione ad Eugenium III.* Papam (cujus electionem non ſatis approbare videtur *Epiſt. CCXXXVI. ad omnem curiam Romanam.)* dehortatorios ſcripſerit, & omnem iſtam Majeſtatis ac Dominationis affectationem in Pontifice reprehenderit, ac damnaverit, Eccleſiam Romanam *dæmonum paſcua* vocitans, & Papam *non Petri ſed Conſtantini* ſucceſſorem ſeſe gerere, contra Chriſti interdictum, & Apoſtolorum *lib. IV. Præſis, ut proſis,* ait Lib. III. *hoc eſt, ut diſpenſes, non imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis injuſtitia.* Mox graviſſime invehitur in *abuſus Appellationum* ad Curiam Romanam: *Videas,* inquit, *præripi paſſim partes oppreſſorum, & prorumpere ad appellandum non tam gravatos, quàm gravare volentes. Quid hoc myſterii? Tuum eſt conſiderare, non meum commentari iſtud. Et cur, inquis, malè appellati non veniunt oſtenſuri ſuam innocentiam, ma-*

litiam

litiã convicturi? dico quod dicere ad hoc ſolent: Nolumus vexari fruſtrà. In curia eſſe, qui proclivius faveant appellantibus, foveant appellationes. Ceſſuris Romæ, domi ſedere ſatius. Fateor me nõ omnino decredere his. Quẽ das mihi in tam crebris appellationibus quæ hodie fiunt, qui pro expenſis itineris vel nummũ reſtituerit illi quem fortè appellarit? Mirum verò ſi ita omnes & appellantes juſti, & appellati rei veſtro examine inventi ſunt. Deinde monita ſubjicit, de modo tollendi hunc appellandi abuſum: Recipiendas eſſe eas tantum appellationes, *quas extorſerit neceſſitas, non calliditas adinvenerit*: & cauſas remittendas *ad cognoſcentes, vel qui citius noſcere poſſunt*. Abuſum *Exemtionum* quoque acerrimè reprehendit, cæteroſque Curiæ defectûs. Cæterum dogma de *duobus gladiis*, de quo & ſuperius diximus, ita temperat; *Quid tu*, inquit, *denuo uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum domini dicentis ſic: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe; tuo forſitan nutu, etſi non tuâ manu evaginandus. Alioquin ſi nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apoſtolis:* Ecce gladii duo hic. *non reſpondiſſet dominus:* Satis eſt. *ſed:* Nimis eſt. *Vterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exſerendus eſt: ille ſacerdotis, is militis manu: ſed ſane ad nutum ſacerdotis, & juſſum Imperatoris.*

§. VIII.

in Academiis. Imprimis vero ex ſingulari DEI diſpoſitione hoc tempore cœperunt artes liberales, ac ſtudia in Academiis noviter hinc inde inſtitutis per Imperium occidentale, & in Germania quoque efflorescere. Jus item Romanum Juſtinia-

ſtinianæum poſtliminio reduci in Italia, & Academiis etiam aliis. Ex qua orta luce doctrinarum, dogmata & inſtituta nova Pontificum Romanorum, quibus Libertatem Eccleſiæ & Reip. peſſumdarent, cœperunt in academiis examinari, mox in Aulis, Curiis, atque à Populo quoque apprehendi. Nobiles ſunt inter alios hoc tempore *Magiſter Petrus Abailardus*, & *Arnoldus Brixienſis*, *Gilibertus* ſeu Magiſter Giſlibertus Porretanus, ut Gaufredus Monachus eum vocat, Epiſcopus Pictavienſis, *Petrus de Bruis*, *Henricus* Monachus; & qui ſe *Apoſtolicos* vocarunt. Hi cœperunt dogmata, & mores Eccleſiæ Romanæ, & omnis Cleri taxare, & publice populo exponere, Majeſtatemque Imperatori ac Regibus ereptam vindicare, Libertatemq; aſſerere. Otto Friſing. Epiſcopus, etſi horum adverſarius, ita de his auſis refert: *Arnoldus iſte ex Italia civitate Brixia oriundus, ejusdemq; Eccleſiæ clericus, ac tantū Lector ordinatus Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat: vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quam ſententiarum pondere copioſus. Is à ſtudio* (imò ut Abbas Morimundi, *Vid. Bernh. Ep. IV. ſeq.*) *è Galliis* (colloquio prius cum Bernhardo apud Senonas habito, ut refert idem Bernhardus *Epiſt. CLXXXIX. ſeq.*) *in Italiam revertens, religioſum habitum induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, Clericorum, & Epiſcoporum derogator, monachorum perſecutor, Laicis tantum adulans* (imo ſuppreſſis jure favens) *Dicebat enim nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos Regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes aliqua ratione poſſe ſalvari. cunctaque hæc principis eſſe, ab ejusque beneficentia in uſum tantum Laicorum cedere oportere. Præter hæc de ſacramento altaris, Baptiſmo parvulorum non ſanè dicitur ſenſiſſe.*

Petrus & Arnoldus

Brixia

§. IX.

Quid de Arnoldi reformatione habend.

Neque verò cauſam univerſam horum Reformatorum noſtram facimus. Solent enim initia purgationis & difficillima eſſe & ſubinde augmentum capere, ſed & inter plures reformatores alii ex Scylla in charybdin incidere: Ita *in Sacramento Altaris* recte fuit transſubſtationis dogma negatum, etſi minus recte præſentia realis Corporis & Sanguinis Chriſti negata fuit, ſi fuit. Nec illud rectè, non poſſe *ſalvari poſſeſſores clericos* bonorum temporalium, ſed locutus fuit ſine dubio Arnoldus cum Salvatore: *Difficile eſſe divitem regnum cœlorum introire.* Itaque paupertatem veram non ſimulatam commendavit clericis, & abundantiam, ac opes Eccleſiaſticas in perniciem & Eccleſiæ, & Reip. recte taxavit, & ſummam Imperatoris poteſtatem rectiſſime adverſus uſurpatam majeſtatem Pontificiam urſit. Cæteroquin quædam ejus dogmata, ut de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de myſterio noſtræ redemtionis, aliàque rectè examinat & rejicit Bernhardus *Epiſt. CXC. ſeqq.* & Innocentius Papa *Epiſt. ſeq. CXCIV*, adde & duas ſequentes Bernhardi epiſtolas. *Gilibertus* æque ac Arnoldus videtur abuſus terminis Philoſophiæ dialecticæ, & Metaphyſicæ, ſed quod in hoc ab Eccleſia Rom. fuit hoc tempore improbatum, id mox in doctoribus *Scholaſticis*, quos vocamus, etiam magis quam par eſt, fuit laudatum; ſcilicet poſtquam his artibus non ad impugnandum, ſed ad ſtabiliendum ſtatum Pontificis Rom. hi fuerunt uſi. Quod Gilibertus non egit, cujus inter dogmata Otto Friſingenſis etiam hoc refert: *Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Chriſtum.* Quo quid verius dici poſſit, non video.

§. X.

Sed quum hæc auſa rationem ſtatus ſedis Romanæ labefactarent, remedium quæſitum, quod idem Epiſcopus Friſingenſis ita refert: *His aliisque modis, quos longum eſt enumerare, dum Brixienſem Eccleſiam perturbaret, laicisque terræ illius prurientes erga clerum aures habentibus, Eccleſiaſticas malitiosè exponeret paginas: in magno Concilio Romæ ſub Innocentio habito, ab Epiſcopo civitatis illius, viriſque religioſis accuſatur. Romanus ergo Pontifex, ne perniciosum* (ſibi) *dogma: ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decernit, ſicque factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens ad Transalpina ſe contulit, ibique in oppido Alemanniæ Turego officium doctoris aſſumens perniciosum dogma aliquot diebus ſeminavit.* Videas quoque carmen longum hac de re *Guntheri Ligurini* ex quo illud notabile: Exilium ejus. refugium in Germ.

Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles
Reſpuerent monitûs, falsis admixta monebat.

Et mox de Tigurinis:

Unde venenato dudum corrupta ſapore
Et nimium falſi doctrina vatis inhærens,
ſervat adhuc uvæ guſtum gens illa paternæ.

Turegum oppidum eſt *Tigurum* in Helvetia, ad fluvium Limagum, ita enim apud Ottonem Friſing. *Hiſt. Frid. l. I. c. 8.* legendum non *Lemannum*, ne nos ſeducat Lazius *l. VIII. de Gent. Migrat. p. 370.* Ex quo liquet jam tum iſthâc ætate in civitatibus Germaniæ præter *Scholas* Monachorum & Canonicorum, etiam fuiſſe ſtudia publica, ex quibus Academiæ noſtræ ortum traxerunt. ſtudium Tigurin.

§. XI.

Tandem verò cum Academiæ libertate ſuâ gauderent, atque imprimis ab his, qui jus docendi Jurisprudentiam Juuj. doct. Acad.

tiam aut Theologiam auctoritate publicâ adepti, potentiæ pontificiæ habenæ injici vellent; inventa fuit ratio à Curia Romana, quâ iſta libertas reſtringeretur, & intra carceres coërceretur, videlicet *Jusjurandum,* quod ii, qui *Doctoratum* Juris ac Theologiæ ambirent, antequam Licentia accipiendi conferretur, jurare deberent. Formulam exhibet Lutherus *Tom. IV. Lat. Jen. f. 581.* & cum *inquit,* plures longe reperiantur doctores, quàm Epiſcopi, regnentque in Scholis publicis, in templis & concionibus, ſintque Epiſcoporum officiales ac Vicarii, Principum & Liberarum Civitatum Conſiliarii, facilè viderunt, ſi eos obnoxios haberent, eorum operâ totum Rom. Imperium ſe oppreſſuros eſſe, quod & factum eſt. Vnde merito ſuperiore ſeculo nomen doctorum tam fuit inviſum, ut ſi vir nobilis doctoratum recepiſſet, planè degener exiſtimaretur, hodieque in plerisque civitatibus in Senatum non leguntur. *hæc ille.* Etſi verò Formula illa in nomen Pauli III. tum viventis concepta legitur, redolet tamen clauſula iſta: *Vt vitam aut membrum perdant;* antiquitatem, & tempora Henricorum & Fridericorum. Quare videtur pro ratione ſtatus ſubinde adaucta vetus formula, Epiſcopis ut ſupra dictum, primitus præſcripta, deinde ad omnes, qui dignitatem Eccleſiaſticam vel Academicam recipiunt extenſa. *cap. ego. 4. X. de jurej.* Quemadmodum & de Legato Pontificis clauſulam mutatam fuiſſe Lutherus obſervat, & pro veteri: *Legatum, quem certum eſſe cognovero &c.* ſubſtituta generalis: *Legatos ſedis Apoſtolicæ.* Tandem in Concilio *Tridentino* Forma promiſſionis Fidei Catholicæ conſignata & à *Pio IV.* promulgata, quam niſi juraverint cujuscunque Facultatis Doctores & Profeſſores promoti ſive promovendi, tam electi, quàm eligendi ad

officio-

officiorum exercitia ingerere ſe prohibentur. Extat in *lib. VII. Decretalium, t. de Magiſtris & Doctoribus.*

§. XII.

Sed expulſo licet Arnoldo ex Italia nihilomnius populus Romanus de uſurpato Romani Pontificis Imperio, & univerſa ſacra potentia edoctus, non dubitavit ſibi & Eccleſiæ libertatem, Imperatoriq; Germanico plenam Majeſtatem aſſerere, Senatum cum Clero, ſeu, ut Otto Friſing. *l. 1. de geſt. Frid c. 57.* loquitur, *ſacro Cardinalium Senatu* commutatum, inſtaurare, & Pontifici Romano Imperium abrogare, contra vero Conradum Imp. ad recapeſſendum more majorum τὸ κύϱιον ſolenniter invitare, reverſo iterum ad urbem Arnoldo, Papa verò Eugenio in Galliam profugo A. C. 1147. Plures hanc in rem Epiſtolas S. P. Q. R. ad Conradum miſit, quarum poſtremam retulit Otto Epiſc. Friſingenſis *lib. 1. de Geſt. Frider. c. XXVII.* *Populus Rom. ad Libertatem provocat.*

Excellentiſſimo atque præclaro Urbis & orbis totius domino, Conrado Dei gratia Romanorum Regi, ſemper Auguſto. Senatus Populusque Romanus ſalutem, & Romani Imperii felicem & inclitam gubernationem. Regali Excellentiæ per plurima jam ſcripta noſtra, facta & negotia diligenter expoſuimus, & quomodo in veſtra fidelitate permaneamus, ac pro veſtra Imperiali corona exaltanda, & omnimodo augenda quotidie decertemus. Ad quæ quia regalis induſtria (ut poſtulavimus) reſcribere dignata non fuit, planè tanquam filii & fideles de domino, & patre ſatis miramur. Nos enim quidquid agimus pro veſtra fidelitate & honore facimus. Et quidem Regnum & Imperium Rom. veſtro à Deo regimini conceſſum exaltare, atque amplificare cupientes, in eum ſtatum, quo fuit tem-

pore Conſtantini & Juſtiniani, qui totum orbem vigore Senatus & Populi Romani ſuis tenuere manibus reducere, Senatu pro his omnibus Dei gratia reſtituto, & eis qui veſtro Imperio ſemper rebelles erant, quique tantum honorem Imperio Romano ſurripuerant magna ex parte conculcatis: quatenus ea, quæ Cæſari & Imperio deberentur, per omnia, & in omnibus obtineatis, vehementer, atque unanimiter ſatagimus atque ſtudemus. Et ob hujus rei effectum, bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem, & juſtitiam omnibus eam volentibus obſervamus, fortitudines, id eſt, turres & domos potentum Urbis, qui veſtro Imperio una cum Siculo & Papa reſiſtere parabant, cepimus, & quasdam in veſtra fidelitate tenemus, quasdam vero ſubvertentes ſolo coæquavimus. Sed pro his omnibus, quæ veſtræ dilectionis fidelitate facimus, Papa, Frangipanes, & filii Petri Leonis homines & amici Siculi, excepto Iordane noſtro fidelitate in veſtra vexillifero & Adjutore, Ptolomæo quoque, & alii plures undique nos impugnant, ne libere (ut decet) imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos quoniam amanti nullus labor gravis eſt, licet inde plurima damna ſuſtineamus pro veſtro amore & honore gratanter patimur. Scimus namque nos à vobis proinde præmium ſicut à Patre accepturos, vosque in eos, ſicut in Imperii hoſtes vindictam daturos. Cum tanta igitur veſtra in nobis fidelitas ſit, tantaque pro vobis ſuſtineamus, precamur, ne ſpes iſta nobis deficiat, ne regia dignitas nos veſtros fideles & filios deſpiciat. Neque ſi in regalibus auribus aura ſiniſtra de Senatu & nobis flauerit, in eam intendat, aut reſpiciat: quia qui de nobis veſtræ altitudini mala ſuggerunt, de veſtra & noſtra (quod abſit) dis-

diſſenſione lætari volunt, & utrosque ut ſoliti ſunt, callide opprimere moliuntur. Sed circa hæc, ne fiant, regalis prudentia, ut decet, ſollicita ſit, & provida. Reminiſcaturque veſtra ſolertia, quot & quanta mala Papalis curia, & dicti quondam cives noſtri Imperatoribus, qui fuerunt ante vos fecerint, & nunc deteriora vobis cum Siculo facere tentaverunt. Sed nos Chriſti gratia in veſtra fidelitate viriliter eis reſiſtimus, ac plures ex illis ab urbe, ſicut peſſimos hoſtes Imperii, ut ſunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis Imperialis celeriter vigor, quoniam quidquid vultis in urbe obtinere poteritis. Et ut breviter ac ſuccinctè loquamur: potenter in urbe, quæ caput mundi eſt, (ut optamus) habitare, toti Italiæ ac regno Teutonico, omni Clericorum remoto obſtaculo, liberius & melius, quam omnes ferè anteceſſores veſtri dominari valebitis. Sine mora ergo precamur, ut veniatis, & interim de ſtatu veſtro, quem ſemper deſideramus ſalubrem & proſperum, de his regalibus literis, ac nuntiis nos lætificare dignemini. Sumus enim per omnia veſtræ voluntati ſemper obtemperare parati. Sciatis præterea, quia Pontem Milvium extra urbem parum longè per tempora multa pro Imperatorum contrario deſtructum, nos, ut exercitus veſter per eum tranſire queat, ne Petri Leones per Caſtellum ſancti Angeli vobis nocere poſſint, ut ſtatuerant cum Papa & Siculo, magno conamine reſtauramus, & in parvi temporis ſpatio, muro fortiſſimo, & ſilicibus, juvante DEO, complebitur. Concordiam autem inter Siculum & Papam hujusmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo virgam, & annulum, dalmaticam & mitram atq; ſandalia. Et ne ullum mittat in terram ſuam legatum, niſi quem Siculus petierit. Et Siculus dedit ei multam pe-

pecuniam pro detrimento veſtro, & Romani Imperii, quod Dei gratia veſtrum exiſtit. Hæc omnia ſollicite veſtra animadvertat optime Rex prudentia. Rex valeat, quidquid cupit, obtineat ſuper Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem, hoſtes. Princeps terrarum, ceu fecit Juſtinianus. Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul: Ut Chriſtus juſſit, Petro ſolvente tributum. Nos de cætero legatos noſtros precamur, ut benignè recipiatis, & quod vobis dixerint credatis, quia ſcribere cuncta nequivimus. Sunt enim nobiles viri Guido Senator, Jacobus filius Sexti procuratoris, & Nicolaus eorum ſocius.

§. XIII.

Cauſa eventus.

Etſi verò Conradus reſpuens hanc recuperandi, quod ſuum erat, occaſionem, maluit τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἐξουσίαν αὐτοῦ διαθεῖναι, & claſſicum prædicante Bernhardo, (cujus vide epiſtolas dehortatorias ad Romanos & Conradum, *CCXLII. & ſeq. CCCXXII.*) una cum aliis Regibus ac Principibus *Bellum Sacrum* & infauſtam expeditionem in Palæſtinam ſuſcipere, atque ita Clero Romano ſatis otii ac temporis relinquere ad ſtabiliendam monarchiam. Putandum tamen haud eſt, id ex eo proveniſſe, quod Deus faveret cauſæ Pontificum & Curiæ Romanæ potiùs, quàm Imperatorum Germanicorum, ut videtur Baronio *ad A. C. 1141. §. fi.* Sed quod nondum adeſſet fatalis ille terminus, ad quem usque DEUS O. M. permittendo decreverat durationem ſacræ Papalis potentiæ, & in quo tandem conſummanda erant verba DEI. Quod vero *Blondellus* totum Imperium in urbem Romam & Italiam Conrado exinde abjudicare contendit, id ſatis refutavit *Bœclerus diſſert de S. Rom. Imp.* Conſ. *lib. V. c. 1. §. IX.*

§. XIV.

§. XIV.

Cæterum obtinuit tamen Populus Rom. ut per ſemiſeculum ſumma in Vrbem & agrum Romanum poteſtas Pontifici abrogata fuerit: qua de re audiamus M Ant. Marcellum *de Jur. Secul. Rom. Pontif. c. XI* *At cum Romani rurſum animos ſumerent, & dominandi jus ab ſe abdicari nequaquam ſe laturos profiterentur, denuo Pontificibus negotium faceſſere cœperunt, & per quinquaginta totos annos in id incubuerunt, ut ſibi regni gubernaculum è manibus non extorqueretur. Ipſi enim anno circiter 1143. Senatores, qui Remp. & Reip. ſubjectos agros ditione ſua regerent, crearunt. Quorum conatus dum Pontifex compeſcere laborat, in eosque Anathematum fulmina ejaculatur, extremum diem obit. Hæc Anathematis ſententia in Romanum Populum emiſſa obſtitit, quin ipſe novi Pontificis electione intereſſet. Quod uſu poſtea ſuſceptum eſt, clero inſuper per temporum gradus ab Electione Pontificis amoto, totaque in Cardinalium Præſulum voto conſtituta.* In electione tamen Hadriani IV concurrerunt Laici cum Clericis, ut ex Codice Vaticano refert Baronius *ad A. C. 1154. §. IV.* Henricus vero VII. jus conſtituendi magiſtratus ac Senatum etiam ante ſuſceptam Romæ coronam ibi exercuit, in Capitolio præſidens judicio Ludovicum Sabaudum Senatoria dignitate decoravit *Aut. vitæ Balduini ArchiEp. Trev. l. 2. c. 14.* Sed pergit poſt pauca Marcellus: *Quibus peractis rebus, Romani etiam Ananiam progreſſi, pacem ab eo* (Alexandro III.) *poſtularunt, quæ præ manibus haberi cœpta eſt, petente pontifice, ut, Conſulum Magiſtratu penitus ab urbe amoto, ſibi integrum dominium permitteretur. Cui cum Romani obluctarentur, nec id, quod per quinquaginta totos annos ſartum fuerat, convellere in ani-*

mum inducerent, Tuſculum ille ſe rurſum contulit, ut proximior ſui deſiderium populo concitaret. Hic tandem mutua conventione actum eſt, ut Conſules à populo crearentur, non tamen ad Remp. admitterentur, niſi prius ad Pontificis pedes ſeſe jurejurando obſtrinxiſſent, rem Pontificis, & Eccleſiæ ex fide geſturos.

§. XV.

Sed mox aut Conſulum aut Banderariorum poteſtas in tantum excrevit, ut Pontifices ſubinde ei cedere coacti usque ad Bonifacium IX. *qui*, ſunt iterum verba Marcelli, *cum Aſſiſii anno 1400. præ foribus exiſtente, vitam ageret, per Legatos Romanorum rogatus eſt, ut ſe in urbem conferret, quo frequentior hominum multitudo, eo præſente ad Jubilæi celebritatem conflueret. Hoc etſi magnopere pontifici in votis eſſet compreſſo tamen ſimulatione deſiderio, reſpondit, lubenter abeſſe ab Roma cum Senatores advenas ab Vrbano acceptare recuſarit. Ærarii Præfectis, quos ſua ſibi ſtultitia finxerant, Senatorum munus obeuntibus, Banderariorum libidini cuncta permittentibus, dominatu in tyrannidem verſo, & re malo conſilio geſta continuante, quod ipſe ferre nequaquam poſſet. Hoc Romani permoti reſponſo Malateſtam Piſauri Dominum à Pontifice Senatorem acceperunt, Banderariorum abolere licentiam ſpoſponderunt, ad Bonifacium, ut Romam migraret, Legatos iterum miſerunt. Quo poſteaquam ille devenit, Sancti Angeli Caſtrum firmiori præcinxit munimine, & totius Vrbis Imperium lenta unus prehendit manu. Hac rerum, & caſuum viciſſitudine Roma, quæ prius Cæſarum Orientalium arbitrio ſubjecta fuerat, in Pontificum poteſtatem poſt longam annorum ſeriem eſt collapſa. Inanem tamen etiamnum Romani quandam libertatis & Dominii retinent imaginem. Nonnullos enim*

enim ſibi magiſtratus creant titulo aliquos Conſervatorum, aliquos Caporionum, aliquos alio; eis veteri more præterea à Pontifice, Senatore conceſſo, qui una cum Conſervatoribus ad jus dicendum ſedet in Capitolio, ubi populus adhuc ad conferenda conſilia ſolitus convenire: argumenta regni in ſpeciem inventa, quo multitudinis imperitæ animi circumveniantur. Non enim Romani niſi in Romanos, & de levioris momenti cauſis ferre queunt ſententias. Cætera ſibi, ſuisve agglomeravit Pontifex.

CONRADI III. IMPERAT. AUG.
RESCRIPTUM
AD
IOANNEM COMNENVM
IMP. CONSTANTINOP.

CONRADVS *Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, Joanni eadem gratia Conſtantinopolitano Imperatori ſalutem & dilectionem fraternam, amicitiam, honorem, & gloriam.*

1. *Vt parentes noſtri, videlicet Romanorum Imperatores, anteceſſores noſtri, ad anteceſſores veſtros, ſcilicet regnum & populum Græcorum conſtituerunt, conſtituo: & ſicut ſervaverunt, conſervabo.*

2. *Non eſt gens, regnum, aut populus, qui non noverit, noſtræ Romanæ Reipubl. veſtram novam Romam & dici & fore filiam, ex hujusque radice ramos & fructus ejus proceſſiſſe. Propter quod hæreditatem, quæ à matre debetur filiæ, conſtituimus, æternamque volumus; & eò am-*

plius, quod quæ matri debentur, filiam velle cernimus, ſcilicet ut auctoritas materna præcinat conſilio, auxilio; reſpondeat autem gloria & honore filiaſtina dilectio.

3. Sint ergo res utriusque communes; utriusque amicus idem, idem inimicus, ſive in terra ſive in mari: ac cognoſcat ac timeat matris virtutem & valentiam, qui non honoraverit filiam, ſive Nortmannus, ſive Siculus, ſive quis alter quicunque, ubicunque. Neque enim obliti ſumus, vel ego vel Principes noſtri Imperii, quoscunque hoſtium noſtrorum incurſus vel invaſiones in Imperium, & magnificentiam Romanam. Sed cum divina clementia ſubveniet, retribuemus unicuique ipſorum ſecundum multitudinem ipſorum malitiæ. Videbit ergo & audiet univerſa regnorum latitudo, quàm facili manu proſternentur latrones, qui inſurrexerunt in utriusque imperii noſtri monarchiam: quia cooperante Deo, ſi alas excutiemus, hoſtem modò volitantem capiemus, & cordis ejus eviſcerabimus audentiam, quæ modo extollitur contra utriusque Imperii noſtri honorem & gloriam. Conſervamus igitur quæ juſta & amicabilia ſunt ad vos: eadem vos ad nos: & tanto ſtudioſius, quanto per conjugium ſororis dilectiſſimæ conjugis noſtræ, Imperatricis videlicet nobiliſſimæ, & filii tui confœderati ſumus propinquiùs.

4. Verum quia de noſtris hilareſcere ſucceſſibus, dilectionis & nobilitatis tuæ credimus experientiam, quid poſt diſceſſum prudentiſſimorum Apocriſiariorum tuorum, in generali & ſolenni curia cum univerſis Imperii noſtri Principibus celebrata, cui eos intereſſe voluimus, Deo auxiliante actum ſit, tibi ſicut unico fratri noſtro & amico dilectiſſimo dignum duximus intimare. Noveris igitur, quod omnes, qui Imperium noſtrum offendiſſe videbântur, cooperante

Deo,

Deo, potenter in noſtro Imperiali jure inclinavimus, eosque in plenitudinem gratiæ noſtræ ſuſcipientes, univerſas Imperii noſtri partes abundanti pace ditavimus. Ad hoc Francia & Hiſpania, Anglia, Dania, cæteraque regna Imperio noſtro adjacentia, quotidiana legatione ſua, cum debita reverentia & obſequio nos frequentant, ad ea, quæ Imperii noſtri mandata ſunt, ſe promta eſſe tam obſidibus quam Sacramentis affirmantes.

5. Nolumus etiam latere diſcretionis tuæ prudentiam, quòd Dominus Papa, totaque Apulia, Italia & Longobardia, de die in diem adventum noſtrum deſiderant: & ut noſtra eis Imperiali ſubveniamus potentia, cum omni devotione expoſtulant. Hujus rei gratia dilectiſſimum & præcordialem Imperii noſtri Principem Embriconem, venerabilem Herbipolenſem Epiſcopum, amicum tuum, ad exquirendam Domini Papæ voluntatem Romam miſimus. Cognita vero ipſius circa nos voluntate, communicato Principum noſtrorum conſilio, ea quæ ad utriusque Imperii noſtri honorem ſpectant, per chariſſimos & prudentes Nuncios noſtros, Robertum ſcilicet Principem Capuanum, illuſtrem utique virum & nobilem nobisque fidelem, nec non Albertum dilectum Capellanum noſtrum & in fide conſtantem, tuæ ſignificamus nobilitati.

6. Hos igitur tanquam nos audias, & quæ tibi dixerint, ſicut decet excellentiam tuam, ſicut de te ſperamus & credimus, ad effectum perducas, & honeſtos & idoneos Apocriſiarios tuos una cum Nunciis noſtris ſine dilatione ad nos remittas.

7. Præterea de Rutenis, qui ad contemptum Imperii noſtri occiſis hominibus noſtris, pecuniam noſtram ſibi

ſurpaverunt, ſicut convenit in cauſa amici & propinqui tui, & ſicut nobis ſcripſiſti, ita facias.

8. Militibus quoque Imperii noſtri, Alemanis ſcilicet, qui apud te ſunt, ſicut decet excellentiam tuam, benignus exiſtas.

9. Nihilominus etiam te rogamus, ut hominibus Imperii noſtri Teutonicis videlicet, qui Conſtantinopoli morantur, locum, in quem ad honorem Dei Eccleſiam ædificent, concedas, tum reſpectu divinæ remunerationis, tum & interventu & petitione noſtræ dilectionis. Recordari quoque debet tua diſcretio, quod nos in literis prioribus, per præfatum Capellanum noſtrum tuæ nobilitati præſentatis, hoc idem à te pro Dei amore & honore petivimus: quia ſi ipſe, qui dat ſalutem Regibus, fuerit in medio noſtri, certum eſt quod non gaudebunt inimici noſtri.

Datum XVIII. Aprilis, MCXLII. Ratiſponæ, in Chriſto feliciter, Amen.

LIBER QUINTUS.

DE

LIBERTATE ECCLESIARUM GERMANIÆ

ET

ΑΚΜΗ MONARCHIÆ ROMANÆ PONTIFICIÆ.

CAPUT PRIMUM.

JURA SACRA IMPERATORI ET ECCLESIIS GERMANIÆ, RESERVATA A FRIDERICO ASSERTA.

SUMMARIA.

Amicitia inter Imp. Fridericum & Eugenium III. non diuturna. Auth. Gazaros. cauſa Archiepiſcopatus Magdeburgenſis collatio ab Imp. facta Wigmanno Epiſ. Citicenſi. Canon de translatione Epiſcoporum, habet exceptiones ſuas. Deſponſatio Paſtoris & Eccleſiæ quæ ſit. Cognitio cauſæ de caſibus exceptis pertinet ad Epiſcopos Germaniæ. Mos tenendi ſtreguam Papæ ab Imp. Gloſſa Lat. ſpeculi Sax. l. 1. a. 1. notatur.

Edi-

Editio Juris Saxonici repurgata deſideratur. Summum jus in Vrbem Romam & Patrimonium Petri adſertum Germanis itemque in Siciliam.

§. I.

Friderici & Papa fœdus.

SUppreſſa Libertas Eccleſiarum noſtrarum, ne qua ſe ſe erigeret iterum, prima Pontificis Eugenii III. ſollicitudo fuit, cum recens electo Friderico Imp. renovare priora pacta, & fœdus contra Senatum P. Q. R. Regemque Siciliæ Rogerium pangere, cujus fœderis tabulas ex Bibliotheca Vaticana protulit Baronius *ad A.C.1152.§. V.* Quo etiam factum, ut Arnoldus, qui auctor aſſertæ Romanorum Libertatis credebatur, à Friderico captus, ad rogum damnatus, combuſtusque fuerit, & *Arnoldiſtæ* poſtea à Friderio II. inter hæreticos relati, *Auth. Gazaros. C. de Heret. cap. pen. X. de hæret.*

§. II.

Reſervatum Imp. circa Conſt. Epiſc.

Sed non impediit iſtud fœderis, quin jure ſuo utens exemplum ſtatueret Imperator reſtrictæ conceſſionis de conſtitutione Epiſcoporum, Wigmannum Epiſcopum Citicenſem ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem transferendo. Reſervatum enim erat in iſtâ ceſſione, ut, quoties in electione diſſentirent clerici, jus conſtituendi integrum eſſet Imperatori, ut ex Reverſalibus Henrico V. datis conſtat, & teſtis eſt Otto Friſing. *l. 1. de geſt. Frid. c. VI.* ait: *Tradit enim curia & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico V. de Inveſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter regnum & Sacerdotium controverſia, ſibi conceſſum autumat, quod obeuntibus Epiſcopis ſi forte in eligendo partes fiant, Principis arbitrii eſſe Epiſcopum quem voluerit ex primatum ſuorum concilio ponere;* (etiam per translationem

ab

ab una Eccleſia ad alteram) *nec Electum aliquem ante conſecrandum, qvam ab ipſius manu regalia per ſceptrum ſuſcipiat.* Cum poſteriori convenit Jus Saxon. Prov. *lib. 3. art. LIX. Cum electus fuerit Epiſcopus Abbas, Abbatiſſa, qui ſcuto fruuntur bellico, tales primò tenentur à Rege feudum recipere, & poſtea ab Eccleſia curam ſpiritualem.*

§. III.

Sed Eugenius Papa III. hoc attentatum adverſus Majeſtatem Papalem ratus, ſuccenſus Imperatori, & Epiſcopis Germaniæ, dehortatorias literas ad Epiſcopum Salzburgenſem, Bremenſem, Trevirenſem, Babenbergenſem, Conſtantienſem, Ratisb. Friſingenſem, Pragenſem, Hamelburgenſem & Eichſtatenſem miſit quas recitat Otto Friſingenſis, in iis urgens *translationes Epiſcoporum* ſine manifeſtæ utilitatis judicio non permittendas eſſe; at in præſenti cauſa de Wigmanno Epiſcopo Citicenſi ad Epiſcopatum Magdeburgenſem transferendo, nihil horum eſſe, ſed ſolum favorem Principis, clero etiam ex parte maxima reclamante; atque perſona transferenda cujus gravitatis eſſet atque ſcientiæ, ex anteactis non ignorari. *De transferendis Epiſcopis.* *Reg.*

§. IV.

Atque in eo Eugenius graviter atque ex more veteris Eccleſiæ monuit, regulariter translationes eſſe illicitas, *ut dixi lib. 1. Inſt. Jur. Canon. t. XVI.* §. *XI. 3. conf. Strauch. Amœnitat. Jur. Canonic. Ecl. IV. c. 7. ſeqq.* Planè exempla translationum plurima recenſentur lib. 2. Sententiar. Synodalium, qui eſt liber IV. Juris Græco Romani, *Tom. 1. p. 293.* Ita enim mos vetuſtiſſimus Eccleſiæ, quum turpe eſſet *perſecutionum* tempore deſerere Eccleſiam, & aliam tutiori in loco amplecti. Tranquillatis porro *Ratio.*

 Eccle-

Eccleſiæ rebus plerumque *ambitio & avaritia* anſam dabat translationibus. Nam quod Innocentius III. ex jure quodam *conjugali* inter Eccleſiam & Paſtorem obligationem hanc indiſſolubilem fingit, id à *Fr. Duareno* recte improbatum, *lib. V. de SS. Eccl. miniſter. c. 3. add. M. Ant. de Dom. l. III. de Rep. Eccl. c. VII.* Enimvero Juri divino magis conſonum eſt, dicere; quamvis Eccleſiam deſponſari non Epiſcopo ſuo, ſed per hunc CHRISTO ſponſo ſuo vero atque unico, quod exemplo ſuo docet S. Paulus *2. Cor. XI. 2.* Paſtores porro non ſunt ſponſi, ſed paranymphi, aut οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος *Matth. IX, 15.* Iſti vero, qui ſponſos ſeſe maritosve jactitant, in eorum fere ſunt numero, de quibus prædixit Chriſtus, quod venturi ſint in nomine ejus, dicentes: *Ego ſum Chriſtus Matth. XXIV. Luc. XXI, 8.*

Deſponſatio paſtoris & Eccleſiæ ſuæ.

V.

Cæterum cognitionem cauſæ, an utile eſſet, aut neceſſarium Eccleſiæ Magdeburgenſi Wigmannum, Epiſcopum Citizenſem eo transferri, diſſidentibus inter ſe Canonicis? nondum Eugenius ad ſe ſe ſolum pertinere, aſſerere audens, quod Innocentius III. demum fecit, *t. t. X. de translat. Epiſc. Strauch. Amœnit. J. C. Ecl. IV. c. IX.* Hactenus vero hæc libertatis Eccleſiaſticæ ſpecies Metropolitano, & Epiſcopis Provinciæ integra erat, ſecundum *Can. XXVII. Concil. Carthag. IV. c. Epiſcop. de loco. 38. cau. 7. q. 1.* Imperatoris denique partes ut olim præcipuæ, jure ſummæ poteſtatis in Rep. circa Magiſtratus ſacros & perſonas, resque Eccleſiaſticas: ita etiamnunc per litteras Reverſales Henrico V, à Calixto datas, hoc jus in iſtis caſibus Imperatori reſervatum, quoties inter clericos eligentes diſcordia emerſerit, ut tunc Imperator Metropolitanor. & Provincia-

Cognitio de caſu excepto ad quem pertineat.

cialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum, & auxilium præberet, ut ſuperius ſuo loco oſtendimus Atque quum præter Decanum, & partem Cleri Magdeburgici, etiam Archiepiſcopus Trevirenſis, Salzburgenſis, Pragenſis, cæterique Epiſcopi antea nominati, hanc translationem approbaſſent, non erat, quod hic conquereretur Pontifex.

§. VI.

Quam cauſæ juſtitiam, & eventus hic ſecutus, ut ſucceſſor Eugenii Anaſtaſius IV. A. C. 1154. & translationem probaret, & pallium mitteret; qua re libertas Eccleſiæ Germanicæ defenſa, & auctoritas Imperatoris adaucta. Quæ ita narrat Otto Friſing. Epiſcopus. *A quo Anaſtaſio, dum Cardinalis quidam Gerardus nomine ad terminandum Magdeburgenſis Electi cauſam miſſus fuiſſet, ac Principem in eadem civitate Natale Domini celebrantem adiiſſet, cum quædam ibi ſecus illius nutum tractare vellet, indignationem ejus incurrens, infectis negotiis pro quibus venerat, mandatis ſeverioribus inglorius redire coactus, invita etiam vita deceſſit. Verum Princeps miſſis ad Anaſtaſium cum Guicmanno novo Archiepiſcopo ab ipſo intruſo Nuntiis, non ſolum facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit, non ſine quorundam ſcandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere à proprio ipſorum ore audieram. Ex hinc non ſolum in ſecularibus, ſed & in Eccleſiaſticis negotiis diſponendis auctoritas principis plurimum crevit.* *Libertas Eccleſiæ Germ. reſervata per Frid. aſſerta.*

§ VII.

Huic auctoritati adverſari miniſterium iſtud ſervile quaſi, *Suppedaneum* Pontifici adſcendenti equum tenendi, ratus Imperator. Suppedaneum ſive ſtapes appellatur *mos tenēdi ſtrepam Papæ.*

in Actis Hadriani *ſtregua* pro ſtreuga: ſicut eadem acta: Tregua pro treuga, A. 1177:21. Alias etiam *Strepa*, & *Streva*, vid. Dufrenii Gloſſarium. an contractum ex German. *Stereif: Stegreif?* quum Romam ad ſolennia coronationis peragenda peteret, occurenti Pontifici officium hoc ſtratoris detrectavit, *tandem requiſitis antiquioribus Principibus*, ut ex actis recitat Baronius ad A. C. 1155, §.IIX, *qui cum rege Lothario ad Papam Innocent. venerant, & priſca conſuetudine diligenter inveſtigata: ex relatione illorum & veteribus monumentis judicio principum decretum eſt, & communi favore totius regalis Curiæ roboratum, quod idem rex pro Apoſtolorum prædictorum reverentia prædicto Papæ Hadriano exhiberet ſtratoris officium, & ejus ſtreguam teneret ad conſcendendum in equum.* Enimvero obſequioſa hæc civilitas Impp. & Regum, ſalva ſumma Majeſtate Imperatoria Regiave, intuitu SS. Miniſterii & Poteſtatis ſacræ internæ, utique fieri poterat, ut ſuperius ex conſtitutione Carolina & aliis quoque ex fundamentis fuit demonſtratum.

§. VIII.

Gl. Lat. ſpec. Sax. l.1. a.1. Quod verò Gloſſator Latinus *in Artic. I. Speculi Sax. lib.1. lit. B.* ait: *oſtendere hoc Imperatoris miniſterium, Papam ab Impp. pro ſuperiore agnoſci, & obſequium, reverentiamque ipſi ab iis præſtari per omnia debere*; id quidem falſiſſimum eſt, & ex palea iſta, de ficta, & pridem exploſa donatione Conſtantini M. hauſtum. Nec mirum quum *autor novarum* harum *additionum*, ut vocantur ab editoribus, fuerit Curiæ Romanæ aliquod mancipium, in extrema tenebrarum Romanarum denſitate Seculi XV. latitans. Indignum hoc & alia, quæ à noviſſimo editore Lipſienſi in præjudicium Majeſtatis Imperii & Libertatis

Germanicæ, absque ſcutica ſaltem & animadverſione ſub privilegiis Imperialibus & Electoralibus denuo ederentur, ut non immerito Viri Prudentes novam ac Saniorem Juris Saxonici editionem deſiderent. *Editio J. Sax.*

§. IX.

Fridericus porrò quàm non agnoverit Papam pro Superiore, nec Imperium ejus ſaltem in Vrbem Romanam, multo minus in cæteras civitates Italiæ & in ipſo, quod vocant, Petri Patrimonio, patefaciunt, quæ eodem tempore, & ſub Coronationis ſolennitate acta geſta ſunt. Nam quum Senatus P. Q. Rom. abrogata Pontificis in Vrbem poteſtate, per Legatos, ſed ſuperbius, quam deceret ſubditos, faſces ſubmitteret: Interrupta Legatorum oratione, auguſta reprehenſione uſus fuit, quam Otto Friſingens. enarrat, in qua Romam ſuam vocat, cujus antiqua gloria, Senatus, Magiſtratus, ordo Equeſtris, & omnis virtus in Remp. Teutonicam eſſet transfuſa. *Ad nos*, inquit, *ſimul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non ceſſit nobis nudum Imperium; virtute ſua amictum venit, ornamenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt Conſules tui, penes nos eſt Senatus tuus, penes nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi de conſilio regere, Equites Francorum ipſi tuam ferro injuriam propellere debebunt.* Et mox: *Principem tuum, militem meum feci, teque deinceps usque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus poſſeſſor ſum, eripiat quis, ſi poteſt, clavam de manu Herculis.* O digna principe verba germano ſanguine oriundo! *Summum jus in urbem Rom.*

§. X.

Porro qvum eodem coronationis anno civitas *Tiburtina*, rejecto Papæ jugo, claves civitatis Friderico offer- *& patrimon. Pe-*

CAPUT II.

De DEPENDENTIA BENEFICIARIA IMPERII A S.R. PRÆTENSA.

SUMMARIA.

Pictura Lateranenſis de Lotharii inveſtitura: anſa ſuſpicionis ſiniſtræ de intentione S. R. confirmatæ per dogma de dependentia Imp à S. R. profeſſum à Nuncio. Imperatoris defenſio & aſſertio independentiæ ſuæ ex J. Div. Verbum DEI Decretis Papalibus Germani prætulerunt. Imperium à DEO immediatè. Ambiguitas Romanenſis. Epiſcoporum Germ. παῤῥησία & exprobratio. Status S. R. ex colloquio ſecretiori Jo. Sareſberienſis cum Hadriano IV. relatus. Papa cedit Imperatori, agnoſcit Urbis dominum, & declarat Beneficii ſignificationem.

§. I.

SUpra cum de Lothario Imp. fuit tractatum, picturæ Lateranenſis meminimus adſcriptis verſibus: *Rex venit ante fores &c.* Hæc etſi ſub prætextu ſpecialis vaſallagii de feudo Mathildis Comitiſſæ primum defenſa fuerit, quoniam tamen generatim concepta verba, & vaſallagium coronationi conjunctum, ut ſtudio quæſita contumelioſa ambiguitas poſteris perſuaderet coronam Imperialem feudi jure à Sede Rom. dependere, ideo Fridericus Imp. Romæ conſiſtens re comperta, ægerrimè hoc tulit elogium, eoque Papam adegit, ut abolitionem ejus decerne- *Pictura Lateran. abolitio.*

neret. Radevicus: *A nonnullis Romanorum temerè affirmari, Imperium Vrbis, & regnum Italicum donatione Pontificum Reges noſtros hactenus poſſediſſe, idque non ſolum, dictis, ſed & ſcriptis atque picturis repræſentare, & ad poſteros transmittere. Unde de Imperatore Lothario, in palatio Lateranenſi ſuper hujuscemodi pictura ſcriptura eſt:*

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores.
Poſt homo fit Papæ: ſumit quo dante coronam.

Talis pictura, talisque ſuperſcriptio Principi, quando alio anno circa urbem fuerat per fideles Imperii delata cum vehementer diſplicuiſſet, amica prius invectione præcedente laudamentum à Papa Hadriano accepiſſe memoratur, ut & ſcriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam una res ſummis in orbe viris litigandi & diſcordandi præberet materiam.

§. II.

Occaſio & cauſa diſſidii Imp. & Papæ.

Quomodo curia Romana laudamentum ſeu decretum executa ſit, colligi licet ex epiſtola Imperatoris ad Epiſcopos Germaniæ, & horum ad Pontificem Hadrianum, quam mox apponemus, in qua adhuc urgetur, ut *picturæ deleantur, ſcripturæ retractentur.* Scilicet quamprimum Imperator Italiâ exierat, verba ſibi data ſentiebat. Acceſſit mox *fœdus cum Siculo*, in præjudicium, Imperii, & ad Imperatoris invidiam, ſtabiliendæ contrà potentiæ ſacræ gratia: Donec *Romanæ legationis literæ* ad Imperatorem Biſuntii Curiam celebrantem, non veritæ amplius prodere ſententiam Romanæ ſedis, de dependentia Imperatoris & Imperii à beneficio ſedis Romanæ. Sic enim habent: *Debes enim glorioſiſſime Fili, ante oculos mentis reducere, quam gratãter, & quam jucunde alio anno, mater tua, S.S. Romana Eccleſia te ſuceperit, quanta cordis af-*

dogmata de dependẽtia Imp. à Papâ.

affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem CONTULERIT & Honoris, & qualiter Imperialis inſigne Coronæ libentiſſimè conferens, benigniſſimo gremio tuæ ſublimitatis apicem ſtuduerit confovere nihil prorſus efficiens, quod regiæ voluntati, vel in minimo cognoſceret obviare. Neque tamen pœnitet nos, deſideria tuæ voluntatis in omnibus impleviſſe: Sed ſi majora BENEFICIA Excellentia tua DE MANU NOSTRA ſucepiſſet. &c.

§. III.

In qua illud quidem modeſtiæ Hadrianus quippe Anglus natione, adhibuit, ut non more Hildebrandino ſtatim Excommunicationis fulmen de arreſtato Conterraneo Archiepiſcopo Londinenſi, fibraret, cæteroquin incautus, quod arcana ſedis de ſubjugando Imperatore & Imperio intempeſtivè proderet. Incautior Nuncius, qui, *cum ſtrepitus & turba inter Optimates Regni de tam inſolita Legatione magis ac magis incaleſceret, quaſi gladium igni adderet,* ut habet Radevicus, *dixiſſe fertur; A quo ergo habet, ſi à Domino Papa non habet Imperium? ob quod dictum eo proceſſiſſe iracundiam, ut Otto Palatinus Comes de Bavaria propè exerto gladio cervici illius mortem intentaret, niſi Fridericus Imp. auctoritate præſentia ſua interpoſita tumultum compeſcens, Legatos dimiſiſſet, addens in mandatis, ne hac vel illac in territoriis Epiſcoporum ſeu Abbatum vagarentur, ſed recta via, nec ad dextram, neque ad ſiniſtram declinantes, reverterentur ad urbem.* *Legatio Papalis.*

§. IV.

Satis hinc cauſæ eſſe reputans Imperator iniquitatem toti Chriſtiano Orbi demonſtrare, *per univerſum Regni ambitum provide,* inquit Radevicus, literis circularibus manifeſtavit, quid factum fuerit, exponens rationem ad- *Imperatoris Manifeſtum vel Apologia.*

Editio Juris Saxonici repurgata deſideratur. Summum jus in Vrbem Romam & Patrimonium Petri adſertum Germanis itemque in Siciliam.

§. I.

Friderici & Papæ fadus.

Suppreſſa Libertas Eccleſiarum noſtrarum, ne qua ſe ſe erigeret iterum, prima Pontificis Eugenii III. ſollicitudo fuit, cum recens electo Friderico Imp. renovare priora pacta, & fœdus contra Senatum P.Q.R. Regemque Siciliæ Rogerium pangere, cujus fœderis tabulas ex Bibliotheca Vaticana protulit Baronius *ad A.C.1152.§.V.* Quo etiam factum, ut Arnoldus, qui auctor aſſertæ Romanorum Libertatis credebatur, à Friderico captus, ad rogum damnatus, combuſtusque fuerit, & *Arnoldiſtæ* poſtea à Friderio II. inter hæreticos relati, *Auth. Gazaros. C. de Hæret. cap. pen. X. de hæret.*

§. II.

Reſervatum Imp. circa Conſt. Epiſc.

Sed non impediit iſtud fœderis, quin jure ſuo utens exemplum ſtatueret Imperator reſtrictæ conceſſionis de conſtitutione Epiſcoporum, Wigmannum Epiſcopum Citicenſem ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem transferendo. Reſervatum enim erat in iſtâ ceſſione, ut, quoties in electione diſſentirent clerici, jus conſtituendi integrum eſſet Imperatori, ut ex Reverſalibus Henrico V. datis conſtat, & teſtis eſt Otto Friſing. *l. 1. de geſt. Frid. c. VI.* ait: *Tradit enim curia & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico V. de Inveſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter regnum & Sacerdotium controverſia, ſibi conceſſum autumat, quod obeuntibus Epiſcopis ſi forte in eligendo partes fiant, Principis arbitrii eſſe Epiſcopum quem voluerit ex primatum ſuorum concilio ponere;* (etiam per translationem

ab

ab una Eccleſia ad alteram) *nec Electum aliquem ante conſecrandum, quam ab ipſius manu regalia per ſceptrum ſuſcipiat.* Cum poſteriori convenit Jus Saxon. Prov. *lib. 3. art. LIX. Cum electus fuerit Epiſcopus Abbas, Abbatiſſa, qui ſcuto fruuntur bellico, tales primò tenentur à Rege feudum recipere, & poſtea ab Eccleſia curam ſpiritualem.*

§. III.

Sed Eugenius Papa III. hoc attentatum adverſus Majeſtatem Papalem ratus, ſuccenſus Imperatori, & Epiſcopis Germaniæ, dehortatorias literas ad Epiſcopum Salzburgenſem, Bremenſem, Trevirenſem, Babenbergenſem, Conſtantienſem, Ratisb. Friſingenſem, Pragenſem, Hamelburgenſem & Eichſtatenſem miſit quas recitat Otto Friſingenſis, in iis urgens *translationes Epiſcoporum* ſine manifeſtæ utilitatis judicio non permittendas eſſe; at in præſenti cauſa de Wigmanno Epiſcopo Citicenſi ad Epiſcopatum Magdeburgenſem transferendo, nihil horum eſſe, ſed ſolum favorem Principis, clero etiam ex parte maxima reclamante; atque perſona transferenda cujus gravitatis eſſet atque ſcientiæ, ex anteactis non ignorari.

De transferendis Epiſcopis.

Reg.

§. IV.

Atque in eo Eugenius graviter atque ex more veteris Eccleſiæ monuit, regulariter translationes eſſe illicitas, *ut dixi lib. 1. Inſt. Jur. Canon. t. XVI.* §. *XI. 3. conf. Strauch. Amœnitat. Jur. Canonic. Ecl. IV. c. 7. ſeqq.* Planè exempla translationum plurima recenſentur lib. 2. Sententiar. Synodalium, qui eſt liber IV. Juris Græco Romani, *Tom. 1. p. 293.* Ita enim mos vetuſtiſſimus Eccleſiæ, quum turpe eſſet *perſecutionum* tempore deſerere Eccleſiam, & aliam tutiori in loco amplecti. Tranquillatis porro

Ratio.

Eccleſiæ rebus plerumque *ambitio & avaritia* anſam dabat translationibus. Nam quod Innocentius III. ex jure quodam *conjugali* inter Eccleſiam & Paſtorem obligationem hanc indiſſolubilem fingit, id à *Fr. Duareno* recte improbatum, *lib. V. de SS. Eccl. miniſter. c. 3. add. M. Ant. de Dom. l. III. de Rep. Eccl. c. VII.* Enimvero Juri divino magis conſonum eſt, dicere; quamvis Eccleſiam deſponſari non Epiſcopo ſuo, ſed per hunc CHRISTO ſponſo ſuo vero atque unico, quod exemplo ſuo docet S. Paulus *2. Cor. XI. 2.* Paſtores porro non ſunt ſponſi, ſed paranymphi, aut οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος *Matth. IX, 15.* Iſti vero, qui ſponſos ſeſe maritosve jactitant, in eorum fere ſunt numero, de quibus prædixit Chriſtus, quod venturi ſint in nomine ejus, dicentes: *Ego ſum Chriſtus. Matth. XXIV. Luc. XXI, 8.*

Deſponſatio paſtoris & Eccleſiæ ſuæ.

V.

Cæterum cognitionem cauſæ, an utile eſſet, aut neceſſarium Eccleſiæ Magdeburgenſi Wigmannum, Epiſcopum Citizenſem eo transferri, diſſidentibus inter ſe Canonicis? nondum Eugenius ad ſe ſe ſolum pertinere, aſſerere audens, quod Innocentius III. demum fecit, *t. t. X. de translat. Epiſc. Strauch. Amœnit. J. C. Ecl. IV. c. IX.* Hactenus vero hæc libertatis Eccleſiaſticæ ſpecies Metropolitano, & Epiſcopis Provinciæ integra erat, ſecundum *Can. XXVII. Concil. Carthag. IV. c. Epiſcop. de loco. 38. cau. 7. q. 1.* Imperatoris denique partes ut olim præcipuæ, jure ſummæ poteſtatis in Rep. circa Magiſtratus ſacros & perſonas, resque Eccleſiaſticas: ita etiamnunc per litteras Reverſales Henrico V, à Calixto datas, hoc jus in iſtis caſibus Imperatori reſervatum, quoties inter clericos eligentes diſcordia emerſerit, ut tunc Imperator Metropolitanor. & Provincia-

Cognitio de caſu excepto ad quem pertineat.

cialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum, & auxilium præberet, ut ſuperius ſuo loco oſtendimus. Atque quum præter Decanum, & partem Cleri Magdeburgici, etiam Archiepiſcopus Trevirenſis, Salzburgenſis, Pragenſis, cæterique Epiſcopi antea nominati, hanc translationem approbaſſent, non erat, quod hic conquereretur Pontifex.

§. VI.

Quam cauſæ juſtitiam, & eventus hic ſecutus, ut ſucceſſor Eugenii Anaſtaſius IV. A. C. 1154. & translationem probaret, & pallium mitteret; qua re libertas Eccleſiæ Germanicæ defenſa, & auctoritas Imperatoris adaucta. Quæ ita narrat Otto Friſing. Epiſcopus. *A quo Anaſtaſio, dum Cardinalis quidam Gerardus nomine ad terminandum Magdeburgenſis Electi cauſam miſſus fuiſſet, ac Principem in eadem civitate Natale Domini celebrantem adiiſſet, cum quædam ibi ſecus illius nutum tractare vellet, indignationem ejus incurrens, infectis negotiis pro quibus venerat, mandatis ſeverioribus inglorius redire coactus, invita etiam vita deceſſit. Verum Princeps miſſis ad Anaſtaſium cum Guicmanno novo Archiepiſcopo ab ipſo intruſo Nuntiis, non ſolum facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit, non ſine quorundam ſcandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere à proprio ipſorum ore audieram. Ex hinc non ſolum in ſecularibus, ſed & in Eccleſiaſticis negotiis diſponendis auctoritas principis plurimum crevit.*

Libertas Eccleſiæ Germ. reſervata per Frid. aſſerta.

§ VII.

Huic auctoritati adverſari miniſterium iſtud ſervile quaſi, *Suppedaneum* Pontifici adſcendenti equum tenendi, ratus Imperator. Suppedaneum ſive ſtapes appellatur

mos tenēdi ſtrepam Papæ.

in Actis Hadriani *ſtregua* pro ſtreuga: ſicut eadem acta: Tregua pro treuga, A. 1177: 21. Alias etiam *Strepa*, & *Streva*, vid. Dufrenii Gloſſarium. an contractum ex German. *Stereif: Stegreif?* quum Romam ad ſolennia coronationis peragenda peteret, occurenti Pontifici officium hoc ſtratoris detrectavit, *tandem requiſitis antiquioribus Principibus*, ut ex actis recitat Baronius ad A. C. 1155, §. IIX, *qui cum rege Lothario ad Papam Innocent. venerant, & priſca conſuetudine diligenter inveſtigata: ex relatione illorum & veteribus monumentis judicio principum decretum eſt, & communi favore totius regalis Curiæ roboratum, quod idem rex pro Apoſtolorum prædictorum reverentia prædicto Papæ Hadriano exhiberet ſtratoris officium, & ejus ſtreguam teneret ad conſcendendum in equum.* Enimvero obſequioſa hæc civilitas Impp. & Regum, ſalva ſumma Majeſtate Imperatoria Regiave, intuitu SS. Miniſterii & Poteſtatis ſacræ internæ, utique fieri poterat, ut ſuperius ex conſtitutione Carolina & aliis quoque ex fundamentis fuit demonſtratum.

§. VIII.

Gl. Lat. ſpec. Sax. l. 1. a. 1.

Quod verò Gloſſator Latinus *in Artic. I. Speculi Sax. lib. 1. lit. B.* ait: *oſtendere hoc Imperatoris miniſterium, Papam ab Impp. pro ſuperiore agnoſci, & obſequium, reverentiamque ipſi ab iis præſtari per omnia debere;* id quidem falſiſſimum eſt, & ex palea iſta, de ficta, & pridem exploſa donatione Conſtantini M. hauſtum. Nec mirum quum *autor novarum* harum *additionum*, ut vocantur ab editoribus, fuerit Curiæ Romanæ aliquod mancipium, in extrema tenebrarum Romanarum denſitate Seculi XV. latitans. Indignum hoc & alia, quæ à noviſſimo editore Lipſienſi in præjudicium Majeſtatis Imperii & Libertatis Ger-

Germanicæ, abſque ſcutica ſaltem & animadverſione ſub privilegiis Imperialibus & Electoralibus denuo ederentur, ut non immerito Viri Prudentes novam ac Saniorem Juris Saxonici editionem deſiderent. *Editio J. Sax.*

§. IX.

Fridericus porrò quàm non agnoverit Papam pro Superiore, nec Imperium ejus ſaltem in Vrbem Romanam, multo minus in cæteras civitates Italiæ & in ipſo, quod vocant, Petri Patrimonio, patefaciunt, quæ eodem tempore, & ſub Coronationis ſolennitate acta geſta ſunt. Nam quum Senatus P. Q. Rom. abrogata Pontificis in Vrbem poteſtate, per Legatos, ſed ſuperbius, quam deceret ſubditos, faſces ſubmitteret: Interrupta Legatorum oratione, auguſta reprehenſione uſus fuit, quam Otto Friſingens. enarrat, in qua Romam ſuam vocat, cujus antiqua gloria, Senatus, Magiſtratus, ordo Equeſtris, & omnis virtus in Remp. Teutonicam eſſet transfuſa. *Ad nos*, inquit, *ſimul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non ceſſit nobis nudum Imperium; virtute ſua amictum venit, ornamenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt Conſules tui, penes nos eſt Senatus tuus, penes nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi de conſilio regere, Equites Francorum ipſi tuam ferro injuriam propellere debebunt.* Et mox: *Principem tuum, militem meum feci, teque deinceps usque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus poſſeſſor ſum, eripiat quis, ſi poteſt, clavam de manu Herculis.* O digna principe verba germano ſanguine oriundo! *Summum jus in urbem Rom.*

§. X.

Porro qvum eodem coronationis anno civitas *Tiburtina*, rejecto Papæ jugo, claves civitatis Friderico offer- *& patrimon. Pe-*

CAPUT II.
DE
DEPENDENTIA BENEFICIARIA IMPERII A S.R. PRÆTENSA.

SUMMARIA.

Pictura Lateranenſis de Lotharii inveſtitura: anſa ſuſpicionis ſiniſtræ de intentione S. R. confirmatæ per dogma de dependentiæ Imp à S. R. profeſſum à Nuncio. Imperatoris defenſio & aſſertio independentiæ ſuæ ex J. Div. Verbum DEI Decretis Papalibus Germani prætulerunt. Imperium à DEO immediatè. Ambiguitas Romanenſis. Epiſcoporum Germ. παῤῥησία *& exprobratio. Status S. R. ex colloquio ſecretiori Jo. Saresberienſis cum Hadriano IV. relatus. Papa cedit Imperatori, agnoſcit Urbis dominum, & declarat Beneficii ſignificationem.*

§. I.

SUpra cum de Lothario Imp. fuit tractatum, picturæ Lateranenſis meminimus adſcriptis verſibus: *Rex venit ante fores &c.* Hæc etſi ſub prætextu ſpecialis vaſallagii de feudo Mathildis Comitiſſæ primum defenſa fuerit, quoniam tamen generatim concepta verba, & vaſallagium coronationi conjunctum, ut ſtudio quæſita contumelioſa ambiguitas poſteris perſuaderet coronam Imperialem feudi jure à Sede Rom. dependere, ideo Fridericus Imp. Romæ conſiſtens re comperta, ægerrimè hoc tulit elogium, eoque Papam adegit, ut abolitionem ejus decerne- *Pictura Lateran. abolitio.*

ne-

affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem CONTVLERIT & Honoris, & qualiter Imperialis inſigne Coronæ libentiſſimè conferens, benigniſſimo gremio tuæ ſublimitatis apicem ſtuduerit confovere nihil prorſus efficiens, quod regiæ voluntati, vel in minimo cognoſceret obviare. Neque tamen pœnitet nos, deſideria tuæ voluntatis in omnibus impleviſſe: Sed ſi majora BENEFICIA Excellentia tua DE MANV NOSTRA ſucepiſſet. &c.

§. III.

In qua illud quidem modeſtiæ Hadrianus quippe Anglus natione, adhibuit, ut non more Hildebrandino ſtatim Excommunicationis fulmen de arreſtato Conterraneo Archiepiſcopo Londinenſi, fibraret, cæteroquin incautus, quod arcana ſedis de ſubjugando Imperatore & Imperio intempeſtivè proderet. Incautior Nuncius, qui, *cum ſtrepitus & turba inter Optimates Regni de tam inſolita Legatione magis ac magis incaleſceret, quaſi gladium igni adderet,* ut habet Radevicus, *dixiſſe fertur; A quo ergo habet, ſi à Domino Papa non habet Imperium? ob quod dictum eo proceſſiſſe iracundiam, ut Otto Palatinus Comes de Bavaria propè exerto gladio cervici illius mortem intentaret, niſi Fridericus Imp. auctoritate præſentiæ ſuæ interpoſita tumultum compeſcens, Legatos dimiſiſſet, addens in mandatis, ne hac vel illac in territoriis Epiſcoporum ſeu Abbatum vagarentur, ſed recta via, nec ad dextram neque ad ſiniſtram declinantes, reverterentur ad urbem.* *Legatio Papalis.*

§. IV.

Satis hinc cauſæ eſſe reputans Imperator iniquitatem rei toti Chriſtiano Orbi demonſtrare, *per univerſum Regni ambitum provide,* inquit Radevicus, literis circularibus manifeſtavit, quid factum fuerit, exponens rationem ad- *Imperatoris Manifeſtum vel Apologia.*

jecti mandati ad Nuncios Romanos de non divertendo ad monaſteria & Eccleſias Imperii, ne pro more corraſas eorum opes Romam portarent, ait: *Porro, quia multa paria litterarum apud eos reperta ſunt, & ſchedulæ ſigillatæ, ad arbitrium eorum adhuc ſcribendæ, quibus ſicut hactenus conſuetudinis eorum fuit, per ſingulas Eccleſias Teutonici Regni conceptum iniquitatis ſuæ virus reſpergere, altaria denudare, vaſa domus Dei aſportare, cruces excoriare nitebantur: ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via, ad urbem eos redire fecimus.* Prudenti omnino conſilio, & ex re Eccleſiarum Germanicarum, quarum curam gerere conſcientia dictabat Imperatori adverſus peregrinam avaritiam.

§. V.

Independentia Imperatoris adſerta.

Præterea verò Imperator in eadem Apologia *Independentiam* Imperatoris & Imperii Romani Germanorum graviter ſolideque aſſertum ivit: *Cumque*, pergit, *per Electionem Principum à Solo DEO regnum & Imperium noſtrum ſit, quod in paſſione Chriſti filii ſui duobus gladiis neceſſariis* (ad) *regendum orbem, ſubjecit: cumque Petrus Apoſtolus hac doctrina mundum informaverit: DEUM TIMETE, REGEM HONORIFICATE. Quicunque nos Imperialem coronam pro BENEFICIO à Domino Papa ſuſcepiſſe dixerit, Divinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarius eſt, & mendacii reus erit.* Recte atque ordine Chriſtianiſſimus Imperator eum, qui ſucceſſorem ſe Petri gloriatus DEIQVE Vicarium, divino Verbo & doctrinâ Petri (conf. *M. Ant. de Dom. l. VI. c. IV. & X.*) non attentis traditionibus atque decretis humanis, ſtringere voluit. Ac fuit hæc perpetua Eccleſiarum Germanicarum ratio, verbum DEI ac Jus divinum decretis præ-

ex Jure Div. Germani præferunt Verbum DEI decretis Papæ.

præferre papalibus. Inſtructi quippe divinitus, decreta humana ſi præferantur S. ſcripturæ hæreſin atque apoſtaſiam eſſe. Id enim eſt,quod in Eccleſia Hebræorum quoque damnat DEVS per Jeremiam *c. VIII, 8.9. Quomodo dicitis: Sapientes nos ſumus, & Lex domini nobiscum eſt? Vere mendacium operatus ſtilus mendax ſcribarum. Confundentur ſapientes, perterreſient, & capientur. Verbum enim domini projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis!* Facitque huc, quod ap. eundem *c. V. fin.* legitur: *Stupor & mirabilia facta ſunt in terra. Prophetæ prophetant mendacium, & ſacerdotes dominantur poteſtate ſua: & populus meus dilexit talia, quid igitur fiet in noviſſimo ejus?*

§. VI.

Imperium à Deo immediate.

Eleganter autem Imperator originem Imperii ita arceſſit à DEO, ac Independentiam Imperii ſtatuminat,ut mediatam cauſam humanam non diffiteatur, Electionem Principum Germaniæ, quæ quippe Independentiæ à Sede Rom. nihil quidquam officit. Conſentit nobis cum *Petrus de Marca l. 2. de C. S. & J. c. 2. M. Ant. de Dom. l. VI. de Rep. Eccl. c. 11.* Nam quod ad initia translati ad Francos, ac Germanos Imperii attinet, Pontifici Rom. ſuam ratam haud eripuimus, ſupra ubi de Carolo M. actum fuit. At quemadmodum cæterorum Ordinum Populique jus ceſſat, ſemel electo Imperatore, ſummaque poteſtate, ipſi ſemel traditâ: ita etiam Leonis Pontificis ſucceſſores nihil gloriari potuerunt de collatione Imperii , quod ab ipſis non fuit acquirendum. Atque hoc prudentiſſimo conſilio Otto III. ita ſtabilivit, ut etiam in caſu deficientis Succeſſoris, & novi eligendi Imp. omnino electioni & Pontifex, & clerus, ordinesque Romani atque Italici renunciaverint in perpetuum; quemadmodum antea ſuo loco do-

cuimus. Eoque jure usque ad noſtra hæc tempora per DEI gratiam liberè Germania utitur. Quod igitur ex nudo *Coronationis actu*, quem jure ſuo electus Imperator poſcit, non ex beneficio Papæ impetrat, Hadrianus dependentiam conficere niſus fuerit, quod mirum quomodo Baronius adhuc defenſitare auſus ; certè juſtiſſimam Imperatori cauſam præbuit, non *ſchismatis*, ſed ſchismati à Pontifice & Clero Rom. attentato ſtrenuè reſiſtendi. *Conf. Gloſſ. Weichb. Art. VII.*

Ambiguitas Romanenſ.

§. VII.

Nec quicquam Curiam Romanam juvabat, quod mollius verba Pontificis interpretanda fuiſſe, nec ita in deteriorem partem accipienda videantur. Iſtam enim facilitatem ne adhiberent Germani, tot exempla jam ipſos edocuerant, atque inter artes regnandi deputatum, ambiguitatibus & obſcuritatibus res intricare, donec arrepta commoda occaſione, eam, quam callide involverant, interpretationem vi ipſa exponerent. Certè enim & pictura & iſta ſcribendi formula, qua beneficio ſedis Romanæ adſcribitur Imperium Germanorum, quid aliud intenderat, quàm ut tandem aliquando Imperium pro Feudo Advocatiæ Eccleſiæ Romanæ, quum & Imperator diceretur ejus advocatus, & Coronatio Romana pro inveſtitura haberetur?

Epiſc. German. epiſt. exprobr. ad Papam

§. VIII.

Quare ſatis cauſæ habuit & Imperator, cur principiis obſtare niteretur, & Proceres Germaniæ, quod periculoſam iſtam ambiguitatem Pontifici exprobrarent. Quæ epiſtola omnino digna eſt, quæ apponatur ex Radevico,

vico, quum & libertas Germaniæ ea defendatur, nec tamen auctoritas ſedi Romanæ competens denegetur:

Quamvis ſciamus, & certi ſimus, quod Eccleſiam Dei fundatam ſuper firmam petram, neque venti, neque flumina tempeſtatum poſſint dejicere: nos tamen infirmiores & puſillanimes, ſi quando hujusmodi contigerint impetus concutimur, & contremiſcimus. Inde nimirum graviter conturbati ſumus, & conterriti ſuper his, quæ inter veſtram ſanctitatem, & filium veſtrum devotiſſimum, dominum noſtrum Imperatorem, magni mali, niſi Deus avertat, ſeminarium præbitura videntur. Equidem à verbis illis, quæ in literis veſtris continebantur, quas per Nuntios veſtros prudentiſſimos & honeſtiſſimos dominum Bernardum & dominum Rolandum Cancellarium venerabiles presbyteros Cardinales miſiſtis, commota eſt univerſa Reſp. Imperii noſtri, aures Imperialis potentiæ patienter audire non potuerunt, neque aures Principum ſuſtinere. Omnes ita continuerunt aures ſuas quod nos ſalva gratia veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis, ea tueri propter ſiniſtram ambiguitatis interpretationem, vel conſenſu aliquo approbare, nec audemus, nec poſſumus, eo quod inſolita, & inaudita fuerant usque ad hæc tempora. Literas autem, quas nobis miſiſtis, debita cum reverentia ſuſcipientes, & amplectentes commonuimus filium veſtrum dominum noſtrum Imperatorem, ſicut juſſiſtis, & ab eo reſponſum (Deo gratias) accepimus tale, quale decebat Catholicum principem, in hunc modum: duo ſunt, quibus noſtrum regi oportet Imperium, leges ſanctæ Imperatorum, & uſus bonus prædeceſſorum, & patrum noſtrorum iſtos limites Eccleſiæ, nec volumus præterire, nec poſſumus: quia quod ab his diſcordat, non recipimus. Debitam Patri noſtro reverentiam libenter exhibemus, liberam imperii no-

noſtri coronam divino tantum beneficio adſcribimus, electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo, deinde, quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinē Principibus recognoſcimus. Regalem unctionem Colonienſi, ſupremā vero, quæ quid præter hæc eſt, ex abundanti eſt, ac malo eſt. Cardinales in contemtum dilectiſſimi, & reverendiſſimi Patris noſtri & conſecratoris, à finibus terræ noſtræ coëgimus non exire, ſed cum his, & pro his, quæ & ſcripta, & ſcribenda ferebant in dedecus & ſcandalum imperii noſtri, ultra nos prodire pati noluimus. Introitum & exitum Italiæ nec clauſimus edicto, nec claudere aliquo edicto volumus, peregrinantibus vel pro ſuis neceſſitatibus, rationabiliter cum teſtimonio Epiſcoporum & Prælatorum ſuorum Romanam ſedem adeuntibus, ſed illis abuſionibus, quibus omnes Eccleſiæ regni noſtri gravatæ, & attenuatæ ſunt, & omnes pene Clauſtrales diſciplinæ emortuæ & ſepultæ, obviare intendimus. In capite Orbis DEUS per Imperium exaltavit Eccleſiam: in capite orbis Eccleſia non per DEUM (ut credimus) nunc demolitur imperium. A pictura cœpit, ad ſcripturam pictura proceſſit, ſcriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur non ſuſtinebimus, coronam ante ponemus, quam Imperii coronam una nobiscum ſic deponi conſentiamus. Picturæ deleantur, ſcripturæ retractentur, ut inter regnum & ſacerdotium æterna inimicitiarum monimenta non remaneant. Hæc & alia utpote de concordia Rogerii, & Wilhelmi Siculi, & aliis, quæ in Italia facta ſunt conventionibus, quæ ad plenum proſequi non audemus, ab ore domini noſtri Imperatoris audivimus. Abſente autem Palatino Comite, & in præparatione expeditionis in Italiam præmiſſo, à Cancellario ibidem adhuc præſente aliud non audivimus, niſi quod humilitatis erat, & pacis, præter quod eis pro periculo, quod vitæ à populo imminc-

minebat, pro viribus ſuis adſtiterit, cunctis, qui ibi aderant, hujus rei teſtimonium ei perhibentibus. De cætero ſanctitatem veſtram ſuppliciter rogamus & obſecramus, ut noſtræ parcatis infirmitati, ut magnanimitatem filii veſtri ſicut bonus paſtor leniatis ſcriptis veſtris, ſcripta priora ſuavitate mellita dulcorantibus: quatenùs & Eccleſia DEI tranquilla devotione lætetur, & imperium in ſublimitatis ſtatu glorietur, ipſo mediante, & adjuvante, qui mediator DEI & hominum factus eſt homo Chriſtus JESVS.

§. IX.

Ex hac epiſtola etiam illud intelligitur, quis hoc tempore ſtatus fuerit Eccleſiæ, & curiæ Romanæ, & quæ contra intentio Imperatoris, de abrogandis abuſibus Romanis. Quorum deſcriptionem tum Imp. Fridericus & Epiſcopi Germaniæ in literis antea adductis tangunt, tum latius proſequitur *Jo. Saresberienſis*, Thomæ Archiep. Cantuarienſis Secretarius, *in Polycratici l. VI, c. XXIV.* ubi recitat colloquium cum Pontifice Hadriano IV. habitum, quod & ipſum huc transferri omninò meretur: *Memini me cauſa viſitandi Dominum Hadrianum Pontificem IV. qui me in ulteriorem familiaritatem admiſerat, profectum in Apuliam. Manſi cum eo Beneventi fermè tres menſes. Cum itaque, ut fieri ſolet inter amicos, ſæpe plurimis conferremus: & ipſe quid de ſe & Eccleſia Romana ſentirent homines, à me familiarius & diligentius quæreret: ego apud eum uſus ſpiritus libertate, mala, quæ in diverſis provinciis audieram, patenter expoſui. Sicut enim dicebatur à multis, Romana Eccleſia, quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet aliis, quàm novercam. Sedent in ea Scribæ & Phariſæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, qui non digito contingunt. Dominantur in clero, nec forma*

Status Eccleſ. Rom.

ma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretioſam ſupellectilem congerunt, auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus, quàm vanagloria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum lætantur ſpoliis, & quæſtum omnem repuiant pietatem: juſtitiam non tam veritati, quam pretio reddunt: omnia namque cum pretio hodie, ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis. Nocent ſæpius, & in eo dæmones imitantur, quod tum prodeſſe putantur, cum nocere deſiſtunt, exceptis paucis, qui nomen & officium paſtoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex omnibus gravis & intolerabilis eſt. Præterea omnes arguunt, quod ruentibus, & collabentibus Eccleſiis, quas patrum conſtruxit devotio altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipſe non modo purpuratus, ſed deauratus incedit. Palatia ſplendent Sacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Provinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Crœſi ſtudeant reparare, ſed recte cum eis agit Altisſimus, quoniam & ipſi aliis, & ſæpe vilisſimis hominibus dati ſunt in direptionem. Et ut opinor, dum ſic in invio erraverint, nunquam deerit eis flagellum domini. Os ſiquidem Domini locutum eſt: Quia quo judicio judicaverint, judicabuntur, & ſua menſura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non novit. Hæc, inquam, Pater, loquitur populus, quandoquidem vis, ut illius tibi ſententias proferam. Et tu, inquit, quid ſentis? Anguſtiæ, inquam, ſunt undique. Vereor enim, ne mendacii, vel adulationis contraham notam, ſi ſolus populo contradixero. Sin autem, ventum vereor majeſtatis, ne tanquam, qui os meum in cœ-

lum,

lum poſuerim, crucem videar meruiſſe. Veruntamē quia Guido Clemens ſanctæ Potentianæ presbyter Cardinalis populo teſtimonium perhibet, ei usquequaque contradicere non præſumo. Aſſerit enim in Eccleſia Romana quandam duplicitatis eſſe radicem, & fomentum avaritiæ, quæ caput & radix eſt omnium malorum. Neque id quidem in angulo, ſed conſidentibus fratribus ſancto Eugenio præſidente, quando adverſus innocentiam meam Ferentini gratis excanduerunt, hoc publice proteſtatus eſt. Unum tamen audacter conſcientia teſte profiteor, qui nusquam honeſtiores clericos vidi, quam in Eccleſia Romana, aut qui magis avaritiam deteſtentur. Quis Bernardi Redonenſis Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconi Cardinalis continentiam, contemtumque pecuniæ non miretur? Nondum natus eſt, à quo munus acceperit. Quod tamen à communione fratrum ſinceriore jure proveniebat, interdum accipere perſuaſus eſt. Quis non ſtupeat Epiſcopum Præneſtinum, qui ſcrupulum conſcientiæ metuens, & à participatione bonorum communium abſtinebat? Plurium tanta modeſtia, tanta gravitas eſt, ut Fabricio non inveniantur inferiores, quem agnita ſalutis via modis omnibus antecedunt. Quia ergo inſtas, urges, præcipis, cum certum ſit, quod Spiritui S. mentiri non licet, fateor quia quod præcipis faciendum eſt, etſi non ſitis omnibus operibus imitandi. Nam qui à doctrina veſtra diſſentit, aut hæreticus, aut ſchiſmaticus eſt. Sed Deo propitio ſunt, qui non omnium veſtrum opera imitentur. Paucorum ergo labes ſinceris maculam, & univerſali Eccleſiæ ingerit. Et in ea opinione frequentius moriuntur, ne totam corrumpant Eccleſiam. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur, & quia Roma corrupta apud Deum his reperitur indigna. Tu ergo quia id habes officii, quære & in-

ſere humiles, vanæ gloriæ, & pecuniæ contemtores. Sed timeo, ne dum pergis quærere quævis, ab imprudente amico audias quæ non vis. Quid eſt pater, quod aliorum diſcutis vitam, & te ipſum minime perſcrutaris? omnes applaudunt tibi, Pater omnium vocaris & dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo Pater es, quare à filiis munera, & retributiones expectas? ſi dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repreſſa eos ad fidem non revocas? At Urbem vis Eccleſiæ tuis muneribus conſervare? Num quid eam ſic Sylveſter muneribus acquiſivit? in invio Pater es, & non in via, eisdem eſt conſervanda muneribus, quibus eſt adquiſita. Quod gratis accepiſti, gratis dato. Juſtitia regina virtutum eſt, & erubeſcit quovis pretio permutari. Si gratioſa futura eſt, ſit gratuita. Nequaquam proſtituatur ad pretium, quæ corrumpi non poteſt. Integra eſt, & ſemper incorrupta, dum premis alios & tu gravius opprimeris. Riſit Pontifex, & tantæ congratulatus eſt libertati: præcipiens, ut quotiens ſiniſtrum aliquid de ipſo meis auribus inſonaret, hoc ei ſine mora nuntiarem. Et cum plurima nunc pro ſe, nunc contra ſe reſpondiſſet, apologum hujusmodi mihi propoſuit, ait, ergo: Accidit ut adverſus ſtomachum membra omnia totius corporis conſpirarent, tanquam adverſus eum, qui voracitate ſua labores omnium exhauriret. Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, laboribus inſiſtunt manus, pedes ab itinere callum inducunt ipſaque lingva utiliter ſermonem & ſilentium moderatur. Omnia denique membra publicis invigilant commodis, & in tanta ſollicitudine omnium & labore, ſolus quieſcit venter, & cum omnia parata fuerint, quæ labor multiplex acquiſivit, ſolus omnia devorat, & conſumit: Quid multa? Condixerunt, ut à laboribus abſtinerent,

rent, & gravi inedia conficerent illum inertem, & publicum hoſtem. Exacta ſic eſt una dies, ſecuta eſt altera tædioſior. Tertia adeo pernicioſa fuit, ut fere omnibus defectum indiceret. Urgente itaque neceſſitate fratres in unum convenerunt, acturi de ſalute ſua, & hoſtis publici ſtatu. Cum vero omnes aſſiſterent, oculi languebant, pes molem corporis non erexit, torpebant brachia, ſed & ipſa lingva iners, & deficienti palato ſociata, cauſam communem exponere non præſumſit. Ad cordis ergo conſilium omnia redierunt, ibique habita deliberatione ratio patefecit, quoniam hæc mala ingerebat, qui ante denunciatus fuerit publicus hoſtis. Ex quo enim ei tributa ſubtracta ſunt, & ipſe quaſi publicus diſpenſator omnibus alimenta ſubduxit. Et quia nemo poteſt ſine ſtipendiis militare cum ſtipendia non procedunt, debilitatur, & frangitur miles. Sed nec in diſpenſatorem poterat culpa refundi, qui quod non acceperat, minime potuerit aliis erogare, longeque tutius eſſe, ut ei, quod diſtribuat, miniſtretur, quum illo evacuato; omnia membra eſuriant: Factumque eſt ita; ſuadente ratione impletus eſt venter, refocillata membra, & pax omnium reformata. Abſolutus eſt itaque ſtomachus, qui licet vorax ſit, & avidus alieni, non ſibi tamen petit, ſed aliis, quæ eo exinanito nequeunt ſuſtentari. Tale eſt, inquit, frater, ſi recte attendas, in corpore Reip., ubi licet plurimum appetat magiſtratus non tam aliis, quam ſibi coacervat. Si enim exinanitus fuerit, nihil eſt, quod membris valeat impartiri. Nam ſtomachi in corpore, & Principis in Rep. idem officium eſt. &c.

§. X.

In quo ſuavis utique eſt Hadrianus, belloque apologo, & Eccleſiam Chriſti, & Imperii fiſcum pari jure cenſet;

ſet: eo quippe res devenerat, ut inter imperium & Pontificatum nollent amplius diſtinguere. At recte Saresberienſis initia Sylveſtri ad animum revocavit. Sed nihil habuit hic, quod reponeret. Jam vero ad rem ipſam progredimur. Juſtitia cauſæ Friderici Imp. non poterat malum ſortiri eventum. Hadrianus Papa, ut averteret meritam Imperatoris caſtigationem, alios miſit nuncios, ac modeſtiores, qui ipſi, ut *Radevicus* refert, compellando Fridericum, nomine totius Curiæ Romanæ, agnoſcunt, ac profitentur, Clerum Romanum eſſe Imperatoris, & Fridericum DOMINVM ET IMPERATOREM VRBIS ET ORBIS. Ita enim præfantur: *Præſul S. Rom. Eccleſiæ, veſtræ Excellentiæ devotiſſimus in Chriſto Pater ſalutat ſicut chariſſimum & ſpecialem S. Petri filium. Salutant etiam vos venerabiles fratres noſtri, clerici autem veſtri, univerſi Cardinales, tanquam Dominum Imperatorem Vrbis, & orbis.* Atque iniquior paulò eſt *Baronius* adverſus Radevicum, impingens ipſi, hæc verba ex privata effectione ab ipſo addita: & minus eſt probabile, ex ligato *Guntheri* Sermone veritatem proſæ orationis judicandam. Enim vero & Fridericus II. Imperium in Vrbem Romam Germanis aſſeruit, ut teſtis eſt *Epiſtola VIII, lib. 2. ad S. P. Q. R.* inter epiſtolas *Petri de Vineis*. Porro præterea *litteras declaratorias* Hadrianus Imperatori fecit exhiberi, quibus vocabulum *beneficii* declarat, ac teſtatur ſe non pro *feudo*, ſed pro *facto bono*, & *benedictione*, cum S. Scriptura accepiſſe. Itemque per vocabulum contulimus nihil aliud ſe intellexiſſe, quam quod *impoſuerit* Imperialis dignitatis inſigne. His ita factis Imperator arma poſuit, Imperii libertate ſalva.

Papa cedit Imp.

agnoſcit urbis Dominum.

Baron.

Beneficii vox.

Conferre.

CAP.

CAPUT III.

De GRAVAMINIBVS CONTRA S. R.

SVMMARIA.

Regalia Imp. repetit: Papâ ſubiraſcente. Imp. veterem ſtylum Curiæ in reſcriptis ad S.R. revocat: P. R. caſtigat: Gravaminibus S. R. reſpondet. Gravamina contra S. R. recenſentur. compoſitionem anicabilem deſuper oblatam, P. R. rejicit. Juſtitia cauſa Imperatoris pro libertate Eccl. Germ.

I.

IN literis reverſalibus, quas Henrico V. Imp. Romana Curia dederat, diſſerte *regalia Epiſcoporum, & Abbatum* reſervata fuerant Imperatori, & Imperio. His juribus, *quæ*, ut Radevicus ait, *longo jam tempore, ſeu temeritate pervadentium, ſeu neglectu Regum Imperio deperierant*, ne quid detrimenti amplius ab adverſa parte inferretur, Roncaliæ in Longobardia comitia celebravit Fridericus A. C. 1158. & convocatis univerſis Principibus, ac civitatũ conſulibꝰ in Regno Lombardiæ, accitis quoq; quatuor anteceſſoribus Juris Bononiẽſibꝰ, Irnerii diſcipulis, Bulgaro, Martino, Goſio ſeu Jacobo de regione, & Hugone, juſſerat: *Ut hi indicarent ſibi in veritate omnia jura regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia, ad ipſum ſpectarent, & ſua eſſe deberent.* JCti igitur, una cum XXVIII. Judicibus, ex ſingulis civitatibus Lombardiæ binis electis, omnia jura regalia, quæcunque eſſent, diligenter inveſtigarunt, & ſub nomine fidelitatis, quam Imperatori juraverant, pu-

Regalia Lombardiæ reſtituta.

publicè in comitiis omnia jura, quæ ad Imperatorem jure Regali pertinerent, in Scriptis demonſtraverunt. Quo facto ArchiEpiſcopus Mediolanenſis, & cæteri Epiſcopi, cum reliquis ſtatibus Lombardicis, omnia illa, quæ *regalia* judices dixerant, in manus Imperatoris refutantes, ſpoponderunt, *ſe non amplius de ipſis rebus intromiſſuros*, datis quoque obſidibus, ac repetito fidelitatis juramento. *Quicunque tamen donatione Regum aliquid horum ſe poſſidere inſtrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc Imperiali beneficio, & regni nomine id ipſum perpetuo poſſideret*, teſte Radevico, qui pluribus hæc refert, *l. I, c. XXIII. & l. II, c. V.* addens, Imperatorem multas leges in ſcripturas ibi redigi feciſſe. Earum fragmenta leguntur, in Feudorum libris, & ſpeciatim quæ ſint regalia, *l. II. t. LVI.*

II.

Papa ſubirraſcente. Iſthac in re non tantum Mediolanenſes ſe de multis rationibus, & dignitatibus, quas à diverſis Impp. & Pontificibus acceperunt ſe privare, ut ait idem *Radevicus*, ſed etiam Papa Hadrianus eodem teſte, *quorundam inſtinctu ea, quæ jam inter ipſum & Imperatorem apud Auguſtam ſopita fuerant, refricare cœpit. Proinde quum audiſſet, quod Regalia Principi tam ab Epiſcopis & Abbatibus, quam à civitatibus & proceribus recognita fuerint, arrepta occaſione* non tantum litteras ad *Mediolanenſes, & quaſdam alias civitates, quibus eas rurſus ad defectionem hortatus;* Sed alias etiam ad ipſum Imp. in *fronte quidem leniores diligentius vero conſideratæ, acriori commonitione plenas ſuper hoc negotio direxit, easque per indignum ac vilem nuncium præſentans, qui antequam recitatæ fuiſſent diſparuerat.* Cujus commatis quoque eſt epiſtola ejus ad Impe-

peratorem, qua *ſtilum Curiæ* ab Imperatore revocatum, præponentem Nomen Imp. nomini Pontificis, & dictionibus ſingularis numeri in allocutione utentem, exprobrare ſub *S. Petri, & Matris Eccleſiæ* tegmine ſategit. Eam exhibet appendix ad *Radevicum* inventam à *Nauclero* in cœnobio Hirſaugienſi.

§. III.

Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum DEI Friderico Romano Imperatori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lex divina ſicut parentes honorantibus longævitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri ſententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Quapropter dilecte in Domino fili, ſuper prudentia tua non mediocriter admiramur, quod B. Petro, & S. Romanæ Eccleſiæ non quantum deberes, exhibere reverentiam videris. In litteris enim ad nos miſſis nomen tuum noſtro præponis, in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa, & jurata, quomodo eam obſerves, cum ab iis, qui Dii ſunt, & filii Excelſi omnes, Epiſcopis videlicet, homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis innectis, & manifeſte factus nobis contrarius, cardinalibus à latere noſtro directis non ſolum Eccleſias, ſed & civitates regni tui claudis? reſipiſce ergo, reſipiſce tibi conſulimus. Quia cum à nobis conſecrationem, & coronam merueris, dum inconceſſa captas, ne conceſſa perdas, Nobilitati tuæ timemus.

§. IV.

At animoſè non minus, quam perite iſtis reſpondit Imperator, & Eccleſiæ & Reip. defenſitans libertatem, oſtendens originem privilegiorum ſedis Romanæ ultra *quem Imp. caſtigat.*

Con-

Conſtantini M. tempora non poſſe quæri. Nam quod ad Chriſtum revocat *Baronius*, exemplis munitus domeſticis, illud eſt abuti ſanctiſſimis verbis Salvatoris, & interpretari de dominatione externa, quæ, de poteſtate interna Eccleſiæ diſpoſita leguntur. Sed hanc crambem, & quæ de jure Papæ circa electionem hic ad *A. C. 1159. §. VII.* repetit Cardinalis, antea ſatis ſuperque exagitata ſunt. Epiſtola Friderici hæc fuit:

Fridericus DEI Gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Hadriano Eccleſiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere, quæ cœpit Jeſus facere, & docere.

Lex Juſtitiæ unicuique, quod ſuum eſt reſtituit. Non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc regno debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet primogenitoribus noſtris, & regni dignitatem ſuſcepimus, & coronam. Num quid tempore Conſtantini Sylveſter regalis aliquid habuiſſe dignoſcitur? Sed ejus pietatis conceſſione libertas reſtituta eſt Eccleſiæ, pax reſtituta eſt, & quidquid Papatus veſter habere dignoſcitur largitione Principum obtinet. Unde cum Romano Pontifici ſcribimus jure antiquo & nomen præponimus, & ad juſtitiæ normam eidem nobis ſcribenti concedimus. Revolvite Annales, & ſi lectum neglexiſtis; quod aſſerimus illic invenitur. Ab iis autem, qui DEI ſunt per adoptionem, & regalia noſtra tenent, cur homagium, & regalia ſacramenta non exigamus, cum ille noſter & veſter inſtitutor ab homine Rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, qui pro ſe & Petro cenſum Cæſari perſolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis, doceat vos dicens: diſcite à me, qui mitis ſum & humilis corde. Aut igitur regalia noſtra nobis dimittant, aut ſi hæc utilia judicaverint: quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari per-

perſolvant. Cardinalibus utique veſtris clauſæ ſunt eccleſiæ, & non patent civitates, quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores, non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores, non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cum autem viderimus eos, quales requirit eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes cauſæ humilium in æquitate: neceſſariis ſtipendiis & commeatu eos ſuſtentare non differemus. Humilitati autem, quæ eſt cuſtos virtutum manſvetudini non minimam notam inuritis, cum hujusmodi quæſtiones religioni non multum conferentes ſecularibus perſonis præponitis. Provideat itaque paternitas veſtra ne tũ talia movet, quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem ſerotinum ori veſtro aures ſuas arrigere feſtinant. Non enim non poſſumus reſpondere auditis, cum ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam, usque ad ſedem Petri reptaſſe videmus. Paci Eccleſiæ bene ſemper providentes, bene ſemper valete.

§. V.

Tandem eo deventum, ut poſtulata ſua Pontifex Hadrianus Imperatori tranſmitteret. Ea Epiſcopus Babenbergenſis, *Eberhardus*, optimus tum temporis Patriota, in Epiſtola ad Eberhardum ArchiEpiſcop. Salzburg. retulit, *duriſſima capitula* appellans. I. *Nuntios ad urbem, ignorante Apoſtolico, ab Imp. non eſſe mittendos, cum omnis magiſtratus inibi B. Petri ſit cum univerſis Regalibus.* II. De *dominicalibus Apoſtolici Fodrum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.* III. *Epiſcopos Italiæ ſolum ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere Imperatori.* IV. *Neque nuncios Imperatoris in palatiis Epiſcoporum recipiendos.* V. De *poſſeſſionibus Eccleſiæ Rom. reſtituendis, & tributis Ferrariæ, Maſſæ, Ficorolu, totius*

Gravamina Papæ contra Imperat.

noſtri coronam divino tantum beneficio adſcribimus, electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo, deinde, quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinē Principibus recognoſcimus. Regalem unctionem Colonienſi, ſupremā verò, quæ quid præter hæc eſt, ex abundanti eſt, ac malo eſt. Cardinales in contemtum dilectisſimi, & reverendisſimi Patris noſtri & conſecratoris, à finibus terræ noſtræ coëgimus non exire, ſed cum his, & pro his, quæ & ſcripta, & ſcribenda ferebant in dedecus & ſcandalum imperii noſtri, ultra nos prodire pati noluimus. Introitum & exitum Italiæ nec clauſimus edicto, nec claudere aliquo edicto volumus, peregrinantibus vel pro ſuis neceſſitatibus, rationabiliter cum teſtimonio Epiſcoporum & Prælatorum ſuorum Romanam ſedem adeuntibus, ſed illis abuſionibus, quibus omnes Eccleſiæ regni noſtri gravatæ, & attenuatæ ſunt, & omnes pene Clauſtrales diſciplinæ emortuæ & ſepultæ, obviare intendimus. In capite Orbis DEVS per Imperium exaltavit Eccleſiam: in capite orbis Eccleſia non per DEVM (ut credimus) nunc demolitur imperium. A pictum cœpit, ad ſcripturam pictura proceſſit, ſcriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur non ſuſtinebimus, coronam ante ponemus, quam Imperii coronam una nobiscum ſic deponi conſentiamus. Picturæ deleantur, ſcripturæ retractentur, ut inter regnum & ſacerdotium æterna inimicitiarum monimenta non remaneant. Hæc & alia utpote de concordia Rogerii, & Wilhelmi Siculi, & aliis, quæ in Italia facta ſunt conventionibus, quæ ad plenum proſequi non audemus, ab ore domini noſtri Imperatoris audivimus. Abſente autem Palatino Comite, & in præparatione expeditionis in Italiam præmiſſo, à Cancellario ibidem adhuc præſente aliud non audivimus, niſi quod humilitatis erat, & pacis, præter quod eis pro periculo, quod vitæ à populo imminere-

minebat, pro viribus ſuis adſtiterit, cunctis, qui ibi aderant, hujus rei teſtimonium ei perhibentibus. De cætero ſanctitatem veſtram ſuppliciter rogamus & obſecramus, ut noſtræ parcatis infirmitati, ut magnanimitatem filii veſtri ſicut bonus paſtor leniatis ſcriptis veſtris, ſcripta priora ſuavitate mellita dulcorantibus: quatenùs & Eccleſia DEI tranquilla devotione lætetur, & imperium in ſublimitatis ſtatu glorietur, ipſo mediante, & adjuvante, qui mediator DEI & hominum factus eſt homo Chriſtus JESUS.

§. IX.

Ex hac epiſtola etiam illud intelligitur, quis hoc tempore ſtatus fuerit Eccleſiæ, & curiæ Romanæ, & quæ contra intentio Imperatoris, de abrogandis abuſibus Romanis. Quorum deſcriptionem tum Imp. Fridericus & Epiſcopi Germaniæ in literis antea adductis tangunt, tum latius proſequitur *Jo. Saresberienſis*, Thomæ Archiep. Cantuarienſis Secretarius, *in Polycratici l. VI, c. XXIV.* ubi recitat colloquium cum Pontifice Hadriano IV. habitum, quod & ipſum huc transferri omninò meretur: *Memini me cauſa viſitandi Dominum Hadrianum Pontificem IV. qui me in ulteriorem familiaritatem admiſerat, profectum in Apuliam. Manſi cum eo Beneventi fermè tres menſes. Cum itaque, ut fieri ſolet inter amicos, ſæpe plurimis conferremus: & ipſe quid de ſe & Eccleſia Romana ſentirent homines, à me familiarius & diligentius quæreret: ego apud eum uſus ſpiritus libertate, mala, quæ in diverſis provinciis audieram, patenter expoſui. Sicut enim dicebatur à multis, Romana Eccleſia, quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet aliis, quàm novercam. Sedent in ea Scribæ & Phariſæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ non digito contingunt. Dominantur in clero, nec forma*

Status Eccleſ. Rom.

ma ſiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretioſam ſupellectilem congerunt, auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum lætantur ſpoliis, & quæſtum omnem repuiant pietatem: juſtitiam non tam veritati, quam pretio reddunt: omnia namque cum pretio hodie, ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis. Nocent ſæpius, & in eo dæmones imitantur, quod tum prodeſſe putantur, cum nocere deſiſtunt, exceptis paucis, qui nomen & officium paſtoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex omnibus gravis & intolerabilis eſt. Præterea omnes arguunt, quod ruentibus, & collabentibus Eccleſiis, quas patrum conſtruxit devotio altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipſe non modo purpuratus, ſed deauratus incedit. Palatia ſplendent Sacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Provinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Crœſi ſtudeant reparare, ſed recte cum eis agit Altiſſimus, quoniam & ipſi aliis, & ſæpe viliſſimis hominibus dati ſunt in direptionem. Et ut opinor, dum ſic in invio erraverint, nunquam deerit eis flagellum domini. Os ſiquidem Domini locutum eſt: Quia quo judicio judicaverint, judicabuntur, & ſua menſura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non novit. Hæc, inquam, Pater, loquitur populus, quandoquidem vis, ut illius tibi ſententias proferam. Et tu, inquit, quid ſentis? Anguſtiæ, inquam, ſunt undique. Vereor enim, ne mendacii, vel adulationis contraham notam, ſi ſolus populo contradixero. Sin autem, ventum vereor majeſtatis, ne tanquam, qui os meum in cœlum,

lum poſuerim, crucem videar meruiſſe. Veruntamē quia Guido Clemens ſanctæ Potentianæ presbyter Cardinalis populo teſtimonium perhibet, ei usquequaque contradicere non præſumo. Aſſerit enim in Eccleſia Romana quandam duplicitatis eſſe radicem, & fomentum avari iæ, quæ caput & radix eſt omnium malorum. Neque id quidem in angulo, ſed conſidentibus fratribus ſancto Eugenio præſidente, quando adverſus innocentiam meam Ferentini gratis excanduerunt, hoc publice proteſtatus eſt. Unum tamen audacter conſcientia teſte profiteor, qui nusquam honeſtiores clericos vidi, quam in Eccleſia Romana, aut qui magis avaritiam deteſtentur. Quis Bernardi Redonenſis Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconi Cardinalis continentiam, contemtumque pecuniæ non miretur? Nondum natus eſt, à quo munus acceperit. Quod tamen à communione fratrum ſinceriore jure proveniebat, interdum accipere perſuaſus eſt. Quis non ſtupeat Epiſcopum Præneſtinum, qui ſcrupulum conſcientiæ metuens, & à participatione bonorum communium abſtinebat? Plurium tanta modeſtia, tanta gravitas eſt, ut Fabricio non inveniantur inferiores, quem agnita ſalutis via modis omnibus antecedunt. Quia ergo inſtas, urges, præcipis, cum certum ſit, quod Spiritui S. mentiri non licet, fateor quia quod præcipis faciendum eſt, etſi non ſitis omnibus operibus imitandi. Nam qui à doctrina veſtra diſſentit, aut hæreticus, aut ſchiſmaticus eſt. Sed Deo propitio ſunt, qui non omnium veſtrum opera imitentur. Paucorum ergo labes ſinceris maculam, & univerſali Eccleſiæ ingerit. Et in ea opinione frequentius moriuntur, ne totam corrumpant Eccleſiam. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur, & quia Roma corrupta apud Deum his reperitur indigna. Tu ergo quia id habes officii, quære & inſere

ſere humiles, vanæ gloriæ, & pecuniæ contemtores. Sed timeo, ne dum pergis quærere quævis, ab imprudente amico audias quæ non vis. Quid eſt pater, quod aliorum diſcutis vitam, & te ipſum minime perſcrutaris? omnes applaudunt tibi, Pater omnium vocaris & dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo Pater es, quare à filiis munera, & retributiones expectas? ſi dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repreſſa eos ad fidem non revocas? At Urbem vis Eccleſiæ tuis muneribus conſervare? Num quid eam ſic Sylveſter muneribus acquiſivit? in invio Pater es, & non in via, eisdem eſt conſervanda muneribus, quibus eſt adquiſita. Quod gratis accepiſti, gratis dato. Juſtitia regina virtutum eſt, & erubeſcit quovis pretio permutari. Si gratioſa futura eſt, ſit gratuita. Nequaquam proſtituatur ad pretium, quæ corrumpi non poteſt. Integra eſt, & ſemper incorrupta, dum premis alios & tu gravius opprimeris. Riſit Pontifex, & tantæ congratulatus eſt libertati: præcipiens, ut quotiens ſiniſtrum aliquid de ipſo meis auribus inſonaret, hoc ei ſine mora nuntiarem. Et cum plurima nunc pro ſe, nunc contra ſe reſpondiſſet, apologum hujusmodi mihi propoſuit, ait, ergo: Accidit ut adverſus ſtomachum membra omnia totius corporis conſpirarent, tanquam adverſus eum, qui voracitate ſua labores omnium exhauriret. Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, laboribus inſiſtunt manus, pedes ab itinere callum inducunt ipſaque lingva utiliter ſermonem & ſilentium moderatur. Omnia denique membra publicis invigilant commodis, & in tanta ſollicitudine omnium & labore, ſolus quieſcit venter, & cum omnia parata fuerint, quæ labor multiplex acquiſivit, ſolus omnia devorat, & conſumit: Quid multa? Condixerunt, ut à laboribus abſtinerent,

rent, & gravi inedia conficerent illum inertem, & publicum hoſtem. Exacta ſic eſt una dies, ſecuta eſt altera tædioſior. Tertia adeo pernicioſa fuit, ut fere omnibus defectum indiceret. Urgente itaque neceſſitate fratres in unum, convenerunt, acturi de ſalute ſua, & hoſtis publici ſtatu. Cum vero omnes aſſiſterent, oculi languebant, pes molem corporis non erexit, torpebant brachia, ſed & ipſa lingva iners, & deficienti palato ſociata, cauſam communem exponere non præſumſit. Ad cordis ergo conſilium omnia redierunt, ibique habita deliberatione ratio patefecit, quoniam hæc mala ingerebat, qui ante denunciatus fuerit publicus hoſtis. Ex quo enim ei tributa ſubtracta ſunt, & ipſe quaſi publicus diſpenſator omnibus alimenta ſubduxit. Et quia nemo poteſt ſine ſtipendiis militare cum ſtipendia non procedunt, debilitatur, & frangitur miles. Sed nec in diſpenſatorem poterat culpa refundi, qui quod non acceperat, minime potuerit aliis erogare, longeque tutius eſſe, ut ei, quod diſtribuat, miniſtretur, quum illo evacuato; omnia membra eſuriant: Factumque eſt ita; ſuadente ratione impletus eſt venter, refocillata membra, & pax omnium reformata. Abſolutus eſt itaque ſtomachus, qui licet vorax ſit, & avidus alieni, non ſibi tamen petit, ſed aliis, quæ eo exinanito nequeunt ſuſtentari. Tale eſt, inquit, frater, ſi recte attendas, in corpore Reip., ubi licet plurimum appetat magiſtratus non tam aliis, quam ſibi coacervat. Si enim exinanitus fuerit, nihil eſt, quod membris valeat impartiri. Nam ſtomachi in corpore, & Principis in Rep. idem officium eſt. &c.

§. X.

In quo ſuavis utique eſt Hadrianus, belloque apologo, & Eccleſiam Chriſti, & Imperii fiſcum pari jure cen-

ſet: eo quippe res devenerat, ut inter imperium & Pontificatum nollent amplius diſtinguere. At recte Saresbérienſis initia Sylveſtri ad animum revocavit. Sed nihil habuit hic, quod reponeret. Jam vero ad rem ipſam progredimur. Juſtitia cauſæ Friderici Imp. non poterat malum ſortiri eventum. Hadrianus Papa, ut averteret meritam Imperatoris caſtigationem, alios miſit nuncios, ac modeſtiores, qui ipſi, ut *Radevicus* refert, compellando Fridericum, nomine totius Curiæ Romanæ, agnoſcunt, ac profitentur, Clerum Romanum eſſe Imperatoris, & Fridericum DOMINVM ET IMPERATOREM VRBIS ET ORBIS. Ita enim præfantur: *Præſul S. Rom. Eccleſiæ, veſtræ Excellentiæ devotiſſimus in Chriſto Pater ſalutat ſicut chariſſimum & ſpecialem S. Petri filium. Salutant etiam vos venerabiles fratres noſtri, clerici autem veſtri, univerſi Cardinales, tanquam Dominum Imperatorem Vrbis, & orbis.* Atque iniquior paulò eſt *Baronius* adverſus Radevicum, impingens ipſi, hæc verba ex privata effectione ab ipſo addita: & minus eſt probabile, ex ligato *Guntheri* Sermone veritatem proſæ orationis judicandam. Enim vero & Fridericus II. Imperium in Vrbem Romam Germanis aſſeruit, ut teſtis eſt *Epiſtola VIII, lib. 2. ad S. P. Q. R.* inter epiſtolas *Petri de Vineis.* Porro præterea *litteras declaratorias* Hadrianus Imperatori fecit exhiberi, quibus vocabulum *beneficii* declarat, ac teſtatur ſe non pro *feudo*, ſed pro *facto bono, & benedictione*, cum S. Scriptura accepiſſe. Itemque per vocabulum contulimus nihil aliud ſe intellexiſſe, quam quod *impoſuerit* Imperialis dignitatis inſigne. His ita factis Imperator arma poſuit, Imperii libertate ſalva.

Papa cedit Imp.

agnoſcit urbis Dominum.

Baron.

Beneficii vox.

Conferre.

CAP.

CAPUT III.

De GRAVAMINIBUS CONTRA S. R.

SUMMARIA.

Regalia Imp. repetit: Papâ ſubiraſcente. Imp. veterem ſtylum Curiæ in reſcriptis ad S.R. revocat: P. R. caſtigat: Gravaminibus S. R. reſpondet. Gravamina contra S. R. recenſentur. compoſitionem anicabilem deſuper oblatam, P. R. rejicit. Juſtitia cauſæ Imperatoris pro libertate Eccl. Germ.

I.

IN literis reverſalibus, quas Henrico V. Imp. Romana Curia dederat, diſſerte *regalia Epiſcoporum, & Abbatum* reſervata fuerant Imperatori, & Imperio. His juribus, *quæ*, ut Radevicus ait, *longo jam tempore, ſeu temeritate pervadentium, ſeu neglectu Regum Imperio deperierant*, ne quid detrimenti amplius ab adverſa parte inferretur, Roncaliæ in Longobardia comitia celebravit Fridericus A. C. 1158. & convocatis univerſis Principibus, ac civitatũ conſulibꝰ in Regno Lombardiæ, accitis quoq; quatuor anteceſſoribus Juris Bononiẽſibꝰ, Irnerii diſcipulis, Bulgaro, Martino, Goſio ſeu Jacobo de regione, & Hugone, juſſerat: *Ut hi indicarent ſibi in veritate omnia jura regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia, ad ipſum ſpectarent, & ſua eſſe deberent.* JCti igitur, una cum XXVIII. Judicibus, ex ſingulis civitatibus Lombardiæ binis electis, omnia jura regalia, quæcunque eſſent, diligenter inveſtigarunt, & ſub nomine fidelitatis, quam Imperatori juraverant, *Regalia Lombardia reſtituta.*

publicè in comitiis omnia jura, quæ ad Imperatorem jure Regali pertinerent, in Scriptis demonſtraverunt. Quo facto ArchiEpiſcopus Mediolanenſis, & cæteri Epiſcopi, cum reliquis ſtatibus Lombardicis, omnia illa, quæ *regalia* judices dixerant, in manus Imperatoris refutantes, ſpoponderunt, *ſe non amplius de ipſis rebus intromiſſuros*, datis quoque obſidibus, ac repetito fidelitatis juramento. *Quicunque tamen donatione Regum aliquid horum ſe poſſidere inſtrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc Imperiali beneficio, & regni nomine id ipſum perpetuo poſſideret*, teſte Radevico, qui pluribus hæc refert, *l. I, c. XXIII. & l. II, c. V.* addens, Imperatorem multas leges in ſcripturas ibi redigi feciſſe. Earum fragmenta leguntur, in Feudorum libris, & ſpeciatim quæ ſint regalia, *l. II. t. LVI.*

II.

Papa ſubirraſcente. Iſthac in re non tantum Mediolanenſes ſe de multis rationibus, & dignitatibus, quas à diverſis Impp. & Pontificibus acceperunt ſe privare, ut ait idem *Radevicus*, ſed etiam Papa Hadrianus eodem teſte, *quorundam inſtinctu ea, quæ jam inter ipſum & Imperatorem apud Auguſtam ſopita fuerant, refricare cœpit. Proinde quum audiſſet, quod Regalia Principi tam ab Epiſcopis & Abbatibus, quam à civitatibus & proceribus recognita fuerint, arrepta occaſione* non tantum litteras ad *Mediolanenſes, & quasdam alias civitates, quibus eas rurſus ad defectionem hortatus;* Sed alias etiam ad ipſum Imp. in *fronte quidem leniores diligentius vero conſideratæ, acriori commonitione plenas ſuper hoc negotio direxit, easque per indignum ac vilem nuncium præſentans, qui antequam recitatæ fuiſſent diſparuerat.* Cujus commatis quoque eſt epiſtola ejus ad Impe-

peratorem, qua *ſtilum Curiæ* ab Imperatore revocatum, præponentem Nomen Imp. nomini Pontificis, & dictionibus ſingularis numeri in allocutione utentem, exprobrare ſub *S. Petri*, & *Matris Eccleſiæ* tegmine ſategit. Eam exhibet appendix ad *Radevicum* inventam à *Nauclero* in cœnobio Hirſaugienſi.

§. III.

Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum DEI Friderico Romano Imperatori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lex divina ſicut parentes honorantibus longævitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri ſententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Quapropter dilecte in Domino fili, ſuper prudentia tua non mediocriter admiramur, quod B. Petro, & S. Romanæ Eccleſiæ non quantum deberes, exhibere reverentiam videris. In litteris enim ad nos miſſis nomen tuum noſtro præponis, in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa, & jurata, quomodo eam obſerves, cum ab iis, qui Dii ſunt, & filii Excelſi omnes, Epiſcopis videlicet, homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis innectis, & manifeſte factus nobis contrarius, cardinalibus à latere noſtro directis non ſolum Eccleſias, ſed & civitates regni tui claudis? reſipiſce ergo, reſipiſce tibi conſulimus. Quia cum à nobis conſecrationem, & coronam merueris, dum inconceſſa captas, ne conceſſa perdas, Nobilitati tuæ timemus.

§. IV.

At animosè non minus, quam perite iſtis reſpondit Imperator, & Eccleſiæ & Reip. defenſitans libertatem, oſtendens originem privilegiorum ſedis Romanæ ultra *quem Imp. caſtigat.*

Con-

perſolvant. Cardinalibus utique veſtris clauſæ ſunt eccleſiæ, & non patent civitates, quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores, non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores, non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cum autem viderimus eos, quales requirit eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes cauſæ humilium in æquitate: neceſſariis ſtipendiis & commeatu eos ſuſtentare non differemus. Humilitati autem, quæ eſt cuſtos virtutum manſvetudini non minimam notam inuritis, cum hujusmodi quæſtiones religioni non multum conferentes ſecularibus perſonis præponitis. Provideat itaque paternitas veſtra ne tũ talia movet, quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem ſerotinum ori veſtro aures ſuas arrigere feſtinant. Non enim non poſſumus reſpondere auditis, cum ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam, usque ad ſedem Petri reptaſſe videmus. Paci Eccleſiæ bene ſemper providentes, bene ſemper valete.

§. V.

Tandem eo deventum, ut poſtulata ſua Pontifex Hadrianus Imperatori transmitteret. Ea Epiſcopus Babenbergenſis, *Eberhardus,* optimus tum temporis Patriota, in Epiſtola ad Eberhardum ArchiEpiſcop. Salzburg. retulit, *duriſſima capitula* appellans. I. *Nuntios ad urbem, ignorante Apoſtolico, ab Imp. non eſſe mittendos, cum omnis magiſtratus inibi B. Petri ſit cum univerſis Regalibus.* II. De *dominicalibus Apoſtolici Fodrum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.* III. *Epiſcopos Italiæ ſolum ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere Imperatori. IV. Neque nuncios Imperatoris in palatiis Epiſcoporum recipiendos.* V. De *poſſeſſionibus Eccleſiæ Rom. reſtituendis,* & *tributis Ferrariæ, Maſſæ, Ficorolu, to-* *Gravamina Papæ contra Imperat.*

tius terræ comitiſſæ Mathildis, totius terræ, quæ ab Aquapendente eſt usque Romam, Ducatus Spoletani, inſularum Sardiniæ & Corſicæ. Imperator reſpondit: I. Illam magnam eſſe, & gravem, graviorique & maturiori egere conſilio. *Nam cum divina ordinatione ego,* inquit, *Romanus Imperator & dicar, & ſim,; Speciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen, & ſine re, ſi Vrbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.* Atque paulo ante Pontifex Rom. & nuncii ſedis Rom. agnoverant Imp. dominium in urbem & univerſum ejus territorium, quod Patrimonium vocitant, ut ſupra cognitum. Ad II. & III. *Epiſcoporum Italiæ ſe non affectare hominium, ſi tamen & eos de Imperatoris regalibus nihil delectet habere. Qui ſi gratanter audirent à Rom. præſule: Quid tibi & Regi? conſequenter quoque eos ab Imp. non pigere audire: Quid tibi & poſſesſioni?* Illud intendebat Imp. vi transactionis Henrici V. & Pontificis Rom. reſervatum eſſe Imperatori *jus inveſtiendi* Epiſcopos, & Abbates *de regalibus* ab Imperio poſſeſſis. Porro hujus juris effectum non eſſe merum vaſallagium, & obligationem ad juramentum *fidelitatis feudalis*, ſed imo etiam obligationem ad juramentum *ſubjectionis* exigendum. Neque enim Epiſcopi mera poſſident feuda, ſed quæ ſunt partes univerſalis territorii Imperii, quorum reſpectu & ſubditi ſunt, & vaſalli & ordines Imperii. Hoc eſt, quod *poſſesſionem* Imp. urget. Ac tale *hominium* Epiſcopi Germaniæ ſine controverſia præſtarunt, ut Moguntinus in Comitiis Geilnhuſanis A. C. 1186. celebratis ipſe faſſus eſt. *Arnold. l. 3. Chron. Slav. c. 18.* IV. Se concedere, *ſi forte aliquis Epiſcoporum habet in ſuo proprio ſolo, & non in noſtro,* inquit, *palatium. Si autem in noſtro ſolo & allodio*

ſunt

ſunt palatia Epiſcoporum, cum profectò omne quod inædificatur ſolo cedat, noſtra & ſunt Palatia. Injuria ergo eſſet, ſi quis nuncios noſtros à regiis palatiis prohiberet.

§. VI.

Viciſſim Imp. adverſus Papam Gravamina ſua propoſuit *de rupta concordia, quæ in verbis veritatis ſibi compromiſſa fuiſſet; de Græcis; de Siculo; de Romanis ſine conſenſu non recipiendis. De Cardinalibus ſine permisſione Imperiali liberè per regnum tranſeuntibus, & regalia Epiſcoporum palatia ingredientibus, & Eccleſias DEI gravantibus. De injuſtis Appellationibus, & ceteris quam plurimis,* ad libertatem Eccleſiæ ac Reip. tuendam facientibus. Has controverſias non detrectavit Imp. ad decidendum ſubmittere ſex Cardinalibus ex parte Pontificis, & ſex Epiſcopis religioſis, prudentibus, & qui DEVM timerent ex parte Imperatoris: Sed Pontifex diffidens cauſæ noluit compromittere, verùm renovationem pactorum Imperatoris cum anteceſſore Eugenio urſit. Imperator contra ſe ad id obligatum negavit, *quod pontifex prior iſtam pacem violaſſet in Siculo, cui Papa ſine Imp. reconciliari non debuiſſet.* Rem denique mors Hadriani A.C. 1159. interveniens ſuſpendit.

Imp. gravamina contra Pap.

Compoſitio amicabilis.

§. VII.

Hactenus ergo Imp. transactione iſta dubii juris inter Henricum V. & Sedem Rom. facta, haud impugnata præ anteceſſoribus tamen & jus reſervatum Imperatoris circa conſtituendos Epiſcopos, & Libertatem Eccleſiarum Germaniæ, & Majeſtatem Imperii etiam in Vrbem vindicaverat: Independentiam Imperatoris & Imperii reſpectu Sedis Romanæ, ipſo fatente reo, adſeruerat: ac reformationem Sedis & cleri Romani perneceſſariam eſ-

Juſtitia cauſæ Imp. pro libertate Eccleſiæ Germ.

ſe demonſtrans, eorum pravos mores & exceſſus in regno Teutonico repreſſerat. Neque verò his contravenerat pacto cum Eugenio Hadriani prædeceſſore inito, quo ipſo tamen ſe non amplius teneri Fridericus Imp. non malè ſentiebat, quippe cujus obligationem jam tum fide rupta in cauſa Sicula, ſolverat Pontifex. De cæteris Pontificis prætenſionibus arbitrium Statuum Imperii Imperator agnoverat. Quare cauſæ Imperatoriæ æquitas ac juſtitia non poteſt eſſe obſcura, quam etiam eventus ſecundare viſus, erepto e vivis Hadriano, arma Spiritualia dicam an Pontificalia jamjam parante, teſte Dodechino. Nec deerant in Cardinalium collegio, qui agnoſcerent cauſæ Pontificiæ injuſtitiam, ut & antea vidimus, ubi de cauſa Sicula dictum, inter quos præcipuus fuit Octavianus Cardinalis.

Caput IV.

De SCHISMATE INTER OCTAVIANUM ET ROLANDUM.

Summaria.

Schiſma in electione P. R. inter Octavianum & Rolandum: uterque implorat Imperatoris definitionem, qui Concilium Vniverſale Papiæ convocat. Baronio ſatisfactum. Curiæ vox de Concilio uſurpata. Rolandus ſive Alexander eſt contumax: ejus rationes examinatæ. Legatorum error. Geſta Concilii Papienſis. Conjuratio contra Remp. & Eccl.

Eccl. Germ. detecta. Decretum Concilii contra Rolandum Majeſtatis reum: pro Octaviano. Regula de pluralitate votorum limitata. Intentio Imp. bona: media non ſufficientia. Eventus cauſa. Bellum civile. Erffurtum captum à Landgravio. Nummus in rei memoriam cuſus. Fabula de conculcato Imp.

§. I.

EX iis, quæ ſuperiori capite vidimus, factum, ut diſſenſio in eligendo ſucceſſore Pontificis R. evitari vix potuerit: altera parte *Octavianum*, altera eaque majore Rolandum Cardinalem ſive *Alexandrum III.* amplectente. Uterque implorabat Imperatorem defenſorem. Literas ex Radevico refert Baronius ad *A. C. 1159. §. 44. & 47.* & ſpeciatim *Alexander* inter alia his uſus verbis: *Nos itaque & tota Eccleſia DEI nobiscum* MAIESTATEM VESTRAM SVPPLICITER EXORAMVS, *ut tam violenta intruſione, ita ſicut eſt, intellecta & diligenter inſpecta, qualiter vobis ad ſalutem animæ veſtræ, & ad honorem Imperii ſuper tanto negotio ſit procedendum, diligenter attendatis.* Imperator itaque his precibus pro conſcientia ſatisfacturus, non potuit non Principes ac Status, præſertim Eccleſiaſticos in conſilium tantæ rei adhibere.

Cauſa ſchiſmatis Romani. delata Imperatori.

& Concilio Germ.

§. II.

Quæ de re Radevicum audiamus: *Fridericus ancipiti malo novi ſchiſmatis permotus, concilio Principum decrevit dare operam, ne quid exinde ſeu ſtatus Eccleſiæ ſeu reſp. Imperii detrimenti caperet. Audiens itaque utrumque electum, in Epiſcopatus ordinem conſecratum, alterum ab altero excommunicationis ſententia condemnatum: ſine*

Jus convocandi concilii eſt Imp.

IVDICIO ECCLESIÆ controverſiam terminari poſſe non putavit. Auctoritatem autem congregandi concilii exemplo antiquorum Impp. verbi cauſa Juſtiniani, Theodoſii, Caroli, ſibi congruere putans, litisque deciſionem legitimam eſſe non poſſe, niſi partibus hinc inde congregatis, conſiderans, ad citationem amborum venerabiles viros & Prudentes Danielem Pragenſem, & Hermannum Verdenſem Epiſcopos dirigit cum literis.

§. III.

Baronius A. 1159. §. 49. Injurius hic eſt in Imperatorem pariter & in Pontificem *Baronius;* quem enim Pontifex implorat, ut *ſpecialem defenſorem & Patronum Eccleſiæ Romanæ,* quæ ejus ſunt verba, illum hujus hoſtem ſalutat Cardinalis, ut ſaltem tali modo jus convocandi concilii à Friderico amoveret, cum Imperatoribus prioribus non poſſet denegare. Altera ejus exceptio eſt: *Niſi ſuadente parte Catholica, videlicet legitimo annuente pontifice.* Verum & hic Pontifex, quem legitimum reputat Baronius cum ſua factione exoraverat Imperatorem, *diligenter attendere, qualiter ipſi aut Imperatori, & defenſori Eccleſiæ cum tanto negotio procedendum.* Conſentit ergo eo ipſo in hunc modum, quem optimum tantæ rei judicaverit Imperator atque Principes Germanici Imperii, Judicio ſcilicet Eccleſiæ rem terminari, ſive legitimo Concilio convocato. Quanquam præterea etiam in invitum datur jurisdictio Eccleſiæ quoque, quæ alioquin miſera admodum eſſet, ſi non niſi conſenſu partium litigantium conſtaret. Tertio excipit: *Nec in re adeo indubitata, & perſpicua ſicut iſta.* Quaſi vero tantum de rebus dubiis concilia fieri debeant, non etiam de certis & arduis, & harum expediendarum modo. At nec hæc tam indubitata fuit, ut opinatur Car-

Cardinalis, quum inquirendum ſaltem eſſet in pacti *de futuri pontificis electione* veritatem, quod Octaviani & Socii allegabant, *ut nonniſi communi conſenſu futurus Pontifex procederet.* Quod ſi pareret, uterque vitio electus foret, & electio repetenda & jus Imperatoris ſimul tali in caſu obſervandum.

§. IV.

Recte igitur atque ordine fecit Imp. concilium univerſale convocans in cauſa univerſam Eccleſiam Occidentalem attingente, nec tantum Imperii h. e. Germaniæ, & Italiæ, ſed & aliorum regnorum, Angliæ, Franciæ, Hungariæ, Daciæ, Hiſpaniæ, ArchiEpiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & viros religioſos, ac DEUM timentes, evocans, una cum utroque litigante Competitore. Recitat Radevicus literas citatorias ad Rolandum ſive Alexandrum, in quibus clauſula citatoria ita eſt concepta: *Proinde Eruditioni veſtræ mandamus, & ex parte DEI omnipotentis, & totius Eccleſiæ Catholicæ præcipimus, ut ad eandem Curiam ſive conventum veniatis, & Eccleſiaſticarum perſonarum ſententiam audituri, & recepturi. Teſtis enim nobis eſt DEUS, quia in hac curia nec amore, nec odio alicujus perſonæ quidquam aliud quærimus, quam honorem DEI & Eccleſiæ unitatem.* Neque offendere quemquam debet vox *Curiæ*, quæ nequaquam veteri ævo conventum *ſecularem* præciſe ſignificat, ſed Conventum & Comitia, quibus utriusque ordinis, Eccleſiaſtici & Secularis Principes intererant, & in quibus tam de ſtatu Eccleſiæ, quam Reip. deliberabatur, ita, ut pro re nata, & *Concilii* & Comitiorum preſſe dictorum rationem haberent. Eodem igitur modo Concilium hic convocavit Fridricus, quo Carolus M. in cauſa Elipandi & adoranda-

Concil. univerſ. convocat Imp.

Curiæ vox de Concilio.

da-

darum imaginum. Et ſatis ſeſe explicuit Fridericus, quum præfaretur ad Epiſcopos Papiæ convenientes ad Synodum, ut refert *Radevicus c. LXIV.*

§. V.

Alexander eſt contumax.

Sed non ita ſive Rolandus ſive Alexander III. Majorum veſtigia ſequutus, & ſpeciatim Hadriani I. comitia Carolina per nuncios utique viſitantis, etſi ſententiam adverſus ſe ſe, & veritus & expertus eſt. Nec dum enim jure divino, nec obedientia Majeſtati debita ab omnibus, ſe ſe ſolverat Clerus ac Curia Romana. Verum aliud jus, divino atque humano inimicum, jam tum introduxerat Hildebrandus, cui inſiſtens Alexander detrectabat ad Concilium venire. Rationes Legatis Imperatoris, Epiſcopis Verdenſi & Pragenſi, Comitique Palatino Ottoni, Friderici conſanguineo, quas dederit recitat *Baronius ex actis §. LVI. A. C. 1159.* Nempe etſi negari non poſſit, Imperatoriæ Majeſtati parendum utique, quo minus tamen id faceret, Jure prohiberi divino ſingulari, *ſeu Privilegio S. Petro,* & conſequenter *Eccleſiæ Romanæ impertito.* Att, *Sane B. Petro & per eum SS. Eccleſiæ Romanæ, cujus ipſe per DEUM magiſter extitit, & fundator, hoc privilegium legitime à Domino JESU CHRISTO Sanctisque Patribus traditum eſt, & per proſpera & adverſa etiam cum ſanguinis effuſione, cum oportuit, usque ad hæc tempora conſervatum, ut univerſitate Eccleſiarum cauſas ipſius auctoritate diſcuteret ac finiret : ipſa vero nullius unquam judicio ſubjaceret.*

§. VI.

Examinatur.

Sed fabula eſt, quod pro fundameuto excuſationis ſternitur, *de privilegio independentiæ S. Petri,* quem omnino judicavit S. Paulus. ut ipſe ad *Galatas c. 2.* non ve-

veretur fateri. Petrus porrò in *altera epiſtola c. 2. 10.* dehortatur Eccleſiam Catholicam à doctrina falſorum doctorum, quos futuros vaticinatur, *maxime verò illorum, qui carnem ſequentes in concupiſcentia pollutionis ambulant*, interdicto divinitus naturæ humanæ contra concupiſcentiam dato remedio, legitimo conjugio, & κυριότητος καταφρονοῦντας, ac *Dominationem* ſeu Majeſtatem, ſummamve in Rep. poteſtatem *contemnunt*, ſe ipſos elevantes per omnia. Fabula eſt, nec usque adeo σεσοφισμένη de communicato iſto *privilegio Eccleſiæ Romanæ*, h. e. Papæ Romano & Cardinalium Collegio per S. Petrum; ignorata tempore Conſtantini & Theodoſii, ac Caroli M. exploſa in Concilio Romano ab Ottone Magno, in Concilio Wormatienſi ab Henrico IV. aliisque legitimè habitis.

§. VII.

Altera Rolandinorum excuſationis ratio erat, *quod nec in minoribus Eccleſiis Advocati earum, & ſingulares Principes, evocationes, diſceptationes, ac deciſiones hujusmodi cauſarum ſibi aut Curiis ſuis uſurpent, ſed ſuorum Metropolitanorum aut Apoſtolicæ ſedis ſemper notitiam, & definitionem habere expectent.* Egregia verò ratio! à meris Eccleſiarum ſingularum Advocatis ad ſummam Reip. Majeſtatem arguens, ac præterea diſtinguens haud ſeparanda, neque enim definitionem Metropolitanorum & Epiſcoporum totius Eccleſiæ Occidentalis Imperii excludebat Imperator ab hoc judicio. Sed imo horum ipſorum judicio cauſam Sedis Romanæ, ſubmittere cupiebat; quum Alexandrum in propria cauſa judicem eſſe, omnia jura divina, & humana prohiberent.

§. VIII.

Cæterum ut Rolandum à contumacia nihil hactenus ex- *Legatorum error.*

excuſabat, ita viciſſim intentioni Imperatoris conformis haud fuit Legatorum Imperatoriorum civilitas, ſi vera ſunt, quæ acta Alexandri de iis referunt, quod hoc reſponſo ab Alexandro accepto ad Octavianum redierint, & ad pedes ejus procidentes, eum adoraverint, & ita præcipiti præjudicio Pontificem ſalutaverint, irritati ſcilicet arrogantia & contumacia Rolandi. Sed imo illud ſi fecerint, certè non ut Legati, edictum citatorium, ut Rolando, ita & Octaviano inſinuantes, id fecerunt, ſed ut privati hactenus. Quanquam ſatius fuiſſet, ſi non factum; id quod etiam veroſimilius videtur. Etenim Imperator literis quibus hanc litem Epiſcopis Transmontanis denunciaverat, & eos ad concilium convocaverat, diſerte hanc aſſixerat clauſulam: *Interim autem prædictæ ſciſſuræ in neutram partem aſſenſum tuum declines, nec tanquam juſtam, & rationabilem aliquatenus recipias.* Ut eſt apud Radevicum.

§. IX.

Geſta Concilii Papienſis. A. 1160.

Sed videamus, quid in Concilio legitimo geſtum. Etſi igitur Rolandus cum ſociis Matris Eccleſiæ ſententiæ arroganter noluit cauſam ſuam ſummittere, contra verò Octavianus, ut filius obediens comparuit: utriusque tamen electio diligenter fuit excuſſa atque cognita. Ad quæ id apparuit, neutrum unanimi conſenſu fuiſſe electum. Octavianum tamen à Clero, populoque Romano poſtulatum, & prius, quam Rolandum, à tribus Cardinalibus electum, & immantatum ſeu habitu Pontificis Romani inveſtitum, ab ipſo quoque Rolando tacite, & expreſſe agnitum per aliquos dies fuiſſe. Teſtes hujus rei ſatis luculenti fuere Canonici S. Petri Romæ, epiſtola atteſtatoria ad Fridericum Imp. deſuper data, quam exhibet Radevicus; [illegible] item-

itemque plurimi Clerici præſentes in Concilio interrogati, quorum teſtimonia idem Radevicus recitat. Inter quos etiam conjurationem jam tum ab Hadriano & Rolando ac ſociis adverſus Imp. & Octavianum pro ſtabilienda hierotyrannide factam detexere Joannes de S. Stephano & Wolferaminus, atteſtantes; Hadrianum cum de Vrbe exiret ad eos dixiſſe: *Octavianus, quem ego miſi in Longobardiam vult excommunicare Mediolanenſes, ſed ego mandavi Mediolanenſibus, ut non curent de eo, ſed fortiter ſe habeant tam ipſi, quam Brixienſes contra Imperatorem, & ego cum eis diſpoſui, quod Imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam venire. Item etiam cum Cardinalibus ita diſpoſui, quod Octavianus non erit papa per mortem meam.* Unde in Epiſtola Synodali Encyclica ita hac de re reſcriptum: *Illud etiam diſcretionis veſtræ prudentiam volumus non latere, manifeſte eſſe deprehenſum, quod Rolandus Cancellarius, & ejus ſequaces quidam Cardinales, vivente adhuc Papa Hadriano conjuraverunt. Fuit autem tenor conjurationis, quod ſi eis viventibus Papam Hadrianum mori contingeret: Cardinalem unum de illis eligerent, qui in eadem conjuratione eſſet aſtrictus.* Quibus nihil eſt quod Baronius opponere poteſt, niſi rude carmen: mendacia eſſe ac teſtes falſos. Sed Auguſtiſſimus Imper. epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ, qui concilio non interfuerant, ad hanc calumniam hæc reponit: *Quod hæc conſpiratio facta fuerit, & ille jam dictus Rolandus, per eam hoc modo intraverit, non eſt fictitium ſed religioſis viris ab illo, qui facit manifeſta conſilia cordium, mirabiliter eſt declaratum. Baron. A. C. 1160. §. 4. 14. 18. 20. 23. 24. 26.*

§. X.

Hoc rerum ſtatu jam cognito, & interceptis litteris Ro- *Decretum conſilii*

Rolandi & ſociorum ad Ordines Lombardiæ, *ex quarum tenore machinationes eorum & molimina contra Imperium potenter ſunt deprehenſa, ut ſcribit Henricus præpoſitus de Berthersgaden ad Eberhardum Archiepiſcopum Salzburgenſem, apud Radevicum,* non potuit ſalva Majeſtate Imperii & libertate Eccleſiæ Germanicæ Rolandi electio approbari. Sed quantum ad *Octavianum,* etſi nec ipſe unanimi Cardinalium Epiſcoporum conſenſu, nec plurium ſuffragiis electus fuerat, nec ab Oſtienſi Epiſcopo conſecratus, quod *Baronius* urget *ad A. C. 1160. §. XV.* Vnde ſatius fuiſſe videri poſſit, rem protelare, ac neque hujus electionem approbare, ſed curare potius, ut aliquis *tertius* eligeretur, quod conſilium & poſtea Imperator ſemel atque iterum agitavit, atque placuiſſe hoc etiam Concilio primitus teſtatur Eberardus Epiſcopus Bambergenſis, ad Eberardum Archiepiſcopum Salzburgenſem: *Convenientibus,* inquit, *in unum Papiæ Epiſcopis, circiter quinquaginta, diuque ventilata quæſtione Papatus, cum dilatio primo pene omnibus complacuiſſet usque ad majorem rei notitiam, & aliud generalius Concilium &c.* Attamen quum factio Rolandina res novas moliri, & adverſus Remp. ſeditionem movere deprehenderetur, periculum in mora eſſe viſum fuit, & ſic Octaviani, ſeu Victoris II. electio comprobata. Itaque idem Eberardus pergit: *Prævaluit tandem pars domini Victoris, juſtificata ab altera parte multis modis, quia conjuratio contra Imperium factum illud præceſſerat, quia domini Victoris immantatio prior, illa poſterior, quo ſolo Innocentius Anacleto prævaluit, cum Anacletus plures ad maximæ ſcientiæ & auctoritatis haberet Electores. Deinde quod ad hoſtes Imperii pars illa ſe tranſtulerit obligata Siculo, Mediolanenſibus, Brixienſibus, Placentinis, per Sacramen-*

[Margin: contra Rolandum Majeſtatis reum.]

[Margin: pro Octaviano.]

mentum, quod ſanæ doctrinæ adverſari videtur, & cum ſubditos à juramentis fidelitatis debitæ abſolvat, & ſervire Imperatori prohibeat quoscunque, & ſic diſceſſionis viam prepararet, quod peſſimum eſt, ſicut opere ipſo clareſcit, & ſcriptis undique per Italiam directis tam civitatibus quam Epiſcopis. His malis principiis finem deteriorem promittentibus perpetuam videlicet diſcordiam inter regnum & ſacerdotium, & diſceſſionem ab invicem, tum pars illa cum omni ſecuritate conductus nec venire voluiſſet, nec etiam procuratores pro ſe mittere ad ſubeundum judicium & excipiendum ſententiam; dominum Victorem recepimus, ſpe pacis & concordiæ inter regnum, & ſacerdotium. Longo tamen examine præmiſſo de tempore & ordine electionis ſuæ, de his, qui ejus electioni conſenſerunt primitus, & poſtmodum retro abierunt cardinalibus numero novem teſtificante ſuper his omnibus capitulo B. Petri & clero Romano ſcriptis, & viva voce nunciorum ſub jurejurando. Nuntius Regis Francorum pro eo neutrum ſe recepturum usque dum Nuntius Imperatoris recipiat. Nuntius Regis Anglorum idem velle, & idem nolle, promiſit tam his, quam in aliis. Arelatenſis, Viennenſis, Lugdunenſis, Biſuntinus per literas & per nuncios conſenſerunt. Solus Trevirenſis de regno noſtro ſupereſt in parte illa de numero Archiepiſcoporum, qui non conſenſerit: ejus tamen ſuffraganei omnes conſenſerunt. Vsque ad vos ſolum perventum eſt. Angelus magni conſilii dirigat vos ſecundum beneplacitum ſuum, & cuſtodiat vos in omnibus viis veſtris. Præter hæc præpoſitus multa manifeſtabit vobis, quæ non licet, ad præſens homini loqui. Congaudete mihi, qui dimiſſionem accepi, & ad propria redeo. Ac ſimiliter Henricus ille Præpoſitus ad eundem Archiepiſcopum Salzburg. pergens ait: *Vnde quia dilatio*

non parvum tam Eccleſiæ, quam Imperio videbatur minari periculum præſertim quia non erat, qui prædictis contradiceret, cum utraque nimirum pars, non ad Curiæ, ſed ad Eccleſiæ fuiſſet examinationem vocata: Epiſcopi parti Victoris aſſenſum præbuerunt.

§. XI.

Reg. de pluralitate votorũ limitata.

Neque obeſſe hic regula potuit, de *plurium* Cardinalium ſuffragiis, quum ea exceptionem patiatur, quoties plures iſti conſpirationis rei deprehenduntur. Qua de re Imperator allegata ad Epiſcopos Germaniæ adhortatoria: *Habito itaque venerabili concilio, in quo Patriarcha Aquilejenſis, & multi Archiepiſcopi, & Epiſcopi religioſi convenerant, per octo continuos dies maxima gravitate, ſemota omni laica perſona, tractatum eſt; quis ex duobus ſummi Pontificatus apicem de jure deberet obtinere. Poſt longam itaque deliberationem quia illa nefandiſſima CONSPIRATIO, DEO & Eccleſiæ admodum odibilis manifeſtis non ſolum judiciis probata, verum in facie totius Eccleſiæ coram poſita revelata eſt, & in Domino Victore nihil reprehenſibile inventum eſt, niſi quod pauciores numero Cardinales omnino à CONSPIRATIONE illa exortes eo pro bono pacis inter regnum & Sacerdotium conciliando elegerunt; & invocata Spiritus S. gratia Eccleſia DEI Rolandum Cancellarium CONSPIRATOREM, & ſchiſmaticũ, discordiam, & lites & perjuria bona eſſe evangelizantem, condemnavit, & Dominum Victorem Papam in patrem Spiritualem, & univerſalem Pontificem confirmavit. Quem nos Eccleſia duce ſecuti approbamus, & univerſalis Eccleſiæ patrem & rectorem, cooperante divina clementia fore denuntiamus. Hoc itaque factum divinis ſuffultum præſidiis, & in Apoſtolica ſtabilitate ſupra petram Chriſtum videlicet firmiter fundatum; à veſtra*

ſtra beatitudine pro pace totius Eccleſiæ, & ſalute Imperii approbari, & ab omni Eccleſiâ veſtræ ſanctitati commiſſa teneri, & conſervari rogamus, & præoptamus. Data Papiæ XV. Kal. Martii.

§. XII.

Ex his igitur conſideratis, apparet, optimam Imperatorem ac Proceres Germaniæ intentionem habuiſſe, puta concordiam Imperii; & Eccleſiæ reformationem, Majeſtatis Imperialis, atque libertatis Germanicæ aſſertionem. Verum enimvero etſi quoque mediis uſi fuere legitimis, videlicet Convocatione Concilii univerſalis per Occidentalem Imperii Romani Eccleſiam, Decreto etiam non injuſto, eoque anno ſequente in Concilio *Laudenſi* repetita confirmatione ſtabilito, atque ita executioni dato, ut Victor poſſeſſionem Sedis Romæ nactus ſit, adverſario Româ excluſo; Porro etiam re eo perducta, ut Imperator cum Rege Franciæ Concilium univerſale *Avenione* A. 1162. convocaret, ea intentione, ut *tertius* aliquis in ſedem Romanam conſtitueretur, utroque tum comparare parato: Eventus tamen haud reſpondit juſtitiæ cauſæ & intentioni ſalutari. Nam Octavianus impediit novam Concilii cognitionem, perſuadens Imperatori, præjudicium fore auctoritati Imperiali, & libertati Eccleſiæ Germanicæ, ſi id fieret, & quidem extra Imperii Germanici limites. Baron. *ex actis* & Saxo. *Grammat. A. C. 1162.* §. 7. 9. 19. Unde factum ut & Reges Franciæ & Angliæ, ac plures Principes alii receſſerint à Decreto Papienſi. Et quamvis ei per XX. fermè annos Imperator inhæſit, nec Rolandum pro Pontifice legitimo agnovit, Octaviano defuncto etiam alio ſuffecto: Tamen ceſſit tandem optimus Imperator, & Alexandrum III. Pontificem, cum Imperii Principibus ſuſcepit. A. C. 1176.

Intentio Imp. bona

media nõ ſufficientia.

Eventus.

§. XIII.

§. XIII.

Cauſa. Juſtitiam cauſæ Rolandinæ ex eventu dijudicare, imprudentis eſt, atque imperiti rerum humanarum, in quibus magna *fati* vis, quæ cauſis ſecundis ita uti ſolet, ut cul-
1. pæ agentium eventus imputetur. Fatalem Orbis Monarchiam ſub ſpecie poteſtatis Eccleſiaſticæ fundaverat Hildebrandus, extruxerant ſucceſſores, ornaverant natio-
2. nes. *Siculus* ſeſe ſubjecerat Curiæ Rom. in detrimentum Imperii; ſuſceperat ſedes Romana contra pacta cum Imperatore inita: Reges Franciæ & Angliæ etſi per legatos in Concilio Papienſi videbantur adprobaſſe Octavianum,
3. mox tamen *Franciæ Rex* Concilium Turone A. C. 1163. inſtituit in favorem Rolandi, cujus hic ipſe Præſes, & in cau-
4. ſa ſua judex. Ordines *Lombardiæ* jam pridem repetitis regalibus erant offenſi, faciles jam auram ſequi Alexandrinam. Unde adhuc A. 1177. inter ipſos Pacis tractatus Legato Imperatoris, repetenti regalia juxta ſententiam Bononienſem, Mediolanenſis Judex non dubitavit *planè inficiari, eam fuiſſe ſententiam, ſed Imperatoriam juſſionem,* referente pluribus Romvaldo AEpiſcopo Salernitano. Etenim Lombardi querebantur, plura peti, quam quibus Carolus, Ludovicus atque Otto Impp. contenti fuiſſent, ut habent Acta apud Baronium *A. C. 1175.* §. *XI.*

§. XIV.

5. Derelicto Imperatori à plerisque omnibus, ſolæ vi-
bellum anceps. res *Germanicæ* videbantur ſufficere ad compeſcendos perduelles. Itaque mortuo Victori ſuffectus à ſuis *Guido* Cardinalis ſive *Paſchalis III. A. 1164.* cujus Electio in *Concilio Herbipolitano* biennio poſt à XL. epiſcopis, *Anglo* etiam favente (alienato quippe ab Alexandro ob cauſam Thomæ AEpiſcopi Cantuarienſis) confirmata, ipſeque in

ſedem

ſedem Romanam collocatus, adverſario in Franciam fugato. Varia inde belli acies per decennium in Italia, copiæque Germanorum fato magis, quam hoſtium viribus attritæ. Nec perſtitit calamitas intra Italiam, Germaniam ipſam quoque occupavit, diſceptantibus inter ſe de *ſede Moguntina* Conrado AEpiſcopo ad Alexandrum profugo, & Christiano ab Imp. iſti ſuffecto A. 1166. Ea tempeſtate Landgravius Thuringiæ *Ludovicus Ferreus*, ad mandatum Imp. Civitatem *Erffurtenſem* Conrado adhærentem obſedit, occupavit, & disjectis mœnibus caſtigavit. In cujus rei memoriam *nummos bracteales* cudi fecit Ludovicus, ubi ejus effigies equeſtris cum vexillo, & inſignibus Moguntinis Rotæ cum hac inſcriptione apparet:

LVT. D. G. ER. D. EF ECIT AEC *Nummus*
h e. *Thuring.*

Ludovicus Dei Gratia Erffurti Dominus Effecit hæc.



Sed ad rem.

§. XV.

Vidimus cauſas, quibus ſuprema omnium uſa fuit *Hieroty, rannis.* ad effatum implendum ſuum. Ὁ γὰρ θεὸς ἔδωκεν εἰς τὰς καρ-

καρδίας αὐτῶν ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην, καὶ δοῦναι τὴν βασιλείαν αὐτῶν τῷ θηρίῳ, ἄχρι τελεσθῇ τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ. Quamobrem conſilia Curiæ Romanæ hactenus *feliciora*, Imperatoris *meliora*, quibus quum imparem ſeſe tandem ſentiret, fato ea permiſit. Equidem & Alexander ille multa de *Eccleſiæ libertate* tuenda in Concilio Turonenſi A. 1163. præfatus eſt per Arnulphum Epiſcopum Lexovienſem, quæ recitat *Baronius* §. *3. 599.* Sed qualis libertas intenta fuerit, mox §. XI. proditur, quum de Friderico Imp. id vovetur: *Vtinam humilietur ſub potenti manu DEI, & PRINCIPATVM ECCLESIAE ſuo praeeſſe Principatui recognoſcat.* Id ſcilicet eſt, quod S. Petrus poſteris inculcavit, ut paſcant animas ſuorum non ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, *principatum exercentes in Eccleſias.* Nec veretur hic Apoſtolicus hunc Principatum ſanguine Chriſtianorum quærere, incitans eâdem ſubditos ad ſeceſſionem, ſocios ad frangendam fidem. Quale tandem iſtius Principatus fuerit exercitium, non dubitavit prodere addictiſſimus ejus ſocius Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis epiſtola ad Gratianum Subdiaconum, intimiorem amicum, quam bona fide retulit *Baronius Cardinalis ad A. C. 1170.* §. *XXVIII. Verum quia Romana Eccleſia (quod pace omnium in aure veſtra dixerim) poſuit fundamentum ſuum FORMIDINEM, aut res captat, aut perſonas accipit, auctoritate qua praeeminet, iniqua gerentibus non occurrit: propterea FLAGELLA DEI gravia, & toti mundo vix portabilia veniunt ſuper eam, ut inſtabilis facta, fugiat à facie perſequentis, & in tribulationibus vix ſubſiſtat.*

§. XVI.

Cæterum quod Archiepiſcopus fundamentum Cu-

riæ Pontificiæ *Formidinem* aſſerit, aperit, quid differat iſta hierotyrannis à legitimo Principum imperio. Scilicet, quod *alterum arma habet, quibus in munimentum pacis utitur; alterum ut magno timore, magna odia compeſcat*, ut Seneca *l. de clem. c. 12.* ait. Quare injuriam facit Friderico Baronius, *Pharaoni* eum comparans, ad *Ann. C. 1160.* §. *XXXV.* cui Alexander ſuus fortè æquiparandus. Quæ ipſa dominatꝰ ſupremi affectatio cauſa fuit, quod nulla pax, nullaque tranquillitas Principibus Germanicis ab aula Romana tum fuerit conceſſa, id quod perſpicaciſſimi Politices doctoris, *Ariſtotelis*, verbis *lib. V. Pol. c. XI.* explicatur: *Peculiare tyrannorum eſt, nullo mortalium delectari, qui* σεμνὸς *gravis ſit, &* ἐλεύθερος *liber. Talem enim ſe ſolum tyrannus, oportere eſſe putat. Qui verò* ἀντισεμνυνόμενος *& ipſe dignitatem tuetur ſuam, &* ἐλευθεριάζων *libertati ſtudet, is tollit iſti* τὴν ὑπεροχὴν *prærogativam affectatam &* τὸ δεσποτικὸν τῆς τυραννίδος, *quod proprium eſt tyrannidis, dominatũ in omnes. Odio igitur hos habent tyranni, tanquam diſſolventes poteſtatem ſuam.* Cæterum, quod de tyrannica pedum conculcatione (niſi quis moraliter id velit intelligi) quam Alexander in pacis confectione adverſus Fridericum Venetiis exercuerit, fabulantur quidam ſcriptores, illud recte exploſum à Baronio: neque affectatio iſta Alexandri ſpecies eſt apertæ, ſed diſſimulatæ tyrannidis, ὑποκρινομένης τὸ βασιλικὸν καλῶς, ut ibidem Philoſophus loquitur. Mutius Panſa della Libraria Vaticana Part. 2. Diſc. IX. *Et eſſendo dà Venetiani preſo in battaglia Otthone figliolo di Federico, fu per queſto mezo trattata la pace fra lui, e'l Pontifice, e coſi sù le porte di S. Marco, gettato in terra Federico, chiedendoli perdono, li baciò humilmente il piede. Vedeſi hoggi nella ſala Regia in* Vati-

Fabula de conculcato Friderico.

Vaticano un belliſſimo Quadro di Pittura nel quale, l'hiſtoria di queſta obedienza di Federico è dipinta, con la ſequente inſcrittione.

ALEX. PAPA III. FRIDERICI I. IMP. IRAM
ET IMPETVM FVGIENS. ABDIDIT SE VENETIAS
COGNITVM. ET A SENATV PERHONORIFICE SV
SCEPTVM
OTTHONE IMP. FILIO, NAVALI PROELIO A
VENETIS VICTO CAPTOQVE FRIDERICVS
PACE FACTA, SVPPLEX ADORAT.
FIDEM ET OBEDIENTIAM POLLICITVS
ITA PONTIFICI SVA DIGNITAS, VENETAE
REIP. BENEFICIO RESTITVTA.
M. C. LXXVII.

Verum ſi quis hanc inſcriptionem cum ſuperiore in ignominiam Lotharii confecta, comparat, etiamſi elegantioris literaturæ planè rudis, haud difficulter tamen judicabit, non idem ſeculum hanc redolere: certe aliquot ſeculis poſtea demum facta fuit.

CAPVT

CAPVT V.

De REFORMATIONE ALEXANDRI III. ET SVCCESSORIS.

SVMMARIA.

Alexandri inquiſitio contra Waldenſes. Concilium Turonenſe. Albigenſes. Cathari: Gazari. Kätzer. Concilium Lateranenſe. Appellatio ad S. R. Prophetiſſa de exercitio doli E. R. Controverſia de ſucceſſione in ſede Trevirenſi. ejus juſtitia. Coronatio Henrici VI. in conſortium imperii adſciti denegata à P. R. quo fundamento, expoſitum.

I.

Porrò quum contradicere Pontificio dominatui ſecta quædam horum temporum in Gallia, & ſpeciatim in provincia Tholoſana, unde & *Tholoſates* dicti, qui ſcandaliſati Cleri Rom. regimine, ſecedentes ab Eccleſia Rom. ſe ipſos *bonos homines* appellabant, profeſſi: *Paulum præcipere, ut ordinentur in Eccleſia Epiſcopi, & Presbyteri, & ſi tales non ordinarentur, quales præceperit, eos non eſſe Epiſcopos, ſed lupos rapaces, hypocritas & ſeductores, amantes ſalutationes in foro, primas cathedras & primos accubitus in cœnis, volentes vocari Rabbi, contra præceptum Chriſti, ferentes albas & candidas veſtes, geſtantes in digitis aureos annulos & gemmatos, quod non præcipit Magiſter eorum. Et idcirco, quia tales Epiſcopi & Presbyteri erant,*

Alexander inquirit in Waldenſes. in Concilio Turon. A. 1163.

rant, quales fuerunt presbyteri qui tradiderunt JESVM, non debebant illis obedire, quia mali erant. Vid. Rogerius *in Annal. Angl. & ex eo Baron. ad A.C. 1176. §. 3.* Idcirco inquàm Iii in Concilio Turonenſi A. 1163. can. 4 ita condemnati, ut *ubi cogniti fuerint illius hæreſis ſectatores, ne receptaculum quisquam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertire præſumat. Sed nec in venditione aut emtione aliqua cum eis omnino commercium habeatur, ut ſolatio ſaltem humanitatis amiſſo, ab errore vitæ ſuæ reſipiſcere compellantur.* Iſti homines etſi in doctrina ſua omnigenam puritatem præſertim ab initio non foverunt, ſcopus tamen ipſorum longe fuit melior, & mores puriores, quam vulgo clericorum tum temporis. Intendebant enim internum ac verum DEI cultum, interiorem & novum hominem, internam cum DEO ſocietatem, ac perfectionem Chriſtianam, licet non ſatis recte per omnia primo inſtituti: quæ omnia ferè negligebantur à Clero illorum temporum, cujus DEVS venter erat, & ſcopus opes ac potentiá. De Waldenſium ortu ac progreſſu poſt alios vide ſis *Thuanum*, & qui alios pleroſque compilavit, *Boxbornium in Hiſt. Vniverſ. ad A. C. 1159.* A quibus diverſos facit *Albigenſes* hæreticos *Magnum Chronicon Belgicum ad A. Chr. 1202. & 1208.* Manichæorum & dogmatis de metempſychoſi participes. *Cathari* quoque vocati ſunt ab aliis, can. 17. Concilii Lateranenſis anno 1179. quo nomine Novatiani & Donatiſtæ antea appellati, *Ruffin. lib. 1. H.E. c. V,* pro quo poſtea *Gazari* vocati, unde noſtrum generale vocamen *Kätzer*.

Albienſes hæret.

§. II.

Lateranẽſi A. 1179.

Enimverò rebus ſuis ita confirmatis, præ ſe tulit Alexander, quaſi reformationem Eccleſiæ Vniverſæ vellet

pera-

peragere, unde *Concilium Romæ* A. C. 1179. indixit. Sed in eo id egit, ut *dominatus* ſacer, atque potentia cleri Romani ſtabiliretur magis, quàm ut doctrina atque mores purgarentur. Hinc in eosdem Waldenſes ſive Catharos, ut dictum, denuò ſententia lata. Pariter ſuppreſſus fuit *Clerus Germanicus*, qui ab Imperatore dependeret, idque ſub ſpecie ordinationis ſchismaticæ. Exemplum inſigne dedit *Bertholdus* Electus *Bremenſis*, cujus electionem etſi ſemel approbaſſet Alexander, tamen ad literas & legationem Henrici Leonis, Ducis Saxoniæ, & Bavariæ ab Imperio proſcripti, eam reprobavit, eo quod *ante ſacros ordines recepiſſet Regalia de manu Imperatoris*, & quod ab ejus electione ſolus diſſidens præpoſitus, appellans ad Papam, *appellationi renunciare coactus fuiſſet, quaſi quæ non admitterent diſpenſationem de facili. Cranz. l. VII. cap. IV.* Hoc eodem tempore *Prophetiſſa* quædam ecſtatica, (referente *Roberto*, & quem *fidelem teſtem* vocat *Baronius ad A. C. 1180. §. 1.* ipſamque prophetiam *certam*) inter alia futurum dixit, *Clerum Romanum gravis animadverſio feriret, niſi ab EXERCITIO DOLI reſipiſcerent, ſub quo à multis retro temporibus, usque in hodiernum diem laboraverint.* Anne exercitium doli dixerit Prophetiſſa, quod vera reformatio Eccleſiæ à Ludovici Pii inde usque temporibus, ſæpius ſuſcepta, nunquam perfecta fuerit?

appellatio ad Pap.

prophetiſſa de exercitio doli E.R.

§. III.

Quid Alexandri III. ſucceſſor Lucius libertati Eccleſiarum Germaniæ contulerit, ex cauſa Trevirenſi tunc emergente apparet. Vacabat ſedes Trevirenſis, & Imperatori incumbebat jura ſacra Imperii ex transactione Henrici V. reliqua manutenere. Rem ut evenerit, recitat Arnoldus Lubecenſis lib. 3. cap. X. *Volcmarus*, inquit,

cauſa Trevirenſis A. 1185.

prior

prior à ſaniori parte electus eſt. Rodolphus verò poſterior à parte inferiore. Cumque ſchisma inter eos eſſet, Volcmarus quaſi de Canonica electione præſumens, ad ſedem Apoſtolicam appellavit, Rudolphus verò ad Imperatorem ſe transtulit. Imperator ergo audiens, quod factum fuerat, propter diſſenſionem electionis inveſtituram dedit Rudolpho. Apoſtolicus itaque affirmabat partem Volcmari propter canonicam electionem. Et Imperator pro Rudolpho erat propter electionis diſſenſionem. Sicque ab invicem diſceſſerunt, ut quivis ſuam partem diceret eſſe juſtiorem. Procedente ergo tempore, quum Volcmarus ſequeretur Curiam Romanam, & pro ſuo negotio moleſtus eſſet Apoſtolico: Apoſtolicus miſſa epiſtola peremtoriè citavit Rudolphum, qui tunc cum Imperatore erat. quod Imperator audiens non parum ægrè ferebat: ipſum tamen ne contumax videretur, ad audientiam venire hortatus eſt, mittens ſecum duos Decretiſtas quidem, ut pro Rudolpho eſſent juſtitià Canonum. Legiſtas vero, ut pro parte ſua ſtarent jure Legum. Sed neutra parte cedente, inconfecta re diſceſſum fuit.

§. IV.

Ejus Juſtitia. Nihilominus juſtitia cauſæ Imperatoriæ adverſus ſedem Romanam ſatis eſt manifeſta, ſi conſiderantur ſaltem reverſales Curiæ Romanæ à Calixto datæ Henrico V. Imp. ut *ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio, vel judicio, ſaniori parti aſſenſum, vel auxilium præberet Imperator.* Idque agnitum ab Anaſtaſio IV. in cauſa Wigmanni Archiepiſcopi Magdeburgenſis, de qua ſuprà. Sed & Lucius Papa ipſe, haud contradixit, verum ejus ſucceſſores demum Vrbanus & Clemens III. ut rem plenius refert magnum Chronicon Belgicum ad A. C. 1183. *Defuncto Arnoldo Trevirenſi Archi-*

p. 201.

epiſcopo

Epiſcopo à capitulo Domini Folmarus ArchiDiaconus & Radolphus Præpoſitus in Archiepiſcopos erant nominati: ad quod ſchiſma ſopiendum, hora nona fuerat aſſignata: Sed Folmarus dictam horam præveniens, ab una parte electus, fuit inthroniſatus: Radulphus igitur præfixa horâ nona veniens cum ſua parte electionem illam caſſandam acclamavit, unde à Frederico Imp. partibus Treverorum confluentiam vocatis, per Barones fuit definitum, partibus ſic diſſentientibus poſſe Imperatorem, perſonam idoneam, ſubrogare. Ventum igitur eſt ad electionem, ubi Folmarus ſe oſtentavit, & Radulphus à paucis electus, ab Imperatore inveſtitus, reverſus eſt in S. Petro, quanquam, in S. Simone fuerat inſtallatus, iſtis Papa Lucius auditis nihil determinavit: Cui Urbanus tertius Mediolanenſis ſucceſſit, cujus progeniem Imp. Fredericus, qui Mediolanum oppugnavit, univerſam oppreſſit, qui licet Folmarum ſe non admiſſurum juraſſet, tamen eum Papa approbavit & conſecravit, Radulphum reprobando. Quid moror? Folmarus reverſus excommunicavit Radulphum & ſuos; econtra Heinricus Rex juſſu patris fautores Folmari ſpoliavit & domos eorum publicavit, Folmarus impetrato legationis officio apud Moſanum Carram ut Papæ legatus, convocato Concilio & celebrato, Epiſcopum Tullenſem depoſuit, Petrum Virdunenſem excommunicavit. Tandem Clemens tertius miſſo Sigfrido Cardinale (titulo S. Mariæ inviolatæ) ad Regem mittit ut ſecundum Canones compoſitione facta inter eos negotium Trevericum, terminaret. Veniens vero prædictus legatus omnes ab obedientia Folmari abſolvit, & Epiſcopum de adminiſtratione, non de ordine depoſuit, & ab eo dejectos reſtituit, & excommunicatos abſolvit, & amborum, ſcil. Radulphi & Folmari

electionem ſuſtulit, eccleſiæ ut prius eligendi Epiſcopum liberum tradens facultatem: & diſcordia ſeptennio jam protracta fuit terminata (Hæc ex Chronicis Pontificum.)

§. V.

& coronationis Henr. VI.

Impp. ſimul plures.

Idem Lucius denegavit Imperatori Friderico *coronationem* filii Henrici VI. non abſque nota quadam & ſcientiæ & probitatis ſuæ. *Dicebat enim Apoſtolicus*, inquit idem Arnoldus dicto loco, *non poſſe ſimul duos Imperatores regnare, nec filium Imperialibus inſigniri, niſi ea prius depoſuiſſet.* Non percipiebant ſcilicet homines acuti, imperium utique admittere conſortem, & admiſiſſe in Rep. & Rom. & Germanica admodum multis conſtare exemplis. Interea hac tergiverſatione affectabat Pontifex arcanâ ratione *jus concedendi imperii*, ac denegandi, contra omnia divina jura atque humana, ipſumque morem Eccleſiæ Chriſtianæ, cujus quidem eſt jus conſecrandi Imperatoris Chriſtiani, imperii concedendi, vel denegandi non item.

Capvt VI.

De JURE REGALIÆ, ANNATIS, DECIMIS, ET ADVOCATIIS ECCLESIAR.

Svmmaria.

Gravamen S. R. adverſus Imperatorem de perceptione fructuum & mobilium ſede Epiſcopali vacante. qua Jus Regaliæ vocatur. Ejus origo & differentia ab Annatis, Inthroniſticis & Emphaniſticis. Eſt jus Imperii & Principium, ex jure feudalis tutelæ. Aliud gravamen de decimis. Ratio Papæ examinata.

nata. Decimæ an juris divini? à Laicis poſſideri poſſe. Decimæ Thuringiacæ ſedis Moguntinæ. De Advocatiis Eccleſiarum controverſia. Epiſcopi Germaniæ mediatores, ſpernuntur ab Urbano. ejus mors. Gregorius III. P. R. Prædicatio Crucis. Vis ſuperſtitioſæ perſvaſionis. Friderici obitus.

§. I.

ALexandro ſucceſſerat Urbanus III. iisdem veſtigiis inhærens, ut apud Arnoldum Lubecenſem legere eſt. Sed & nova hic orta querela Cleri adverſus Imperatorem, quam Philippus ArchiEp. Colonienſis, & Urbani tum Vicarius, Friderico Imp. hiſce verbis, ut eſt apud eundem Arnoldum, propoſuit: *Veruntamen ut omnium Epiſcoporum ore loquar, ſi paulo mitius nobiſcum agere velletis, & per libertatem Imperialem levigare onus nobis impoſitum, tanto devotiores, quanto expeditiores, in omnibus ad omnia vobis eſſemus. Nunc autem videtur nobis quod quibusdam penſis, etſi non injuſtè, INDECENTER tamen gravati ſimus. Unde etiam videtur Domino Apoſtolico, quod juſtam contra vos cauſam proponat, quod mortuis Epiſcopis CONFISCANTUR Eccleſiæ, ita, ut ablatis omnibus MOBILIBUS, & ſtipendiis præſentis ANNI, Epiſcopus ſubintrans, omnia exinanita & evacuata inveniat. Si ergo juſtitiæ obtentu, & noſtri ſervitii intuitu, per Imperialem clementiam ſuper hoc nobis peperceritis, mediatores juſtitiæ inter vos & Dominum Papam humiliter erimus: ſin autem, à veritatis via recedere nequaquam poterimus. Quibus Imperator repoſuit: In veritate compertum habemus, quod prædeceſſores noſtri, antiqui Impp. hoc juris habuerunt, ut defunctis Epiſcopis INVESTITURAM Pontificalem, ſine alicujus præjudicio probatis perſonis liberrimè locaverint.* *Gravamen de percept. fructuum & mobilium ſede vac.*

Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc verò minimam SCINTILLAM JURIS NOSTRI, quam invenimus, nequaquam mutari permittimus. Sufficiat vobis juſtitia veſtra, quam inveniſtis, quod permittitur vobis electio Epiſcoporum, quam vos canonicè fieri dicitis. Sciatis tamen, quia dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti inventi ſunt Sacerdotes, quam hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipſi enim ſecundum vitæ meritum Sacerdotes inveſtiebant, nunc autem per electionem non ſecundum DEUM, ſed ſecundum favorem eliguntur.

§. II.

Juris iſtiꝰ origo, & diff. ab Annatis, & Inthroniſticis, & Emphaniſticis.

Querela fuit de confiſcatis mobilibus & ſtipendiis fructibusve illius anni, quo ſedes Epiſcopalis vacans fuit. Quod jus *ſcintillam* juris priſtini inveſtiturarũ Fridericꝰ appellat. Origo hujus juris hinc liquet: quum jam Friderici hac ætate vetus jus, & quidem *Fiſci Imperatorii* fuiſſe aſſeratur. Enimvero pridem in *Orientali* obtinuerat Eccleſia iſte mos, ut Clerici ordinati & intitulati ſolverent ſalaria conſveta iis, qui in hujusmodi ordinationibus miniſtrare ſoliti; eâ tamen lege, ne illa excederent reditum aut ſalatium *UNIUS ANNI, Nov. CXXIII. 3.* h. e. centum quinquaginta libros Turonenſes, ut ait *Petr. de Marca l. VI. de C. S. & J. c. X. 6.* Reſpondet autem libra Turonenſis ſive Gallica paulo plus undecim ſeſtertiis, *Gronov. lib. 3. de Pec. Vet. c. VIII.* h. e. octo groſſis noſtratibus cum dimidio fortè, Marcæ Lubecenſi. Quæ Epiſcopis data; *Inthroniſtica & Cathedratica* dicta. Quæ Clericis miniſtrantibus, *Emphaniſtica, Inſinuativa.* Cæteroquin m[illegible] rem dandi Epiſcopis certum pecuniæ ſummam [illegible] tione abolet Juſtinianus eâdem Novellâ [illegible]

Annatis magis convenit, quàm iſte Inthroniſticorum, quamquam neutra ſpecies Annatarum nomine veniat. At in Eccleſia Occidentali à Gregorio M. præſertim neque hic neque iſte mos fuit approbatus. *Vid. Diſt. 100. can. novit. & cau. VII. 2. c. ſicut Epiſcop.* velut ſpecies quædam Simoniæ. Poſtea tamen receptus ab Eccleſia Romana ſub nomine ANNATARVM, ſcilicet præſtationum. *Annatum* enim vocant ſcriptores ſequioris Latinitatis, quod unius anni eſt, aut annum unum ætatis habet, ut oves annatas. De hoc jure annatarum tractavit *Polyd. Virg. l. 8. de rer. inv. c. 2.* P. de Marca *lib. VI. de C. S. & J. c. X. ſqq.* M. A. de Domin. *l. IX. de Rep. Eccl. c. IX.* Hortled. *l. 1. de C. B. G. c. 1. §. 25. & 53.* Ren. Chopinus *lib. 2. Monaſt. tit. 1. §. 14. lib. 1. de Eccleſ. Polit. tit. ult. art. 18. ſq. lib. 3. tit. 3. art. 4. ſqq.* Pet. Matthæus *in Conſtit. PP. pag. 131. & paſſim.* Strauch. *Exerc. Exoter. V. §. XVII. & Amœn. J. Can. Ecl. VI. c. 8.* D. Zigler. *ad Lancellott. 4:3, 4.* Proſp. Fagnanus, *in cap. præterea. n. 6. x. ne prælati vices.* Duaren. *l. 6. de S. Eccl. min. c. 3.*

§. III.

Plane ſub *Imperio* Francorum, & *Germanorum*, primi anni reditus, una cum relicta penu & mobilibus Eccleſiæ vacantis, aſſignati fuerunt *Fiſco Imperiali*, aut Regio: quamdiu vacavit ſedes Epiſcopalis. Atque de hoc demum jure hic diſceptatum [illegible] Imperatorem & Pontificem Rom. quod Imperat[illegible] at ſcintillam juris Imperatorii circa [illegible], [illegible] que ſententiam P. de M[illegible]a, qui [illegible] ucceſ[illegible] um [illegible] s, [illegible] *S.* [illegible]

Jus Regalia.

do hodieque controverſia eſt inter |Pontificem Rom. & Regem Galliæ. Cujus originem idem ArchiEpiſcopus ex *jure feudali* arceſſit, quod cum Eccleſiæ Regum beneficio donatæ fuiſſent bonis ſuis, neceſſarium prorſus fuerit, ut illæ poſſiderent feuda illis conditionibus, quas in prima feudorum origine invexerat publica utilitas: itaque perſonas Eccleſiaſticas, quæ feuda poſſidebant, per conſequentiam factos vaſallos Regum: unde porrò ſequi neceſſariò, Regem poſt obitum Epiſcopi, quòd eo caſu feudum vacet, illud ad ſe recipere poſſe ac retinere, donec novus Epiſcopus inveſtituram feudi acceperit: interim competere Regi jus quoddam fruendi reditibus dum cuſtodia durat. *d.l.8.c.XIX.1.* Conf. Lehmann. *Chron.l.V.c.67. reg.3. & c.75.* L. Meimburg. *l.3. de la decad. de l' Empir. pag.214.* Opponunt Regaliæ impugnatores, aliud eſſe Cuſtodiam regaliæ ſive bonorum Epiſcopatûs vacantis, aliud vindicationem & conſumtionem eorum. Vid. tractat. *de la Regale*, juſſu Epiſcopi Apamienſis nuper editus *cap.V.lib.I.* Cui addi poteſt, quod bona Eccleſiaſtica Eccleſiis ita acquiſita ſint, ut dominium utile non penes ſolum *Epiſcopum* ſit, ſed penes *Eccleſiam* ipſam; Epiſcopus autem obligatus eſt, nomine Eccleſiæ feudum recognoſcere. Simile quid cernitur in aliis feudis, quæ *Communitatibus* conceſſa ſunt, & per *ſubſtitutos*, Lehnträger/recognoſcuntur. Verum enim verò non ſolum jus feudi cauſa adæquata eſt juris Regaliæ, ſed accedit & jus advocatiæ ſive *Tutelæ*, & reliquum circa ſacra jus. Conſtat autem moribus Teutonicarum gentium, præſertim in rebus Feudalibus, dominum directum jure Tutelæ *fructûs* percepiſſe, de quo *ad ff. Exerc. III.* §. *XI. Exerc. VII.* §. *XXII. & Exerc. XXXVI.* §. J7. ure igitur Imp, etiam ceſſis Papæ

inve-

inveſtituris, reliquum hoc jus ſervavit Imperio: nec ratio civilis ſuadebat, etiam hanc Juris circa ſacra partem deſerere velle; etſi in his turbis civilibus & nutantibus ſtatibus Eccleſiaſticis eàdem ratio conſuleret, inveſtituras nunc non eſſe repetendas.

§. IV.

Porrò *juſtitiam* hujus rei ipſe, qui gravabatur deſuper ad Fridericum Imp. Colonienſis Archiepiſcopus non auſus ſublevare, ait: *etſi non injuſte, indecenter tamen gravati ſumus.* Scilicet nulla hic ſubeſt Simoniæ ſpecies, quia non ab eo, qui ordinatur, aliquid exactum fuit, ſed à ſede vacante, neque qui exegit, ad ordinationem ſeu conſecrationem concurrebat. Itaque vectigal erat Fiſco Imperiali moribus reſervatum (datâ Eccleſiis Germanicis & Francicis immunitate, atque rerum abundantiâ ad ſtatum Imperii & tutelam Eccleſiæ conſervandam jure feudi) ex bonis Eccleſiæ vacantis & feudi aperti. Quale quid nihil injuſti fovet. Sed nec indecorum id per ſe fuit, ut Colonienſi quidem viſum. Niſi forte præfecti Imperiales excederent quandoque, ut non vectigal juſtum, ſed ſpolia reportare viderentur. Neque infrequens Reip. noſtræ fuit, imprudentiâ & incontinentiâ miniſtrorum ſemina civilis diſcordiæ ac ſeditionis ſpargi. Cæterum non modo Reges & Impp. ſed etiam alii principes, *Comites* & Advocati Eccleſiarum bona & Epiſcopatuum vacantium & aliarum Parochiarum ſibi vindicarunt. Ei tanquam horribili & male conſuetæ rapinæ renunciavit Emergaudus Comes Vrgellenſis A. C. 1161. *Baluz. lib. 2. Miſcell. p. 225.* Eodem jure uſi ſunt Landgravii Thuringiæ & Marchiones Miſniæ in parochiis Arnshauk, Triptis Auma & Zigenrück, in Circulo Neoſtadienſi, qui hodie appellatur, usque ad

eſt jus Imperii.

ad annum MCCCXCIV. quo ad preces cleri, promittentis certas vigilias annuas remiſerunt Fridericus, Wilhelmus & Georgius fratres, ut ex diplomate Teutonico patet: Wir Friederich/ Wilhelm und George Gebrüder von Gots Gnaden/ Landgraven in Doringen/ und Marckgraven zue Miſſen bekennen und tun kunt uffelichen mit dieſen Brive/ daz vor uns ſyn komen die Pfarrere und Belehnte Capellan uz den Gerichten und Pflegen unßir Lande vom Arnzhouge/ Triptis/ Uoma und Zigenrügke/ und haben uns vorkundiget/ wi daz dicke und Vel/ wenn eyn Pharner/ Mitepharner oder belehnter Capellan mit dem Tode vervallen/ ſie die Voite und Botele der genanten Pflege / alir habe dy da blieben ſy nach Tode der Pharnere/ Mitepharnere adir Capellan ſich undirtzogen und anweg bracht habin / und habin uns vlißig gebeten/ daz wir daz umb Gotswillen abetun wollen/ und unß geheyßen daran tun daz ez nicht meer geſchee/ und daz von der Habe ven erſt gegüldin werde/ die Schult / die der tote Pharner / Mitepharner adir Capellan ſchuldig bliben ſy / und watz darüber blieben/ datz dy Habe kome und gekarrt werde/ da ſie durch Recht blieben und henkommen ſolle. Da kegen ſy ſich anwieder vereynnet haben/ daß die Pharnere/ Mitepharnere und Capelan alle in den genanten Pflegen geſeßin/ die ietzund ſyn/ und ernach in Ziten ſyn werden/ von weme auch die Pharre zeu Lehene gen/ zeu tzwen malen in dem Jare/ eyns uff den Suntag nach unße Herren Lichnamen/ und eyns uff den Suntag nach Sente Mertens Tage/ ewiglich alle Jar kein der Nuwenſtad komen wollen/ und da aller Fürſten und Fürſtinnen unſers Geſchlechtes Lantgraven von Doringen/

gen/ und Marckgraven von Mißen/ die vorſcheiden ſin von dieſem Lebin/ und ernach vorſcheidin / Gedechtniße mit der Vigilien geſungen/und des Montages mit der Seelmeſſe geſungin / der auch iglicher Pharrer eyne leßin ſol / Mietepharner und Capellan/als gewonlich iſt/ynneglich begehen wollen/darczu ſy auch der Pharner von Nuwenhofen ſall heiſchen / und welch Pharner/ Mitepharner odir Capelan auch in den Pflegen geſeßin zeu dem Begengniße nicht qweme / den Ehafft Not nicht hinderte / der ſal der Gnade nicht gniſſen. Dieſelbe ire redeliche Leite uff daz auch Gotsdienſt alß ſye vorgegebin/und ſich vorheyßin habin zeu thune / vor ſich geze unſier Vorfaren / uns und unſin Nachkommen zeu Troſte und allen gloubigen Seelen/ wir begerlich irhort habin/und habin abgetan / und tun auch abe gnediglichn mit dieſen Brive / daz ſich keiner unßir Amptman/ Voyt noch Botel der ganzen Phlege nach nymant von unßir noch von ires Aints wegen in die habe/die dey Pharner / Mitepharner odir Capelan hinder in laßen/wenn ſie ſterben/legin ſullen. Und heißen auch ernſtlichen by unßn Huldin alle unſir Amptlúte/ Voyte und Bótele der genanten Phlege/ die itzund ſyn/ oder in kúnfftigen tziten ſyn werden / daz in verdirmer noch an ykein Gut/daz die Pharner/Mitepharner odir Capellan/wenn ſie ſterbin hinder yn uff der Pharren latzen/cz ſy cleine odir gros/ nicht begert / noch auch der antzihet / von unßir noch von uwer Ampte wegen in kheyne wys/wenn wir wollen daz von der Habe zeum erſten die Schuld/die der tode Pharner / Mitepharner oder Capelan ſchuldig blebin iſt / ſul geguldin werdin/ daz auch der tun ſol / der nach im zeu der Pharre oder

Capelan komt/und was darüber bliebet / daz ſal ouch blieben und komen / da ez durch Recht bliben und komen ſal/ouch ſul man deſin Brieff legin by dy Bürger zeu der Nuwenſtad an der Orla / daz er iglichen Pharner/Mitepharner und Capelan/und unſern Amptlüten/wenn ſie des bedürffen zeu ſehen werde / daß ſie ſich darnach gerichten mogen. Zu Orkunt / daz wir diz vor uns und unſir Nachkomen alſo haben/und daz daz alſo blieben ſolle/haben wir Frederich unſer Inſigel/ des wir Wilhelm und George ouch gebruchen / wenn wir eygener nicht haben/an dieſen Brieff wiſſentlich hengen/ den wir hir übir gegeben nach Chrits Geburte drizenhundert Jar/und darnach in dem vier und nyntzigeſten Jare/an der Mitewochen nach dem Pfingeſtage.

§. V.

Lis de decimis. Aliam de Decimis movit controverſiam Pontifex Imperatori: Eas, quas Eccleſiæ Germanicæ Principibus ac Vaſallis Jure Feudi conceſſerant, ut ipſi eas protegerent, repeti, & vaſallis auferri debere. Qua de re Imperator ad Curiam retulit generalem, Epiſcoporum & Principum in Geilhuſen A. C. 1186. celebratam, eodem *Arnoldo* referente. *Scimus*, inquit, *decimas & oblationes à Deo Sacerdotibus & Levitis primitus deputatas. Sed cum tempore Chriſtianitatis ab adverſariis infeſtarentur Eccleſiæ, easdem decimas præpotentes & nobiles viri ab Eccleſiis in beneficio ſtabili acceperunt, ut ſibi defenſores Eccleſiarum fierent, quæ per ſe obtinere non valerent.* Ratio Pontificis ibidem hæc allegatur, *injuſtum eſſe, aliquam laicam perſonam decimas poſſidere, quas manifeſte Dominus his, qui altari deſerviunt, deputaverit.*

§. VI.

Non eo abſurditatis deveniſſe Alexandrum credide- rim, quaſi nullas quiſquam *laicus* decimas poſſidere poſ- ſet, quas Juri Regio Deus ipſe aſſignavit, *1. Sam. VIII. 15.* & ſpeciem earum Joſephus Regno Ægyptiaco acquiſivit, *Gen. 47, 25.* atque in Francorum & Germanorum regno decimæ prius ad fiſcum regium pertinuerunt, à quo ad Ec- cleſias demum translatæ. Unde Decimæ Dominicæ ap- pellatæ, quæ Domini ſeu Regis ſunt, & ab eo Eccleſiis vice dotis aut oblationis conferebantur. Atque ad Chlotariũ Regem referenda videtur origo Decimarum Eccleſiaſti- carum, cujus conſtitutio anno DLX. hæc habetur: *Agraria, paſcuaria vel decimas porcorum, Eccleſiæ pro fidei noſtræ de- votione concedimus.* Et poſt Synodum Turonenſem an- no DLXVII. Epiſcopi plebi intimarunt: *Ut unusquisque ad exemplum Abrahæ decimas offerat de ſuis mancipiis. &c.* conf. *Lehmannus Chron. Spir. l. 3. c. XV.* & *Cranz. l. 1. Me- tropol. c. 2.* Verum enim verò etiam illas decimas, quæ ſemel *Eccleſiæ* appropriatæ ſunt, poſſe ab eadem cuique et- iam laico in feudum dari, neque ratio divini Juris prohi- bet, neque *natura decimarum,* quæ res quidem ſunt Eccle- ſiaſticæ, ſed non ſpirituales, verum *temporales,* eæque, quæ non immediate cultui inſerviunt divino, ſed ad ſuſtenta- tionem tantum perſonarum, & rerum Eccleſiæ; quæque *cauſa cognita,* ab Eccleſia, vel ejus rectoribns, vel in totum, vel quoad utile tantum dominium *alienari* poſſunt, faten- te *Barboſa, de Jur. Eccleſ. L. 3. c. 26. §. 3. n. 63.*

Ratio Papa exam.

§. VII.

Quamobrem etiam *Alexander III.* qui primus ag- greſſus fuit fidem feudalem circa decimas, non tamen au- ſus fuit in Concilio *Lateranenſi A. C. 1179. c. 9.* Laicis poſ-

Confeſſ. adverſ.

electionem ſuſtulit, eccleſiæ ut prius eligendi Epiſcopum liberam tradens facultatem: & diſcordia ſeptennio jam protracta fuit terminata (Hæc ex Chronicis Pontificum.)

§. V.

& coronationis Henr. VI. Idem Lucius denegavit Imperatori Friderico *coronationem* filii Henrici VI. non abſque nota quadam & ſcientiæ & probitatis ſuæ. *Dicebat enim Apoſtolicus*, inquit idem Arnoldus dicto loco, *non poſſe ſimul duos Imperatores regnare, nec filium Imperialibus inſigniri, niſi ea prius depoſuiſſet.* *Impp. ſimul plures.* Non percipiebant ſcilicet homines acuti, imperium utique admittere conſortem, & admiſiſſe in Rep. & Rom. & Germanica admodum multis conſtare exemplis. Interea hac tergiverſatione affectabat Pontifex arcanâ ratione *jus concedendi imperii*, ac denegandi, contra omnia divina jura atque humana, ipſumque morem Eccleſiæ Chriſtianæ, cujus quidem eſt jus conſecrandi Imperatoris Chriſtiani, imperii concedendi, vel denegandi non item.

Caput VI.

De
JURE REGALIÆ, ANNATIS, DECIMIS, ET ADVOCATIIS ECCLESIAR.

Summaria.

Gravamen S. R. adverſus Imperatorem de perceptione fructuum & mobilium ſede Epiſcopali vacante, quæ Jus Regaliæ vocatur. Ejus origo & differentia ab Annatis, Inthroniſticis & Emphaniſticis. Eſt jus Imperii & Principium, ex jure feudalis tutelæ. Aliud gravamen de decimis. Ratio Papæ examinata.

nata. Decimæ an juris divini? à Laicis poſſideri poſſe. Decimæ Thuringiacæ ſedis Moguntinæ. De Advocatiis Eccleſiarum controverſia. Epiſcopi Germaniæ mediatores, ſpernuntur ab Urbano. ejus mors. Gregorius III. P. R. Prædicatio Crucis. Vis ſuperſtitioſæ perſvaſionis. Friderici obitus.

§. I.

ALexandro ſucceſſerat Urbanus III. iisdem veſtigiis inhærens, ut apud Arnoldum Lubecenſem legere eſt. Sed & nova hic orta querela Cleri adverſus Imperatorem, quam Philippus ArchiEp. Colonienſis, & Urbani tum Vicarius, Friderico Imp. hiſce verbis, ut eſt apud eundem Arnoldum, propoſuit: *Veruntamen ut omnium Epiſcoporum ore loquar, ſi paulo mitius nobiſcum agere velletis, & per libertatem Imperialem levigare onus nobis impoſitum, tanto devotiores, quanto expeditiores, in omnibus ad omnia vobis eſſemus. Nunc autem videtur nobis quod quibusdam penſis, etſi non injuſtè, INDECENTER tamen gravati ſimus. Unde etiam videtur Domino Apoſtolico, quod juſtam contra vos cauſam proponat, quod mortuis Epiſcopis CONFISCANTUR Eccleſiæ, ita, ut ablatis omnibus MOBILIBUS, & ſtipendiis præſentis ANNI, Epiſcopus ſubintrans, omnia exinanita & evacuata inveniat. Si ergo juſtitiæ obtentu, & noſtri ſervitii intuitu, per Imperialem clementiam ſuper hoc nobis peperceritis, mediatores juſtitiæ inter vos & Dominum Papam humiliter erimus: ſin autem, à veritatis via recedere nequaquam poterimus. Quibus Imperator repoſuit: In veritate compertum habemus, quod prædeceſſores noſtri, antiqui Impp. hoc juris habuerunt, ut defunctis Epiſcopis INVESTITURAM Pontificalem, ſine alicujus præjudicio probatis perſonis liberrimè locaverint.*

Gravamen de percept. fructuum & mobilium ſede vac.

Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc verò minimam SCINTILLAM JURIS NOSTRI, quam invenimus, nequaquam mutari permittimus. Sufficiat vobis juſtitia veſtra, quam inveniſtis, quod permittitur vobis electio Epiſcoporum, quam vos canonicè fieri dicitis. Sciatis tamen, quia dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti inventi ſunt Sacerdotes, quam hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipſi enim ſecundum vitæ meritum Sacerdotes inveſtiebant, nunc autem per electionem non ſecundum DEUM, ſed ſecundum favorem eliguntur.

§. II.

Juris iſtiq origo, & diff. ab Annatis, & Inthroniſticis, & Emphaniſticis.

Querela fuit de confiſcatis mobilibus & ſtipendiis fructibusve illius anni, quo ſedes Epiſcopalis vacans fuit. Quod jus *ſcintillam* juris priſtini inveſtiturarũ Fridericꝰ appellat. Origo hujus juris hinc liquet: quum jam Friderici hac ætate vetus jus, & quidem *Fiſci Imperatorii* fuiſſe aſſeratur. Enimvero pridem in *Orientali* obtinuerat Eccleſia iſte mos, ut Clerici ordinati & intitulati ſolverent ſalaria conſveta iis, qui in hujusmodi ordinationibus miniſtrare ſoliti; eâ tamen lege, ne illa excederent reditum aut ſalatium *UNIUS ANNI, Nov. CXXIII. 3.* h. e. centum quinquaginta libros Turonenſes, ut ait *Petr. de Marca l. VI. de C. S. & J. c. X. 6.* Reſpondet autem libra Turonenſis ſive Gallica paulo plus undecim ſeſtertiis, *Gronov. lib. 3. de Pec. Vet. c. VIII.* h. e. octo groſſis noſtratibus cum dimidio fortè, Marcæ Lubecenſi. Quæ Epiſcopis data; *Inthroniſtica* & *Cathedratica* dicta. Quæ Clericis miniſtrantibus, *Emphaniſtica, Inſinuativa.* Cæteroquin morem dandi Epiſcopis certum pecuniæ ſummam pro ordinatione abolet Juſtinianus eâdem Novellâ atque hic mos

An-

Annatis magis convenit, quàm iſte Inthroniſticorum, quamquam neutra ſpecies Annatarum nomine veniat. At in Eccleſia Occidentali à Gregorio M. præſertim neque hic neque iſte mos fuit approbatus. *Vid. Diſt. 100. can. novit. & cau. VII. 2. c. ſicut Epiſcop.* velut ſpecies quædam Simoniæ. Poſtea tamen receptus ab Eccleſia Romana ſub nomine ANNATARVM, ſcilicet præſtationum. *Annatum* enim vocant ſcriptores ſequioris Latinitatis, quod unius anni eſt, aut annum unum ætatis habet, ut oves annatas. De hoc jure annatarum tractavit *Polyd. Virg. l. 8. de rer. inv. c. 2.* P. de Marca *lib. VI. de C. S. & J. c. X. ſqq.* M. A. de Domin. *l. IX. de Rep. Eccl. c. IX.* Hortled. *l. 1. de C. B. G. c. 1. §. 25. & 53.* Ren. Chopinus *lib. 2. Monaſt. tit. 1. §. 14. lib. 1. de Eccleſ. Polit. tit. ult. art. 18. ſq. lib. 3. tit. 3. art. 4. ſqq.* Pet. Matthæus *in Conſtit. PP. pag. 131. & paſſim.* Strauch. *Exerc. Exoter. V. §. XVII. & Amœn. J. Can. Ecl. VI. c. 8.* D. Zigler. *ad Lancellott. 4: 3, 4.* Proſp. Fagnanus, *in cap. præterea. n. 6. x. ne prælati vices.* Duaren. *l. 6. de S. Eccl. min. c. 3.*

§. III.

Plane ſub *Imperio* Francorum, & *Germanorum*, primi anni reditus, una cum relicta penu & mobilibus Eccleſiæ vacantis, aſſignati fuerunt *Fiſco Imperiali*, aut Regio: quamdiu vacavit ſedes Epiſcopalis. Atque de hoc demum jure hic diſceptatum inter Imperatorem & Pontificem Rom. quod Imperator dum vocat ſcintillam juris Imperatorii circa ſacra, confirmat utique ſententiam P. de Marca, qui contendit hoc jus non ſucceſſiſſe in locum Inveſtiturarum, ſed ipſas eſſe inveſtituras, *lib. VIII. de C. S. J. c. 17, 4.* ſive partem ejus juris. Atque hoc ipſum eſt famoſum illud JVS REGALIÆ, *la regale*, de quo extendendo

Jus Regalia.

do hodieque controverſia eſt inter Pontificem Rom. & Regem Galliæ. Cujus originem idem ArchiEpiſcopus ex *jure feudali* arceſſit, quod cum Eccleſiæ Regum beneficio donatæ fuiſſent bonis ſuis, neceſſarium prorſus fuerit, ut illæ poſſiderent feuda illis conditionibus, quas in prima feudorum origine invexerat publica utilitas: itaque perſonas Eccleſiaſticas, quæ feuda poſſidebant, per conſequentiam factos vaſallos Regum: unde porrò ſequi neceſſariò, Regem poſt obitum Epiſcopi, quòd eo caſu feudum vacet, illud ad ſe recipere poſſe ac retinere, donec novus Epiſcopus inveſtituram feudi acceperit: interim competere Regi jus quoddam fruendi reditibus dum cuſtodia durat. *d.l.8.c.XIX.1.* Conf. Lehmann. *Chron.l.V.c.67. reg.3.& c.75.* L. Meimburg. *l.3. de la decad. de l' Empir. pag.214.* Opponunt Regaliæ impugnatores, aliud eſſe Cuſtodiam regaliæ ſive bonorum Epiſcopatûs vacantis, aliud vindicationem & conſumtionem eorum. Vid. tractat. *de la Regale*, juſſu Epiſcopi Apamienſis nuper editus *cap.V.lib.I.* Cui addi poteſt, quod bona Eccleſiaſtica Eccleſiis ita acquiſita ſint, ut dominium utile non penes ſolum *Epiſcopum* ſit, ſed penes *Eccleſiam* ipſam; Epiſcopus autem obligatus eſt, nomine Eccleſiæ feudum recognoſcere. Simile quid cernitur in aliis feudis, quæ *Communitatibus* conceſſa ſunt, & per *ſubſtitutos*, Lehnträger/ recognoſcuntur. Verum enim verò non ſolum jus feudi cauſa adæquata eſt juris Regaliæ, ſed accedit & jus advocatiæ ſive *Tutelæ*, & reliquum circa ſacra jus. Conſtat autem moribus Teutonicarum gentium, præſertim in rebus Feudalibus, dominum directum jure Tutelæ *fructûs* percepiſſe, de quo *ad ff. Exerc. III. §. XI. Exerc. VII. §. XXII. & Exerc. XXXVI. §. J7.* ure igitur Imp, etiam ceſſis Papæ inve-

inveſtituris, reliquum hoc jus ſervavit Imperio: nec ratio civilis ſuadebat, etiam hanc Juris circa ſacra partem deſerere velle; etſi in his turbis civilibus & nutantibus ſtatibus Eccleſiaſticis eâdem ratio conſuleret, inveſtituras nunc non eſſe repetendas.

§. IV.

Porrò *juſtitiam* hujus rei ipſe, qui gravabatur deſuper ad Fridericum Imp. Colonienſis Archiepiſcopus non auſus ſublevare, ait: *etſi non injuſte, indecenter tamen gravati ſumus.* Scilicet nulla hic ſubeſt Simoniæ ſpecies, quia non ab eo, qui ordinatur, aliquid exactum fuit, ſed à ſede vacante, neque qui exegit, ad ordinationem ſeu conſecrationem concurrebat. Itaque vectigal erat Fiſco Imperiali moribus reſervatum (datâ Eccleſiis Germanicis & Francicis immunitate, atque rerum abundantiâ ad ſtatum Imperii & tutelam Eccleſiæ conſervandam jure feudi) ex bonis Eccleſiæ vacantis & feudi aperti. Quale quid nihil injuſti fovet. Sed nec indecorum id per ſe fuit, ut Colonienſi quidem viſum. Niſi forte præfecti Imperiales excederent quandoque, ut non vectigal juſtum, ſed ſpolia reportare viderentur. Neque infrequens Reip. noſtræ fuit, imprudentiâ & incontinentiâ miniſtrorum ſemina civilis diſcordiæ ac ſeditionis ſpargi. Cæterum non modo Reges & Impp. ſed etiam alii principes, *Comites* & Advocati Eccleſiarum bona & Epiſcopatuum vacantium & aliarum Parochiarum ſibi vindicarunt. Ei tanquam horribili & male conſuetæ rapinæ renunciavit Emergaudus Comes Vrgellenſis A.C. 1162. *Baluz. lib. 2. Miſcell. p. 225.* Eodem jure uſi ſunt Landgravii Thuringiæ & Marchiones Miſniæ in parochiis Arnshauk, Triptis Auma & Zigenrück, in Circulo Neoſtadienſi, qui hodie appellatur, usque

eſt jus Imperii.

ad

ad annum MCCCXCIV. quo ad preces cleri, promittentis certas vigilias annuas remiſerunt Fridericus, Wilhelmus & Georgius fratres, ut ex diplomate Teutonico patet: Wir Friederich/ Wilhelm und George Gebrüder von Gots Gnaden/ Landgraven in Doringen/ und Marckgraven zue Miſſen bekennen und tun kunt uffelichen mit dieſen Brive/ daz vor uns ſyn komen die Pfarrere und Belehnte Capellan uz den Gerichten und Pflegen unßir Lande vom Arnzhouge/ Triptis/ Uoma und Zigenrügke/ und haben uns vorkundiget/ wi daz dicke und Vel/ wenn eyn Pharner/ Mitepharner oder belehnter Capellan mit dem Tode vervallen/ ſie die Voite und Botele der genanten Pflege / alir habe dy da blieben ſy nach Tode der Pharnere/ Mitepharnere adir Capellan ſich undirtzogen und anweg bracht habin / und habin uns vlißig gebeten/ daz wir daz umb Gotswillen abetun wollen/ und unß geheyßen daran tun daz ez nicht meer geſchee/ und daz von der Habe von erſt gegüldin werde/ die Schult / die der tote Pharner / Mitepharner adir Capellan ſchuldig bliben ſy / und watz darüber blieben/ datz dy Habe kome und gekarrt werde / da ſie durch Recht blieben und henkommen ſolle. Da kegen ſy ſich anwieder vereynet haben/ daß die Pharnere/ Mitepharnere und Capelan alle in den genanten Pflegen geſeßin/ die ietzund ſyn/ und ernach in Ziten ſyn werden/ von weme auch die Pharre zeu Lehene gen/ zeu tzwen malen in dem Jare / eyns uff den Suntag nach unße Herren Lichnamen / und eyns uff den Suntag nach Sente Mertens Tage/ ewiglich alle Jar kein der Nuwenſtad komen wollen/ und da aller Fürſten und Fürſtinnen unſers Geſchlechtes Lantgraven von Doringen/

gen/ und Marckgraven von Mißen/ die vorſcheiden ſin von dieſem Lebin/ und ernach vorſcheidin/ Gedechtniße mit der Vigilien geſungen/und des Montages mit der Seelmeſſe geſungin / der auch iglicher Pharrer eyne leßin ſol / Mietepharner und Capellan/als gewonlich iſt/ynneglich begehen wollen/darczu ſy auch der Pharner von Nuwenhofen ſall heiſchen / und welch Pharner/ Mitepharner odir Capelan auch in den Pflegen geſeßin zeu dem Begengniße nicht qweme / den Ehafft Not nicht hinderte / der ſal der Gnade nicht gniſſen. Dieſelbe ire redeliche Leite uff daz auch Gotsdienſt alß ſye vorgegebin/und ſich vorheyßin habin zeu thune / vor ſich geze unſier Vorfaren / uns und unſin Nachkommen zeu Troſte und allen gloubigen Seelen/ wir begerlich irhort habin/und habin abgetan / und tun auch abe gnediglichn mit dieſen Brive / daz ſich keiner unßir Amptman / Voyt noch Botel der ganzen Phlege nach nymant von unßir noch von ires Amts wegen in die habe/die des Pharner / Mitepharner odir Capelan hinder in laßen/wenn ſie ſterben/legin ſullen. Und heißen auch ernſtlichen by unßn Huldin alle unſir Amptlüte/ Voyte und Bötele der genanten Phlege/ die itzund ſyn/ oder in künfftigen tziten ſyn werden/ daz in vordirmer noch an ykein Gut/daz die Pharner/Mitepharner odir Capellan/wenn ſie ſterbin/hinder yn uff der Pharren latzen/ez ſy cleine odir gros/ nicht begert / noch auch der antzibet / von unßir noch von uwer Ampte wegen in kheyne wys/wenn wir wollen daz von der Habe zeum erſten die Schuld/die der tode Pharner / Mitepharner oder Capelan ſchuldig blebin iſt / ſul geguldin werdin/ daz auch der tun ſol / der nach im zeu der Pharre oder

Capelan komt/und was daruber bliebet / daz ſal ouch blieben und komen / da ez durch Recht bliben und ko-men ſal/ouch ſul man deſin Brieff legin by dy Burger zeu der Nuwenſtad an der Orla / daz er iglichen Pharner/Mitepharner und Capelan/ und unſern Amptluten/wenn ſie des bedurffen zeu ſehen werde / daß ſie ſich darnach gerichten mogen. Zu Orkunt / daz wir diz vor uns und unſir Nachkomen alſo haben/und daz daz alſo blieben ſolle/haben wir Frederich unſer Inſigel/ des wir Wilhelm und George ouch gebruchen / wenn wir eygener nicht haben/an dieſen Brieff wiſſentlich hengen/ den wir hir ubir gegeben nach Chrits Geburte drizen-hundert Jar/und darnach in dem vier und nyntzigeſten Jare/an der Mitewochen nach dem Pfingeſtage.

§. V.

Lis de decimis. Aliam de Decimis movit controverſiam Pontifex Imperatori: Eas, quas Eccleſiæ Germanicæ Principibus ac Vaſallis Jure Feudi conceſſerant, ut ipſi eas protegerent, repeti, & vaſallis auferri debere. Qua de re Imperator ad Curiam retulit generalem, Epiſcoporum & Principum in Geilhuſen A. C. 1186. celebratam, eodem *Arnoldo* referente. *Scimus*, inquit, *decimas & oblationes à Deo Sacerdotibus & Levitis primitus deputatas. Sed cum tempore Chriſtianitatis ab adverſariis infeſtarentur Eccleſiæ, easdem decimas præpotentes & nobiles viri ab Eccleſiis in beneficio ſtabili acceperunt, ut ſibi defenſores Eccleſiarum fierent, quæ per ſe obtinere non valerent.* Ratio Pontificis ibidem hæc allegatur, *injuſtum eſſe, aliquam laicam perſonam decimas poſſidere, quas manifeſte Dominus his, qui altari deſerviunt, deputaverit.*

§. VI.

§.VI.

Non eo abſurditatis deveniſſe Alexandrum credide- *Ratio Papæ exam.*
rim, quaſi nullas quiſquam *laicus* decimas poſſidere poſſet, quas Juri Regio Deus ipſe aſſignavit, *1. Sam. VIII. 15.* & ſpeciem earum Joſephus Regno Ægyptiaco acquiſivit, *Gen. 47, 25.* atque in Francorum & Germanorum regno decimæ prius ad fiſcum regium pertinuerunt, à quo ad Eccleſias demum translatæ. Unde Decimæ Dominicæ appellatæ, quæ Domini ſeu Regis ſunt, & ab eo Eccleſiis vice dotis aut oblationis conferebantur. Atque ad Chlotariũ Regem referenda videtur origo Decimarum Eccleſiaſticarum, cujus conſtitutio anno DLX. hæc habetur: *Agraria, paſcuaria vel decimas porcorum, Eccleſiæ pro fidei noſtræ devotione concedimus.* Et poſt Synodum Turonenſem anno DLXVII. Epiſcopi plebi intimarunt: *Ut unusquisque ad exemplum Abrahæ decimas offerat de ſuis mancipiis. &c.* conf. *Lehmannus Chron. Spir. l. 3. c. XV.* & *Cranz. l. 1. Metropol. c. 2.* Verum enim verò etiam illas decimas, quæ ſemel *Eccleſiæ* appropriatæ ſunt, poſſe ab eadem cuique etiam laico in feudum dari, neque ratio divini Juris prohibet, neque *natura decimarum,* quæ res quidem ſunt Eccleſiaſticæ, ſed non ſpirituales, verum *temporales,* eæque, quæ non immediate cultui inſerviunt divino, ſed ad ſuſtentationem tantum perſonarum, & rerum Eccleſiæ; quæque *cauſa cognita,* ab Eccleſia, vel ejus rectoribns, vel in totum, vel quoad utile tantum dominium *alienari* poſſunt, fatente *Barboſa, de Jur. Eccleſ. L. 3. c. 26. §. 3. n. 63.*

§. VII.

Quamobrem etiam *Alexander III.* qui primus ag- *Confeſſ. adverſ.*
greſſus fuit fidem feudalem circa decimas, non tamen auſus fuit in Concilio *Lateranenſi A. C. 1179. c. 9.* Laicis poſ-

ſeſſas hactenus decimas eripere, ſed tantum prohibere, ne ulterius à Laicis ad Laicos transferrentur. Vid. *cap. 19. x. de decim.* & *c. 2. §. Sanè. eod. in 6.* At *Urbanus* ulterius progreſſus, omnes omnino revocare volebat: Sed reſtitit Imp. noſter, nec invitis *Epiſcopis Germaniæ*, quippe intererat *Libertatis Eccleſiarum*, ne id in caſu neceſſitatis ipſis ſit prohibitum, quod tamen Pontifex ſibi conceſſum rebatur, imò etiam proprietatem ipſam, & dominium ſingularum Eccleſiarum ſibi hic aſſerere, inuſitato hactenus exemplo. Obtinuit tamen hæc ſententia, ut patet ex Honorii III. Epiſtola *c. 17. x. de decimis.* Conf. *Petr. de Marca l. VI. c. XII. 10.* & *M. Ant. de Dom. lib. IX. de Rep. Eccl. c. 11.* qui tamen decimas eſſe Juris divini univerſalis perſvadere nequit.

§. VIII.

Decimæ in Thuring. In Thuringia auctore Ottone Marchione ante A. C. 1194. jus decimarum ad ArchiEpiſcopatum Moguntinum tranſiiſſe conſtat ex hoc diplomate: *Notum ſit tam futuris quam præſentibus, qualiter ego Sifrid. Moguntiuus ArchiEpiſc. Ottonem Marchionem & conjugem ſuam Adelheidam, ambos felicis memoriæ, qui primi in Thuringia pro remedio animæ ſuæ, & pro ſalute animarum omnium parentum ſuorum, Deo & Sancto Martino, mihique ArchiEpiſc. cenſum DEI, id eſt omnium frugum, pecoriſque decimam recognoverunt. Corpore & ſpiritu quaſi filios in Chriſto genitos dilexi. & quidquid à me animabus ſuis profuturum petere voluerunt. tanquam Deo, & mihi obedientibus Sanctis: illis non negare dignum duxi.* Poſtea ad petitionem illorum ArchiEpiſcopus S. Pancratio in Oralamunda atterminat certas villas cum omni decimatione. Quod diploma cum alio Wilhelmi Palatini Comitis confirmavit, & ſuo

ſuo diplomati inſeruit Conradus ArchiEpiſc. Mog. ſub hac ſubſcriptione: *Acta ſunt hæc Domino Celeſtino tertio Apoſtolicæ ſedi præſidente. Henrico Quinto Romanorum Imperatore glorioſiſſimo imperium gubernante. Anno Dominicæ Incarnationis MCXCIIII. Indictione XI. decimo ſeptimo Kal. Febr. anno noſtræ electionis, in ArchiEpiſcopatum Moguntinum XXXIII. Exilii XXIX. Reverſionis ab exilio undecimo.*

§. IX.

Atque ſicut decimas in feudum dabant pro *Advocatia*, ac tuitione: ita porro & hanc Laicis omnem abrogare nitebatur Pontifex. Pergit enim Fridericus ad Proceres: *Affirmat etiam injuſtum eſſe, quod aliquis in prædiis ſeu hominibus Eccleſiarum Advocatiam ſibi uſurpet, aut ſicut Eccleſia de libera voluntate ſive donatione Imperatorum vel Principum fundatæ ſunt, ita res Eccleſiaſticæ à Prælatis tantum liberè diſpenſentur. Et quamvis hæc pro Prælatis eſſe videantur, non tamen credo, quod ita facile mutari poſſint, quæ ex longa antiquitate uſus in conſvetudinem vertit, imo ipſa conſvetudo à progenie in progeniem deſcendens, quaſi juſta traditione roboravit.* Antiquitatem rei etiam indicat conſtitutio *Pipini* Imperatoris *l. 3. LL. Longob. X. XXXII.* ibi: *Et hoc ſtatuimus, ut ubicunque Epiſcopi ſubſtantiam habuerint, Advocatum habeant in ipſo Comitatu, qui abſque tarditate juſtitiam faciat & ſuſcipiat. Et talis ſit ipſe Advocatus liber homo, bonæ opinionis, laicus aut clericus, qui ſacramentum pro cauſa Eccleſiæ quam peregerit, deducere poſſit, juxta qualitatem ſubſtantiæ, ſicut lex eorum habet.* Ne *Centenarius* Comitis in Advocatum aſciſcatur, prohibitum à Ludovico Pio *Capitul. Quinto anni DCCCXIX. c. XIX. LL. Longobard. lib. 2. tit. 48. c. 4.*

Lis de Advocatis Eccleſiar.

§. X.

Epiſcop. Germ. mediatores.

Et hujus igitur rei juſtitiam conſiderantes Epiſcopi Germaniæ, conſilio ArchiEpiſcopi Moguntini ad voluntatem Imperatoris per litteras commonuerunt Papam, ut juſtitiam Imperatori in his, quæ juſte ille exigat faceret, quibus lectis obſtupuit Pontifex *de Immutatione Epiſcoporum: quia ipſe cauſam pro iis videbatur ſumſiſſe; ipſi vero de cauſa decidiſſe.* Nec minus tamen in propoſito ſuo perſtitit, & Imperatorem excommunicare pro capitulis ſupradictis decrevit, ſed morte præventus vanum ſe oſtendit. Quod eodem anno 1186. contigit. Succeſſit *Gregorius III.* inſiſtens ſecundi veſtigiis, & viam invenit, qua vires Imperii & Libertatis Germanicæ incideret, & una cùm omni poteſtate circa ſacra, Imperium in Imperatores atque Reges ſummum obtineret, adeo ut nec dubitatum de *Jure Belli & Pacis* ſtatuere inter Principes Chriſtianos. Rem enarrat Rogerius de Hoveden Britannus in Annalibus Anglicanis: *Cardinales de aſſenſu Domini Papæ inter ſe firmiter promiſerunt, quod abjectis omnibus divitiis & deliciis, prædicarent crucem Chriſti non ſolum verbo, ſed opere & exemplo: & euntes mendicando, acciperent crucem primi, & præcederent alios in terram Hieruſalem. STATVERVNT etiam de aſſenſu domini Papæ FIRMISSIMAM TREGVAM INTER omnes PRINCIPES CHRISTIANITATIS VSQVE AD SEPTENNIVM, ita ut quicunque guerram contra Chriſtianum medio tempore moverint, maledictione DEI ex domini Papæ, atque excommunicatione omnium prælatorum univerſalis Eccleſiæ ſubjacebunt. Firmiter etiam inter ſe promiſerunt, quod de cætero nulla munera recipient ab aliquo, qui cauſam habeat in Curia, ſed ea tantum recipere poterunt, quæ fuerint pro eorum neceſſitate,*

Prædicatio crucis S. Bellum ſacrum.

ceſſitate, & ſuſtentatione donata vel miſſa. Et non adſcendent in eqvum quamdiu terra in qua pedes domini ſteterunt, fuerit ſub pedibus inimici.

§. XI.

Extiterunt de hac prædicatione Crucis, tanquam *Superſti-*
callido conſilio enervandæ Germaniæ, plurimæ querelæ, *tionis vis.*
tum Eccleſiaſticorum, tum Secularium. Atque judicatum fuit à prudentioribus, metui animoſitatem germanam Imperatoris, & ἐπιείκειαν Epiſcoporum, Clerique Germanici, ponderari cauſæ juſtæ vires, ac invaliditatem Henriciani pacti reſciſſionemque, aliâ itaque hâc diversâ viâ victoriam ſemel jactæ aleæ tentari. Cum religione Chriſtiana Remp. Germanicam floruiſſe, cum ſuperſtitione cecidiſſe, ſuperius obſervavimus. Sed ſi unquam, hic certe luculentè perſpicitur vis ſuperſtitioſæ perſuaſionis
in fortia quoque pectora, ad quam quum naturæ vitio pro- *Lipſ. I.*
ni ſint mortales, neſcio tamen an magis dicendi ſint Ger- *Pol. 3.*
manorum Imperatores eo tracti ab iis, quibus quæſtui erant capti ſuperſtitione animi. Atque ita & Fridericus noſter fatigatus magis, quam promtus, ſuſcepit & ipſe tandem crucem Palæſtinam ſecum & Imperii & Eccleſiæ libertatem in abyſſi vorticem præcipitans; de cujus lacrymabili exceſſu annales, *ad A. C. 1190.*

CAPUT VII.

DE
LIBERTATE ELECTIONIS IMPERATORIÆ TENTATA A S. R.

SVMMARIA.

Henrici VI. coronatio non absque præjudicio. Baron.

nota-

notatus. Conſtitutio de ſucceſſione hereditaria Imperii Germanici. Jo. Monachi S. Vincentii ætas, contra Voſſium. Innocentius III. cap. Venerabilem. x. de Elect. Libertati defenſor Philippus Imp. & ordines Imperii. Pactio cum Ottone Cæſare. ejus juſtitia.

§. I.

Henrici VI. Imp. coronatio non ſine præjudicio.

QVod Friderico vivo denegabatur Henrico Filio, id mortuo patre, ad hujus poſtulationem non dilatum amplius. Coronationem inquam Romanam. De qua Rogerius: *Eodem anno 1190. Henricus Rex Alemannorum audita morte Friderici Romanorum Imperatoris patris ſui, reddidit Henrico Duci Saxoniæ univerſa, quæ pater ſuus ei abſtulerat, & incrementum ei dedit decem caſtella optima. Similiter fecit cæteris omnibus, à quibuscunque pater ſuus aliquid abſtulerat, reddens unicuique, quod ſuum erat. Reconciliatus itaque omnibus hominibus ſuis, miſit nuncios ſuos ad Clementem Papam, & ad Cardinales & Senatores Urbis petens Romanum Imperium, & promittens ſe in omnibus leges* (i. e. privilegia, jura) *& dignitates Romanas ſervaturum illæſas. Clemens vero Papa habito cum Cardinalibus & Senatoribus, & populo Rom. ſuper petitionibus Regis Alemanniæ cum deliberatione conſilio, conceſſit Regi Alemannorum, quod petebat, ſalvis dignitatibus & conſuetudinibus Romanorum. Et ſtatuerunt ei terminum veniendi Romam proximum Paſcha ſequens.* Interim Clemens III. mortuus, cujus ſucceſſor Cœleſtinus III. quam arroganter ſeſe geſſerit in coronatione idem refert: *Sedebat autem Dominus Papa in cathedra Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato Capite recepit coronam, & Imperatrix ſimiliter*

militer de pedibus Domini Papæ. Dominus autem Papa ſtatim percuſſit cum pede ſuo coronam Imperatoris, & dejecit eam in terram, ſignificans, quod ipſe poteſtatem ejiciendi eum ab Imperio habet, ſi ille meruerit: ſed Cardinales ſtatim arripientes coronam, impoſuerunt eam capiti Imperatoris.

§. II.

Quod putidum factum Baronius ait, *ea ratione RECENS adhibitum, quod ſucceſſor & filius illius eſſet, qui poſt tantum ab Eccleſia acceptum beneficium, in Imperii corona eidem impertita, de ipſa tamen adeo male meruiſſet. Ut autem id fixum menti ejus hæreret, nempe, dare, cuſtodire, conſervare, & auferre, ſi cauſa exigeret Imperium, eſſe in voluntate Romani Pontificis: ejusmodi voluit commonuiſſe ipſum exemplo.* Hoc nempe erat præmium ſuſceptæ crucis ſeu expeditionis in Palæſtinam! Sed qui cœperat ſalutari jam DOMINVS PAPA, revera talis erat, Dominatum in Eccleſiam, & Imperium omnibus modis affectans. Factum itaque erat recens, & exemplum ſine exemplo: ſineque jure, de quo ſuperius diſputavimus: neque enim *beneficium,* ſed debitum fuiſſe, quod coronaverit Pontifex electum Regem Alemannorum, antea ex fontibus fuit demonſtratum. conf. *Lehm. lib. V. c. LXVIII.* *Baron. not.*

§. III.

Illud notabile eſt, quod ex *Johanne Monacho* S. Vincentii (quem itaque non ad prima Henrici V. tempora, ſed imo ad Henrici VI. ætatem referas, Vid. *Voſſ. de Hiſtor. Lat. lib. 3. P. 2. c. VI.*) Chronicon Belgic. Magnum ad A. C. 1194. refert: *Imperator Henricus, videns Regnum Alemanniæ, & Imperium Romanorum, propter frequentes mutationes Imperatorum, multa mala perpeſſum, priusquam vota Principum in perſona Imperatoris poſſent convenire or-* *Conſtitutio de ſucceſſion. hered. Imperii.*

dinavit, ut amplius electio non fieret, ſed per ſolam ſangvinis ſucceſſionem Imperiū conferretur, ita, ut qui propinquior Imperatori eſſet, HÆREDITARIE fieret Imperator. Ut autem Henricus à filio ſuo Friderico quem de Conſtantia uxore ſuo habuit, ſumeret exordium, Regnum Siciliæ, Calabriæ & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, quæ filius ab avis hæres acceperat, Romano Imperio univit, ut perpetuo terrarum iſtarum Dominus eſſet. Ordinavit etiam, ut mulieres maſculis deficientibus ſuccederent in hereditatem. Et ne Imperator mortuas manus Eccleſiaſticarum Perſonarum ultra expoſtularet. Conſtitutioni igitur huic profuturæ conſentit curia Romana, & Principes LII. qui Imperatorem eligere conſueverunt, quorum ſigilla literis ſuper hoc confectis ſunt appenſa. At quam brevis vitæ fuerit hæc ſanctio, mox apparebit.

Regnum Siculum Imperio incorporatum. Succeſſio mulier. manus mortua.

§. IV.

Nam *Fridericus* Imp. ipſe in *epiſtola*, ad Regem & univerſos Barones Regni Franciæ, quæ ſcripta fuit Ann. C. 1245. & *l. 1. c. 20.* extat, ſeſe electum impuberem, non ſolo ſangvinis jure ſucceſſorem eſſe, profitetur, ait: *Primum quidem ſcire vos credimus, qualiter Innocentius alius (III.) prædeceſſor iſtius, ſub cujus pallio & tutela, nos nedum impuberem, ſed infantem mater noſtra dimiſerat, contra nos in Imperio, cujus Principes nos in Regem ELEGERANT, & nos in vita Patris noſtri, aſſumere in Imperatorem juraverant, Othonem de Saxonia veterem adverſarium noſtrum, & domus noſtræ in Imperatorem in noſtrum præjudicium conſecravit.* Atque quod conſtitutio illa effectum non ſortita ſit, cauſam aperit Gobelinus Perſona in Coſmodromio, quod Saxonici Principes adverſati fuerint, ut obſervat H. Conring. *l. 1. de Fin. XI.*

§. V.

§. V.

Defuncto Henrico VI. Cœleſtini ſucceſſor Innocen- *Libertas*
tius III. id, quod anteceſſor ſignis portendit, opere ipſo *electionis*
conatus fuit perpetrare, h. e. liberam Epiſcoporum Ger- *tentatur.*
maniæ electionem Regis & Imperatoris Romani ſufflaminare ita ut nec ſucceſſionem hæreditariam, & de ea factam conſtitutionem vellet attendi, nec ut electuri Status Eccleſiaſtici cumprimis poſſent eligere, niſi quem vellet Papa. Is enim vix electus anno 1198. jubet cavere Adolphum ArchiEpiſcopum Colonienſem, ne frater Henrici VI. defuncti PHILIPPVS eligatur Imperator. Colonienſis obſequioſus aulæ Romanæ, in perniciem patriæ libertatis, Regem Angliæ Richardum, avunculum Ottonis, quem Roma cupiebat, in partes ſollicitat, velit Moguntiam venire, & electioni Imperatoris intereſſe: ubi etiam mox Imperator electus Bertholdus Dux Zaringenſis. *Vid.*
cap. Venerabilem x. de elect. Struchb. Amœnit. J. Can. cap. *c. venerab*
XIIX. Sed qui repudiavit Imperium. Nam Philippus *x. de elect*
monuerat Principes Imperii promiſſionis ſuæ de Friderico II. Regi Siciliæ Imperatore jam tum ex Henrici VI. cum Procerum ac Papæ conſenſu, facta lege, conſtituto: cujus ut pueri, ſe proximum agnatum ac tutorem eſſe. Itaque Mulhuſii in Thuringia conventum, & Philippo Imperii adminiſtratio delata, cui & Zaringenſis homagium præſtitit. At Colonienſis cum factione Romanenſi poſtea elegit Ottonem Henrici Leonis Saxoniæ cui Fridericus I. Imp. Ducatum Weſtphaliæ abſtulerat, & contulerat Eccleſiæ Colonienſi filium Comitem Pictavienſem, ut habet Chronicon Belg. ad invidiam Philippi, eumque Aquisgrani coronavit: quum Philippus, Moguntiæ coronaretur, in quem Papa fulmen Excommunicationis mox torſit.

§. VI.

Libertatis defenſor Philippus.

Philippus juſtitia cauſæ ſuæ fidens, vanitatem & improbitatem abuſus clavium abominans, juſtis armis jus ſuum perſequitur, & AntiCæſarem in Saxoniam non ſine ſtrage repellit, modeſtia interim erga ſedem Romanam utens: quæ eo infenſior tamen. Miſſo enim Legato in Germaniam, Philippum & ſocios denuo excommunicavit, & reliquos omnes obedire juſſit. At *Philippus* ſicubi literas excommunicationis affixas offendit, rebellionis vindictam exercuit. Atque ita per ſeptem annos motu civili producto, tandem bona cauſa libertatis, & Philippi triumphavit, atque Adolphus Colonienſis, Lotharingus aliique non tam armis, quam clementia ac virtute Philippi victi, huic ſeſe dederunt, indictisque Aquisgrani comitiis, Philippum ringente Papa denuò coronarunt: *Otto* autem deſertus atque profugus, per Angliæ Regem pacem petiit: quam nec detrectavit Philippus, ſi excommunicatio prius, ut injuſta aboleretur. Quo facto Legati Papales viciſſim conditionem proponunt, *ut Philippus eſſet Imperator, ſi deſponderet filiam nepoti Pontificis ex fratre Richardo, & dotem diceret Comitatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, & Thuſciam.* Sed vane: Status enim Imperii liberè reſponderunt: *Pontificis fuiſſe res Imperii* (quoad ſtatum Eccleſiaſticum) *prius curare, quibus rectè diſpoſitis, potuiſſet agere rem privatam.* Igitur rejecta conditionum πλεονεξίᾳ, ipſi pacem fecerunt his conditionibus, *ut Otto duceret filiam Philippi Beatricem, & abſtineret à titulo & re Imperii, quoad Philippus viveret, poſt ejus mortem ſtatim in Imperio ſucceſſurus.* Egregium & nobis hodie imitandum exemplum, quid adverſus externas fraudes, & inſidias Germanorum valeat concordia. Atque

& ſtatus Germ.

que ſic defenſa Electionis Imperatoriæ libertas, & retuſa affectatio peregrina.

§. VII.

Id quod ipſum ſatis opinor excuſare poterit *pactum* inter Imperatorem Philippum & ordines ab una, & Ottonem ab altera parte; quod alias *in præjudicium* tertii, *Friderici* Regis Siciliæ de quo antea, factum videri poſſit. Et quanquam ordines Imperii ex priori illa vivo Patre facta promiſſione obligati videbantur adhuc & obſtricti Friderico II. vix tamen vim amplius habuit hæc obligatio, quum *nova cauſa* jam eſſet, ut cum Paulo *l. 13. de procurat.* loquar, atque id actum inter paciſcentes intelligeretur, ut familiæ ſaltem Imperatoris defuncti conſuleretur, *arg. l. 40. §. fin. D. de pact.* Tacite enim hæc conventio omni obligationi ineſſe dicitur, *ſi in eadem cauſa maneat*, ſecundum Africanum *l. 38. pr. de ſolut.* quod noſtrates, per clauſulam *rebus ſic ſtantibus*, exprimunt, de qua *Tiraquell. in l. ſi unquam. C. de rev. don. n. 130. & 167. præf.* Alciat. *de præſumt. Reg. 2. præſ. 16. n. 6.* H. Grot. *J. B. 2. 16. 25.* Novam autem cauſam dicimus, novas res, quas circa liberam Germanorum electionem Imperatoris moliebatur Pontifex, obtruſurus Ottonem & colliſurus vires inter ſe Germaniæ: in quo rerum ſtatu pupillo Imperium conferri vix tutò poterat.

Pacti juſtitia.

Cl. rebus ſic ſtantib.

Caput IIX.

De FRIDERICO II. IMP. LIBERTATIS SVPPRESSÆ IMMERITO INCVLPATO.

Svmmaria.

Otto IV. Imp. deſertus. Voſſius obiter emaculatur. Alberici teſtimonium de jure P. R. in electione Imp. Fridericus II. Imp. excummunicatur à Gregorio IX. & ſucceſſoribus, ut ſuppreſſor libertatis Eccleſiaſticæ. Sardinia redunita Imperio. Cauſæ excommunicationis recenſitæ. partim frivolæ, partim falſæ. Cur Mahumetiſmi Imp. inculpatus. Defenſus ab Ordinib. Imperii. Heinr. Landgr. Thuring. Procurator S. R. I. Vicarii Imperii Generales & Particulares. Nummus Friderici Sapientis, Elector. Saxon. itemque Gulielmi Marcb. Montisferrati. Titulus Regis Romanorum revocatus. Imperatoris Apologia. Facta ejus & P. R. comparantur. Hæretici ob quas cauſas tolerandi.

§. I.

Otto Imp. IV. PHilippo occiſo, etſi *Otto*, invitis multis Magnatibus Imperii, Romanis quoque maxima ex parte, & Philippo Rege Francorum, à Pontifice *Innocentio III.* genuino Hildebrandi Succeſſore, in Imperatorem coronatus, mox tamen quum *caſtra* quædam, & munitiones à Papa repeteret, excommunicatus. & omnes ſubditi ab ipſius fide-

ſidelitate ſub excommunicatione prohibiti fuerunt, ut ita receſſerint ab eo Landgravius Thuringiæ, Moguntinus, & Trevirenſis Archiepiſcopi, Dux Zeringiæ, Dux Bavariæ, Rex Bohemiæ, & multi alii tam ſeculares, quam Eccleſiaſtici. Hæc refert *Chronicon Belgicum, ex Alberico*, quem *Gerb. Joann. Voſſius lib. 2. de Hiſt. Lat. cap. XLVI.* recte quidem putat, eſſe *Monachum trium fontium*, ſed qui Chronicon ſcripſerit ab initio mundi usque ad Ann. Chr. IↃcXXVI. Quo in loco mendum latet in annorum asſignatione. Nam in eodem Chronico annotatum ad A. C. 1240. *Huc usque Chronicon Alberici Monachi trium fontium protenditur, & finitur.* *deſertus* *Albericus Monachus*

§. II.

Sed ad rem. Ottone Imperium per tres annos in ſchiſmate detinente, *Fridericus* Rex Siciliæ, Henrici VI. filius, & dudum deſignatus Imperator, favente Pontifice, Rege Franciæ & Romanis recipitur tandem à Statibus, & Aquisgrani diademate totius Teutoniæ A. D. 1215. die B. Mariæ Magdalenæ coronatur, & mox Coloniæ imponit ſibi iterum coronam, propter loci & civium reverentiam, & amorem, ſunt verba ejusdem *Alberici*, qui addit hanc obſervationem: *à tempore, quo Franci, vel Teutonici obtinuerunt Dynaſtiam Imperii, hæc ſemper apud eos conſuetudo, quaſi lex inviolabiliter obſervatur, ut ELECTUS IMPERATOR nunquam coronetur, vel conſecretur à Papa Romano, niſi fuerit Rex coronatus Aquisgrani, & poſtquam ſemel ibidem tulerit coronã, nihil reſtat, niſi ut in Imperatorem Romanum à ſummo Pontifice coronetur, & conſecretur, & hoc fit propter reverentiam & Majeſtatem Caroli M. cujus corpus requieſcit ibidem.* Ex quo ſatis apparet, Jus eligendi Imperatorem, qua talem, penes Proceres Germaniæ *Frider. II. Imper.* *Jus Papa circa elect. Imp.*

niæ eſſe, & Pontificem Romanum ſolum coronationis, ſive *conſecrationis actum* exercendi jus habere.

§. III.

Anno ſequente quum moreretur Otto Imp. Fridericus Coronam & Lanceam, cæteraque Regalium ornatuum inſignia recepit ab Henrico Duce Saxoniæ, fratre Ottonis, datis eidem undecim marcharum millibus, referente Chronico Belgico Magno, in quo & hæc adjiciuntur: *Fridericum, Curia Francofurdiæ habitâ, multisque de ſtatu & utilitate Regni tractatis: injuſtis teloniis, injuſtis monetis, bellis civilibus, niſi de conſenſu & conſilio Regis & Principum, & omnibus injuſtitiis ſub judicio & pœna vitæ interdictis; intraſſe Italiam, & ab Honorio III. coronatum;* Sed ex *Bernardo Guidonis* iſtud addidit judicium: *Iſte Fridericus à principio viſus eſt bonus, fuitque ab infantia per Eccleſiam, tanquam per matrem educatus, & Ottone IV. damnato ad Imperium promotus, ſed poſtmodum averſus, ex bono factus eſt Eccleſiæ adverſarius, & tyrannus, Eccleſiamque Dei non fovit ut matrem, ſed tanquam novercam, quantum potuit laniavit, proptèr quod Honorius Papa* (oportet hoc factum fuiſſe A. C. 1226. quum Honorius ab Imperatore deficeret ad Longobardos rebelles, quos modo ipſe excommunicaverat) *qui ipſum coronaverat, rebellem ſibi & Eccleſiæ adverſarium comperies anathemiſavit, & omnes Barones ab ejus fidelitate abſolvit, illo non per fas, ſed per nefas, non jure ſed injuria tyranniſante annis XXXIII.* Quæ quatenus veritate nitantur, & utrum Fridericus potius an Pontifex libertatem Eccleſiæ ſuppreſſerit, videamus.

Receſſ. Imp.

§. IV.

Papa ex.

Scilicet, ut modo dictum Honorius à partibus rebelli-

bellium Longobardorū,& à ſe excommunicatorum ſterit, inita *ſocietate Longobardorum*, quæ vocabatur. Igitur aut cauſam rebellionis, quam damnaverat, contra conſcientiam & fas approbavit; aut damnando errorem ſummum commiſit. Neque diu ipſum hac ſocietate improba frui licuit in hac vita, anno mox ſequenti, nimium 1227. defuncto. Quem ſequutus Gregorius IX. qui nihil mitior illo fuit, & primo ſtatim anno Imperatorem ex itinere Hieroſolymitano ob ſiniſtram valetudinem revocatum, excommunicavit. Reconciliatis deinde Imperatore & Pontifice, mediatoribus Principibus Germaniæ, & A. C. 1234. Romanis per Imperatorem ad obedientiam Pontificis redactis, bonum malo compenſans Gregorius, Imperatorem, quod *Sardiniam* Sarracenis ereptam Imperio Chriſtiano unierat, filium Enzium Regem ibi conſtituens, nec Pontifici, qui eam ſedi donatam ajebat, reſtituerat, (quam hodieque ad Imperium Germanorum pertinere oſtendit H. Conring. *l. 2. de Finib. c. 22.*) A. C. 1239. excõmunicavit, & fratri Regis Galliæ Sardiniam obtulit. Sed quid ea de re judicaverit Rex & Proceres regni, refert Matthæus Pariſ. *ad A. C. 1239.* L. Maimburg. *pag. 484.* Atque narrante Alberico *ad d. A. C. 1239.* decem & ſeptem fuerunt caſus contra Imperatorem annotati, inter quos quædam illius contra Chriſtianam legem blaſphemia relata, quam Papa commemorans in literis ad ArchiEpiſcopum Senonenſem: *Tres*, inquit, *baratores, ſive circulatores fuerunt in mundo: Moyſes, CHRISTVS, Machometus: & cum nunquam Machometus Moyſen vel Chriſtum baratores appellavit, patet in hoc deteriorem Machometo eſſe Imperatorem. Item die quadam fertur dixiſſe uni de ſuis, cum videret ſacerdotem corpus domini ad in-*

commun. Frid. II. ut ſuppreſſ. Libert.

firmum deferentem: Heu me, inquit, quam diu durabit fraus iſta? Propter has igitur blaſphemias, & propter alios caſus enormes, Papa fecit eum per totum mundum excommunicari; & excommunicatum denunciari, ut hoſtem Eccleſiæ, & *diſcipulum Machometi.* Hæc ex Alberico Chronic. Belgicum.

§. V.

Albertus Stadenſis refert plures cauſas: *Anno Domini M'CC XXXIX. Papa Gregorius Imperatorem Fridericum in cœna Domini, quæ erat IX. Kalend. Aprilis, extinctis candelis anathematizavit, ita dicens: Excommunicamus & anathematizamus auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, & beatorum Apoſtolorum, Petri & Pauli, & noſtri, Fridericum, dictum Imperatorem, pro eo, quod contra Ro-*
1. *manam Eccleſiam ſeditionem movit in urbe, per quod intendit, Pontificem & fratres à ſua ſede repellere, contra privilegia dignitatis & honoris Apoſtolicæ ſedis, contra libertatem eccleſiaſticam, contra juramentum, quo ſuper hoc tene-*
2. *tur Eccleſiæ, temere veniendo. Item pro eo, quod venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum Epiſcopum, Apoſtolicæ ſedis legatum, ne in ſua legatione procederet, quam in Albigenſium partibus pro corroboratione Catholicæ fidei commiſimus, per quosdam fideles ſuos impediri mandavit. Item*
3. *pro eo, quod non permittit quasdam cathedrales Eccleſias, & alias vacantes Eccleſias, in regno reparari, & hac occaſione periclitatur libertas Eccleſiæ, perit fides, quia non eſt, qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente pa-*
4. *ſtore. Item quod in regno Clerici capiuntur, incarceran-*
5. *tur, proſcribuntur & occiduntur. Item, quod in regno Eccleſiæ, Domino conſecratæ, deſtruuntur, & prophanantur.*
6. *Item, quod non permittit ſacras Eccleſias reparari. Item*

pro

pro eo, quod nepotem Regis de Tuniſi, venientem ad Romanam Eccleſiam pro ſuſcipiendo baptiſmatis ſacramento, detinet, nec venire permittit. 7.
Item pro eo, quod Petrum Sarracenum, civem Romanum, ex parte Regis Angliæ ad ſedem Apoſtolicam venientem, cepit & detinet carceri mancipatum. 8.
Item pro eo, quod terras Eccleſiæ occupavit, contra juramentum, quo ſuper hoc tenetur Eccleſiæ, temere veniendo. 9.
Item pro eo, quod terras quorundam nobilium de regno, quas Eccleſia tenebat, ad manus ſuas occupavit & devaſtavit. 10.
Item pro eo, quod quasdam Eccleſias cathedrales fere bonis omnibus ſpoliavit. 11.
Item pro eo, quod multæ Eccleſiæ cathedrales, & aliæ Eccleſiæ & monaſteria de regno, pro iniqua inquiſitione fuerunt fere bonis omnibus ſpoliata. 12.
Item pro eo, quod Templarii & Hoſpitaliarii in regno mobilibus & immobilibus ſpoliati, non ſunt juxta tenorem pacis integrè reſtituti. 13.
Item pro eo, quod exactiones contra formam pacis ab Eccleſiis & Monaſteriis per ipſum extorquentur in regno. 14.
Item pro eo, quod in regno Prælati Eccleſiarum, & Abbates Ciſtercienſis & aliorum ordinum, compelluntur dare certam ſummam pecuniæ per ſingulos menſes pro conſtructione novorum caſtrorum. 15.
Item pro eo, quod contra tenorem pacis, hi, qui adhæſerunt Eccleſiæ, bonis omnibus ſpoliati exulare coguntur tanquam proſcripti, uxoribus & liberis captivatis. 16.
Item pro eo, quod ipſe impedivit negotium terræ ſanctæ, & recuperationem imperii Romaniæ. Omnes autem, qui juramento fidelitatis ei tenentur aſtricti, ab ejusdem juramenti obſervatione decrevimus abſolutos, ne ſibi fidelitatem obſervent diſtrictius inbibentem, quam diu fuerit vinculo excommunicationis aſtrictus. Super oppreſſionibus vero & gravaminibus aliis nobilium, pauperum, orphanorum, viduarum & aliorum de regno, 17.

 pro

pro quibus idem Fridericus juravit ſtare mandatis Eccleſiæ, ipſum intendimus admonere, & in ipſo negotio, dante Domino, procedemus, ſicut fuerit procedendum. Porro prò omnibus & ſingulis ſupra dictis, ſuper quibus dictus Fridericus à nobis diligenter fuit admonitus, & frequenter, nec parere curavit, eundem Fridericum excommunicationis & anathematis vinculo innodamus. Cæterum, quia idem Fridericus tam factis ſuis multis, quam fide dignis clamantibus, per univerſum orbem, quod de catholica fide rectè non ſentiat, & graviter infamatus, nos dante Domino ſuo loco & tempore procedemus, ſecundum quod requiſierit ordo juris.

§. VI.

Ob cauſas frivolas. Sed quantum fidei ſit tribuendum imputationi de tribus Impoſtoribus non obſcurum eſt ex ipſis verbis adverſariorum, quibus hac in re uſi ſunt, FERTVR DIXISSE, & ſimilibus. Luculentus porro teſtis eſt *Pandulfus Collenutius* Piſaurienſis JC. & eques Ferrarienſium Ducis ad Maximilianum Imp. Legatus, *in hiſtoria Neapolitana*, cauſam primæ excommunicationis ab Honorio factam *non plenè à ſcriptoribus commemoratam eſſe. Blondum ſiquidem & Platinam in ſuis hiſtoriis nullam in ſpecie allegare: ſed ob malitiam, perfidiam & rebellionem Friderici id ab Honorio factum eſſe, in genere dicere. Epiſcopum verò Auguſtanum in Hiſtoria Suevica referre, ſententiam privationis ob FRIVOLAS & LEVISSIMAS CAVSAS in Fridericum latam; cui & alii ejus ætatis ſcriptores aſſentiantur. Breviter, (pergit Collenutius,) certam cauſam hujus cenſuræ mihi invenire nullam licuit. Hoc conſtat, Fridericum cum præter meritum ita à Pontifice ſe tractatum exiſtimaret, ab eo tempore parum Romaniſtarum amicitiæ vel fidei crediſſe. Quare ut in futurum rebus ſuis conſuleret, &*

ani-

animos regnicolarum natura novitatum avidos, & ad rebellionem propenſos, reprimeret, reliquias SARACENORUM, quos prius aſperrima perſecutione hinc inde in montes & loca deſerta diſpulerat, contraxit, iisque ut Luceriam in Apulia dirutam reſtaurarent, atque incolerent permiſit. Quo facto, tantus numerus Sarracenorum eo confluxit, ut viginti millia armatorum ibi invenirentur, quorum opera Fridericus exinde in omnibus bellis eſt uſus.

§. VII.

Hinc anſam calumniandi & Mahumetiſmi incuſandi ſumſiſſe hoſtes, conjicio. Cui poſtea acceſſit, quod quum Imperator adverſus *Soldanum*, qui Damiatam in Ægypto & Hieroſolymam in Terra Sancta Chriſtianis oppreſſis recuperaverat, expeditionem ſuſciperet, & ereptis Hieroſolymis, coronamque Hieroſolymitani Regni A.C. 1229. imponeret, eaque de re nuncios ad Papam mitteret, orans, ut cum re bene geſta voto ſatisfeciſſet, anathematis vinculo exemtus in gremium Eccleſiæ reponeretur; tum Gregorius Papa, cui felicitas Friderici minimè grata videbatur, id facere renuit, prætendens, pacem ab ipſo utilitatis propriæ, non Reip. Chriſtianæ cauſa factam eſſe: & TEMPLUM HIEROSOLYMITANUM in pacto induciarum SOLDANO relictum, quo Saraceni in eo Mahumetem venerari & adorare poſſent, uti idem refert Collenutius. *Cur Mahummetiſmi incuſatus.*

§. VIII.

Ex Chronicis quoque Thuringicis conſtat, quod quum Imperator Comitiis Francofurti A. C. 1242. celebratis *Conradum* filium, in *Romanorum Regem* eligi vellet, Gregorius Papa per Landgravium Thuringiæ, Fridericum de hac ipſa re, de tribus impoſtoribus, deferri fecit. *defendent ordin. German.*

Landgravius hic fuit Henricus illuſtris, idem forte, qui *Raſpe* etiam dictus, quique circa ann. Chriſti 1243. PROCVRATORIS S. ROMANI IMPERII titulum geſſit, id quod ex chartis Abbatiæ Georgenthalenſis illuſtris SEKENDORFFIVS me docuit. Quæ functio porrò fuerit, & à quo conſtitutio facta, nondum traditum reperio. Videtur autem eſſe officium *Vicarii*, aut *Locumtenentis*, ut poſtea dici conſvevit. Quales Impp. ſoliti conſtituere tum *Generales*, tum *particulares*. Ita Bertholdus Comes Hennebergiæ Vicarius Imperii per *Franconiam* ab Henrico VII. Imp. conſtitutus A. C. 1309. per *Thuringiam* à Ludovico Bavaro Imp. A. C. 1314. Et Maximiliano I. Imp. Fridericus Elector Sax. Vicarius *Generalis* conſtitutus eſt, ut conſtat ex numiſmate A. 1525. cuſo; in cujus una facie:

FRID. DVX. SAXN. ELECT. IPERI. QVE.
LOCVM. TENENS. GENERALIS.

In alterâ:

IOHES DVX SAXOIE LANDGVI9 THVRIGIE ET MARCHIO MISNE.

In Comitiis Francofurtenſibus A. C. 1338. Rex Angliæ Eduardus ſententiâ Procerum, Rex Franciæ PROCVRATORQVE Imperii per Gallias conſalutatus eſt. *Goldaſt. Conſtit. Imp. T.1.* Præter temporales etiam *Perpetui* conſtituti ab Impp. inter quos referuntur Dux Mantuæ, Sabaudiæ, Mediolani, *Montisferrati* aliique. Quò pertinet nummus argenteus Wilhelmi:

GVLIELMVS. MAR. MO. FE A.
SACRI. RO. IMP. PRINC. VICA. PP.

Quod jus conſtituendi Vicarios Imperii etiam Papa Rom. ſibi arrogavit, conniventibus quandoque Impp. de quo inferiùs.

ſerius. Ad rem præſentem ut redeamus, Proceres Germaniæ penitrantes inculpationis vanitatem, deſiderio Imperatoris detulere, & Conradum filium elegerant REGEM ROMANORVM, cujus & ipſe Fridericus *lib. 1. Epiſt. XXIX.* meminit. *conf. Chron. Belg. Magn. p. 235.* Atque quum hactenus ſub titulo *Regum Germanorum* ſoliti ſint ad Imperium provehi ſucceſſores, hic primum mihi inveniſſe videor morem cœptum, vel potius ex Bulla Hadriani Pontificis repetitum, ſuſcipiendi tituli ROMANORVM Regis. Idque & optimo *conſilio*, ut eo minus litium movere poſſet poſtea Romana ſedes, poſtulatâ conſecratione, & *jure* parili, quum electus in Regem Germanorum, eo ipſo etiam eſſet Romanorum Rex & futurus Imperator, per ea, quæ ſuperius demonſtravimus. Cæterum nec Imperium in Vrbem *Romam* deſeruiſſe Fridericum II. patet ex ejus reſcripto ad S. P. Q. R. *l. 3. Ep. XVIII.* & aliis: itemque Conradi filii Romanorum & Siciliæ Regis ad Procos. almæ Vrbis, *apud Baluz. l. 1. Miſcell. p. 479.* *Tit. Regis Rom.*

§. IX.

Denique & ipſe *Imperator* graviſſimâ apologia ad *univerſos Prælatos* emiſsâ tum ficta crimina ſatis purgavit, atque retorſit: tum Fidei Catholicæ atque orthodoxæ confeſſionem unà edidit, ut legere eſt, *lib. I. Epiſt. XXXI.* In qua *duo* quidem in hac terra agnoſcit *regimina, Sacerdotium* ſcil. & *Imperium*, ſed illud ad CAVTELAM tantum, hoc ad TVTELAM; innuens tueri ac imperare ſolius Imperii eſſe, Sacerdotii ſolum cavere, monere, conſulere. Quam in ſententiam alibi ait, matrem Eccleſiarum omnium, Apoſtolorum ſedem, infra totius Imperii viſcera collocatam, à qua Eccleſiæ urbium ſingularum & locorum quorumlibet auctoritatis inſignia trahant. *L. 3. Ep. I.* *Apolog. Imp.*

Ep. I. Deinde reprehendit abuſum poteſtatis ligandi & ſolvendi, atque ipſum eſſe *AntiChriſtum, & falſum Chriſti vicarium* aſſerit. Epiſtola integra hæc eſt: *In exordio naſcentis mundi, provida & ineffabilis Dei providentia, cui conſilia non communicant aliena, in firmamento cœli duo ſtatuit luminaria, majus & minus: majus, ut præeſſet diei: minus, ut præeſſet nocti. Quæ duo ſic ad propria officia in regione Zodiaca offeruntur, ut & ſi ſe multotiens ex obliquo reſpiciant, unum tamen alterum non offendit: immò, quod eſt ſuperius, inferiori ſuam communicat claritatem. A ſimili, eadem æterna proviſio, in firmamento terræ, duo voluit ineſſe regimina, ſacerdotium ſcilicet & Imperium, unum ad cautelam, reliquum ad tutelam: ut homo, qui erat in duobus componentibus diutius diſſolutus, duobus retinaculis frenaretur, & ſic fieri & pax orbi terræ omnibus exceſſibus limitatis. Sed ſedens in cathedra perverſi dogmatis, Phariſæus unctus oleo nequitiæ, præ participibus ſuis, noſtri temporis, Romanus Pontifex, quod de cœleſtis ordinis æmulatione deſcendit, evacuare nititur. Et credit fortè cum ſuperioribus convenire, quæ natura, non voluntate ducuntur: noſtræ majeſtatis jubar, intendit ducere in eclipſim, dum veritate in fabulam commutata, plenæ mendaciis ad diverſas mundi partes, papales mittuntur epiſtolæ, de complexione, non de ratione, accuſantes noſtræ fidei puritatem. Scripſit enim ſolo nomine papa, nos beſtiam aſcendentem de mari, plenam nominibus blaſphemiæ, pardique varietatibus circumſcriptam. Et nos ipſum beluam illam aſſerimus, de qua legitur: Exibat alius equus rufus de mari, & qui ſedebat ſuper eum, ſumebat pacem de terra, ut viventes invicem ſe interficiant. Nam à ſuæ promotionis tempore, iſte pater non miſericordiarum, ſed diſcordiarum, deſolationis,*

&

& non conſolationis, ſolicitus procurator, totum mundum adſcandala excitavit. Et, ut verba ſua recto ſenſu interpretemur, ipſe draco magnus, qui ſeduxit univerſum orbem, Antichriſtus eſt, *cujus nos dixit eſſe præambulum: & alter Balaam conductus precio, ut malediceret nobis, princeps per principes tenebrarum, qui abuſi ſunt Prophetiis. Hic eſt angelus proſiliens de abyſſo, habens phyalas plenas amaritudine, ut mari & terræ noceat. Inſeruit enim falſus Chriſti vicarius fabulis ſuis, nos Chriſtianæ fidei religionem rectè non colere, ac dixiſſe tribus baractatoribus mundum eſſe deceptum: quod abſit de noſtris labiis proceſſiſſe, cum manifeſtè confiteamur unicum Dei filium, coæternum & coæqualem Patri, ac Sancto Spiritui, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ab initio & ante ſecula genitum: proceſſu temporis miſſum in terris, in ſubſidium generationis humanæ, non de potentia ordinata, ſed de potentia ordinante: qui eſt de glorioſa virgine matre natus, paſſus poſtmodum, & mortuus ſecundum carnem, & alteram naturam, quam aſſumpſit in utero matris: virtute Deitatis, à morte poſt triduum reſurrexiſſe. Mahometi verò corpus in aëre pendere didicimus, obſeſſum dæmonibus, animam inferni cruciatibus deditam, cujus opera tenebroſa fuerunt, & contra legem Excelſi. Moſen verò, amicum Dei & familiarem, vera docente pagina, fuiſſe tenemus: in monte Synai cum ipſo tenentem colloquia, cui Dominus rubum accendit: per quem ſigna & mirabilia fecit in Ægypto & Hebraico populo, lex tradita declarat ipſum poſtmodum vocatum ad gloriam cum electis. In iis & aliis accuſator noſter & æmulus ponens adverſus filium matris Eccleſiæ ſcandalum, contra nos mendaces & venenoſas notas mundo inſcripſit. Sed ſi rectitudo ſenſus Apoſtolici*

non fuiſſet intrinſecus impedita, nec præpoſuiſſet impetum rationi, qui dominatur in ipſo, talia non ſcripſiſſet, nec ad ſuggeſtionem illorum qui tenent lucem tenebras, & dicunt malum bonum, qui ſuſpicantur mel eſſe fel, per locum ab opinione, qui eſt debilis & infirmus, cum verum eſſe falſum, cum non eſſe convertatur. Opinio verò, ſic indifferens ad utrumque, uno gradu diſtans à fide, in hujuſmodi papalis conſcientiæ hoſtium infringi minimè debuiſſet. Super quibus omnibus vehementer cogimur admirari, & noſtræ mentis quietem multa vexat turbatio, quòd vos qui eſtis Eccleſiæ fundamenta, columnæ rectitudinis, aſſeſſores Petri, urbis ſenatores, & orbis cardines, non flexiſtis motum judicis fulminantis, quemadmodum ſuperiores planetæ faciunt, qui ad retardandam magni corporis velocitatem contrariis motibus opponuntur. Revera Imperialis felicitas papali ſemper impugnatur invidia. Unde Simonides interrogatus, cur invidos non haberet: reſpondit: Quia nihil feliciter geſſi. Et quia proſpera nobis, Deo benedicto, cuncta ſuccedunt, præſertim cum Lombardos rebelles noſtros, ad mortem proſequimur, quos ipſe prædeſtinavit ad vitam. Hæc eſt cauſa, quare nominalis ipſe Apoſtolicus ingemiſcit, & utinam non de conſilio veſtro, felicitati noſtræ inſtituerit obviare, verùm de poteſtate ligandi & ſolvendi, fortè ipſe Dominus gloriatur & pungit. Sed ubi virtus deficit poteſtatis, ibi ſubſervit abuſus: hoc in eo intelligitur, quia regiæ poteſtatis magnus princeps, eximius Prophetarum, reſtitutionem poſcebat ſpiritus principalis, quia polluerat officii dignitatem. Sed ſecundum quod indiſſolubilia non ſolvuntur, ita & illigabilia non ligantur: quod ex eo manifeſtè probatur, quia Sacra ſcripta inſtruunt, mortificant animas quæ non moriuntur, & vivificant quæ non vivunt.

Poteſt

Poteſt ergo, quæ non ſunt digna potentiæ , quantum & quando. Nam cum Deus omnia poſſit, eſt aliud quod non-poteſt. Sanè, ſi verus eſſet pontifex, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus haberetur, non jurgiorum victimæ, ſed hoſtiarum pacificarum pacificus immolator: & poneret incenſum odoris, non doloris: nec pontificium in maleficium commutaret. Si verus eſſet pontifex, verbum prædicationis non traheret in fructum diſſenſionis. Nec ex hoc accuſabimur hoſtis Eccleſiæ matris noſtræ, quæ ſancta eſt in genere ſuo, quam cum reverentia colimus, & amplectimur cum honore, divinis ſacramentis ornatam; perſonas tamen ſingulares, & corruptioni ſubjectas, à medio recedentes, penitus reprobamus: & quia injuriæ non ſunt tranſitoriæ quæ noſtræ majeſtati jugiter inferuntur, & animum ſuper iis non lenire poſſumus, nec debemus, utique noſtram potentiam relaxare cogimur ad vindictam. Vos verò, qui eſtis viri ad ſaniora conſilia conſtituti, ſenſus & rationis excellentiam obtinentes, rugientem adverſarium noſtrum, à proceſſu, cujus deteſtabile fuit initium, penitus revocetis, rerum conſequentias, ex cauſis præcedentibus attendentes: alioquin utraque terra ſentiet, qualiter in perſecutorem, ac conſequentes principes, & fautores procedat Auguſtus, & qualiter ferro Cæſareas inferat ultiones.

§. X.

Cæterum non conceſſerat Imperator Sarracenis Templum illud Hieroſolymitanum dirutum à Tito, neque Baſilicam , quam Hieroſolymis extruxerat Conſtantinus M. de qua Chronicon Alexandrinum A. C. 333. Sed & quamvis Saladinus Anno C. 1187. captis Hieroſolymis omnia loca profanaſſet, & Mahumeticam religionem in Templo inſtituiſſet, mox tamen cum Imp. Cpolit. fœ- *Facta Imp.*

dus inierat his conditionibus, Ne quenquam ex Europa Chriſtianum tranſire permitteret, & ipſe contra acciperet omnes Eccleſias in terra Sancta, ubi religio Græco ritu exerceretur teſte Marino Sanuto. Soldanus porro Friderico II. victori reſtituit omnia, quæcunque eripuerat Chriſtianis, hoc tantum paciſcens, ut etiam Saracenis ſuburbicariis, templum concederetur, ubi inermes adorarent, & extra urbem hoſpitia ſua haberent. Qua tolerantia qvum Fridericus Eccleſiæ & toti Regno Hieroſolymitano libertatem ſine ulteriori ſanguinis Chriſtiani effuſione acquireret, adverſus leges Prudentiæ Civilis Chriſtianæ haudquaquam feciſſe dici poterit. Neque illud anteceſſoribus ſuis Impp. Orientis inconſuetum fuiſſe docet Joannes Epiſcopus Citri epiſtola ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachii Archiepiſcopum, in qua etiam cauſas exponit, ob quas à veteribus Principibus Chriſtianis diverſæ religiones, puta Agarenorum, Judæorum, Iſmaelitarum, Armeniorum fuerint toleratæ, ut habitationis anguſtiis ſentirent, ſe propter hæreſin rejiciendos judicari: ut per frequentem cum Chriſtianis conſuetudinem paulatim converterentur, ut denique induſtriæ ipſorum fructus referant, qui iis ad vitam opus habent. *Jus Græco-Rom. Tom. I. lib. V. pag. 331.*

Hæret. toleratio.

§. XI.

& Papæ comparata.

Contra verò Gregorius Papa refertur id egiſſe, ut libertas etiam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ à Soldano ſuppreſſa, deſereretur, qvum, Friderico eò profecto, Templariis contra eum ſubornatis etiam ad Soldanum ipſe ſcripſiſſet adverſus Chriſtianiſſimos Imperatoris auſus; at Saracenus literas Papæ Friderico aperuit, adeo diſplicebant tum Romanæ Curiæ inſtituta etiam Barbaris. Sed

A. 1229.

& le-

& legatum interim in Germaniam miſerat Pontifex, qui nunciaret obitum Imperatoris, & Ottonem Ducem Luneburgenſem ad capeſſendum imperium incitaret: At multo magis hic à Germanis repulſus, qvum non deceret Principem labium mentiens, *Prov. XXVII. 7.*

§. XII.

Cæteroquin quantopere de Eccleſia meritus fuerit Fridericus II. eluceſcit ex *aurea bulla* illius à poſteris multum deprædicata. Is enim qvum contra Ottonem IV. Imp. à Pontifice Rom. Innocentio III. excommunicatum, ex Sicilia evocaretur ad imperium anno 1212. durante bello civili inter Ottonem & Fridericum, *auream bullam de Libertate Eccleſiaſtica* edidit Egræ anno 1213. 4. idûs Julii ad Innocentium III. directam, quâ omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam promiſit, ſpeciatim verò 1. abolitionem decreti in *electionibus* Prælatorum, ut liberè à capitulo fieret electio. 2. liberas permiſit *appellationes* in cauſis Eccleſiaſticis ad Sedem Rom. 3. renunciavit *Regalia* in vacantibus Eccleſiis. 4. promiſit eradicationem *hæreticæ* pravitatis. 5. reſtitutionem *bonorum Eccleſiaſticorum*, in ſpecie ducatus Spoletani, Exarchatus Ravennæ, terræ Comitiſſæ Mathildis &c. adjectâ clauſulâ donationis, & conſenſus Principum Imperii: denique promiſit *Regnum Siciliæ* Eccleſiæ Rom. retinendum & defendendum. Subſcripſerunt Archiepiſcopus Moguntinus, Salisburg. Epiſcopus Ratisbon. Wirzburg. Patavienſis, Cizenſis. Rex Bohemorum, Dux Bavariæ, Auſtriæ, Landgravius Thuringiæ & alii. Poſt annos ſex huic per omnia ſimilem auream bullam dediſſe reperitur Honorio III. anno 1219. M. Sept. Agnonii in Aprutio citeriori, totidem verbis conceptam, quæ Romæ extat

Aurea Bulla de libert. Eccleſ.

extat in Caſtello S. Angeli & in Bibliotheca Vaticana, ut teſtatur Goldaſt. *Tom. I. Conſtit. ann. 1212.* poſt Baronium *ad Ann. 1097. n. 77.*

§. XIII.

Edict. Frid. de Lib. Eccl.

Mox in die coronationis Romanæ, XXII. Novembris ejusdem anni 1219. Edictum promulgavit de Libertate Eccleſiaſtica, quod Honorius confirmatione ſuâ roboravit, extans inter Honorii epiſtolas *lib. V. Epiſt. CCCCLXXXIII.* & inter conſtitutiones Friderici II. libris Feudalibus annexas: unde deſumtæ in Cod. Juſtinianeum Authentica *Caſſa. C. de SS. Eccl.* de ſtatutis & conſuetudinibus libertati & immunitati Eccleſiaſticæ contrariis irritandis. Honorius ſimiliter tum pœnam excommunicationis eadem de cauſa promulgavit, *cap. noverit. 49. X. de ſent. excomm.* Pariter Auth. *Item Nulla.* & *item quacunque C. de Epiſc. & cler.* de immunitate à collectis & angariis; quam tamen malè poſtea extenſam à Pontifice præter res Eccleſiaſticas etiam ad feuda imperii, reſtrinxit Imperator anno 1239. in apologia publicè contra capitula Gregorii IX. ad propoſitionem Eccleſiæ: IV. *de talliis & exactionibus quod contra formam pacis ab Eccleſiis & Monaſteriis extorquentur.* reſpondet Imp. *Tallia & collecta clericis & perſonis Eccleſiaſticis, non pro Eccleſiaſticis rebus, ſed pro feudalibus & patrimonialibus imponuntur, ſecundum quod eſt jus commune, & obtinet ubique per orbem.* Matth. Pariſius hoc anno. Conf. Fr. Duaren. *lib. VII. de SS. Eccl. Miniſt. c. X.* Conring. *de Judiciis German.* §. *LXXII.* Quod jus etiam poſteà obſervatum, atque à Rudolpho & Adolpho Impp. conſtitutum, ne bona ad Eccleſiam devoluta à conſvetis tributis eximantur. *V. Goldaſt. Tom. I. Conſt. Imp. anno 1293.* Alberti Imp. *an. 1299. eod. tomo.*

Auth. Caſſa.

Auth. It. nulla. & it. quacũque. C. de Epiſc.

§. XIV.

§. XIV.

Cæterum extendit eodem in edicto Imperator exemtionem clericorum contra jus anterius & Novellam Juſtiniani LXXXIII. pr. ut etiam ob *crimina non-eccleſiaſtica* jurisdictioni civili clerici non ſint ſubjecti. Unde deſumta Auth. *Statuimus. C. de Epiſc. & cler.* Quæ tamen neque in Gallia neque in Germania obſervatur. Retulit autem has Authenticas in Codicem non Irnerius, *ut eſt apud Richt. ad d. Auth. Caſſa.* quippe hic ante Fridericum II. vixit, ſed ad juſſum Friderici, & urgente ſine dubio Pontifice Rom. JCti Papienſes, teſte Alvarotto *proœm. feud. n. 12.* B. Strauch. *Irner. non err. c. 2. §. 2.* Denique anno ſequente 1220. Kal. Oct. denuo de libertate Eccleſiaſtica conſtitutionem edidit, quam recitat Baronius *ad ann. 1097. §. 79.* Goldaſt. *T. I. Conſt. Imp. ann. 1220.* Atque in *teſtamento* ordinavit inter alia hoc: *Relinquo totam terram Eccleſiæ liberam, & volo quod jura Eccleſiæ reſtituantur.* Matth. Pariſ. Goldaſt. *Tom. I. Conſt. Imp. 1251.* Edictum hoc Friderici renovavit Carolus IV. ut apparet ex reſcripto Bonifacii IX. *apud Goldaſt. Tom. I. Conſt. ann. 1393. itemque Tom. II. ann. 1391.* quanquam nullâ mentione facta Friderici, uti conſtat ex ipſa Caroli conſtitutione *in Tom. II. ann. 1359.* & aliâ anno 1377. *Tom. III.* Renovatum exſecutus quoque Johannes XXIII. *eodem Tomo I. ann. 1413.* atque Concilium Conſtantienſe, *Tom. II. ann. 1415.* Martinus V. in eodem Concilio, *Tom. eod. ann. 1417.* Sigismundus Jmp. *eod. Tom. pag. 107.* Concilium Baſileenſe anno 1434. *eod. tomo III.*

Auth. Statuimq. C. de Epiſc.

Auth. Frid. quis inſeruit Cod.

§. XV.

De hujus Edicti toties renovati vigore, auctoritate atque an vim legis in Jmperio acceperit, tractavit *Cæſarius*

Edicti vis

Bran-

Branchedaurias Taurinenſis in Oratione ad Imp. & Principes, quam laudat Goldaſtus ex libro cui index: *Monita Politica ad S. R. J. Principes de immensâ Curiæ Romanæ potentia moderanda.* Quicquid ejus ſit, certè uti Fridericus immunitatem à collectis & angariis reſtrictam ad res Eccleſiaſticas intellexit, exceptis feudis regalibus, ut antea vidimus: ita ſine dubio exemtionem clericorum in cauſis civilibus & criminalibus intelligi voluit *ſalvâ Imperiali Majeſtate*, atque magiſtratibus tantum ſecularibus legem iſtam præſcripſit, & ab eorum cognitione clericos etiam in criminalibus, novo jure, exemit. Confirmat hanc ſententiam ipſa illa reſtrictiva clauſula ab Jmperatore adjecta: *contra conſtitutiones imperiales & canonicas ſanctiones.* Scilicet ut jure veteri exemtio clericorum in cauſis civilibus à magiſtratu ſeculari intelligebatur ſalvo ſupremo Jmperatoris judicio, imò ſalvâ quoque Præfecti Prætorio aut Præſidis cognitione, Jure Juſtinianeo noviſſimo, *Novell. LXXIX. & LXXXIII.* & jure Francorum & Germanorum, ſalvo jure Malli publici, *Baluz. lib. 3. Miſcell. pag. 42.* conf. Concil. Chalced. *can. IX.* ita etiam nova exemtio in cauſis criminalibus ſecundum easdem conſtitutiones imperiales & ſanctiones canonicas intelligenda erat, ut non extenderetur ad exemtionem à ſummo imperiali tribunali; alioquin enim *contra* conſtitutiones imperiales & veteres canones hæc immunitas data fuiſſet. Veriſimile hoc reddit alia Friderici conſtitutio, quâ anno 1232. *libertatis Eccleſiaſticæ ſtatum* ut ejus habent verba, impertit etiam gentibus ad catholicæ fidei veritatem converſis in Livonia, Pruſſia & vicinis provinciis: *Eximimus*, inquit, *inſuper eos etiam à ſervitute & jurisdictione Regum, Ducum & Principum, Comitum & cæterorum Magna-*

& verus intellect9.

Gold. T. 2. C. Imp.

Magnatum, præſenti ſancientes Edicto, ut non niſi SS. matri Eccleſiæ, ac ROMANO IMPERIO, quemadmodum alii liberi homines Imperii, teneantur. Imò qvum anno 1239. Gregorius IX. inter alia gravamina conqueſtus: *quod clerici capiantur, incarcerentur, proſcribantur & occidantur.* Reſponſio Imperialis hæc fuit: *De captis & incarceratis nihil novit; niſi quod per officiales Imperatoris aliqui capti ſunt, aſſignandi juxta qualitatem exceſſuum judicio Prælatorum. De proſcriptis verò novit, quòd objecto quibusdam crimine læſæ Majeſtatis, aliqui de Regno ſunt proſcripti.* *Ibid.*

CAP. IX.

DE

ECCLESIA GRÆCA ANGLICANA ET GERMANICA AD LIBERTATEM PROVOCANTE.

SUMMARIA.

Eccleſia Græca ad libertatem provocat contra S. R. Cauſæ, avaritia & ſuperbia. Anglicana Eccleſia ſimiliter. Eædem cauſæ etiam Eccleſias Germaniæ urgebant. Quarum libertatem Imp. defendebat: & Epiſcopi Helias Monachus. Inquiſitor contra Waldenſes occiſus. Friderici Apologia altera.

§. I.

Eccleſia Græca ad Libertatē provocat.

NOn ſatis fuerat Innocentio III. P. R. Imperatorem & Reges Occidentales ſibi ſubjicere, ſed affectaverat imperium univerſale etiam in Imperatorem *CPolitanum*; ut patet ex *cap. ſolicitæ. 6. X. de major. & obed.* quid mirum igitur quod tempeſtate hac A. C. 1237. *Eccleſia Græca*, egregio cæteris Eccleſiis dato exemplo, ab obedientia iſtius plane receſſerint, allegatis in publicum cauſis longe graviſſimis, quas nobis expoſuit hujus temporis ſcriptor præſtantiſſimus *Matthæus Pariſienſis* Anglus, Nic. de Clemang. *cap. 27, 2.* Itemque capitula provinciarum Remenſis, Senenſis & Rothomagenſis, ſcriptis ad Clementem IV. S. Pontif. graviſſimis literis A. C. 1267. adverſus exactiones curiæ Romanæ non dubitaverunt, *ſunt verba Steph. Baluzii obſ. ad P. de Marca lib. 1. de C. Sac. & Imp. c. 1. ſ. 6.* palam objicere, tanquam rem certam & cunctis notam, ex avaritia & ſuperbia Romanorum ortum eſſe ſchiſma Eccleſiæ orientalis: Cæterum quod propter hujusmodi exactiones orientalis Eccleſia ab obedientia Romanæ Eccleſiæ receſſerit, patet cunctis. Eandem quoque inter alias cauſas attuliſſe Fratres prædicatores anno 1252. quum adverſus Græcorum errores ſcriberent, Tertia, inquiunt, occaſio fuit, quam ipſi aliquando nobis in familiari colloquio aſſignaverunt, ſcilicet ſuperba nimis exactio Legatorum Papæ. Dicebant namque referentes, quod quando legati S. Pontificis ab ipſa ſede Apoſtolica annuatim Cpolim chriſma deferebant, niſi octoginta libræ auri à Clero & Vrbis populo, præter alia dona & munuſcula eisdem impenderentur, non recedebant. Taceo age, ajebant, de pompa & ſuperbia, quam ipſi oſtendebant. Seceſſio porro hæc Eccleſiæ orienta-

lis

lis regreſſus fuit ad priſtinam libertatem, atque independentiam Eccleſiarum orientalis Imperii, de qua ſuperius.

§. II.

Sed & jam tum A. C. 1231. quum Papa exhauriret Eccleſias & Regnum *Angliæ*, Barones cum Profeſſoribus Academicis communi tandem conſenſu concluſum fecerant, Pontifici nihil amplius dandum, de quo Matth. Pariſienſis: Quod tamen non tam de *Denario Petri*, ut vectigal quod Jna Rex indulſerat, intelligendum videtur, quàm de *decimis Regni*, quas Henricus I. Rex anno 1229. Pontifici conceſſerat ad Fridericum Imp. opprimendum, ut idem refert Pariſius. Denarium verò Henricus IIX. demum primus inhibuit, *Sleid. lib. IX. Selden. Anal. Anglo-Britt. l. 2. c. 4.* *Et Anglicana.*

§. III.

Non minores cauſas ad libertatem provocandi habebant tum Eccleſiæ Germanicæ præterquam quod Imperator fortius eas atque felicius adhuc tueretur contra Curiæ Rom. attentata. Excommunicationi enim antedictæ, A. C. 1239. etiam aliam oppoſuit Apologiam Imperator graviſſimam, & cauſam Concilio generali Prælatorum & aliorum Chriſti fidelium ſubmiſit, quæ extat *inter Epiſt. Petri de Vineis lib. I. c. XXI.* lectu digniſſima, ideoque ad calcem capitis adjicienda. Excommunicationis itaque nullitate demonſtratâ orbi Chriſtiano, improbum quoque *Interdicti Sacrorum* effectum jure optimo maximo impediturus Imperator, monuit clerum, ut neglecto impio Interdicto divina celebrarent, ſub comminatione revocandi donationes, quas duo Auguſti progenitores ejus feciſſent. *l. 1. c. 23.* *Libert. Eccl. defendit Imp.*

Uuuu 3 §. IV.

§. IV.

Et Eccleſia Germ. Sed & *Germanorum Epiſcopi* & Eccleſiæ, iniquitatem Pontificis perſpicientes, non dubitarunt jure uti ſuo, & injuſta excommunicationi *contradicere*. *Helias* quoque quidem monachus ordinis Minorum edictis libris, Imperatorem defendit contra Papam. Is ipſus eſt, opinor, quem Imperator Regi Cypri commendavit iis verbis: *perſonam ſuam domeſticam, noſtris ſervitiis libenter admittimus, & ſuæ circumſpectionis conſiliis fiducialiter inhæremus, lib. 3. Ep. XX.* Denique quum hæreticæ pravitatis *inquiſitor Conradus* contra Waldenſes in Germaniam miſſus modum non poneret innocentes cremandi, Nobilitas Germanica neci Conradum tradidit, qui Marpurgi ſepultus, A. C. 1234. *Trithemio* teſte.

V.

A. 1239. Fridericus II. Imp. Regibus & univerſis Baronibus Regni Franciæ, &c. *Levate in circuitu oculos veſtros, arrigite filii hominum aures veſtras, videte generale orbis ſcandalum, diſſidia gentium, generale juſticiæ doleatis excidium, exeunte nequitia à ſenioribus Babylonis, qui populum hactenus regere videbantur, dum judicium in amaritudinem, & fructum juſticiæ in abſynthium convertunt. Sedete principes, & intelligite populi cauſam noſtram, de vultu Domini judicium prodeat, & oculi veſtri videant æquitatem. Scimus enim, & in ſupremi judicis virtute confidimus, quod cum apud vos pondus & menſura fuerit, profectò modeſtiam & innocentiam noſtram in judicii veſtri libra præponderare videbitis, calumnioſis detrahentium labiis & venenoſis adinventionibus factionum. Sed nec nunc primùm credimus noſtram juſtitiam, & reſidentis in throno Domini pravitatem, ad publicam mundi notitiam:*

am devenire, quin præter agillimæ famæ præloquium, quæ frequenter in maximis virginum aurium deflorat auditum, nos ipſi, quos primitus rumor eduxerat, ſubſequentibus poſtmodum veſtræ Serenitatis adfectibus firmaremus, qualiter iſte novus athleta ſiniſtris auſpiciis factus pontifex generalis, amicus noſter præcipuus, dum in minoribus eſſet ordinibus conſtitutus, beneficiorum omnium, quibus Imperium Chriſtianum ſacroſanctam ditavit Eccleſiam, obitus, ſtatim poſt aſſumptam ſuam fidem cum tempore varians, & mores cum dignitate commutans, ac habens quodammodo de publica perturbatione pruritum, in nos ſummum, & unicum Eccleſiæ filium, ſuæ malignitatis aculeos acuiſſet, dum occaſione ſumpta, quod propter imminens ſcandalum evitandum ſacramento præſtito, & illata contra nos excommunicationis ſententia, nos ad certi temporis ſpatium obligaverimus tranſituros, adverſa valetudine corporis præpeditos; adjectis capitulis aliis, de quibus antea nunquam fueramus admoniti, excuſationibus noſtris, contra Deum & juſticiam omnino rejectis, excommunicationis ſententia nos denunciavit adſtrictos: cui velut in nos primitus cum noſtra voluntate prolatæ, cum humilitate paruimus, abſolutionis beneficium priſtina nobis incolumitate corporis reddita, poſtulantes, dum nos ad tranſitum pararemus inſtanter; quo petito & injurioſè negato, in Terræ ſanctæ ſubſidium ſub pia voti proſecutione tranſivimus, æſtimantes vicarium Jeſu Chriſti ad ejus negotium potius, quàm ad conceptæ malevolentiæ contra nos odium adſpirare. Sed is, quem ſperavimus ea ſolummodo quæ ſurſum ſunt, ſapere, & viſu cœleſtia contemplantem, mente credidimus in cœleſtibus habitare, ſubitò inventus eſt homo: quinimmo per inhumanitatis opera, non ſolum à veritate

ſepoſitus, ſed à qualibet humanitate deſertus: dum præter impedimenta quæ nobis in Syria præparat per nuncios & legatos, qui Soldanum literis ſuis, quas nos captis eorum latoribus in publicum teſtimonium reſervamus, ne nobis terram divino cultui deditam redderet, cum regni Hieroſolymitani jurib. munierunt. Regnum noſtrum Siciliæ violenter intravit ſumta occaſione, quòd Raynerius filius olim ducis Spoleti, præter ſcientiam & voluntatem noſtram, prout nos poſtmodum per ipſius pœnam expreſſimus, terram Eccleſiæ parabat intrare, & non prout ſancti regna per fidem vicerunt, ſed perfidiam & perjuria prædicat univerſis. Et ſi qui in perjurium prædicatione ſolummodo provocari non poterant, provocarentur exemplo, dum ipſi præfecti papalis exercitus, quo terram facilius obtinerent, nos captos in Syria manifeſtè jurabant. Redeuntibus tamen nobis de partibus tranſmarinis, & injuriam noſtram propulſantibus ſolum, nec juxta magnificum morem imperii procedentib. ad vindictam, per concordiæ modos verbum pacis libenter admiſimus: Romanam matrem noſtram eccleſiam ex agnitione catholicæ fidei reperiſſe cognoſcimus: ſed patrem ſemper invenimus ſimulatum, dum & reconciliationis die, viam noſtræ confuſionis excogitans de nobis redeuntibus in Italiam, ſub inermi & domeſtica comitiva, nobis inſtantiſſimè perſuaſit: occaſionem fingens, ne velut ex priori & armato proceſſu timoris cauſam noſtris fidelibus præſtaremus: aſſerens, quòd nobis omnia planiſſima faciebat, cujus contrarium per nuncios & literas ſuas, manifeſtiſſimè procurarat: prout conſtat teſtimonio plurium noſtrorum fidelium, qui tunc temporis erant omnium conſcii, velut ex eis quidam participes, & alii principes factionis: propter quod filio & principib. noſtris de Germania, omnib. ad vos

veni-

venientibus, per rebelles noſtros itinerib. publicis præpeditis, ac eodem filio noſtro apud Aquileiam navali præſidio, cum ſumma difficultate recepto, & in Theutoniam abinde deſtinato, in regnum de neceſſitate redivimus, utpote quos ad conterendam rebellium noſtrorum nequitiam, patris conſilium vel aſtutia potius miſerat imparatos: ubi quodammodo reſpirantibus nobis, & capeſſentibus requiem poſt labores, tunc ſubito Sanctiſſimus pater noſter, noſtræ quietis invidus, conſultoris ſibi perſonam adſumpſit, inſtantiſſimè perſuadens, ut contra Romanos excellentiæ noſtræ devotos, & alios rebelles noſtros de Thuſcia, qui jura Eccleſiæ, & Imperii detinebant, procederemus audacter, de ſuo favore ſecuri, quia nobiscum noſtra & Imperii pondera participare volebat. Et ſic ad multam ejus inſtantiam Romanos, qui tunc temporis Viterbium impugnabant, in favorem Eccleſiæ nos oportuit diffidare, eodem mittente literas latenter ad urbem, quod hæc præter ſuam conſcientiam, & mandatum faceremus in odium Romanorum. Et cum interim quadam ſeditione ſuborta, oportuiſſet nos neceſſario conferre Meſſanam, ut factionis inchoatæ, principiis obſtaremus: iſta ſolummodo occaſione prætenta, quod tam nobilem noſtram Siciliæ inſulam noluimus amittere, nobis irrequiſitis, & omnino celatis contra communem opinionem hujusmodi gentium, quos belli ſocios & participes ſtatuit non relinqui, fœdus iniit cum Romanis, per nos ad mandatum ejus, ut diximus, diffidatis, non attento, quod nos ſub dubia fide, & honoris noſtri fortuna, inter rebelles & ſeditioſos ipſos remanentes inermes, copioſam & ſtrenuam militiam armatorum, in ejus ſubſidium miſeramus, quanquam perſonaliter nequiverimus intereſſe. Adhuc tamen conſcientiæ noſtræ fidelis integritas, & pura devotio,

quam

quam ad matrem noſtram ſacroſanctam Romanam eccleſiam habebamus, novercalia delinimenta patris agnoſcere filium non ſinebant: quin quod erat juſtitiæ, crimini imputantes, ſatisfactionis noſtræ cauſam, in novercantis patris arbitrio poneremus, qui tanto nobis vice qualibet illudebat acerbius, quanto conſtantius uberioris ſpem arbitrii promittebat. Medio itaque tempore, dum in negocio Italiæ, pro populo ad honorem Imperii componendo, ex præteritorum conjectura diſcriminum, nulla ſpes remanſiſſet nobis in poſterum vel exilis, ac proſecutionem eandem opportuno tempori ſervaremus, expectationibus noſtris repente credidimus adluxiſſe fortunam. Reiterata diſcordia inter Eccleſiam & Romanum imperium, in qua ſic magnificè theſauros noſtros effudimus, & perſonam, quod omnem omnino conſcientiæ pravæ rubiginem, de malivolentium cordibus credidimus eruiſſe. His omnibus non contenti, ut de nobis prorſus indubitata ſecuritas Eccleſiæ præberetur, circa ipſam zelo ſummæ devotionis accenſi, & incentivo perfectæ charitatis inducti, ad iſtius papæ præſentiam, perſonaliter ivimus, etiam non vocati, ducentes nobiſcum C. filium noſtrum, nunc in Romanorum regem electum, regni Hieroſolymitani hæredem: quem nobis tunc temporis, fratris ſui manifeſta transgreſſio, filium unicum, in paternæ dulcedinis affectione reliquerat, ac eundem poſt oblatam Eccleſiæ perſonam noſtram, in totum obſidem, Summo pontifici nos offerre non puduit, unionem omnimodam inter nos & Eccleſiam, ſub atteſtatione divini judicii poſtulantes, quam dudum nobis iſte prælatus Eccleſiæ generalis, dum eſſet epiſcopus Hoſtienſis ſuaſerat expetendam: propter quæ omnia dum ſerenam nobis totius Curiæ faciem, affectio demonſtrata prætenderet, & verba gratiſſima tam ſummi pontificis

tificis, quàm curialium omnium ſinceram oſtenderet etiam voluntatem: cum eis omnia perfeciſſe credentes, ſub intentionis noſtræ facto propoſito, nec minus ſub obſequiorum noſtrorum fiducia diſſenſionis cauſam, inter nos & Lombardos, in ſinu corrupti judicis totaliter ſuffocatam, & ſeditionem diſcordiæ inter nos & cives Acconenſes ac nobiles, devotione promptiſſima duximus exponendam. Sicque de negotiorum noſtrorum omnium proſpera conſummatione ſecuri, in obſequium Eccleſiæ perſonaliter alacri voluntate proceſſimus, cum exercitu copioſo, quem ſub magnis ærarii noſtri ſtipendiis congregari, tam de Germaniæ quàm de Italiæ partibus feceramus: nec prius à concepti propoſiti proſecutione deſtitimus, quàm libertatem Eccleſiæ conculcatam in urbe, & terram exterius occupatam, in ſtatum priſtinum & debitum, noſtra potentia reformavit: indubitabiliter æſtimantes, ut quod obtinere prius favor juſticiæ noſtræ non poterat, devotionis obſequia mererentur. Sed audite retributionem mirabilem, quam pro tanta devotione, pro tot beneficiis, pro tam indubitatæ fiduciæ firmamento, Chriſti vicarius, paſtor Eccleſiæ, noſtræ catholicæ fidei prædicator, nobis in ſingulis reddere procuravit. In primis, ſuper ultramarino negotio, quicquid per archiepiſcopum Ravennatem, tunc Apoſtolicæ ſedis legatum, ſecundum formam expreſſam, ab Eccleſia ſibi datam: videlicet de reducendis nobis & C. filio noſtro in poſſeſſionem plenam & priſtinam, omnium nobis jurium ſubtractorum, in regno fuerat rationabiliter ordinatum, ſtatim adveniente Cæſarienſi epiſcopo, nec legato prædicto, nec nunciis noſtris ad Curiam venientibus expectatis, nec ulla majori mora protracta, niſi quatenus delatos Bizantinos juvare inordinatè ex toto deſtructum negotium Italiæ fuit, & nedum quod ad

honorem noſtrum, ſicut promiſerat, ordinaret. Imò petentibus & inſtantibus nobis ad revocationem hoſtium noſtrorum, qui in Lombardia & Thuſcia fideles noſtros tunc temporis diviſis ſuis exercituum copiis, devaſtabant: nec nos cum militibus noſtris quos tunc in partibus illis, ut diximus, pro Eccleſiæ ſervitiis habebamus, ire permiſit: nec alios nuncios ſeu literas voluit deſtinare. Ex quibus bella campeſtria ſunt, & quàm plurium ſtrages hominum, ac incendia ſubſecuta. Adhuc etiam tanta ſuperiori nequitia non contentus, civitatem Caſtellæ, per ipſum retroactis temporibus, turbationibus occupatam, quam reddi nobis fratrum omnium conſilia ſuadebant, receptis trecentis libris illius monetæ, quæ ad quingentarum marcarum numerum non aſcendunt, nobis cum eo permanentibus in Reate, & pro eo multa marcarum milia expendentibus reddere recuſavit. Ecce, qualiter pater noſter Sanctiſſimus nos amabat, demum ſuper profectibus noſtris omnibus, & ſuper pacificanda nobis Italia, de qualibet patris vel vitrici noſtri potius benevolentia deſperare coacti adprehendimus arma & ſcutum, viros de Theutoniæ partibus, ad quos congregandos diebus illis prævaricatio filii noſtri nos de neceſſitate vocaverat, propter ingreſſum Italiæ congregatis militib. ſtrenuè juſtitiam noſtram armavimus, quam adſequi precibus minimè poteramus. Quod cum ad noticiam ſummi pontificis perveniſſet, ſub prætextu treugarum, pro Terræ ſanctæ ſubſidio fidelibus populis, & terræ principibus indictarum armatum nobis ingreſſum Italiæ, per Apoſtolicas literas interdixit, oblitus, quod ab ipſo eodem die, quo prædictas treugas indixerat, nos tanquam advocatum & defenſorem Eccleſiæ requiſivit, quod contra Romanos, quos ſibi jura Eccleſiæ ſubtraxiſſe di-

dicebat, potenter procedere deberemus. Iniquum in nobis reputans, quod domum noſtram, poſſeſſionem & pactionem avitam, quam nobis rebellium noſtrorum rebellio furioſè præcluſerat, viriliter ingredi nitebamur, quod juſtum crediderat in Romanis qui patri ſuo vel avo, vel parentib. ſuis in nullo prorſus extiterant obligati. Adjecit præterea in literis antedictis, quod de negociis Lombardiæ in ipſum præciſe, & ſine adjectione temporis, & conditione aliqua, nullo jure & honore Imperii reſervatis compromittere deberemus, per quod nos vel in perpetuum à juris noſtri cujuslibet proſecutione ſuſpenderet, vel jus & honorem Imperii libere ſuffocaret: quod cum nobis, nec noſtrorum conſilia principum, nec præteritorum ſtipendiorum memoria ſuaderet, ad alias artes poſtmodum ſe convertit, mittens obviam in veſtimentis albis lupum rapacem, epiſcopum Peneſtrinum per quem apud nos literis Apoſtolicis, de vita ſanctisſima commendatum, Placentiam nobis ſubditam, & noſtris amicam, ad Mediolanenſis factionis perjuria revocavit, per ipſum firmiter æſtimans, ſic univerſaliter & in totum, fideles noſtros evertere, ut proceſſus noſtros in Italiæ partibus eneruaret. Quaſi e divina clementia, quæ ſuum tuetur Imperium, omnino fruſtratus, clamantibus apud Deum rebellium noſtrorum incendiis, depopulationibus rerum, & ſtragibus occiſorum, qui ipſum de data eis rebellionis ſecura fiducia, nec non de fide mentita, eo quod contra nos & Imperium ipſis aſſiſtere promiſiſſet, publicis vocibus arguebant. Et quia juxta petitiones eorum occaſione prædicta, juſtè nos excommunicare non poterat, impedimenta clandeſtina noſtris procesſib. undique præparavit, literas & legatos per Imperium, & ubique per orbem, ut quoscunque à fide

& devotione noſtra ſeduceret, deſtinando: non poterat tamen noſtrorum fidelium fides, & amicorum adfectio, conſcientiam noſtram latere, nolentes adhuc vinci à malo, ſed in bono malum vincere cupientes, ſolennes nuncios noſtros G. venerabilem Panormitanenſ. epiſcopum, Florentinum, & Reginum epiſcopos, Magiſtrum Thadæum de Sueſſa, magnæ Curiæ noſtræ Judicem, & R. Porcaſtrellum, capellanos dilectos, noſtros fideles, ad ſedem Apoſtolicam duximus deſtinandos. Quibus oblata ſibi per nos ex parte noſtra devotione omnimoda, & unione tractata contra hæreticam pravitatem, & pro Eccleſiaſtica libertate, de reformandis Eccleſiæ & Imperii juribus, diutius inter nos & Eccleſiam expetita, ſummus pontifex, de præſentium fratrum ſuorum conſilio, legatione noſtra in omnibus ſuis capitulis acceptata, per eosdem & archiepiſcopum Meſſanenſem quem ad nos pro parte ſua nuncium deſtinavit, excellentiæ noſtræ promiſit, quod ceſſari Cæſari mandaret ubique locorum ab impedimentis omnibus, quæ ſe noſtris proceſſibus objeciſſe coram fratribus ſuis, & nunciis noſtris manifeſtiſſimè fatebatur, prout hæc omnia per teſtimoniales antiſtitum præfatorum omnium literas manifeſtiſſimè comprobantur. Cum qua reſponſione nunciis noſtris & ſuo, ad noſtram præſentiam redeuntibus, priusquam per tres dietas à Curia receſſiſſent, eis omnino celatis, in confuſionem ipſorum, G. de monte Longo, quem prius ad nos nuncium miſerat, & contra nos poſtmodum ad everſionem Mantuanorum, & aliorum noſtrorum fidelium ſtatuerat, in Lombardiam cum legationis officio plenè miſit: arbitrans, quod quanto major ſibi daretur authoritas, tanto majora nobis & noſtris impedimenta pararet. Præterea principibus noſtris prælatis Italicis, &

Ger-

Germanis nobiſcum in Curia noſtra manentibꝰ, literas deſtinavit, ſuggillationem famæ noſtræ non modicam continentes, certis articulis intercluſis, & ſpecialiter de gravaminibus, quibusdam Eccleſiis regni noſtri, ut dicebatur illatis, ſuper quibus mandavit nos per eosdem Principes admoneri. Quorum articulorum omnium, & reſponſionum noſtrarum ad ſingula ſeriem vobis ſub teſtimonio publico mittimus intuendam. quibus omnibus coram principibus & prælatis, ac religioſis quam pluribus, quibuslibet ordinatè & ſigillatim oſtenſis, quanquam de patris inſtabilitate confuſos ſe filii reputarent, quos verecundia capitis perſæpe rubor ora perfuderat, nihilominus tamen de eorum conſilio prædictos Panormitan. Archepiſcopum, & magiſtrum Thadæum, & alios excellentiæ noſtræ legatos, cum nunciis civitatum noſtrarum fidelium, ad ſedem Apoſtolicam duximus emittendos, per quos ad ſatisfactionem omnem mora qualibet, & difficultate poſtpoſitis, obtulimus nos paratos. Sed nec in iis omnibus averſus eſt furor ejus, quin dictus non evangelizans pacem Chriſti vicarius, ſed author ſchiſmatis, & amicus erroris, contra traditionem ſanctorum Patrum, audiens nuncios noſtros portantes omnimoda noſtræ devotionis exenia per dietam urbi vicinos, & metuens, ne ſuper venientibus ipſis obice vallo juſticiæ, ſine publico ſcandalo fortè procedere non valeret, ex præfeſtinantia nimia conceptum edidit abortivum, in nos ſupremum Chriſtianorum Principem, die Dominica Palmarum, contra ſolennem morem ſacroſanctæ matris Eccleſiæ: & in cœna Domini poſtmodum ſententiam præcipitando, per quam, ſicut per famam audivimus, licet hæc credere minimè debeamus, contradicente ſaniori parte fratrum ſuorum Cardinalium, de quorundam Cardina-

lium Lombardorum conſilio, excommunicationis vinculo nos dicitur adſtrinxiſſe, præpeditis nunciis noſtris, per fautores & ſatellites ſuos, de patrimonio pauperum ſolidatos, qui jam applicuerant, ne ad allegandam noſtram innocentiam & juſticiam, ac demum ſatisfactionem offerendam, etiam ad præſentiam ſuam & aſpectus publicos pervenirent. Sed eſto licet nos ſingulari quadam & publica infamia papam offendiſſemus, ò quam perperam & inordinatè contra nos proceſſit, & bullientem intrinſecus ſpiritum niſi evomuiſſet, ſuam nequitiam editurum, interius crepuiſſet. Dolemus tamen, & ex corde turbamur propter verecundiam univerſalis Eccleſiæ matris noſtræ, quam Dominus Jeſus Chriſtus ſub ſpecie virginis glorioſæ, in paſſionis teſtimonio diſcipulis commendavit, nobis per talem, quem omnino judicem non habemus, nullam nobis poſſe fieri juſticiam, licet injuriam fieri reputemus: utpote cum papa ſe prius inimicum capitalem, non judicem noſtrum, & opere fuerit profeſſus & verbo, rebelles & hoſtes Imperii publicè confovendo: indignum præterea tanti cohertione principis, & qualibet pontificialis officii dignitate ſeu authoritate ſe reddit, dum Mediolanenſem civitatem, quæ pro maxima parte teſtimonio religioſorum, & quamplurimum fide dignorum inhabitatur hæreticis, contra nos & Imperium manifeſto favore tuetur: & R. de N. civitatis Mediolanenſis poteſtatem delatione epiſcopi Florentini, viri vitæ probabilis, & famæ probatæ, in pleriſque Capitulis ſuper hæretica pravitate convictum, ob odium noſtrum, & Mediolanenſium gratiam non admiſit. Illum præterea Chriſti vicarium habere, & Petri ſucceſſorem ac diſpenſatorem animarum fidelium, indignum fatemur, non ob dignitatis injuriam, ſed ob perſonæ de-

fectum,

fectum, qui diſpenſationes cum fratrum deliberatione magna faciendas, in camera ſua, more mercatoris cujuslibet, in libra mercationis appendit, celatis fratrum conſiliis, cum quibus ſecundum eccleſiaſticam diſciplinam deliberare tenetur, exiſtens ipſe bullator & ſcriptor, & forſitan numerator. De quibus quasdam diſpenſationes inſignes, præterire ſilentio non valemus, per quas Sybillam natam Comeſtabulis regni Cypri, contra ſeparationis ſententiam ſuper hæc per epiſcopum latam, de non habitando ſimul præſtito ſacramento, Galliono de N. & N. ſororem Joannis de Cæſarea, Jacobo de N. qui prius ſororem ſuam deſponſaverat proditoribus noſtris, ſibi gradu tertio contingentibus, invicem conceſſit uxores, percepta non multa pecuniæ quantitate: veruntamen quod quantitati vel numero defuit, odii noſtri qualitas excompenſavit. Defectum itaque & prævaricationem ipſius in illo dolemus, quod contra nos nobiles & potentes Romanos, ſibi ſatellites & fautores acquirat, effuſione pecuniæ non contentus, ipſius caſtra & poſſeſſiones ſanctis patribus, devotione pia fidelium donata, Romanam eccleſiam noſtro patrocinio commendatam, dilapidando largitur. Itaque non miretur univerſalis Eccleſia, nec reges aut principes, & populi Chriſtiani, ſi nos talem ſententiam judicis non veremur, non in contemptum papalis officii, vel Apoſtolicæ dignitatis, cui omnes orthodoxæ fidei profeſſores & nos ſpecialiter præ cæteris fatemur ſubeſſe, ſi perſonæ prævaricationem arguimus, quæ ſe ſolio tanti regiminis monſtravit indignam. Et ut omnes primates nominis Chriſtiani ſanctum intentionis noſtræ propoſitum, & internæ devotionis zelum in nobis agnoſcant: & quod non ex odii fomite, ſed ex cau-

ſa

ſa juſtiſſima Romanus princeps, contra Romanum antiſtitem commovetur, dum metuit ne grex Dominicus ſub tali paſtore per devia deducatur. Ecce quod ſacroſancta Romana eccleſia Cardinales, per ſanguinem Jeſu Chriſti, ſub atteſtatione divini judicii per literas noſtras & nuncios obſecramus, ut generale Concilium prælatorum, & aliorum Chriſti fidelium debeant evocare, nunciis & noſtris & reliquorum principum accerſitis, in quorum præſentia nos ipſi præſentes, cuncta quæ diximus ſumus oſtendere & probare parati & his etiam duriora. Nec minus illa probabili ratione turbamur, quod iſte Rector Eccleſiæ, qui debet eſſe virtutum quarumlibet, & conſtantiæ maximæ vas electum, contra promiſſionem ſuam literis ſuis de fratrum conſcientia nobis facta: per quas in reſtaurandis Imperii juribus non deeſſe nobis, ſed adeſſe promiſit conſilio, auxilio & favore præter perſonæ noſtræ blaſphemiam, ſic manifeſtè, ſic nos apertè proſequitur, cum licet conſcientiæ noſtræ librum ſolicitè revolvamus, nullam in nobis occaſionem invenimus aut cauſam, per quam iſte inimicus homo debuiſſet contra nos tam acriter commoveri, niſi quod cum ipſo contrahere de nepte ſua deſponſanda Henrico naturali filio noſtro, nunc regi Turrium & Galluri, magnificentia noſtra incongruum credidit, & reputavit indignum. Vos ergo reges & principes orbis terræ, nec ſolum nobis, ſed Eccleſiæ, quæ congregatio eſt fidelium omnium condolere: cujus caput languidum, princeps ejus quaſi leo rugiens, in medio Propheta ejus veſanus, vir infidelis, ſacerdos ejus pollutus, ſine juſticia faciens contra legem: nobis tamen præ cæteris mundi principibus, defectus talis ſummi pontificis, eſt meritò deplorandus, qui veluti viciniores &

pro-

propinquiores adfectione præcipua honores gerimus, & ipſius onera præſentimus. Sed nec illud omittimus, quin Serenitatem veſtram rogemus, ut contumeliam noſtram, ad veſtram injuriam revocetis, ad domum veſtram cum aqua currite, cum ignis accenditur in vicinis. Cauſam motus pontificialis attendite, & cur hæc in favorem noſtrorum rebellium procuratur: quæ cauſa licet ad præſens expreſſa non fuerit, procul dubio tamen ſimilia vobis & veſtris imminere pericula timeatis, facilis enim aliorum regum & principum humiliatio creditur, ſi Cæſaris Romani potentia, quæ prima jacula ſuſtinet, conteratur. Hæc eſt cauſa namque pro vero, videlicet de Lombardis, quæ cor papæ pungebat intrinſecus, licet ipſam foras educere propter veſtrum & audientium ſcandalum non auderet, pro qua vobis per ſpecialem nuncium ſuum fide dignum, cujus ad hoc teſtimonium invocamus, oretenus expreſſè promiſit, quod ſi negocium Lombardorum in ejus manibus poneremus, ne dum quod in aliquo magnificentiam noſtram offenderet, verumetiam totius orbis decimas, Terræ ſanctæ neceſſitatibus deputatas, noſtris uſibus applicaret. Nec eſt mirum, inſtantib. enim & acutis Lombardorum aculeis pungebatur, quibus prout aliquorum prælatorum confesſione recepimus, de aſſiſtendo eis contra nos & Imperium, corporale præſtitit juramentum, qui eos peregrinantibus nobis in partibus Syriæ, pro ſervitio Jeſu Chriſti transmiſit in regnum. ſed cum turpis fuerit iſta promisſio, fidem frangere licitè poterat, & edictum variare decretum. In quorum favore rem auditu horribilem, & diſcretione qualibet ac ratione carentem, facere minimè formidavit, cum enim per Pergamenſem Briſcienſ. & Cumanenſ. epiſcopos, & alios prælatos, nos faceret admoneri, quod vel ſa-

tisfactionem Lombardorum, per ipſum deberemus accipere, vel treugas pro terræ ſanctæ ſubſidio per quadriennium, ut ſuprà diximus, indictas obſervare Lombardis, cum ab indictarum treugarum tempore jam quadriennium exceſſiſſet, nos rem tanti conſilii, ad deliberationem noſtrorum fidelium, modico temporis ſpatio ſervaſſemus, monitoribus ipſis, de approbatione legati prædicti G. de monte Longo, fidelis noſtri, qui apud Mediolanenſ. interim morabatur, inducias approbantibus ſupradictas, prout hæc omnia liquido prælatorum præfatorum teſtimonio approbantur, medio tempore, nec voluntatis noſtræ judicio, nec fidelium noſtrorum conſiliis expectatis, conceptum virus evomuit contra nos, prout aliquorum relatio retulit, ad depoſitionis ſententiam procedendo. Ha Deus, Ha crudeliſſimè pater & pontifex, qui ut ſervum redimeres, filium perdidiſti propter quod veſtram & omnium potentiam manuum exigimus adjutricem, non quod ad propulſationem talis injuriæ nobis noſtra non ſufficiant munimenta, ſed ut totus mundus agnoſcat, quod honor omnium tangitur, quicunque de corpore ſecularium principum offendatur.

CAPVT X.

DE AKMH MONARCHIÆ PONTIFICIÆ.

SVMMARIA.

Concilium Lugdunenſe contra Fridericum II Cap. ad apoſtol. X. de ſent. & re jud. 6. Ex confesſione tamen Pontificis R. Jus concilii vindicatur Libertati Eccleſiæ, & infallibilitas Papæ redarguitur. Imperatoris nova Apologia. Aſſaſinium Innocentii. Guelforum & Gibellinorum origo. Henricus de Raſpe Landg. Thur. eligitur Imp. Eo defuncto, Wilhelmus Comes Hollandiæ. Interregnum fatale Germanici Imperii Dominatus Romani ἀκμή. Jus tamen decimarum denegatum Papæ. Joannes Semeca primus JCtus Germaniæ. Superioritas Territorialis ſtabilita. Rudolphus Imp. Acquæſtus Pontificius. Jus tributi denegatum Papæ. Italia Germanis faſtidita. Anni Jubilæi origo. Libertas Regni Franciæ vindicata. c. unam. Extrav. comm. de major. Exitus Bonifacii VIII. Clemens V. ejusque elogium.

§. I.

INnocentius IV. qvum videret Eccleſias Germanicas dominatui haud favere, & Imperatorem optimum maximum poſt DEVM, libertatis Germanicæ eſſe ſtatorem, elapſus in Franciam, vetus Pontificum exulum aſy- *Concil. Lugd.*

 lum,

lum, A. C. 1245. *Lugduni Concilium* adverſus Imperatorem indicit, eum citat, & mox, non attentâ Imperatoris excuſatione & dilationis poſtulatione, ſententiam excommunicationis & depoſitionis ferre non veritus, cujus fragmentum extat inter *Decretales lib. VI. de ſent. & re jud.* integra vero ex vetuſto quodam libro edita *à Sim. Schardio* cum *Epiſtolis Petri de Vineis.* Ex quâ illud contra Curiam Romanam, tanquam ex propria confeſſione, retorqueri poteſt, quod & Pontifex & Curia Rom. conſilio ſive ſententiæ *Concilii* ſit ſubjectus, nec Seculares Principes ac Status à jure conciliorum excludendi ſint, nec usque ad hæc Friderici tempora excluſi fuerint. Ait enim Pontifex: *Parati eramus, vocare Reges, Prælatos, & Principes tam Eccleſiaſticos, quam Seculares ad aliquem tutum locum, ubi per ſolennes nuncios convenirent: eratque parata Eccleſia* (Curia Rom.) *de conſilio Concilii ſibi ſatisfacere, ſi eum læſiſſet in aliquo, ac revocare ſententiam, ſi quam contra ipſum injuſte tuliſſet.* Quibus & hoc fatetur, poſſe Curiam Rom. & Papam injuſtam ferre ſententiam, & quam debeat revocare. Magnum *fallibilitatis* argumentum.

C. ad apoſtol. X. de ſent. in 6.

Jus Concilii

Infallib. Papæ.

§. II.

At Imperator contra injuſtam illam & penitus nullam, atque invalidam ſententiam, graviſſimam ſcripſit *apologiam* ad Regem Franciæ, quæ extat *l. 1. c. 3. Epiſtolarum*, in qua vim *Conſecrationis Romanæ* oſtendit, & quod nullum plane *jus deponendi* Imperatoris Pontifici competat. Porrò quum inter alias artes etiam *proditionis & aſſaſinii* uteretur Pontifex, quanquam fruſtra, Imperator alia epiſtola conqueſtus eſt hanc injuriam Regibus & Principibus Romani Imperii prolixè, atque inter alia

Imp. apolog.

prodi-

proditionis auctorem modeſte aperit *lib. 2. Epiſt. 10.* publicum ſuum adverſarium, cujus nomen & titulum libentiſſimè tacere vellet, niſi vox publica detegeret, & evidentia factorum accuſaret, quæ qvum recitaſſet; abſuit, *inquit*, à nobis ſemper huc usque, novit Altiſſimus, abominatio talis, quod etiam poſt voluntarium, & iniqvum Papæ proceſſum, contra nos in Lugdunenſi Concilio celebratum, in necem ſuam vel alicujus ex fratribus conſentire vellemus, quanq. nos fuerimus per nonnullos noſtræ fidei Zelatores multoties requiſiti: ſed ſola ſemper extitimus injuriarum noſtrarum propulſatione contenti, nos juſta defendere, non ulciſci, ſufficienter reputantes: pugnat enim pro nobis evidentiſſime Dominus. *Conſ. Epiſt. LII. lib. 2. & l. 3. Ep. XVIII. & LXII.* Ea occaſione orta fuit in Italia *Guelphorum* factio proditoria, cui ſeſe ex parte Imp. *Gibellini* oppoſuere, denominatione jam tum ſub Conrado III. A. C. 1140. ortâ, Trithemio teſte. Duravit iſta adhuc ſub Henrico. VII. *Vid. auctor vitæ Balduini Archiepiſc. Trevir. lib. 2. c. 11. & 14. in Miſcellan. St. Baluzii lib. I. pag. 124. & 127.* *Guelphi & Gibellini.*

§. III.

Etſi verò & Imperator felices contra adverſarios libertatis Sactæ & Civilis, progreſſus in Italia haberet, nec in Germania deeſſent, qui iſtorum auſibus contradicerent manifeſtè, quemadmodum id Hala Suevorum factum fuiſſe teſtis eſt Abbas Stadenſis ad A. C. 1240. Pontifex tamen Rom. maximè per Colonienſem Archiepiſcopum & Cancellarium Italiæ Conradum obtinuit, ut Anti-Cæſar eligeretur. De quo Chron. Belgicum: *Erat vero in aggrediendis arduis intrepidus Conradus, & cum Fridericus II. Imp. per Innocentium IV. Papam ab Imperio fuiſſet* *Anticæſar.*

depoſitus, tanquam filius obediens & fidelisſimus de mandato ipſius domini Papæ ad excludendam ab Imperiali ſucceſſione præfati Friderici iſtius Imp. poſteritatem, ſuâ induſtria, ſagacitate atque potentia tres ſucceſſivè Principes ad Regnum Romanorum elegit, aſſociatis ſibi & allectis aliis ſuis comprincipibus Electoribus, prout tanti & ardui facti opportunitas exigebat. Elegit namque primum Henricum VII. Landgravium Haſſiæ atque Thuringiæ qui cognomine To RASPE

Henricus Landgr. Thur. Iſenaci ſepultus Rex Rom.

(ita legitur in editione impreſſa Francoſurti. Alias ſimpliciter *Raſpe* dicitur. Videtur eſſe articulus vernaculus *der Raſpe* aut *de Raſpe*, quem ſupra Procuratorem jam tum fuiſſe Imperii Rom. obſervavimus. Erant enim *Comites de Raſpe* diverſi à Landgraviis, ut apparet ex Diplomate Heinrici Archiepiſcopi Moguntienſis de A. 1151. Indict. XI. regnante Rege Fretherico hujus nominis primo. datum fuit Erpesfurt. Inter teſtes: Laici *Lodwicus Comes Provincialis.* Heinricus *Raſpo.* Rocherus de Bil-ſteit, Godefridus Comes de Ameneburg, Wickerus frater ſuus; Miniſteriales Wernerus dapifer.)

vocabatur, & eund. electum ſine mora in locum præfati Friderici ab Imperio depoſiti ſubrogavit, quod tamen absque difficultate fieri non potuit. Nam quum Conradus dicti Frederici Imp. filius, Regnum jam invaſiſſet, Conradus Archiepiſc. commiſſo cum dicto Conrado Frederici Imp. filio apud Frankfordiam prælio, eundem victum fugavit, & ſic tandem electionem hujusmodi de dicto Henrico fieri procuravit.

§. IV.

Wilhelm Rom. Rex.

Eodem autem Henrico non multo tempore poſtea defuncto Dom. Conradus Colonienſis Archiepiſc. Wilhelmum Comitem Hollandiæ in Regem Romanorum conſtituit, cujus

ipſe

ipſe electionem juxta Wurinch Colonienſis territorii fieri procuravit: habens tunc ſecum in comitatu pro tanti olennitate negotii præter Principes & Nobiles Seculares Archiepiſc. & Epiſcopos numero XIV. in quorum congregatione ipſe tunc temporis Eccleſiam novam S. Cuniberti in Colonia ſolenniter dedicavit. Sed eodem Wilhelmo ad Regnum electo & in brevi poſtea per Friſonum gentem in bello interfecto, dictus Conradus Archiepiſc. tertium in regnum ſubſtituit Richardum, videlicet Cornubiæ ducem, fratrem Regis Anglorum. Veruntamen illi ſic electi ad Imperium, propter temporis brevitatem, nihil dignum memoriæ facere potuerunt, & Benedictione Imperiali caruerunt. Et poſtea ex Magiſtro Emundo refert: *Poſt mortem verò Friderici Electores ſe in duo dividentes, quidam Regem Caſtellæ Alphonſum, quidam Richardum Comitem Cornubiæ, fratrem Regis Angliæ ad Imperium elegerunt. & hoc ſchiſma per annos XVII. perduravit, ita ut neuter eorum à Papa coronaretur.* His motibus concuſſa Germania, ſub jugo Curiæ Romanæ miſerè ingemuit, ad deſperationem fere adducta, ut de ſeſe conſervanda quovis tandem modo potius quam de tuendo Imperii Romani axiomate, ſollicita fuiſſe videatur.

Interregnum.

Dominatus Romani [illegible]

§. V.

Interim inclemens Regicida Conradini, *Clemens IV.* exigere audebat *Decimas* per Germaniam & Galliam ſub prætextu redimendi ſancta Palæſtinæ loca. Libertatem tuentibus ordinibus, *Joannes Semeca* primus JCtorum Germaniæ, Præpoſitus S. Stephani Halberſtadenſis, appellationem ad Concilium interpoſuit. Quod ægre ferens Pontifex, illum diris damnavit, ac Præpoſiturâ privavit, quem tamen magni in Germania viri defendebant, usque

Jus decimarum Papæ denegatum.

Jo. Semeca JC.

uſque dum utriusque mors interveniens, A. C. 1269. litem diremit, *Alb. Cranz. l. 8. Saxon. c. 27. Guid. Pancirol. de clar. LL. Interpp. l. 3. c. 6.* Porro A. C. 1270. convenere Principes Germaniæ Quedlinburgi, pacem inter ſeſe Provincialem *den Landfriden* ſtabilientes, ictoque fœdere de injuria conjunctis viribus propulſanda, non tam de electione Imperatoris occupati, quàm ut contra tyrannidem peregrinam *libertatem* tuerentur, firmatâ Statibus *ſuperioritate Territoriali*, & inde dependentibus juribus.

Superioritas territor Rudolphi Imp. electio.

§. VI.

Enimvero eo audaciæ perventum fuerat, ut mandaret Principibus Germaniæ Gregorius X. Eligerent tandem Imperatorem, niſi vellent ſibi aliquem à ſe imponi. Metuentes igitur aut bellum inteſtinum, aut tyrannidem etiam civilem, elegerant A. C. 1273. RVDOLPHVM Comitem Habsburgenſem. Quum ut ex Emundo recitat Chron. Belgicum filia Friderici Imp. obtinuiſſet apud Richardum & Alphonſum, de Imperio contendentes, ut renunciarent juri ipſis acquiſito, in favorem filii ſui Rudolphi Comitis de Hambsburg, ut ille eligeretur & Alfonſus coram Gregorio cederet omni juri, ſi quod haberet, ut refert idem *Chron. Belg. p. 252.* & p. 260. hæc habet: *Idem Gregorius Papa à Lugduno perrexit Belcandrum, ubi ad eum venit Alphonſus Rex Hiſp. qui ſicut cum Richardo Comite Cornubiæ dum vixit contenderat; ſic & cum Rudolpho Habsburgico de Imperio contendebat, ſed ad inſtantiam Gregorii Papæ omni juri, ſi quod ſibi competebat in Imperio per literas ſuas ceſſit. Gregorius vero Papa Viennam rediens, magnam congregationem Prælatorum fecit, inde profectus Lauſannam, ubi dictus Rex Rudolphus cum Regina uxore ſua, filiisque & filiabus ſuis veniens, juramentum fi-*

lialis

litum eidem Papæ fecit, & Romaniolam, cum Exarchatu Ravennæ, Eccleſiæ Romanæ reſtituit.

§. VII.

Sequutus poſt alios Gregorium *Nicolaus III.* Papa, cui Rudolphus Imp. aliquot Italiæ provincias conceſſerat, veluti Vicariatum Hetruriæ, Flaminiam, Bononiam, & Exarchatum Ravennæ, ut Papa ſuo ſumtu bellum in Palæſtina gereret, A. C. 1278. Sed conditionem Papa non implevit, ut ita ſine cauſa hæ provinciæ penes ſedem Romanam eſſe cœperint. Succeſſit *Martinus IV.* hic tanto odio perſecutus eſt Germanos, ut ſæpe exoptaverit, ſe ciconiam eſſe aut lucium, Germanos autem vel ranas eſſe, vel piſces. Atque memorabile eſt prodigium, quod piſcis tum exhibuit marinus. Rem refert idem Chron. Belgicum: *A. D. 1282. Domino Papa in urbe veteri* (quæ vulgo Civita Vecchia) *reſidente piſcis marinus in effigie Leonis captus fuit, & portatus ad urbem veterem, quo multitudo Curialium ad videndum hujusmodi monſtrum accedebat: qui in ſua captione planctus horribiles emittebat ſic, ut multi prognoſtica futurorum exinde conjicerent.* Anne videtur deſignaſſe hic piſcis Germanos, qui ciconiæ Romanæ terrorem incuſſuri ſint damnum interceptæ libertatis indignè ferentes.

Acquaſtus Papalis.

pag. 225.

§. VIII.

Martinus iſte A. C. 1283. in Comitiis Wurzburgenſibus Tributum à Regno Germanico poſtulavit, conniventе Imperatore; Sed fruſtra, pro libertate dimicantibus AEpiſcopo Colonienſi maxime, ut refert Chron. Belgicum: *Poſtquam Rudolphus Romanorum Rex, convocata ſolenni apud Herbipolim Principum & Prælatorum Curia, cum Dom. Papa Martino IV. concordaſſet, ut ab omnibus*

Jus Tributi denegatum P. R.

p. 226.

terris cultis totius regni Germaniæ, certam ipſi ſimul exigere pecuniæ quantitatem poſſet, præfatus Dominus Sigfridus (AEpiſc. Colonienſis natus ex domo Nobilium *(Comitum)* de Weſterburg, ut idem habet) *ſicut vir conſtantis fuit animi, huic inauditæ EXACTIONI primus inter Prælatos Eccleſiaſticos mira conſtantia contradixit: ex qua AEpiſcopi probitate res ipſa remanſit infecta, & Patria fuit ab hujusmodi gravi exactione usque hodie liberata.* Atque quum ejus ſucceſſor *Honorius IV.* A. C. 1287. Legatum mitteret in Germaniam, qui ab Eccleſiis quartam partem redituum in quinquennium poſtularet, eodem loco Imperator Rudolphus Comitia egit, & Clerus Germanicus poſtulationi Pontificis fortiter reſtitit, Probo, Epiſcopo Tullenſi, maximè auctore, teſtantibus annalibus Suevicis. Denique cum Bonifacius VIII. Dycherum Adolphi Regis defuncti germanum in AEpiſc. Trevirorum non poſtulatum, nec ab aliqua parte Capituli electum celeriter ſublimaret, Capitulum elegit Henricum de Virnenburch, cui etiam major pars ſubditorum Eccleſiæ obedivit. *Autor geſtorum Balduini AEp. Trevirenſis, lib. 1. c. 1.*

§. IX.

Italia à German. faſtidita.

Interea verò temporis Sedes Rom. & conſiliis & opibus & re in tantum ſe ſe protruſerat faſtigium, ut vix quicquam addi poſſe viſum fuerit. Quam rem multum promoviſſe videtur non modo tempus interregni, ſed etiam faſtidium, quod Rudolphum, itemque ſucceſſorem ejus Albertum, ab adeunda *Italia* retinuerat. Cui accedebat, quod Rudolphus à *civitatibus Imperii* pro libertate conceſſa *pecuniam* receperat. Quamobrem Honorius IV. occaſionem cepit, *Vicarium generalem* Imperii in Italia, invito Rudolpho conſtituere: ejus ſucceſſor Nicolaus

IV.

IV. conſilium inire, de duobus Regibus creandis, alterum Hetruriæ, Lombardiæ alterum, quibus hinc Germani, illinc Galli, in regno Neapolitano, & Siciliæ coërcerentur. Tandemque *Bonifacius VIII.* publicè accincto gladio, ſe *Cæſarem & Pontificem*, temerè profeſſus, Imperatorem Pontifici præferens.

§. X.

Idem quum videret, anteceſſorum molimina de exigendis tributis ex Germania fruſtranea eſſe, aliâ ſed ſede Apoſtolicâ indignâ viâ rem aggreſſus, ſuperſtitione ſcilicet Indulgentiarum ſecularium Conſtitutione *de Anno Jubilæo celebrando* editâ. Chronicon Belgicum rem ita refert: *A. D. M. CCC. Bonifacius Papa conceſſit plenam indulgentiam omnium peccatorum omnibus viſitantibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & facientibus ibi quindenam infra annum ipſum; ſtatuitque eandem indulgentiam in poſterum in omni centenario, ab omnibus viſitantibus eadem ſacra limina repeti. Factusque fuit concurſus maximus populorum Romam de toto orbe, de omni conditione ſexu & ordine ad indulgentiam ſupra dictam.* *Origo anni Jubilei.*

§. XI.

Sed & in tantum evexit ſe faſtum Bonifacius, ut libertatem regni Francici per *Bullam* apertè infeſtaret, jactans ſe ſe *dominum mundi in Spiritualibus & temporalibus*, eaque de cauſa jubet, ut *Franciæ Rex Philippus Papam feudi dominum agnoſcat. c. unam ſanctam. Extrav. comm. de majorit.* Sed Bulla iſta in Gallia publicè fuit combuſta & decretum à Statibus regni: *Pontifici nullum jus eſſe in regnum Galliæ.* teſtis Martinus Polonus. A. 1301. Bullam Clemens V. revocavit, *c. meruit. Extravag. comm. de privil. Petr. de Marcâ. l. 2. c. 3. & ibidem Baluzius.* & o- *Libertas Regni Franciæ.*

 mnia,

mnia, quæ ex ipſa fuerant conſecuta, referente *Chron. Belgic. p. 283.* & Marſil. *Patav. P. 2. defens. Pac. c. XIX* ubi fallibilitatem dogmatum Papalium egregie inde deducit.

§. XII.

Exitus Bonifacii VIII. Eodem Rege Francorum Philippo procurante, & pecunias conferente, Bonifacius Anagniæ captus, & theſauro ingenti, quem ex Jubilæo corraſerat ſpoliatus fuit, ut ex *Martino Florentino* refert *Chronicon Belgicum p. 274.* quod hoc iſti dat elogium: *Super ipſum itaque Bonifacium, qui Reges & Pontifices, & religioſos, clerumque & populum horrende tremere & pavere fecerat, repente timor & tremor ac dolor una die pariter irruit, & ipſe aurum nimium ſitiens, aurum & theſaurum perdidit, ut ejus exemplo diſcant ſuperiores Prælati, non ſuperbe dominari in clero & populo, ſed forma facti gregis ex animo curam gerere ſubditorum,* plusque amari appetant, quam timeri. *Et mox:* admodum enim rigidus extitit, ut patet ex multis conſtitutionibus, quas fecit, quæ in ſexto libro decretalium continentur.

Apoc. 18, 8.

§. XIII.

Clemens V. creatura Bonifacii VIII. in ipſo coronationis actu, nec ipſe potuit diſſimulare faſtum imperatorium, ſed graviter à DEO monitus. Collector Chronici ejusdem Belgici. *p. 283.* rem ita recitat: *Cumque de loco coronationis, ut Pontifex, procederet, coronatus, cum COMITATU Papali, pariter & REGALI, concurrentibus, & comprimentibus ſe turbis, ut viderent tanquam regem Salomonem in ſuo diademate coronatum, materia non parvi muri corruit prope papam, ceciditque corona de capite ejus, & in caſu avulſus fuit carbunculus pretioſus, qui ad valorem ſex millium florenorum æſtimabatur. Et ipſe Papa depoſitus de equo, tamen non læſus fuit, de circumſtantibus vero*

Clem. V.

usque ad duodecim ſic colliſi ſunt, ut intra paucos dies obierint, inter quos unus Majorum fuit, & præcipuus Dux Britanniæ Joannes, qui ſic colliſus paucis diebus ſupervivens diem clauſit extremum. Frater verò Regis Franciæ Dom. Carolus fuit graviter, ſed non lethaliter quaſſatus. Quod factum mirati ſunt omnes, & more vulgi plurima præſagiebant. Certe omen videtur fuiſſe venturos qui faſtum Pontificium coercerent, & libertatem Imperii, & Eccleſiarum vindicarent.

Marsilius Patavinus P. 2. Defens. Cap. XIX.

Decrevit VIII. Bonifacius Papa Rom. per ipſius epi- „ ſtolam ſive decretum quoddam, cujus initium: *Unam-* „ *ſanctam catholicam eccleſiam* ejus verò finis: *Porrò ſubes-* „ *ſe Rom. pontifici omnem humanam creaturam, decla-* „ *ramus, dicimus, & diffinimus omnino eſſe de neceſſitate* „ *ſalutis.* Cum igitur ſemel determinata circa ſcriptu- „ ram per concilium generale rite vocatum, congrega- „ tum, & ſecundum formam debitam celebratum, & „ conſummatum, præſertim quæ ad ſalutem æternam ve- „ ra credere neceſſarium ſit, immutabilis & infallibilis ve- „ ritatis exiſtant, quemadmodum demonſtratum eſt circa „ principium decimonono hujus. Obtineret igitur epi- „ ſtola hæc Bonifaciana certam & indubiam ac irrevoca- „ bilem veritatem. Nunc autem eam ab initio nunc & „ ſemper conſtat eſſe falſam, erroneam, cunctiſque civili- „ ter viventibus præjudicialiſſimam omnium excogitabi- „ lium falſorum, ſicut indubie demonſtratum eſt quarto, „ quinto, & nono hujus. Quam etiam falſam eſſe, ac di- „ ctum Iſidori, niſi fortaſſis illud pia interpretatione juve- „ tur, manifeſte demonſtrat quinti Clementis ſucceſſoris „ ejusdem Bonifacii epiſtola ſive decretum, cujus initium. „

Meruit chariſſimi filii noſtri Philippi regis Francorum, „ *illuſtris*, ejus vero finis: *Tanquam tam ad eccleſiam*, „ *quam etiam quoad regem & regnum ſuperius nominatos.* Hac enim dictus Clemens exprimit diffini- „ endo, Bonifacianam epiſtolam in nullo præjudicare regi „ aut regno prædicto. Cum ergo nec rex prædictus, nec il- „ lius ſucceſſor aliquis vel regnicola ſuus quiſquam, juxta „ dicti Clementis conſcientiam, ac omnium Chriſtiano- „ rum ſcientiam verum crediderint, aut credituri fuerint, „ ſed falſum apertum eſſe, quod continet epiſtola ſupradi- „ cta in eo articulo, quo cunctos ſibi ſubjicit principatus & „ regna, per neceſſitatem ſequitur, quod credere id, non ſit „ de neceſſitate ſalutis, nam ſi ſic, præjudiciale foret utique „ non credenti. Amplius conſideranti, videbuntur tales „ epiſtolæ ſive decreta inſaniæ quædam. Nam ea quæ Bo- „ nifacii verum continente, ad ipſius credulitatem omnes „ mundi principes & populos obligat, ea vero quæ Cle- „ mentis, non omnes, quoniam ab hac credulitate Franco- „ rum princeps cum ſuis regnicolis ſolus eximitur. Sunt „ igitur aliqua de neceſſitate ſalutis, autoritate ſcripturæ „ quibusdam credenda, quibusdam vero minime. Non er- „ go unus dominus, nec una fides, nec Chriſto in unitate „ fidei, omnes tenentur occurrere, cujus oppoſitum dicit „ aperte doctor gentium ad Epheſios quarto.

Eſt rurſum interrogandum Clementi, ſecundum „ quem ſanum intellectum ex ſua fide mereri potuit Fran- „ corum rex, cum populis ſibi ſubjectis, non obligari cre- „ dere, quæ credenda ſunt de neceſſitate ſalutis. Aut igitur „ ex fide meruerunt hæretici & infideles fieri, aut epiſtola „ Bonifaciana continet apertum mendacium, & ſic iſta „ quæ à veritate non veniunt, plerunque etiam nullo im- „ pellen-

pellente, ſeipſa ſubvertunt, ut dicit Auguſtinus ſeptimo „ de civitate Dei, capitulo 16.

Amplius dignum eſt admirari cæteros reges & po- „ pulos, ipſisque convenienter quærendum, quis locus aut „ ſenſus ſcripturæ, ipſos præter Francorum regem conſti- „ tuat Romano Papæ jurisdictione ſubjectos, curve illud u- „ nus reliquo magis ad ſuæ ſalutis neceſſitatem credere „ teneatur. Hoc enim velut figmento ſimile multa fuit & „ eſt irriſione dignum: & ex talia proferentium ambitio- „ ne, ac principandi ſeculariter ardore ac ſupradicti Fran- „ corum regis illuſtriſſimi terrore procedens. Quod autem „ prædiximus, generale concilium etiam per non ſacerdo- „ tes integrari poſſe, deliberandis quoque per concilium „ convenienter una cum ſacerdotibus ſuum appoſituri & „ interpoſituri decretum, ſuadebimus primum ex Iſidori „ prædicto codice capitulo, cui titulus, *Incipiunt Canones*, „ id eſt, regulæ eccleſiaſticæ. Continetur enim in eo inter „ cætera ſeries hæc. Deinde ingrediantur laici, qui electio- „ ne concilii intereſſe meruerunt. Multo magis igitur qui „ fuerint literati, & in lege divina periti, quanquam non „ ſacerdotes exiſtant. Sic enim fecerunt Apoſtoli cum ſe- „ nioribus, ut pridem induximus. Unde oportet attende- „ re, quod in eccleſia primitiva & antiquis temporibus, „ præſertim ante tempora Conſtantini ſoli ſacerdotes & „ quaſi omnes erant, ſicut ſoli tenentur, & eſſe debent, legis „ divinæ doctores, juxta illud Malachiæ ſecundo: *Labia ſa-* „ *cerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem*, divinam ſcilicet, „ *requirent ex ore ejus.* Unde etiam Apoſtolus primæ ad „ Timoth. 3. & ad Titum primo: *Oportet epiſcopum*, id eſt, „ ſacerdotem, *doctorem eſſe amplectentem eum qui ſecun-* „ *dum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhor-* „

tari

tari in doctrina ſana,& eos, qui contradicunt, arguere. Propter quod „ ſoli tales exiſtentes ſacerdotes,ad difficilia vel dubia circa ſcripturam & fidem interpretanda & diffinienda, quaſi ſoli convenire ſolebant. Nunc vero propter eccleſiaſtici regiminis corruptionem,plurima pars ſacerdotum & epiſcoporum in ſacra ſcriptura periti ſunt parum,& ſi dicere liceat inſufficienter, eo quod temporalia beneficiorum,quæ aſſeqvuntur officiis ambitioſi, cupidi, & cauſidici quidam obtinere volunt & obtinent obſequio,prece vel pretio,vel ſeculari potentia.Et Deo teſte ac fidelium multitudine,ſacerdotes plurimos,abbates & eccleſiaſticos prælatos quoſdam me vidiſſe ac audiviſſe memini adeo diminutos,ut etiam nec grammatice congruum ſcirent proferre ſermonem. Et quod amplius horrendum eſt, in eccleſiaſtico ritu ſcivi & vidi hominem citra vigeſimum ætatis ſuæ annum divinæ legis ignarum quaſi penitus,cui tamen in famoſa & populoſa civitate commiſſa eſt epiſcopalis cura,eo non ſolum ſacerdotali ordine carenti, verum etiam diaconatus & ſubdiaconatus exorti,quod quidam aſſeruit ſe licite poſſe. Hoc etiam & quaſi conſimile inconveniens de facto perſæpe faciens, propter potentum ſavorem ſibi quærendum, qui ſuper eccleſiaſticorum officiorum inſtitutionem,& beneficiorum diſtributionem, Romanus epiſcopus habere ſe dicit, velut Chriſti vicarium plenitudinem poteſtatis. A quo ſiquidem convenienter interrogandum, cur talis epiſcoporum & ſacerdotum in generali concilio congregabitur turba? Et qualiter in dubiis circa ſcripturas determinare noverit veros ſenſus à falſis, propter quod in horum defectum, non ſacerdotes approbatos fideles,juxta fidelis legiſlatoris determinationem ſcripturæ ſacræ doctos ſufficienter,vita & moribus etiam talibus epiſcopis & ſacerdotibus præpollentes,perutile quin imò neceſſarium legi divinæ,ac rectæ rationi conſonum eſt tali concilio intereſſe, ipſorumque deliberatione cum reliquis,dubia circa fidem & quæſita cætera, diffiniri.

LIBER SEXTVS.
DE
STATV ECCLESIARVM GERMANIÆ
SUB
HENRICO VII. IMP. VSQVE AD CONCILIVM BASILEENSE.

CAPVT PRIMVM.
DE
IMPERIO HENRICI VII.

SVMMARIA.

Sedis R. ſtatus, affectatum τὸ κύριον etiam in civilibus. Henricus VII. Imp. Romæ exercet judicia. Dignitatem Senatoriam diſtribuit. Coronatur: contra perduelles fert ſententiam. Papæ negat juramentum fidelitatis. Excommunicatur: obit. valor excommunicationis expenditur. Conſtitutiones Clementinæ.

§. I.

Status Sedis Rom. *τὸ κύριον* EX his, quæ ſuperius diſſeruimus, non eſt obſcurum, quam vaſta jam & numeris ſuis abſoluta fuerit Monarchia Pontificia. Etenim qvum jus circa ſacra plenè ad ſe ſe rapuiſſet Curia Romana, etiam his, quæ ex Tranſactione Henrici V. ſupererant Imperio Germanico in ſuis Eccleſiis, ſubinde occupatis: nunc etiam alteram τ͂ κυρίȣ partem quoad civilem ſocietatem, rapiebat, ſe ſeque omnium Rerum publicarum Regnorumque πβά-σασι ſuperiorem jactabat.

§. II.

in civilibus. Quare qvum defuncto Alberto Imp. HENRICVS VII. Comes Luzenburgenſis fuiſſet electus in Regem Alemanniæ & Romanorum A. C. 1308. & coronationem à Papa Clemente V. poſtularet; hic quidem *ejus electionem admiſit, & confirmavit, volens ipſum nominari Regem Alemanniæ & Romanorum ulterius, & ut poſſit agere quæ Regis officium requirit: Coronationem verò Imperii promiſit ad tempus eidem tum aſſignatum, ſcilicet à feſto purificationis tunc proximo venturo ad duos annos; quo tempore vel ipſe ad ipſum coronandus iret, vel Romam mitteret Cardinales qui coronarent*, referente compilatore Chronici Magni Belgici. Enimvero hac arte, absque turbis, primum ſibi gradum ſtruere tentabat Romana Curia, ut jus ſtatuum Eccleſiaſticorum, & ſecularium Germaniæ circa electionem Imperatoris ex Lege Regia Germanorum ab Ottone Magno inde usque ad Fridericorum tempora infringeret, & electionis libertatem, atque independentiam à coronatione Romana, quaſi aliqua inveſti-

veſtitura, atque confirmatione, ſine qua non valeret electio, dependere faceret.

§. III.

Henric. VII. negat obligat. adjur. fidel.

Sed & hanc artem mox intellexere Germani. Imperator itaque cum fratre Baldevvino Archiepiſcopo Trevirenſi anno M CCC XII. Nonas Maji Romam ingreſſus, *Gvelfinis* Imperii inimicis victis, in *Capitolio* præſidens *judicio*, plurimas proferendo ſententias, Ludovicum de Sabaudia *dignitate Senatoriâ* decoravit, tandemque tribus à Cardinalibus à latere Papæ ad hoc ſpecialiter deſtinatis in S. Johanne Lateranis die XXIX. m. Junii (*alii Kal. Aug.*) ejusdem anni in Imperatorem ſolenniter conſecratus, & ab Eccleſia in Monarcham digniſſimè approbatus eſt, ut habet auctor anonymus vitæ Balduini Archiepiſc. Trever. *l. 2. c. 13. 14.* Renovata tum Lex Regia per SCtum, quo S. P. Q. Romanus omne jus ſuum in Henricum VII. Imp. contulit: EGO CORONARVM CORONA, MVNDIQVE CAPVT, CONFIRMO PRINCIPI POTESTATEM, SIBIQVE SUBJICIO CIVITATES, GENTIVMQVE NATIONES. TVEANTVR AQVILÆ GLORIAM MEAM HAC ROMA. Edita tum quoque Authentica de Summa Trinitate, Fide Catholica & hæreticis. *Goldaſt. Tom. 3. Conſt. Imp.* Piſis poſtea hyemans, cauſam Roberti, Regis Siciliæ, rei criminis læſæ Majeſtatis Imperatoriæ, ut qui conſpiraſſet, ut certæ civitates Imperii contra ipſum Imperatorem rebellarent, examinavit, & capitali ſententia condemnavit. Data hic fuit Authentica de crimine læſæ Majeſtatis & qui ſint rebelles, quæ libris Feudorum & conſtitutionibus Friderici adjecta fuit. Papa verò interceſſurus pro rebelli, *per certos Cardinales Impera-*

ratorem de pace tractanda requiſivit ſub juramento fidelitatis Papæ præſtito. At vero Imperator negavit, *ſe unquam tale præſtitiſſe juramentum, nec audiviſſe per prædeceſſores ſuos factum, nec ſe ad fidelitatis juramentum cuiquam obſtringi.* Conf. Goldaſt. *Conſtit. Imp. T. 3. p. 407.* Quamvis porro hæc omnia recte atque ordine facta, dictaque, ut ſupra, qvum de Carolo M. de Ott. III. Henr. II. & Friderico I. actum fuit, oſtendimus: nihilominus myſterium iſtud adhuc prævaluit, & Clemens V. *factis contra Imperatorem Proceſſibus Excommunicationis ſententiam in eum promulgavit, qui in omnibus aliis actibus ſuis bonus, & bonorum morum ut communiter Henricus Bonus Imp. vocaretur,* ut ex *Emundo* recitat laudatum Chronicon Belgicum.

Excommunicatur.

§. IV.

toxicatur

Nec hoc ſatis, *ad procurationem rebellium*, confeſſarius Imperatoris *in calicem miſcens vino venenum, corruptus pecunia, nefandiſſimo commercio toxicavit Imperatorem, qui diſſolutis membris, in lectum decidens, prædicatorem clam juſſit abire, ſubitoque migravit ad Chriſtum, A. D. 1313. Cujus corpus aromatibus involutum Papienſes incluſum æneæ aquilæ, deſuper inauratæ in medio Eccleſiæ ſuſpendiſſe dicuntur*, eodem Emundo auctore. Auctor vitæ Balduini cap. XVII. de mortis genere rem ita refert: *Subditorum cunctorum mitiſſimus defenſator, rebellatorum verò rigidiſſimus extirpator iſte Henricus ad veſaniam Roberti Siciliæ Regis perdomandam verſus Neapolim, ubi ipſe habitavit, iter capiendo, & veniens Bentovent, eodem anno* 1313. *XV. Auguſti, i. e. aſſumtionis B. Mariæ Virginis, Miſſam more ſolito devotè audiebat, & à quodam ordinis Prædicatorum religioſo Dominici corporis Chriſti ſacramentum devotè recipiebat; cujus ſodalis ejuſdem profeſſionis ABLVTIO-*

NEM

NEM ſumendam in CALICEM fundebat, quem ipſe Imperator fidelisſimè ſumebat, & ſtatim poſtea totius corporis moleſtiam ſentiebat. Poſtea ſui prudentisſimi intelligentes medici ipſum nullâ infirmitate aliâ quàm intoxicationis materia graviter laborare, ſibi indicarunt, devotisſimè ſupplicarunt quòd hanc intoxicationis materiam ſineret eos per inferendum ſibi vomitum radicitùs revocare. Quibus fertur reſpondiſſe: Malo migrando ad dominum diem claudere extremum, quàm generare ſcandalum in ſacrum dominicum & detrimentum Chriſtianorum. Et ſic in illa infirmitate usque ad diem Auguſti XXIV. laboravit, qui eſt dies Bartholomæi omnium Apoſtolorum ſecundum ſanguinem nobilisſimi, ipſe omnium Chriſtianorum nobilisſimus ſpiritum ſuo, qui fecit illum, reddidit creatori. Proh dolor! proſpera in contrarium mutantur. Nam illud glorioſisſimum Romanorum imperium à nullo fuerat Regum de tempore Frederici Imperatoris requiſitum. Et infra: *Nam illud glorioſum Romanum imperium verè fuerat revocatum, coadunatum & in maxima parte reſtauratum; cujus recuperationis finis imminebat, quod, proh dolor! iſta mors peſſima toti catholicæ fidei nociva peſſimè prohibebat.* O infauſtum diem Bartholomæi & nobis hodie, dum hæc ſcribo, quo Sereniſſima Domina ac Princeps noſtra, Domina MARIA Dux Saxoniæ & Tremouillæ, inopinato obitu nobis erepta! Pia, prudens, clemens: ſpes ſumma feliciùs ducendi filii unici, JO. WILHELMI, Principis juventutis, quò rara indoles inclinat, auguſta Majorum exempla monſtrant. At vivendo conſecuta, ne invita, ne niſi beata moreretur: Deſiderium ſui ingens reliquit Liberis, Cognatis, Subditis, Bonis omnibus.

§. V.

nullitas excommunic. Porrò nec comes Henrici Archiepiſcopus Treverenſis, nec ordo Prædicatorum, nec alii Excommunicationis ſententiam pro juſta & valida habuerunt: unde nec ſcriptor vitæ Archiepiſcopi ullam iſtius mentionem facere dignatus, quare haud neceſſe putaverat piiſſimus Imperator à tam aperte tali *abſolutionis* beneficium petere à Sede Romana. Nec eo minus Imperatorem piè defunctum ad Chriſtum migraſſe, creditum tunc fuiſſe moſurdo audivimus. Atque inde rarum illud ſepulturæ ſurrogatum genus & ſingularis pietas Papienſium. Quanquam ordo Prædicatorum poſt aliquot annos impetravit à Johannne Rege Bohemiæ, Filio Henrici Imp. literas apologeticas, quas ſubjecit Steph. Baluzius autori prædicto, *Miſcellan. lib. 1. p. 161.* quæ ſi genuinæ ſunt, & à Johanne datæ, potuit fieri, ut hoc eodem animo factum fuerit, quo Pater Henricus Imp. mortem oppetere, quàm contra venenum remedium applicare cum ejectione benedicti panis ac vini.

§. VI.

Conſtitut. Clementin. Cæterum Clemens poſt mortem Imperatoris ſententiam contra rebellem latam, irritam judicavit, extat inter Clementinas, *c. Paſtoralis 2. de ſent. & re judic.* Sed & de juramento ab Imp. Romanæ ſedi præſtando *conſtitutionem*, quæ *c. un. de Jurej.* inter Clementinas legitur, condere non dubitavit, de qua ſupra fuit dictum ubi

l. 3. c. 9. de Henrico II. egimus. *Conf. Marſil. Patavin. P. I. cap. XIX. Lupold. de Bebenb. de Jurib. Regn. & c. IX. Goldaſt. Rational. ad Conſtit. Imp.*

Caput

CAP. II.

DE

LUDOVICI BAVARI VINDICIIS.

S U M M A R I A.

Electio Ludovici variè relata, facta diſſentiente Colonienſi Archiepiſcopo: & tandem etiam Johanne XXII. Obtruſus Eccleſiæ Moguntinæ Archiepiſcopus à S. R. admiſſus non eſt. Tutor diœceſeos Moguntinæ conſtitutus Trevirenſis. Libertas Eccleſiæ Moguntinæ à capitulo defenſa. Prævaluit Ludovicus aſſertor libertatis. Pacta inter eum & Fridericum Auſtriacum. Ordo Minoritarum receſſit à S. R. Petrus Johannes Olivi ſuper Apocalypſin tunc commentatus. Cap. 1. extravag. de V. S. Scriptores celebriores iſtius temporis pro libertate adverſus S. R. Ludovicus vindicat jus circa ſacra. Johannes XXII. hæreticus declaratus, in effigie executio contra profugum.

§. I.

PRocurata mors Henrici VII. Imp. non potuit impedire illuſtria quæ pro libertate Germaniæ adverſus ſuppreſſores ſucceſſor edidit ſpecimina. Ejus electio non ſine diſſidio fuit, cujus cauſa ad ſedem Rom. neſcio an referenda? Diſſuadet *Aventinus lib. VIII.* inclinaſſe enim primò Papam & Regem Franciæ magis ad partes Ludovici, *Ludovic. Bavarus Imp.*

vici, ut imbecilliores, contra Fridericum Auſtriacum, potentiorem. Nec conſtans Hiſtoricorum relatio, circa electionem ipſam, teſte Chronici Belgici Concinnatore: *Defuncto Henrico Imp. & VACANTE TUNC SEDE PAPALI, Electores Imperii convenientes in unum pro electione Imperatoris diviſi ſunt in duas partes: major pars Fridericum illuſtrem ducem Auſtriæ filium Regis Alberti, elegit in Imperatorem Alemanniæ: Minor LUDOVICUM inſignem Ducem Bavariæ, nepotem quondam Regis Rudolphi ex filia: factaque eſt inter eos propter hoc gravis & longa concertatio usque ad ſtrages hominum. Sed dum dux Auſtriæ prædictus captus fuit, Ludovicus Bavariæ deinde jus Imperii ſibi vendicans uſurpavit. Cœpit autem A. D. MCCCXV. Hæc ex Chronicis. Aliqui Ludovicum concorditer electum ab omnibus Electoribus,* (idque etiam Ludovicus in Apologia adverſus Papam urget, apud Aventin, l. VIII.) *demto AEpiſc. Colonienſi Henrico,* (conſentit auctor anonymns geſtorum Baldevvini Trever. AEpiſc. l. 3. c. 1. addens Henr. Rudolph. Ducem Bav. Ludov. fratrem (*tradunt, qui elegit in Ducem Auſtriæ & ipſum coronavit in Reg. Rom. in Eccleſia oppidi Bonnenſis, quia idem Dux Auſtriæ impediebatur per Gerardum Comitem Juliacenſem, ne in urbem Aquenſem venire poſſet, cum ejusdem Comitis Juliacenſis auxilio eo die Ludovicus ingreſſus Aquisgranum, ibidem per Balduinum Epiſcopum Trevirenſem quondam Henrici Imp. Germanum, coronaretur. Quod præfatus AEpiſcop. Colonienſis Henricus & Reynaldus dominus de Valckenborch libenter impediviſſent, ſi potuiſſent.*

§. II.

Cancellario Italiæ Quidquid autem ſit, evicit Jo. Ge. Hervvartus *in Ludo-*

Ludovico IV. contra Bzovium defenſo cap. 2. 2. ex duobus autographis electionem à quinque Electoribus fuiſſe factam. Cæterum illud conſtat, Italiæ Archicancellarium, Archiepiſcopum Colonienſem, Henricum obſtitiſſe Ludovico. Et quanquam ratione haud inconvenienti uſus videtur, quod more majorum filius Imperatoris ſuperſtes in electione præferendus eſſet remotiori conſanguineo: tamen etiam Italicis, atque ſedis Romanæ prætenſionibus faviſſe potuit, ideo contradicens electioni quaſi vacante ſede Romanâ, non potuerit, niſi Pontificis Rom. deciſione & approbatione lis decidi de ſucceſſione Imperii. Enimverò qvum anno ſequente poſt mortem Henrici Imp. A. 1314. modo defuncto Clemente V. Papa, Proceres Germaniæ elegiſſent pars Fridericum, pars Ludovicum, utrique tamen IMPERATOREM ALEMANNIÆ, referente laudato Chronico; Archiepiſc. Colonienſis Fridericum quidem elegit, & coronavit, ſed tantum in REGEM ROMANORUM, teſte eodem. Atque triennio poſt electus Johannes XXII, per ſexennium ſpectatorem egit belli civilis inter Ludovicum & Fridericum, tandem hoc A. C. 1322. capto, ſuo metuens capiti, Italiam anno ſequente contra Ludovicum concitavit, atque imò, ut imperio abiret, quod inſcio Papa occupaſſet, juſſit.

contradicente.

& Papa.

§. III.

Interea obierat Petrus, Archiepiſcopus Moguntinus, in cujus locum Capitulum Moguntinenſe *Baldwinum* Archiepiſcopum Trevirenſem concorditer poſtulavit, A. C. 1319. ſed non multo poſt, *ut habet auctor vitæ Baldwini c. IV. l. 3.* venit quidam nigrorum de ordine monachorum, *Matthias* nomine, electus & confirmatus

AEpiſc. Mog. Succeſſio.

à PAPA in Archiepiſc. Moguntinenſem deſtinatus, qui ſe omnimodo in domini Baldvvini gratiam donavit, electionem Domini Ludovici regis per Dominum Baldvvinum approbavit, & cum ipſo ſibi utiliter conſpiravit. Vnde dominus Baldvvinus ipſum à capitulo in Archiepiſcopum recepturi feliciter procuravit, de ſua poſtulatione facta gratiarum multimodas referendo actiones. *hæc ille.* Vnde apparet, etſi Papa obtrudere voluit Eccleſiæ Moguntinæ Archiepiſcopum, in odium Baldvvini, & Ludovici Imp. Tamen reſtitit Libertas Germanica, ita ut hic Matthias quidem ſcopum ſuum, & Archiepiſcopatum obtineret, ſed non Pontificis arbitrio, verum Ludovici, & Baldvvini voluntate, & Matthia in caſtra horum transeunte. Quo defuncto A. 1328. Capitulum denuo Balduinum poſtulavit unanimiter, & Diœceſeos Moguntinæ *Tutorem* fecit interim. At Papa *Henricum* de Virnenburg in Archiepiſcopum elegit, confirmavit & eo direxit, quem tamen Capitulum, ut reum variorum criminum, non recepit, interpoſita appellatione. *Idem c. VI.* Balduinus verò & civitatem Moguntinam eo adegit, ut Tutorem ſeſe reciperent, interpoſita appellatione, & ad preces Epiſcopi *Spirenſis* etiam hunc Episcopatum ſuſcepit regendum in temporalibus usque dum mortuus Epiſcopus Walramus: tunc enim Gerlacum de Erenberg Epiſcopum eligi procuravit. *c. VII.* At cum Papa miſſis Legatis, ſedem Moguntinam in manus ſuas reſignari præciperet, Baldvvinus quidem ſe ſubmiſit, at capitulum libertate ſua utens, maluit antea rejectum Henricum de Virnenburg. recipere, ſi à partibus Imperatoris Ludovici, & Libertatis Eccleſiæ ſtaret. Rem idem auctor *Cap. VIII.* ita narrat: *Voce imperativa Papali, & Cardinalium conſilio,*

emiſ-

emiſſa A.D.1337. domino Baldwino, & Capitulo Moguntinenſi fuerat mandatum, ut Epiſcopatum Mogunt. in manus duorum Legatorum ad hoc in Pingoviam deſtinatorum, tanquam in manus Papæ libere reſignarent. Cui mandato dom. Baldwinus obediens acceſſit Bacheracum, convocans ibidem Capitulum & officiales Eccleſiæ Moguntinenſis, præcepitque eis, ut mandatis apoſtolicis obedirent, & juramento ſibi per eos præſtito, libenti animo renunciarent. Quo audito, quia videbant, quod eis amplius præeſſe non vellet, inobedienter ab eo receſſerunt, & contra voluntatem Papæ, & dom. Baldwini Henricum de Virnenburg eis à Johanne Papa deſtinatum, contra quem prius crimina, & defectus opponendo appellaverant, nunc in Archiepiſc. acceptarunt, qui ſtatim omnia ſua temporalia, ab Ludovico Imp. in feudum recepta cum dom. Baldewino eſt pacificatus. Et poſt A.D.1346. *Henrico de Virnenburg Moguntinenſi Archiepiſc. propter fautoriam Ludowici de Bavaria ab omni pontificali honore à Clem. VI. privato, & Nicolao de Naſſavya in Moguntinæ ſedis Præſulem creato, ac ipſum Ludowicum de Bavaria ab eodem Papa propter ſua præſcripta demerita, ab omni dignitate regia ſententialiter depoſito, Principes Electores &c.*

§. IV.

Libertatis aſſertor Ludovicus.

Sed prævaluit tamen prudentia Germanorum, & libertati ſuppetias tulit. Primo enim Archiepiſcopus Colonienſis, contra quem Ludovicus miſerat regem Bohemiæ Johannem, mediatoribus Principibus Imperii reconciliatus A. C. 1324. & poſtea Fridericus dimiſſus à Ludovico, atque inter utrumque *ſocietas Imperii* jure jurando inita, confectis ea de re litteris, quas Cuſpinianus refert. At Aventinus lib. VIII. tradit, Fridericum renun-

Pacta Bavari & Auſtriaci. nunciaſſe Imperio, pactumque factum inter domum Bavaricam, & Auſtriacam, ut quoties in electionem utraque domus veniret, hæc illi cederet. An hoc de primo pacto intelligendum? à quo liber factus Auſtriacus ipſe receſſerat, unde denuo bello petitus, poſterius initum fœdus fuit, cujus Cuſpinianus meminit? Sed Hervvartus Cuſpiniani tabulas pro veris non agnoſcit, productis aliis ex Archivo Bavarico, *ad A. 1325. n. 38.* qui etiam de morte Friderici rectius docet *ad A. 1329. n 33.* eam ad annum 1331. referendam: *confer eundem ad ann. 1347. n. 7.* Ludovicus, eâ quâ par fuit animoſitate adverſus Pontificis molitiones, & excommunicationes inſurrexit, ſacram pariter, atque civilem Germanorum vindicans libertatem.

V.

Periodus Sacra Diximus, Curiam Rom. à temporibus Hildebrandinis τὴν ἀκμὴν ſacræ potentiæ hac tempeſtate tenuiſſe, atque ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ ſtetiſſe: Ab hiſce autem Ludovicianis, atque Bavaricis feliciſſimis auſpiciis animadverti licet, non amplius creviſſe potentiam Pontificiam, ſed pedetentim decreviſſe, usque dum in præſentem ſeculi noſtri ſtatum devenerit. Et agnovit hoc Nic. de Clemangis Gerſonis diſcipulus Cap. XXIIX. I. de corrupto Eccleſiæ ſtatu: *Quia Eccleſia ſeipſam humiliare, vel tot flagellis attrita, contemſit, rectè ab illo, qui plus æquo exaltata humiliat, eliſaque & humiliata erigit, prius humilianda erat, ut in gratiam, à qua exciderat, rediret, poſtea erigenda atque ſublevanda, prius deſolanda, poſtea conſolanda, prius percutienda, poſtea ſananda. Nam quod redintegrandam ipſam Eccleſiam, funeſto hoc ſchiſmate dilaceratam attinet, fruſtrà aliquid per nos effici ſperamus. Non hoc humanis operibus, non ullâ arte, in gratia agendum*

dum eſt, altiorem planè manum res iſta depoſcit, & neceſſe eſt, ſi unquam uniri debeat. & quæ plura ibi ſeqvuntur.

§. VI.

Vixit hac tempeſtate Petrus Johannis Olivi, frater Minorum, Biterrenſis diœceſeos, qui ſuper Apocalypſin commentatus, diſerte Eccleſiam Romanam, Babylonem ac Meretricem eſſe adſtruxit, & Papam Pſeudoprophetam, ac *Spiritus*, inquit, *juſtorum hujus temporis ſupra modum anguſtatur, & opprimitur à Principatu & prædominio, & innumerabili multitudine Eccleſiæ carnalis, cui oportet eos, velint nolint, ſervire, tum quia publicè & impudentiſſimè adulteratur à ſuo ſponſo Chriſto.* & mox: *dum erat in Papagniſmo inebriavit omnes in idololatria ſua; & tunc & nunc tanquam ebria exarſit in iram contra viros Spirituales, & contra vires & influxus Spiritus S.* Excerpta ejus libri exhibet Steph. Baluz *l. 1. Miſcell p. 213.* Johannes Papa mandavit quidem articulos illos examinari, & condemnari, ſed admodum jejuna ſunt, quæ animadverterunt Examinatores, ut ibidem cernere eſt. Unde maxima pars Ordinis Minorum ab obedientia Papali receſſit, ita ut nulla ſupplicia eos potuerint reducere, ſed maluerint ad Infideles, retenta religione, exulare, relinquentes in ſcriptis, quæ *ibidem p. 293*, notata. *Se non dimittere ordinem ſed parietes, non habitum, ſed pannum, non fidem, ſed corticem, non Eccleſiam ſed Synagog. cæcam, non paſtorem, ſed devoratorem.* & quæ ibi ſeqvuntur. Contra hos edita fuerat à Johanne decretalis, quæ habetur *cap. 1. extravag. de V. S.* A qua illos *proteſtationes* & appellationes interpoſuiſſe, Papam verò inquiſitione eos perſecutos fuiſſe, ibidem pluribus Acta oſtendunt, *p. 195. ſqq.*

ordo Minoritarũ.

c. 1. Extravag. de V. S.

195. ſqq. Conf. L. Meimburg. lib. V. de la decad. de l'empir. pag. 548. ſqq.

§. VII.

Scriptores contra imperium Pontificium.

Atque ut ſedes Romana in partem τῆς κυρίας civilem, nullum unquam titulum, nec ullam quietam per Germanias poſſeſſionem acquiſiverat, ut ex annalibus fide dignis hactenus oſtendimus: ita ex iisdem ſupra demonſtratum fuit, quam injuſtus occupator fuerit Hildebrandus Juris ſummi circa ſacra per univerſum Imperium Romanum, quibusque artibus pariter, ac motibus, bellisque civilibus id uſurpatum. Benigniora jam progreſſa Fata licet cernere, quibus ſuppreſſa libertas tandem aliquando reſpiraret. Antea late excuſſimus ceſſionem Juris ſummi circa ſacra Sedi Romanæ ab Henrico V. factam, ejusque injuſtitiam demonſtravimus, atque quod Clerus Jure divino incapax eſt ſummi Imperii ſive ſacri, ſive civilis. Agnoverunt hæc eadem per divinam Gratiam, atque illuminationem hoc XIV. Seculo in Germania & Proceres Imperii, & alii docti viri, inter quos præcipuus, *Lupoldus de Bebenburg*, Epiſc. Bambergenſis edito eleganti libro *de Juribus regni & Imperii Romanorum.* itemque *de zelo Catholicæ religionis veterum Principum Germanorum*. Sed & inter Italos Dantes Aligherius, Florentinus, de Monarchia editis tribus libris, in quibus analyticè oſtendit, ad optimam mundi diſpoſitionem Monarchiam eſſe neceſſariam, eamque jure eſſe Romanam, atque à DEO immediatè, non à Pontifice Romano dependere. Itemque egregium & omnibus numeris abſolutum librum, ad Ludovicum noſtrum ſcriptum, ad poſteros transmiſit immortali ſua laude, MARSILIVS PATAVINVS, inter Conſiliarios Ludovici ab Aventino relatus, vocatus

etiam

etiam Maſſilius de Maynardino de Padua, librum illum *Defenſorem Pacis* ſcilicet cum Friderico Auſtriaco initæ, invito Papâ, inſcripſit, qui ut per totum ita ſpeciatim cauſam Ludovici *P. 2. c. XXV.* ſolide perorat. Itemque *Johannes de Janduno*, aliis Jandunus de Peruſia, de poteſtate Eccleſiaſtica librum tunc edidit, adverſus ſedem Rom. contra quorum ſectatores & aſſeclas inquiſitiones variæ inſtitutæ tum, *vide St. Baluzii lib. I. Miſcellan. pag. 311. ſeqq.* Reprehenditur in utroque, quod præter poteſtatem in temporalibus, etiam ſpiritualem Pontificis Rom. minuere voluerint, & Imperatoriæ ſubjicere. Sed poteſtatem clavium ab excommunicatione majori & mixta rectè illi diſtingvunt, atque ab hac auctoritatem ſummæ Reip. poteſtatis excludendam eſſe negant, poteſtate Clavium Eccleſiæ propriâ, abſolutè relictâ. *Vid. Marſil. P. 2. cap. VI. & XXI.* Azorius quoque JC. & alii factum Imp. Ludovici defendit, ut exhibet Hervvart. *ad A. 1338. n. 17. & 50.*

§. IIX.

Quæ qvum ita ſint, jure ſuo uſus Ludovicus Imp. quod, qvum Johannes XXII. urgeret dependentiam Juris Imperatorii à Sede Rom. detrectans conſecrationem Romæ fieri conſuetam, & Imperatorem excommunicans ipſe & hoc Imperii Statuumque Germaniæ jus circa *liberam Imperatoris electionem*, & una cum ipſo vetus *jus Sedem Romanam ordinandi*, non attentis Henricianis pactis ut ipſo jure nullis, fortiter aſſeruit: ſimul diu deſideratam Romanæ ſedis, ejusque dogmatum *reformationem*, ut pium, & Germanum Imperatorem decuit, fuit aggreſſus. Et A. D. 1326. Romam pacifice ingreſſus absque Electorum ſuorum conſilio, & non ab Eccleſia, ſed à Senatu fuit in Imperato-

Ludovic. vindicat jus circa ſacra.

ratorem coronatus, ait auctor geſtorum Baldevvini Archiepiſc. Treverenſis *Lib. III. c. V.* Prætendebant enim Urbici hoc jus eis competere, Papâ etiam nolente, præſertim cum Senatores prius Papam requiſiviſſent, ut ad Urbem ſe transferret, *ait Albert. Argent.*

§. IX.

Papa Hæreticus. Ludovicus Auguſtus Imperator coronatus, in acta gesta Johannis XXII. inquiri fecit; crimen læſæ Majeſtatis & hæreſin impingens aliaque crimina, de ſingulis vid. Hervvartus *ad A. 1328. n. 36. ſqq.* Dixit enim, *ſunt verba M. Emundi in Chron. Belg. M. relata*, palam in duodecim (*V. Mich. de Caſena literis ad Reg. Roman. & Principes Alemanniæ.*) articulis fidei errare Papam Johannem illum, eoque HÆRETICUM appellavit, Fratremque Petrum de Corbaria Ordinis Minorum, Papam conſtituit & diutiſſimè defendit. Optima de eo teſtimonia, à probatis teſtibus allegat Hervvartus n. 66. & L. Meimburg. *de la decad. de l' empir. pag. 581.* & reſpondet adverſariis Analiſtis, etiam quod ad matrimonium ejus attinet. Ille enim Petrus Rayvallacii (al. Reynalducci) de Corbaria Reatinæ diœceſis, *Nicer* vocatur ab Auctore geſtorum Baldevvini *l. 3. c. VI.* uxorem habuerat quæ & adhuc vivebat, Joanna Matthæi de Corbaria filia, ejusdem diœceſis, cum quæ habitaverat publice jugaliter ut maritus, annis quinque antequam aſſumeret habitum fratrum Minorum, [illegible]em aſſumſit ipſa Joanna uxore ſua in mundo remanente, pariter & in vita, ut in Chron. Belgico *ex Petro* quodam, neſcio an ab Alliaco, Cardinali Archiepiſc. Cameracenſi, refertur, & quomodo executio contra Papam in Gallia morantem in effigie facta fuerit narratur; Imaginem videlicet Johannis Papæ in Piſis de ſtraminibus, inducen-

Nicolaus V.

Executio in effigie.

duentes eum Pontificalibus, & præſente populo Johannem degradaſſe, & publice ipſius imaginem cremaſſe. Edictum Ludovici, quo ex conſilio Procerum Germaniæ, & Italiæ, Eccleſiaſticorum & Secularium, præſente & conſentiente Populo Romano, Johannes XXII. ſive Jacobus (*aliis de* de Baburg, degradatus & in Bannum declaratus *die* *Chaorsa*) *XXVIII. April. 1328.* exhibet ſummatim Aventinus lib. IIX. V. Goldaſt. Conſt. Imp. T. I. Hervvart. Hæc geſta tum in Italia.

CAPUT III.

De

VINDICIIS ORDINUM.

SUMMARIA.

Comitiis Ratisbon. anno 1324. occaſionem dat Bulla Papalis. Cauſa Papæ Joh. XXII. ab Academiis improbata: ipſe Hæreticus declaratus. Conſtitutio contra Excommunicationem. Benedictus vix approbat geſta anteceſſoris: invitâ Curiâ. Comitia Renſenſia A. 1338. Francofurtenſia. Cauſa ſucceſſionis in Regno Galliæ ibi deciſa. Conſtitutio de non evocandis Romam ſtatibus Imperii & vaſallis. Clemens VI. reconciliatur Ludovico, turpiſſimis conditionibus, quas Comitia Francofurtana anno 1344. annullant. Jus diſpenſandi in gradib. prohibitis & cognitionem in cauſis matrimonii & divortii Imperator vindicat. Carolus vitio electus: Imperator ſacerdotum vocitatus. Interregnum ab exceſſu Ludovici. Receſſus Imperii in Comitiis ordinum

anno 1347. pro libertate Germaniæ. Guntherus Imperator. Carolus IV. Aurea Bulla condita, abrogans Bullam Joannis XXII. de Vicariatu Papali.

§. I

Comitia Ratiſp. 1324. In Germania Comitia acta Ratiſponæ, ubi Imperator Inſignia Imperii Statibus exhibuit, & an à Pontifice, hæc accipi deberent, deliberare juſſit, factumque SCtum, Libertatem Imperii defendendam, nec Pontifici jus eſſe in Rom. Imperium. *occaſio Bulla Papa.* Prætenderat quippe Johannes, veſtigiis anteceſſorum inſiſtens, jus confirmandi aut rejiciendi electum in Imperatorem, jus feudi in Imperium, (*V. Herwart. A. 1328. n. 45.*) & vacante Imperio ſupremam adminiſtrationem, prout conſtat ex edicto citatorio Avinione affixo 8. Nov. cIↄ CCC XXIII. exhibito ab Aventino lib. VIII. *Academiæ Papam* Qua de re Imperator conſuluit Viros doctos Germaniæ & Italiæ, Bononienſemque, & Pariſienſem Academiam, & approbationem cauſæ ſuæ adverſus Papam impetravit, adeo ut literis prolixis improbarent attentata Papalia. Quò pertinet *Joannis de Pariſiis*, Theologi tractatus de Poteſtate Regia & Papali, qui etiam Joannes de Poliaco vocatur. *Radulphi de Columna* liber de Translatione Imperii. Atque ſpeciatim Theologi Pariſienſes literis ad Papam ſcriptis, quas Aventinus ſe legiſſe teſtatur, Papæ exprobrarunt, quod ſtatueret, nul- *hæreticũ declarant* lam animam ante extremum diem in cœlum venire, aliique Theologi ob eundem aliosque articulos Papam HÆRESIARCHAM ſcriptis editis demonſtrarunt. Ex quibus ſatis apparet, non ab Imperatore ſolo, ſed à magna parte *cleri*, imprimis verò ex ordine Minorum, *Papam HÆRETICUM* pronunciatum fuiſſe, etiam ex Reſponſo Inquiſitoris Hiſpanici conſtat, quod exhibet Steph. Baluz.

luz. *l. 1. Miſcell. p. 285.* in quo etſi occupatus eſt Inquiſitor articulos fidei adſtruere, valde tamen jejunum ac ineptum ſe ſe præſtat, & totius rei fundamentalem hunc ſtatuit articulum: *Credere unam ſanctam ROMANAM Eccleſiam catholicam.* Cæterum etſi omnes Fideles, & tunc & hodie unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam crediderunt: hanc tamen unicè eſſe *Romanam*, nemo eorum credere poterat, extra quam nulla eſſet remiſſio peccatorum, ſalus nulla.

§. II.

Qvum igitur Imperator ſe ſatis gravatum putaret per ſententiam excommunicatoriam Johannis, hic verò *Bullam excommunicationis* mitteret in Germaniam, ut publicaretur, interpoſita fuit A. 1323. M. Decembr. juſta appellatio ad Concilium Generale, ſecundum Theologorum tum temporis ſententiam, ut docet Hervvart. *contra Bzov. pag. 243.* ubi & integrum appellationis inſtrumentum exhibetur: & prædicta *Comitia* habita, quibus inter alios interfuerunt Matthias Archiepiſ. Moguntinus, & Rex Bohemiæ Johannes, factumque SCtum de non recipiendo decreto Papali excommunicatorio adverſus Imperatorem. Quare executores banni, Otto Abbas S. Lamperti in Carinthia, & Prior Tholoſanus, ex Germania aufugerunt. *Goldaſt. Conſtit. Imp. T. 1. A. 1324.* Imperator verò *Apologiam* edidit adverſus Papam, in qua crimina Papæ enarravit, & injuſtas exactiones, prætenſionesque, quodque in communi Conventu Peruſino ab univerſo ordine *Franciſcanorum*, & aliis Theologis pro Hæreſiarcha, in quo verus Antichriſtus lateret, judicatus. Summam ejus exhibet Aventinus. *V. Goldaſt. d. l.* Conf. *M. A. de Dom. l. IV. 8, 62.* Atque qvum vacanti Sedi *Aichſtetenſi*

Conſtitutio contra Excomm. Rom.

ſtetenſi, aliisque Johannes degradatus auderet dare Epiſcopos, obſtitit Imperator cum Capitulis, nec eos admiſit, ipſe verò curam geſſit, ut rite Epiſcopatus adminiſtrarentur. Sed & *Prædicatorum* ordinis pars Pontificiæ parti adhuc addicta, ad ſacra adminiſtranda, non attento Papali interdicto, ſeſe accommodavit. *V. Herwart. ad A. 1338. n. 84.*

§. III.

Benedict. XII. Mortuo Nicolao & Johanne, electus *Benedictus*, agnovit injurias Ludovico factas ab anteceſſore, *vid. Albert. Argentin. & Herwart. ad ann. 1335. ſqq. & 1338. n. 73.* ſed quo minus quies Imperio, & Eccleſiæ concederetur, obſtitit Curia; ut intelligeretur non Pontificis culpa, ſed Curiæ fuiſſe. Inhæſit itaque Curia excommunicationi Imperatoris à Johanne factæ, & vicariæ Imperii adminiſtrationi, miſſis Vicariis in Vrbes Italiæ, ut Platina teſtatur. Ex adverſo Imperator Libertatis Germanicæ defenſor comitia *Renſenſia* ad Rhenum celebravit, A. C. 1338. quibus à Proceribus Imperii Eccleſiaſticis & Secularibus unanimiter fœdus conditum inter ordines Imperii, de quo Albertus Argentin. ſcribit: *Interim convenientes in villa Rens ſuper Rhenum Imp. & Principes Electores, confectis deſuper literis & juramentis præſtitis, quod Imperium & ejus jura contra omnes, nullo excepto manutenerent & ad ipſum omnes quos poſſent arctarent, nullâ abſolutione vel quavis occaſione obſtante firmarunt.* Fœderis formulam ex avtographo Germanico in Latinum verſam hanc exhibet Hervvartus n. 34. *Nos Dei gratia, Heinricus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Walramus Archiepiſcopus Colonienſis, Balduinus Archiepiscopus Trenerenſis, Rudolphus, Ruppertus fratres, Stephanus, Ruppertus Junior,*

nior, Comites Palatini Reni & Duces Bavariæ, Rudolphus Dux Saxoniæ & Ludovicus Marchio Brandenburgenſis. Notum facimus cunctis hominibus, qui has literas vident, aut legi audiunt, quod ſimul conſideravimus & perſpeximus, ſacrum Romanum Imperium in ſuis honoribus, juribus & bonis atque etiam nos in noſtris honoribus, juribus, conſuetudinibus & privilegiis, quæ à prædicto Imperio habemus, vehementer his temporibus, atque etiam antehac impetiti, infirmati, & gravati fuimus ac ſumus, & propter communem ac manifeſtam utilitatem totius Chriſtianitatis, atque ad prædicti Imperii noſtrumque honorem, jura, privilegia, & conſuetudines tutandas, defendendas & manutenendas, unanimiter convenimus, & nos confœderavimus, quod prædictum Imperium, & noſtrum principalem honorem, quem ab eo obtinemus, videlicet in electione Imperii, in illius ac noſtris juribus, privilegiis, & conſuetudinibus, ſicut ab antiquo ad nos & ad Imperii Electores pervenerunt, & devoluta ſunt, manutenere, tueri, ac defendere volumus pro omnibus noſtris viribus ac opibus, ſine fraude, contra quoſcunque nemine excepto: ſiquidem hoc noſtrum honorem & juramentum attingit; nec volumus id intermittere propter ullum mandatum, à quocunque, vel quomodocunque datum, per quod Imperium & nos Electores in præſcriptis rebus ullo modo infirmari poſſemus. Volumus etiam omnes Dominos & amicos, qui ad nos pertinent, vel non pertinent, ſive ſint Eccleſiaſtici, ſive ſeculares, noſtros quoque vaſallos, miniſteriales, Caſtellanos, officiales & cives, ad idem faciendum rogare, & inducere, in quantum poſſumus: & ad hoc efficiendum debet quilibet ex nobis Electoribus alteri auxilium præſtare, ſine fraude; ut illi nobis in his rebus auxilium & opem

 ferant,

ferant, idque nullius reſpectu intermittant, & ob nulla mandata, à quocunque illa dari poſſent. Quodſi contingeret ullam diſſenſionem aut dubium ſuper his rebus inter nos Electores oriri: quicquid nos tunc omnes aut major pars ex nobis ſuper hoc diffiniemus & ſtatuemus, id debet vim habere atque à nobis obſervari ſine dolo. Omnia hæc præſcripta capita, & unumquodlibet horum ſingulatim ſpopondimus bona fide, & ſpondemus his præſentibus literis per noſtrum principalem honorem, nec non juravimus hoc ipſum ad ſanctos pro nobis & noſtris ſucceſſoribus perpetuo firmiterque tenere, neque contravenire, nec ab hoc deſiſtere ullo modo, ſicut in præmiſſis continetur, & ſcriptum eſt. Non debemus, non volumus quoque non poſſumus nos, nec quisquam alius, qui nobiscum in hanc confœderationem veniet (qui jurare quoque hoc ipſum debet, & vovere, ſicut in præmiſſis & ſequentibus ſcriptum eſt) ſi ita depravaremur, quod Deus avertat, ut contra faceremus, aut facere vellemus; non debemus, inquam, nec volumus nec poſſumus contra juvari ulla diſpenſatione, abſolutione, relaxatione, abolitione, in integrum reſtitutione, neque ullo beneficio, quocunque nomine illud appellaretur, undecunque aut quomodocunque fieret, ſive per noſtras aut aliorum hominum preces, ſive quod latinè dicitur, ex officio; neque ulla poteſtate ejus, qui hæc curare vellet: apud Deum & homines futuri ac dicendi infames, infideles, & periuri, ubicunque vel quocunque modo contra faceremus aut veniremus, quovis pacto, omni fraude ac dolo à præſcriptis capitibus & ſingulis eorum excluſis. Ad notitiam horum damus has literas obſignatas noſtris ſignis, quæ datæ ſunt in Renſe, die Jovis poſt Margaritæ. A Nativitate Chriſti M. CCC. XXXIIX.

§. IV.

§. IV.

Iisdem Comitiis SCtum adverſus attentata Papalia conditum,& deſuper à Notariis Publicis tribus inſtrumenta confecta, atque in omnes Imperii Romano-Germanici terras emiſſa ac divulgata in vim Proteſtationis, cujus ſummam recitat Aventinus: *Imperium Romanum eſſe independens, & nullius feudum. Imperatorem non agnoſcere ſuperiorem niſi DEUM, à quo immediate ſuam habeat poteſtatem. Illum, quam primum electus fuerit à VII. Electoribus ſtatim plena gaudere poteſtate*, (Vid. Hervvart. contra Bzov. pag. 121.) *nec indigere Papæ confirmatione; Coronationem præſtare Imperatori Papam, ut Domino ſuo miniſtrum. Qui aliter docere contenderit, incurſurum pœnam Banni Imperialis.* Rebdorffius: *Eodem anno edictum eſt, ut nullus literas Sedis Apoſtolicæ recipiat vel exſequatur ſine licentia diœceſanorum loci.* Goldaſt. *Conſt. Imp. T. 1. & 3.* refert *Principum Electorum S. R. J. reſcriptum ſuper Ludovico Imp. & diſcordia Imperii & Eccleſiæ, ex Comitiis Reinſenſibus 1338.* tum etiam Conſtitutionem Ludovici *de Imperii Juribus & Excellentia, & Poteſtate Electi Romanorum Regis, latam in Comitiis Colonienſibus;* quâ vetus Lex Regia Ottoniana revocata, & confirmata denuo contra prætenſiones Curiæ Romanæ. Itemque decretum aut Reſcriptum apologeticum contra Bullam Papalem, quod etiam Freherus ad Rebdorffium,& Hervvartum ad ann. 1338. n. 47 integrum refert. Quo ipſo quoque nullitas, & injuſtitia Excommunicationis oſtenſa,& publicatio, executiove denegata denuò. Mox menſe ſequente ejusdem anni, decretum ſuperius publice affixum in *Comitiis Francofurtanis. Paralip. ad Vesp.*

§. V.

§. V.

Cauſa ſucceſſ. in Regno Franciæ.

Præterea ad Implorationem Regis Angliæ Eduard & Philippi comitis Valeſienſis *cauſa ſucceſſionis in Regn Franciæ* adverſus Philippum *per Imperatorem* & ordine fuit deciſa. *Gold. Conſt. Imp. T. 1.* & Anglus S.R. Imperii Vic rius Generalis conſtitutus, ſeſſionem in Comitiis juxta Ele ctores obtinuit decretisque ſubſcripſit. Ejus reſcriptu de libera electione Eccleſiaſticarum perſonarum adve ſus Romanæ Sedis gravamina, refert idem Goldaſt. *Tom III. an. 1344.* ſub titulo Vicarii Generalis quem tamen ja tum revocatum ab Imp. docet Hervvart. *ad A. 1341. n.* id quod ad *ἀξίωμα* Imperii Germanici maxime facit, d

Jus de nō evocando

quo ſuperius uberius actum. Denique qvum Caſimir Rex Poloniæ cum clero ſuo Magiſtrum & ordinem Equ tum Teutonicorū de terris ab Imperio conceſſis litem Curia Romana intenderent, Conſtitutio tum edita *de n evocandis Vaſallis* & Statibus Imperii, reſcriptumque Magiſtrum ſub pœna amiſſionis & privationis omniu terrarum & jurium , ne ad citationem cujuspiam Judic Eccleſiaſtici vel Secularis compareat ſine Imperato conſenſu. *Vid. Goldaſt. Tom. 2. Conſtit. Imp. A. 1338. v. ſ pra lib. 3. c. 2. §. 5.*

§. VI.

Receſſus Imp. de A.C. 1344.

Denique Benedicti ſucceſſor Clemens VI. incl mentior A. C. 1343. atrocia poſtulata propoſuit Impe tori, ut Imperium à Papa ut feudum recognoſceretur, n jus Imp. eſſe concilii habendi, & quæ anteceſſorum era ambitioſæ prætenſiones: inque hos articulos jusjura dum poſtulavit, à Clero Germanico, ſub hæreſeos pœn quales epiſtolas ſe legiſſe Auentinus teſtatur. Ludo cus paratus erat omnia facere quæ ſibi & perſonæ ſuæ

Eccl

Eccleſiæ membro, injungerentur à Papa, miſſis Legatis, A. 1342. *Herwart n. ſi.* cum liberrimâ poteſtate ſubmiſſionis, *conceptumque eſt procuratorium turpiſſimum*, inquit Albertus Argentinenſis anno 1343. & *regidiſſimum, quod non credebant Ludovicum ſigillaturum, etiamſi captus fuiſſet. V. Herwart. ad A. 1343. n. 22.* dabatur enim in eo poteſtas Legati, *in ſolidum confitendi omnes errores & hæreſes: reſignandi imperium ac reſumendi niſi hoc fieret de gratia Papæ, & ſe ac filios ſuos ac bona ac ſtatum ſuum in manus & voluntatem Papæ ponendi, & multa inſolita faciendi. Verum Princeps mandatum hujusmodi non ſolùm ſigillavit, ſed etiam coram tabellione, miſſo per Papam, ſe ſervaturum, nec revocaturum juravit.* Quod Curia mirata judicavit, Ludovicum *diffidentiâ perplexum fuiſſe.* Inſtrumentum ſubmiſſionis à Notariis Romanis confectum exhibet St. Baluz. *lib 2. Miscell. pag. 272.* Legatis poſtea articulos injuctæ pœnitentiæ petentibus, dati ſunt *non qui tangerent perſonam Ludovici, ſed ſtatum Imperii*, quorum copiam univerſis Principibus & Statibus Imperator communicavit. Hi igitur anno 1344. M. Septembri Francofurti convenientes cum Imperatore, declararunt, poſtulata iſta inita vana, nec admittenda. *Albert. Arg. Aventin. V. Goldaſt. T. 2. c. 3. Conſt. Imp. 1344.*

§. VII.

Supra lib 3. cap. oſtenſum eſt, Jus *diſpenſandi in gradibus* Jure humano prohibitis penes Imperatorem aut ſummam Reip. poteſtatem eſſe. Idem jus ſibi & Imperio aſſeruit Ludovicus in cauſa Margaritæ ducisſæ Karinthiæ, & ſobrini ejus Ludovici Marchionis Brandenburgici, conſtitutionem edens de *diſpenſatione ſuper affinitate*

 con-

conſanguinitatis inter ipſos & legitimatione liberorum eorundem procurandorum: quam exhibet Goldaſtus *Tom. 2. Conſtit. Imp. ann. 1343. Conf. Herwart. ad A. 1340. n. 10. & 1344. n. 10.* In ejusdem Margaritæ cauſa divortentis & *diſſolutionem matrimonii* cum Joanne Rege Boëmiæ petentis, ex capite impotentiæ, Ludovicus judicium exercuit ex conſilio Doctorum, & ſententiam diſſolutionis tulit editis rationibus pro fundata jurisdictione; *vid. Goldaſt. Conſtit. Imp. T. 1. ano. 1343. & Tom. 2. ann. 1342. Herwart. ad A. 1340. n. 24. ſqq. Conf. ſupra lib. IV. c. 2. §. 19. ſqq.* Hinc & Carolus IV. ſecundas nuptias celebravit cum filia Rudolphi Bavari conſobrinus matris ſponſæ, nec unquam dicitur fuiſſe diſpenſatum, ait Albertus Argent. A. 1349.

§. VIII.

A.C. 1346. Contra Pontifex, A. C. 1246. in die Cœnæ dominicæ Imperatorem Ludovicum non modo denuò excommunicabat, & hæreticum proclamabat, *V. Herwart. n. 4. ſq.* Sed etiam ad Principes Electores reſcribebat, ut intra certum tempus alium Imperatorem eligerent. Inter quos aliqui auctoritate Pontificia perſuaſi in oppido Renzi prope Trevirum, ſive in villa dicta Rens ſuper Rhenum, ut habet Chron. Belgicum in Sede Imperiali, propè Confluentiam in diœceſi Treuerenſi, convenerunt, & Johannis Regis Bohemiæ filium CAROLVM, de factione adverſa elegerunt Regem Romanorum, inter quos præcipuus fuit Walramus, Archiepiſc. Colonienſis, *ut idem habet chron. Belg. Magn.* præterquem etiam Baldevvinum Treuerenſem, Gerlacum Moguntinenſem, Ducem Saxoniæ, & Johannem Regem Bohemiæ, inter fuiſſe refert *auctor geſtorum Baldewini. lib. III. c. IX.* Et

cap.

cap. ſeq. exponit præmia Archiepiſcopo à Carolo reddita: *In Curia Domini Karoli Imp. Moguntiæ celebrata confirmationem* privilegiorum ſuorum & ſuper Archicancellariatu regni Arelatenſis obtinuit, ubi etiam per totam Galliam & Germaniam Tutor & Mamburnus fuerat conſtitutus regni Romanorum; quo plures ſua feoda requirentes, infeodavit. *Conf. Hervvart. A. 1346. n. 16. ſq.*

§. IX.

Ludovicus tamen Imp. qvum impias *has ſententias in ipſum latas non curaret, ſed,* quæ ejusdem Compilatoris Belgici verba ſunt, *ſemper creſceret, & fortior fieret*, Comitia Spiræ celebravit, & de electione hac Caroli ſententias exquiſivit, fuitque decretum: *Eam nullo jure factam, nec Carolum pro Imperatore habendum. Goldaſt. Tom. III. Conſt. Imp. ann. 1346.* Eum contumelioſè *Imperatorem Sacerdotum* dictum, referunt. *Conf. Hervvart. A. 1346. n. 27.* Jurarunt igitur de novo fidelitatem Ludovico: cauſaque Imperii adverſus Pontificios publicis ſcriptis maſculè defenſa, inter quæ excellit ante laudatus Leopoldi Epiſcopi Bambergenſis liber de Juribus Imp. Rom. & Wilhelmi Occami Dialogus itemque Compendium errorum Joannis XXII. nec non opus nonaginta dierum, ad conſtitutiones Joannis XXII. F. Hermannus ſcripſit tunc temporis, *Nauclero teſte ad A. C. 1323.* Johannis XXII. proceſſus invalidos reputatos, examinatos à doctoribus utriusque juris, qui judicaſſent, eos penitus non valere. Contrà defendere eos conatus Conradus Magdeburgenſis ſcripto ad Carolum IV. libro, Aventino teſte. Occamo quoq; ſe oppoſuit noviter Bzovius, cui reſpondit Wadingius, non improbante Meimburgio. *de la decad. p. 606.* *vitio electus.*

§. X.

Receſſ. Imp. Francofurt. 1347.

Fato functus erat Piiſſimus Ludovicus Imp. nec ceſſabant tamē ſtatus Germaniæ per interregnum tueri libertatem patriam. Itaque ſtatim convenerunt Francofurti Cuſpiniano referente, factumque SCtum, de jugo Pontificio excutiendo, *quod ſervus ſervorum faſtu, libidineque dominandi inſaniret, & in præceps abiret.* Carolum vitio electum, non eſſe Regem Romanorum. *Aventin. lib. VII. Goldaſt. Tom. III. Conſtit. Imp. ann. 1347.* Ideoque obtulerunt Imperium *Eduardo* Regi Angliæ qui Vicarius Imperii fuerat, mox *Friderico*, Landgravio Thuringiæ, & Marchioni Miſniæ, Gravi cognomento; & his ſe excuſantibus, *Gunthero* Comiti Suarzburgico, de cujus electione, & reſignatione hæc *auctor geſtorum Baldevvini Treverenſis l. III. c. VIII.* narrat: *Sequenti anno Domini milleſimo triceteſimo quadrageſimo nono Guntherus Comes de Svvartzenburch à Domino Henrico de Virnenburch depoſito Moguntino & Domino Ludovvico filio Bavarii Marchione de Brandenburch, & Domino Rudolpho Duce Bavariæ dicto de Heydelberch contra Dominum Karolum in Romanorum Regem electus, ante Franckenfort caſtra ſituavit; cui Dominus Karolus Domini Baldevvini adjutorio prælium acturus manu exercituali prævalida obviavit. nam fortificatus, quia filiam dicti Ducis de Heydelburch ſibi deſponſavit. Unde dictus Guntherus intoxicatione, ut dicitur, infirmus videns ſe deceptum, corporeis viribus deſtitutum, ſuos electores cum Domino Rudolpho concordes, coactus in propria perſona Domino Karolo ſigillum ſuum regium & ſigna regalia reſignavit. quem Dominus Karolus in gratiam acceptavit.* Conf. Hervvart. *ad ann. 1347. n. 48. ſqq.*

Guntherus Imp.

§. XI.

§. XI.

Receptus itaque tandem fuit CAROLVS IV. Imp. Hunc factionis Pontificiæ adverſus Libertatem Germanorum nitentis fuiſſe ab initio, conſtat, atq; *Chronicon Belgicum* ex *Petro* refert, *eum poſt coronationem ad mandatum Vrbani Papæ Avenionem veniſſe, & ibi multis diebus ſimul conſilium cum Papa, ſolum cum ſolo habuiſſe. Poſt Vrbanum pergentem Romam Imperatorem ſecutum tanquam ſtratorem Papæ, eqvum freno ducentem, ipſum pedeſtrem Papæ ſuper eqvum ſedenti talem reverentiam habuiſſe, quam Imperator Papæ Romano juxta decretum, & privilegium S. Conſtantini Imp.* (quæ fabula tunc ita credita à Petro) *debet, tunc verò Urbanum coronaſſe Imperatricem uxorem Caroli.* Exinde quoque contigit, ut Carolus nec Ludovici anteceſſoris, nec avi Henrici VII. Zelum pro tuenda libertate Germanica exerceret: atque duris conditionibus Innocentii VI. pareret facilè, juratò inter alia promittens, ſe Romam non ingeſſurum, niſi die quo per Cardinalem Oſtienſem ſit coronandus, eodemque ſe egreſſurum. *V. Petrarch. l. 2. de vit. ſolit. Sect. 4. c. 3.* Interea tamen permanſerunt in vigore ſuo Conſtitutiones, Receſſus Imperii & Scta hactenus adverſus Pontificiam potentiam promulgata. Speciatim verò condita eſt *Aurea Bulla*, quam καί' ἐξοχὴν vocamus, & attentata Papæ circa *electionem* Imperatoris fuerunt repreſſa, & Bulla Johannis XXII. de Vicariatu Papali *cap. ſi fratrum. Extrav. Ne ſede vacante.* in ſempiternum penitus abolita. V. Limnæus *lib. 3. de J. P. c. XII. 12.* αἰιςρεφόω Marræ Neapolitani non immeritò reprehendens.

Aurea Bulla.

CAP. IV.

DE

PRIMORDIIS REFORMATIONIS.

S V M M A R I A.

Reformationis diu deſideratæ primordia lenta, ex Gallia, Anglia, Bohemia. Turcarum impetus in Europam. Vaticinium Lipſii. Decrementum potentiæ Pontificiæ. Eccleſia Gallica ſibi Papam conſtituit. Scriptor anonymus in Apocalypſin. Querela de Cruciata. Obedientiæ plurium Paparum. Origo gravaminum Eccleſiarum, de Indulgentiis Annatis. Jus Conciliorum Imp. Rupertus vindicat: obit. Tres Papæ Nationales.

§. I.

Reformationis primordia.

Atque ita per DEI gratiam libertas civilis aliqua ex parte adverſus Romanæ Hierarchiæ ambitum ſtabilita iterum: reſtabat imprimis Eccleſiaſtica. At hoc Jovi fulmen, aut clavam extorquere Herculi videbatur. Tamen & hanc rem aggreſſi Germani, gradu quantumvis teſtudineo. Ea de re tractans Carolus in comitiis Moguntinis anno 1366. Archiepiſcopo Moguntino mandata dedit: *Vobis præcipimus ſub eâ fidelitate, quâ noſtris adſtringimini, ut Clerum veſtrum reformetis, tollatisque abuſum in veſtibus, calceis, capillis & toto vitæ habitu. Quod ſi non fecerint, mandetis fructus beneficiorum ſuorum occupari,*

cupari, & filio noſtro præſentantes, quo nos in honeſtiores uſus convertemus. Goldaſt. Tom. III. Conſt. Imp. Anniſæ hactenus fuerant Academiæ barbariem ſcientiis infeſtam propellere, & veritatē tam in ſacris, quam civilibus adverſus tyrannidem propugnare. Quæ molimina quantumvis ſummæ molis, non caruerunt tamen ſucceſſu ſuo, fatis ita faventibus. *lenta*

§. II.

Ex Gallia atque Anglia Eccleſias Germaniæ Magnæ initia ſumſiſſe ſua, principio tractationis hujus oſtendimus: Ex iisdem quoque repurgationis ſuæ traxiſſe primordia, obſervare jam licet. De Academiæ Pariſienſis adverſus nova ſedis Romanæ dogmata promulgata declaratione, luculentus eſt teſtis Jo. Auentinus. Sed & in *&* Anglicana Eccleſia improbata eadem fuiſſe, vel una *Johannis Viclephi* Parochi Codelbergenſis (aliis *rectoris* *Anglia* *Eccleſiæ Lutherwort, Lincolnienſis diœceſis.*) ſchola evincit, de qua idem auctor judicat, eoſdem fere articulos fidei profeſſam, quos hi, qui *Evangelicorum* nomine nunc veniant, confiteantur. Ex ea progreſſi Johannes Huſſus, *Eccleſ.* & *Hieronymus Pragenſis*, quibus auctoribus *Eccleſia Bohemica* Pontificio jugo excuſſo repurgationem tot ſeculis to- *Bohem.* ties tentatam, toties ab ea ſede, unde omnis reformatio expectari debebat, impeditam prima ſuſcepit, favente Wenceslao Rege, Sophia Regina, & Archiepiſc. Pragenſi, Conrado.

§. III.

Eodem tempore *Johannes de Rupeſciſſa* de Ordine *Turcæ im-* Fratrum Minorum multa vaticinatus de *duobus Antichriſtis*, *petus in* deſolatione terrarum, generali conculcatione cleri, *Europam.* & reductione totius orbis ad fidem Chriſti, juſſu Papæ incarce-

carceratus Avenione: multa tamen de ſuis Prophetiis viſa eveniſſe, refert ex Petro Chronicon Belgicum. Certe in hæc tempora incidit primus *Turcarum* impetus in Europam, occupatâ Hadrianopli anno MCCCLX. & porrò in Hungariam, cæſo Sigiſmundo Hungariæ Rege, cum ſociis anno MCCCXCVI. Inde intra tria ſecula in iſtud adſcendit faſtigium potentia Turcica. De qua ſuperiori ſeculo J. Lipſius: *Stare,* inquit *in faſtigio Schytas ſive Turcas jam video: & ſtare. A multis annis nulli eorum progreſſus: profecto, verè vaticinor ſpectant caſum.*

§. IV.

decrement. Pap. Poteſt. Sed ad rem Romanam. hæc dudum mole nutans ſua, dirupta in partes ſummum adſcititiæ Majeſtatis apicem amiſit, Imperium verò atque Concilium eam recuperavit. Enimvero abſolutam & tantum non omnipotentem poteſtatem ſupra Concilia atque σεβάσματα omnia prætenderat Pontifex, atque ut jure jurando ad id ſe obligarent etiam à Germanicis Eccleſiis poſtulaverat. Sed fruſtra: ſalva hactenus libertate noſtra. Id præcipuè actum fuiſſe in Comitiis Francofurtenſibus, & Spirenſibus A. C. 1343. diximus. Mortuus fuerat Gregorius XI. & ſucceſſerat A. C. 1378. *Urbanus* VI. Neapolitanus: Sed fatis ita urgentibus, ut vis diviſa minueretur, Cardinales imprimis Galli, infenſi novo Pontifici, dixerunt, ſe à plebe coactos, ut hunc crearent, itaque Fundos abeuntes ex collegio crearunt alium Papam, *Clementem* VI. qui Avenione reſedit, Gallicas & Scoticas Eccleſias gubernans: Urbanum reliquæ ſecutæ præter Hiſpanicos, qui neutrum probarunt, idque duravit XL. annis. *Eccleſia Gallica ſibi conſtituit Papam.* Quum Nic. de Clemangis librum de *corrupto Eccleſiæ ſtatu* ſcriberet, duraverat per tres fermè & viginti annos, ut ipſe *Cap. XII.* §. 1. refert.

Quid

Quid corruptelarum verò & damnorùm Galliæ tulerit Curia Pontificis Avinionem translata, exponit idem *cap. XXVII.* Vid. *Lud. Maimburgii Hiſt. Du Grand Schiſme d'occident.*

§. VI.

Circa idem tempus prodiit *Commentarius in Apocalypſin*, cujus *auctor anonymo*, natione Germanus, & ni fallor Flander quidam, per totum hoc agit, ut demonſtret, Curiam Papalem eſſe Antichriſtum, & contra Cruciatam Papæ Romani, & Indulgentias deſuper conceſſas contra Clementem antipapam, vehementer invehitur, ſe & ſuos jam tum *Evangelicos* appellat, & de eorum perſecutione graviter conqueritur, ita ut eam violentiorem priſcis ſub Impp. Gentilibus aſſerat. In *cap. XII.* p. 115. ait, *furorem perſecutionis invaluiſſe præ ceteris temporibus, per tres annos & dimidium, per Urbanum VI. in quo omnia myſteria antichriſti ſint completa.* Editio quæ ſuperiori ſeculo, Baſileæ ut videtur, excuſa fuit, in fine monet, *librum iſtum editum fuiſſe A. 1338. idque ex cap. XX. f. 170.* vult colligere, ſed non advertit excuſor, auctorem numerare annos non *nati* ſed *paſſi* Chriſti: *Mille anni*, inquit, *elapſi ſunt à paſſione Chriſti, & ultra trecenti quinquaginta ſeptem. Quia Chriſtus paſſus eſt triceſimo tertio ſuæ ætatis anno, qui additi numero, faciunt trecentos nonaginta annos, quæ eſt præſens data noſtra.* Quæ autem ſeqvuntur: *Quia ſumus in anno ab incarnatione Chriſti milleſimo treceteſimo quinquageſimo ſeptimo*, corrupte dicta ſunt, & legendum: *à paſſione Chriſti.* Namque & magni illius terræ motus meminit *in c. 6. f. 61.* qui contigit A. D. 1382. itemque qui, quamquam falſo A. D. 1309. relatus *in cap. XIII. f. 122.*

Querela de Cruciata.

§. VII.

Obedientia plurium Paparum. Schiſma hoc argumento fuit, poſſe præter ſedem Romanam ſummam Pontificiam poteſtatem in quolibet Regno aut Imperio conſtitui. Ac refert Chronici Belgici auctor, ſtatutum tunc fuiſſe, ut nullus horum Antipaparum in literis Apoſtolicis Papa ſimpliciter, ſed cum (p. 352.) hac denominatione *in ſua OBEDIENTIA* nominaretur. *Origo gravaminum de Indulgentiis. Annatis* Vrbano ſucceſſerat Bonifacius IX. A. C. 1391. qui *Iubilæorum* meſſes maturavit, poteſtatem *Indulgentias vendendi* Colonienſibus & Magdeburgenſibus conferendo, ſic tamen, ut theſaurarius Pontificis præſto eſſet: *Annatas* quoque ſibi ſeverius aſſerendo. Imp. Wenceslao oblatæ fuerunt aliquot epiſtolæ & gravamina univerſitatum deſiderantium Reformationem Eccleſiæ, quas unà cum Edicto Wenceslai edidit Huldericus ab Hutten anno 1520. in libello *de Schismate extinguendo & vera Eccleſiaſticà libertate adſerenda*, unde Edictum tranſtulit Goldaſtus in *Tom. II. Conſtit. Imp. anno 1396.* Eventus tamen docuit, nihil actum fuiſſe. Contrà in *Francia* A. C. 1406. die XVIII. Febr. in generali Parlamento decretum: *Annatas & primitias proventuum Eccleſiaſticorum è regno Galliæ non exportandas, & ſi ob id Papa aliquos excommunicare velit, eos hoc ipſo decreto ab excommunicatione eſſe abſolutos.* Vide Petr. de Marca *l. VI. de C. S. & Imp. c. XI.* *Goldaſt. Tom. III. Conſtit. Imp. pag. 421. ſq.* L. Meimburg *l. 3 Hiſt. de Grand. Schisme d' occid.*

§. IIX.

Quoad indulgentiarum mercaturam, digna ſunt lectu, quæ de occaſione ac modo earum compilator Chronici Belgici retulit: *Anno Pontificatus ipſius Bonifacii primo cum juxta ordinationem Domini Vrbani Papæ*

ſexti,

ſexti, & ex hujus approbatione plurimi, qui obedientiam Bonifacio præſtabant pro Indulgentiis anni Jubilæi conſequendis de univerſis mundi partibus ad urbem Romanam confluxerunt. Illi vero qui de Regno Franciæ erant, & alii obedientiam ejus repudiantes hoc anno pro hujusmodi indulgentiis Romam non venerunt, ſed juxta primam ordinationem Clementis VI. an. D.M CCCC. in maxima multitudine pro iisdem indulgentiis obtinendis Romam venientes limina ſanctorum viſitabant. Poſtquam igitur annus Jubilæus juxta conſtitutionem Vrbani & approbationem iſtius Bonifacii tranſiit, Dominus Bonifacius unum annum ſub anni Jubilæi urbis Romæ indulgentiarum forma Colonienſi civitati conceſſit: Ita ut venientes Coloniam vel ibidem habitantes, illo anno durante viſitantes certas Eccleſias ad hoc directas, cum oblationibus ſuis poſſent conſequi indulgentias, quæ viſitantibus Vrbem Romanam in anno Jubilæo conceſſæ erant, videlicet pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum. Quo anno elapſo ſimilis annus conceſſus eſt ab eodem Domino Bonifacio ſub eadem forma civitati Magdeburgenſi. Et ad utramque harum civitatum miſſus eſt collector Papæ, qui certam partem recepit oblatorum. Deinde indulgentias ſimiles conceſſit viſitantibus alias nonnullas civitates Germaniæ ad certos menſes. Vnde in Miſnia & Praga ex hujusmodi conceſſione concurſus magnus populorum fuit. Deinde idem conceſſit multis locis Almaniæ, & ut viſitantes certas iſtorum locorum Eccleſiæs conſequerentur Indulgentias ſimiles, quæ erant quondam conceſſæ tali, vel tali loco, ſeu tali vel tali Eccleſiæ, quæ in ipſo privilegio conceſſionis exprimebantur. De quibus locis vel Eccleſiis fama vulgaris erat, quod viſitantibus ea vel eas conceſſæ eſſent olim

à ſede Apoſtolica indulgentiæ pleniſſimæ. Prædictæ verò indulgentiæ non ſolum concedebantur in locis inſignibus, ſed in villis etiam non muratis, & in monaſteriis vel eccleſiis ſitis in campis. Et in omnibus privilegiis conceſſionum prædictarum ponebatur clauſula (porrigentibus manus adjutrices) ita ad hujusmodi indulgentias, niſi qui ipſis locis, vel eccleſiis manum porrigeret adjutricem, nemo conſequi poſſe videretur. Unde quidam conceſſiones hujusmodi magis non magni faciebant, ut quas pro lucro magis, quam ex zelo tum inſtitutas à Papa ſuſpicabantur. Interim verò Bonifacius Papa calculi dolore, & tandem inde membro putreſcente virili A. XII. pontificatus Calend. Octobr. moritur, vir multorum opinione pecuniæ cupidior, quam æqvum erat.

§. IX.

Jus Conciliorum. Rupert. Imp.

Wenceslao deſerenti Imperium ſuffectus Rupertus Imp. qvum Cardinales, qui neutri Papæ adhærerent, & concordiæ Eccleſiæ ſtudere præ ſe ferrent, Piſis concilium agerent, nec minus uterque Antipaparum ſuo quisque loco & obedientiâ. Imperator in Comitiis Francofurtenſibus A. C. 1409. de his ipſis Conciliis eorumque jure cum Statibus Imperii conſultavit, ſed magis in partem Gregorii inclinavit, ut ex Gobelino Chronicon Belgicum refert: *A. Dn. M CCCC IX. in octava Epiphaniæ Domini factus eſt conventus Regum ac Principum apud Francofurtum, & venerunt duo illi Cardinales, unus ex parte domini Gregorii, alter ex parte Collegii Cardinalium: qui uterque inter ſe graviter altercabantur. Et tandem Cardinalis Papæ promiſit Dominum Gregorium in locum & tempus, utut Rex pro celebrando concilio propter unionem Eccleſiæ exiſtimabit, dummodo Collegium Cardinalium illuc veniat, omnino conſenſurum, cum Cardinales locum,*

eum, quem Papa indixit videlicet civitatem Utinenſem provinciæ Aquilejienſis recuſent. Sed Cardinalis Collegii contentus non fuit. Vnde tandem major pars Archiepiſcoporum, & Principum declinavit in partem Cardinalium. Sed Rex cum paucis, præcipuè, illis, qui erant conſanguinitate ſibi adſtricti in partem Papæ declinavit, utentes prætextu, tanquam ſi relinquere Papam, cui fidelitatis juramento eſſent adſtricti, priusquam canonicè depoſitus eſſet, non liceret; unde tandem Rex & Principes diviſim miſerunt viros ſolennes verſus Piſas: Et convenerunt ibi Cardinales utriusque Papæ fere majori parte, ubi pronunciatum fuit: Congregationem illam CONCILIVM eſſe GENERALE & tam Gregorium, quam Benedictum debere deponi, & concilium eos depoſuit. A qua pronunciatione pro parte Regis fuit appellatum. Hæc Goblinus. Sed Collector Chronici ſuum adjicit judicium: *Et Alexander ibidem electus eſt, qui dicebatur Petrus de Candia. Et fuit additũ ſchiſma ſchiſmati; quia tres gerebant ſe pro ſummis Pontificibus: nec valuit concilium iſtud, vel certè non prævaluit exequi bonum quod decrevit.* hæc ille. Cauſam ſcilicet præbuit Imperator, cui executio decreti incumbebat. V. L. *Meimb. Hiſt. du grand. ſchiſm. d occid. l. IV.* imprimis quoque Paulus Langius *in Chronico Citizenſi ad A. C. 1404.*

§. X.

Eodem tempore & Imp. Rupertus, & Alexander Pontifex obierat, A. C. 1410. ſuperſtitibus duobus adhuc Papis, Gregorio à Gallicis Ariminæ, & Benedicto ab Hiſpanicis recepto Eccleſiis, Alexandro in Italia ſuffectus erat Johannes XXIII. Neapolitanus. Itaque facta eſt Civitas magna in tres partes. *Papa Nationales.*

Cap. V.

DE

CONCILIO CONSTANTIENSI.

S v m m a r i a.

Sigiſmundus Imp. Concilium Conſtantiæ agit; ſcopo duplici: ut Eccleſia ſub unum Pontificatum redigeretur. an hoc ex re Germaniæ dubitatum. Eccleſia Germ. an obligata ad obedientiam P. R. jure divino vel canone VI. Concilii Niceni. Novell. CIX. Ratio redunitionis Concilii. Jus concilii invito Papâ exſertum: & hic ipſi ſubjectus. Fr. Sylvius notatur. Joannes Papa depoſitus. Regimen Eccleſiæ per biennium ſine Papa. De Jure primariarum precum. Reformatio urgetur ab Imp. & Germanis ante electionem Papæ, ſed fruſtra. Cauſæ. imminuta auctoritas Imperatoris & neglectus Concilii Nationalis. Formula Reformationis & neceſſitas. Doctrina Huſſitica condemnata, non ſine motu Eccleſiæ & Reip.

§. I.

Concil. Conſtant. Ruperto ſuccedebat *Sigiſmundus* Imp. Caroli IV. filius, de quo Emundus hæc prædicat: *Laboravit ſtrenuè pro reparatione Eccleſiæ in capite & membris, & pro extirpatione hæreſis in Bohemia, & pro pace in Francia inveniendâ, & ut ſacrum Concilium Baſileæ celebraretur.* Decreverat quippe à Concilio Piſano conſtitutus Pontifex

ſex Alexander *Concilium generale* celebrare, quod executurus ſucceſſor Joannes, *tempus* quidem, ſed non locum determinare auſus, verum duos miſit Cardinales ad Imperatorem Sigismundum, ad concordandum *de loco*, conventumque, ut in civitate Germaniæ, Conſtantiæ, celebraretur. Ad quod Imperator etiam *Regem Galliæ* requiſivit ex Imperiali officio, ut ipſe loquitur, extat epiſtola in Tomo I. Conſtit. Imp. Goldaſti. Conf. *L. Meimb. Hiſt. de grand. Schiſm. d' occid. l. IV. p. 158.* Igitur A. C. M CCCC XIV. die IV. Nov. inchoatum fuit, præſente Imperatore & Pontifice Italico. Atque ſicut ſcopus fuit duplex imprimis: *Redunitio Pontificatus*, in tres diviſi nationes, & reductio Eccleſiæ occidentalis ad unicam rurſus obedientiam ſive regimen Eccleſiaſticum; deinde *reformatio* doctrinæ, & condemnatio hæreſeos: ita, quis utriusque fuerit progreſſus, quis eventus, videamus. *Scopus*

§. II.

Enimverò conſultius feciſſe Eccleſias Germaniæ, & libertati ipſarum primævæ magis proficuum videri poſſit, ſi arrepta hàc cœlitus quaſi oblatâ occaſione, non intendiſſent redactionem Eccleſiarum Occidentalium ſub unum rurſus Regimen Pontificis Rom. ſed exemplo Franciæ, & Hiſpaniæ, & ſibi ſummum poſt Imperatorem, Pontificem per obedientiam Germaniarum conſtituiſſent. Ita enim futurum fuiſſe, ut tum à tyrannide & avaritia liberæ forent, tum ut doctrinæ puritatem eo facilius poſſent reducere. Neque verò id injuſtum haberi poterat, aut contra obligationem per Canonem Concilii Niceni introductam, qua Eccleſia Occidentalis ſubjecta ſedi Romanæ: multò minus impediiſſet, quod ex Jure Divino arceſſitur: poteſtatem Vniverſalem, ac ſpeciatim ex dicto *Redunitio an ex re German.* *Eccl. Germ. an oblig. à*

Salva-

can.Conc. Nic.ad obedient. Papæ Rom. N. 2.per Conceſſionem. Salvatoris ad Petrum, *tu es Petrus &c.* id & ſuperius attigimus, & tam eſt exploſum, ut operæ pretium amplius non ſit, ea de re diſputare.

§. III.

Cæterum, quod ad *Nicenum* attinet *Concilium*, primo fingamus, introduxiſſe tunc Imperatorem, & Patres Eccleſiæ univerſæ hanc *Obligationem Eccleſiarum Occidentalium*, ut ſubjectæ eſſent poteſtati Sedis Romanæ: adhuc tamen nego, talem obligationem ad *Eccleſias Germanici Imperii* pertingere, qvum hæ tum temporis in rerum natura nondum extiterint, ſaltem in Germania magna. Quæ autem non ſunt, nec obligantur: nam etſi ſimpliciter verum non eſt vulgare brocardicum: *legem non acceptatam non obligare;* quod proin recte refutavit *D.Engel. Proleg. J.Can. de Conſtitut.* §. *IV.* 68. tamen verum id eſt de his communitatibus, quæ hactenus jurisdictioni Legislatoris non fuerunt ſubjectæ, quippe quæ non niſi acceptatione & ſubmiſſione obligationem demum ſuſcipiunt, præſertim in ſpiritualibus & eccleſiaſticis, in quibus nulla vis, nullum belli jus locum obtinet. Et omnino falſum eſt, *in iſtis poteſtatem ferendi legem immediate à Chriſto Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus datam eſſe, & nunquam penes populum fuiſſe.* Nam imo toti Eccleſiæ, & conſequenter etiam *populo* poteſtas illa competit, qua de re alias. *Apoſtolorum* autem *ſucceſſores* ignorant ſacræ literæ, qui poteſtate Apoſtolica, quæ ad fundandam Eccleſiam univerſalem neceſſaria erat, eſſent inſtructi.

§. IV.

abſolutè. Sed iſta conceſſione opus haud eſt. Nam primò, ea, quam hactenus ſuper Eccleſias omnes, & præſertim Germanicas, urgebat Curia Romana, Pontificis poteſtas, non

non erat Clavium illa interna, neque directrix atque Patriarchalis, ſubordinata Majeſtati Imperatoriæ, qua Conſtantinus M. Concilii Niceni tempore gaudebat, & ad ſucceſſores Imperii transmittebat, ſed ipſa pars τῆς κυρίας & *Majeſtas circa ſacra,* quam ſedes Rom. demum ex pacto cum Henrico V. Imp. contra jus divinum obtinuerat. Atque de hac nec voluntas, nec poteſtas fuit Concilio Niceno quicquam diſponere: Igitur nec Eccleſiæ Germanicæ ad eam inde obligatæ fuerunt.

§. V.

Denique nulla unquam *obligatio,* non modo Eccleſiarum Germanicarum, ſed nec reliquarum totius occidentis in Concilio Niceno fuit introducta, ſed tantum ſimpliciter relatum, quid moris tum fuerit Eccleſiæ Romanæ, & Alexandrinæ. Ait Canon VI. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ, καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. *Antiqui mores obtineant, qui ſunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam illa eſt Romano etiam Epiſcopo conſuetudo.* Et concil. Cpolit. Oecumenici II. c. II. confirmat Canonem Nicenum, ſed nullam facit mentionem Sedis Romanæ, quod univerſæ Eccleſiæ occidentales tum exiſtentes poteſtati ipſius Patriarchali deberent eſſe ſubjectæ, multo minus futuræ. Quare nihil aliud conficitur inde, niſi quod ſedes Romana tum uſa fuerit poteſtate Metropolitica extenſiori in omnes Eccleſias ſuburbicarias & poteſtatem ejus agnoſcentes, non in unicam ſolum Pro-

can. Concil. Nic. expenſus.

vinciam. Atqui inter has Germanicæ tum non fuerunt, neque Gallicæ ſemper, aliæque occidentales, de quo lib. 1. cap. IX. pluribus.

§. VI.

Quamobrem nec Petrus de Marca cum *lib. 1. de C. S. & J. C. V.* demonſtrandum ſuſcepiſſet, Romanum Pontificem eſſe caput Occidentis, ullam mentionem fecit hujus canonis. Cæterum teſtimonia ex *Baſilii Ep. X.* ubi Epiſcopus Rom. δυτικῶν κορυφαῖος, & Auguſtini *lib. 1. contr. Jul. c. 2.* ubi occidentalis Eccleſia vocatur, cui præeſt Epiſcopus Rom. item Hieronymi *adv. Vigilant.* qui Eccleſias Sedis Apoſtolicæ vocat, aut Cyrilli *Epiſt. in Concil. Eph. p. 1. c. 21.* qua totius occidentis communio ad Patriarcham Rom. refertur, non obſunt: multo minus domeſticum illud Innocentii I. nec denique Juſtiniani Nov. CIX.

Nov. 109. in qua τῆς ἑσπερίας Ῥώμης Patriarchatus, contradiſtinguitur Patriarchatui Orientalis Romæ, quemadmodum etiam Syneſius ita locutus. Hoc enim ſolum ex iis concluditur, Eccleſiarum occidentalium directionem Epiſcopum Rom. tum habuiſſe, earum, quæ tum extiterunt, & regimen ejus agnoverunt. Inter quas Germaniæ Magnæ Eccleſiæ nondum tunc numeratæ: Quæ poſtquam natæ, ſicuti vel libere vel Bonifacio inducente, Romani Pontificis poteſtatem acceptarunt, ita ex cauſa, eâdem libertate potuerunt repudiare, nec divino jure, nec humano prohibente.

§. VII.

Ratio Concil. Conſtant. Etſi verò neque injuſtum fuiſſet, neque inconſultum libertati ſacræ, Eccleſias Germanicas ab obedientia Papæ Italici liberare, & proprium ſuæ nationi ſtatuere: Tamen contrarium potius, atque id actum fuit, ut ſplendor

dor Imperii Romano-Germanici per omnia conſervaretur, quem cum poteſtate ſedis Romanæ Monarchica, & univerſali connexam arcte fuiſſe, etiam ſupra latius expoſuimus, nec actum hic agemus. Neque etiam defuit, opinor, opinio inveterata, de ſedis Romanæ prærogativa, atque univerſali poteſtate ex Jure divino, quæ fundamentum eſt totius Monarchiæ Eccleſiaſticæ.

§. IIX.

Quidquid tamen ſit, etſi ad hunc gradum reformatio Eccleſiæ pervenire tunc nondum potuit, id tamen libertatis ſpecimen edidit Concilium, ut iterum ſe oſtenderet judicem Pontificis legitimum, qua in re hoc potiſſimum medio fuit uſum, ut ſecundum quatuor Nationes Germanicam, Francicam, Italicam, & Anglicam divideretur, & curiatim conſultatio fieret. Goblinus ait: *Poſt multos tractatus totum concilium in quatuor nationes eſt diviſum, quæ quatuor ex ſe Prælatos, videlicet quilibet unum, elegerunt, qui præſidentes Concilii negotia decreta curarunt.* Quod qvum Johannes cum ſuis Cardinalibus nullo modo poſſet impedire, receſſu ſuo cogitavit totum diſſolvere Concilium, quaſi penes ipſum eſſet ſumma poteſtas, & cogendi, & ſolvendi concilia. Sed Concilium non attenta Johannis fuga, die XXVI. Martii A. C. 1415. ita pronunciavit: *Synodum illam legitimè eſſe convocatam, & inchoatam, & usque tunc celebratam: & per receſſum Papæ non fuiſſe ſolutam: nec diſſolvi debere, donec fieret perfecta ſchismatum extirpatio, & Eccleſia reformaretur in fide & in moribus, in capite & membris.* Ita refert Goblinus in Chron. Belg. Paulo plenius in Tomis Concil. additurque: *Concilio quemlibet cujuscunque ſtatus vel dignitatis, etſi PAPALIS* (dignitatis:) *exiſtat, obe-*

Concilii jus & Papæ ſubjectio.

Decret. Concil. Conſt. Reformatio.

dire teneri in his, quæ pertinent ad fidem & extirpatio-nem ſchiſmatis & reformationem generalem Eccleſiæ DEI in capite, & membris. Quæ verba mirè cruciant Monarchiæ Papalis defenſores.

§. IX.

Inter eos Fr. Silvius *addition. ad Caranzæ ſumm. Concil.* non veretur dicere, *Concilium hoc, quoad hæc verba non fuiſſe legitimum, nec ea conciliariter prolata, h. e. præſentibus omnibus, aut certè pleriſque & rebus diligenter examinatis, ſed ab iis ſolùm emanaſſe, qui fuerint de obedientia Johannis, iiſque non omnibus.* Quæ partim falſa ſunt, quatuor enim jam tum nationes aderant, Hiſpanica autem demum poſt executionem Huſſi & Hieronymi poſt ſeſſionem XXI. acceſſit: partim non concludunt, quod iſte intendit, ſic enim retorquerem, etiam damnationem Huſſi non fuiſſe legitimam, imo cætera omnia, quæ in ſeſſionibus prioribus fuerunt acta, quod tamen is negat. Quam abſurditatem ipſe videns, alium effugium quærit, *iſta verba non niſi de hoc Concilio intelligenda, nullo exiſtente Pontifice certo.* verum idem hic Canon repetitus initio Concilii Baſileenſis *Seſſ. 2. 3. & 18. & 33.* uno tantum, eoque certo exiſtente Pontifice. Atque ſatis illorum temporum & diſputationes & annales declarant, quis ſenſus fuerit utriusque canonis, & quæ horum Conciliorum ſententia, adeo difficile eſt, veritati contradicere. L. Meimb. *lib. V. Hiſt. de grand ſchiſm. d' occid. p. 238.* attingit hanc quæſtionem, An Papa ſit ſubjectus concilio, ſed abſtrahendo cum P. de Marca ſentit *lib. 3. c. 7. de Conc. Sac. & Imp.* ſcilicet perinde eſſe, ſive Papa ſive Concilium aliquid contra libertatem Eccleſiæ Gallicanæ ſtatuat, ipſa enim non conſentiente, nihil valere. Id

quod

quod veriſſimum, & libertati etiam cæterarum Eccleſiarum conforme; quanquam tunc non incidit neruum, quoties controverſia eſt Eccleſiæ contra ipſum Pontificem an ejus Jurisdictio ſit fundata.

§. X.

Mox menſe Majo decreta fuit citatio contra *Johannem* Papam Edictalis ad reſpondendum certis articulis, quos idem refert Goblinus, & qvum nec iis contradicere, nec contra teſtes quicquam opponere poſſet, Concilium, præſente Rege in Regalibus inſigniis, ſententiam depoſitionis tulit contra illum, & Papatu, & ejus adminiſtratione privavit, nec non omnes, & ſingulos Chriſtianos ab obedientia abſolvit, captivumque in caſtro Manheym ab Imperatore teneri fecit. *V. L. Meimburg. L. V. hiſt. du grand. ſchiſm. d' occid.* Menſe Julio Papa Francicus, *Gregorius*, per procuratorem Papatui, & omni juri ſibi in eo competenti in publica ſeſſione coram concilio renunciavit. Hiſpanicus verò *Benedictus*, qvum cedere nollet, deſertus fuit ab Hiſpanis, & ambaſſatores Regum & Principum Hiſpaniæ, utpote Regis Arragoniæ, Regis Caſtillæ, R. Navarræ, & Fuxi Comitum Concilio fuerunt juncti, & ſic Concilium *in quinque nationes* fuit diviſum. *Joh. Papa depoſitus.*

§. XI.

Ita tranſiit biennium, ut nullus eſſet Pontifex ſummus, ſed Eccleſia occidentalis ab Imp. & Concilio Generali gubernaretur. Quo tempore recepit Imperator *jus primariarum precum*, teſte eodem Goblino, *Rex*, inquit, *dedit gratias ad beneficia Eccleſiaſtica expectativas ſub illo colore, quod de conſuetudine antiqua haberet primarias preces in qualibet collatione beneficiorum ad Eccleſiaſticas perſonas ſpectante: & licet conſuetudo illa in memoria hominum* *Regimen Eccleſ. ſine Papa.* *Jus primar. prec.*

 num

num in inferiori Germania non fuit, plures tamen eo modo beneficia fuerunt aſſecuti. Revera autem jam tum antea habuerunt Impp. jus hoc, neque Sigiſmundus id primus ſub aliquo colore uſurpavit. Exercuerat jam id antè *Wenceslaus* in die *coronationis in Regem* Romanorum anno 1375. ita ut exercitium juris ceſſerit Ruperto Electori Palatino per *diœceſin Spirenſem* & *Wormatienſem*: & qvum non tantum die coronationis in Regem Rom. ſed etiam à die *coronationis Imperialis* jus hoc iterum exſeri poſſit, & hujus tum exercitium eidem in iisdem locis conceſſit. Diploma ceſſionis habet Goldaſtus *Tom. I. Conſt. Imp.* Wenceslai pater *Carolus IV.* anno 1353. in diœceſi *Moguntina* & *Treverenſi* jus hoc exercuit, ut patet ex Reſcripto quod idem Goldaſtus eodem Tomo exhibet. Imò Abbas Vrſpergenſis taxat in Ottone IV. quod hoc jure velut antiquo non uſus, ait: *Habebat autem famulos ſuos de Saxonia & Anglia, ſeu clericos ſeu laicos, quibus omnia beneficia, quæ contigit vacare, ſtuduit conferre. Fuerat autem conſuetudo Principum, ut hilariter & promtè beneficia ſeu Eccleſias conferrent* PRIMIS *petentibus, quod iſte nequaquam facere voluit.* Scilicet miniſtris tantum ſuis conferens, non primis petentibus. Inde origo & cauſa & denominationis ratio Precum primariarum apparet. Reliquiæ ſcilicet ſunt juris Imperatorii circa ſacra, & ſpeciatim juris conferendi beneficia & miniſteria ſacra. Quod qvum per conceſſionem *Juris Patronatûs* Epiſcopis, Abbatibus & Laicis quoque imprimis vero Papæ factam transferretur, *reſervatum* fuit hoc jus, ut recens coronatis Regibus Romanorum aut Impp. tamen fas eſſet, primis petentibus conferre beneficia, etiamſi jus patronatus aliis ordinariè competeret. Hinc intelligitur, quod Jo. Andreæ

dreæ diſtinguit inter poteſtatem *conferendi* & facultatem *faciendi unum recipiendi*, h. e. primarias preces.

§. XII.

Imperator prudentiſſimus una cum Eccleſiis Germanicis perſpexerat, hactenus tot ſeculis expetitam Eccleſiæ Romanæ & inde dependentium Eccleſiarum reformationem à nemine magis impeditam fuiſſe, quam ab his, quibus curam ſui ſummam, hunc ipſum in finem, ut reformaretur, commiſerat Eccleſia. Quamobrem ratus, nunc commodiſſimum affulſiſſe momentum tantæ rei expediundæ, qvum Sedes Romana vacaret, id ſatagebat, ut antequam novus Pontifex Rom. ordinaretur, negotium reformationis perficeretur. Sed Cardinales Romani quaſi ſuum gerentes negotium reſtiterunt, in ſuam trahentes ſententiam etiam Gallos. Quare etſi ad Imperatoris & Germanorum inſtantiam *Formula Reformationis* aliqua conſcripta fuerit, executio tamen poſt electionem Papæ ſuſpenſa, & tandem à Pontifice, ac Cardinalibus, jam pœnitentibus Gallis, eluſa.

Imp. & Germ. urgent Reformat. ſed fruſtra.

§. XIII.

Audiamus Goblinum Annales ſuos ita finientem: *Poſt hoc* (A. C. 1417. ſententia degradationis etiam adverſus Papam Hiſpanicum Petrum de Luna, contumacem promulgata) *electi ſunt viri literatiſſimi ex omnibus illis nationibus, qui nomine totius Eccleſiæ reformationem ſtatus Eccleſiæ ordinarent, & conſcriberent. Illis autem moram facientibus, orta eſt ſeditio inter Regem, & nationem Germaniæ parte ex una, & cæteras nationes parte ex altera, Rege cum ſuis volente ut priusquam ad electionem ſummi Pontificis procederetur, fieret Reformatio Eccleſiæ tam in capite, quàm in membris: contendentibus ex adverſo reliquis ut*

prius procederetur ad Electionem Papæ, per quem reformatio Eccleſiæ eſſet deducenda ad effectum. Tandem Reformatione concepta, nondum tamen publicata, proceſſum eſt ad electionem ſummi Pontificis quo ex qualibet natione electi ſunt viri literatiſſimi, & devoti ſex, ut eſſent numero triginta, qui una cum Cardinalibus eligerent Papam. Simul igitur ſunt ingreſſi conclave Cardinales, quidam numero XXI. & cæteri XXX. die Lunæ, octava menſis Novembris, poſtquam jam per tres annos integros continuatum Concilium fuiſſet. Vndecimo verò dicti Menſis die concordes effecti elegerunt dominum Ottonem de Columna Nobilem Romanum Cardinalem, qui de obedientia Vrbani Sexti deſcenderat, & appellatus eſt MARTINVS Quintus. Eodem quippe feſtum B. Martini Epiſcopi celebravit Eccleſia, & in octava S. Martini coronatus fuit Pontifex ann. Dn. prænotato, & ſedit annis XIII menſe uno, diebus XVIII. Poſtquam verò dominus Martinus Papa prædictus fuit coronatus, per Nationes Concilii urgebatur Reformatio Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris, prout in Reformatione per electos conceptum prius erat. Sed quia non omnes æque ardenter inſtabant, Cardinalibus quoque in hoc torpentibus, parum profecerunt. Vnde natio Gallicana Regem adiit, petens ab eo, ut Papam ad reformandam Eccleſiam ſollicitaret. Qui reſpondit: Dum nos, ut reformatio fieret Eccleſiæ priusquam ad electionem ſummi Pontificis procederetur, inſtabamus, vos à nobis diſſenſiſtis, & Papam, priusquam fieret reformatio Eccleſiæ, habere voluiſtis. Ecce igitur Papam habetis, quem & nos habemus, illum pro expeditione hujus reformationis adite, cum nunc noſtra non ita interſit,

ut intererat ſede Romana vacante. Hactenus Decanus ille in Bilenvelde, αὐτόπτης.

§. XIV.

Ita factum, ut partim contumacia, partim imprudentia, partim deſidia etiam nunc in cauſa eſſet, quo minus divinum Reformationis opus Spiritus Sanctus operari potuerit. Imperator, ſi veterem *Imperii Majeſtatem* reduxiſſet, ſolus favente DEO O. M. rem confeciſſet, ſed prout nunc erat rerum ratio, multum imminutâ Imperii potentia ſummaque ad ſedem Rom. translata *auctoritate*, adverſus Pontificem Rom. recens electum ſeveritate aliquâ non audebat uti, & Remp. periculis gravioribus exponere, anteceſſorum edoctus exemplo. At vacante ſede Rom. ſumma & auctoritas erat penes Imperatorem & Concilium, & res ſine motibus civilibus facile expediri poſſe videbatur. Hoc eſt, quod Imperator ait: *Cum nunc noſtra non ita interſit, ut intererat Sede Rom. vacante.* Illud verò exinde obſervari licet, ſi, ut antea monuimus, quælibet harum quinque nationum, quæ univerſam Eccleſiam Occidentalem repræſentabant in hoc concilio, peculiares ſibi quæque Patriarchas aut Pontifices conſtituiſſet, & Conciliis Nationalibus Reformationem Eccleſiæ in fide & moribus ſuſcepiſſent, ſine omni dubio, faciliori progreſſu Eccleſiæ Germanicæ ſperatam reformationem jam tum omnes acquiſiviſſent.

Cauſa imminuta auctoritas Imp. & neglectus

Concilii Nationalis.

§. XV.

Articulos reformationis tum conceptæ ſummatim refert *Caranza ſeſſ.40.* unde apparet de abuſibus actum fuiſſe, præſertim de Indulgentiis, itemque de *Jure Eccleſiaſtico*, quoad Perſonas & res, & de exceſſibus Pontificum, & Cardina-

dinalium circa ſacram poteſtatem exercendam. Confer etiam aviſamenta ſive monita Imp. Sigismundi & ordinum *apud Goldaſtum Tom. I. Conſt. Imperial. anno 1416.* Cæterum quantopere reformatio morum fuerit neceſſaria, præter alios etiam Jo. Raulini Galli Ord. Cluniac. Doct. Pariſienſis teſtatur oratio *de Reformatione religionum & bene vivendi inſtituto*, primum *Baſileæ A. 1498. excuſa, poſtea J. G. Dorſchei Parallelis Monaſticis & Academicis adjecta. Argentorati 1644.* Itemque Johannis de Hamburgo, ordinis Carthuſ. per Pragam, epiſtola ad Henricum Olemannum Canonicum Northuſienſem *de corruptiſſima Eccleſiaſticorum vita. A. 1404. iisdem Parallelis Dorſcheanis ſuperadjecta.*

§. XVI.

Doctrina Huſſi. Alterum Concilii Conſtantienſis opus fuit cognitio & condemnatio Doctrinæ Wiglefinæ à Johanne Huſſo & ſociis, ut antea dictum in Bohemiam introductæ. Anſam his doctoribus dederant reformandæ fidei, abuſus enormes, & dogmata nova, quibus hucusque Curia Pontificia Eccleſiam turbaverat; His oppoſuerunt dogmata S. Scripturæ, & priſcæ puræque Eccleſiæ approbata: nempe de vera SS. Euchariſtiæ ratione, rejecta transſubſtantiatione, de ſacramento Confirmationis & Vnctionis extremæ haud neceſſario: de purgatorio ficto, de Oratione pro defunctis fruſtranea: de cultu ſanctorum Idololatrico: de indulgentiarum exceſſu aliisque. Videntur autem ab uno ſuperſtitionis extremo incidiſſe in alterum impietatis, aſſerentes Iconoclaſtiam, in Concilio Francofurtenſi olim reprobatam: nec ſervanda eſſe

eſſe ulla Eccleſiæ præcepta, quæ non contineantur ſpecificè & verbotenus in Lege Evangelica: efficaciam ſacramentorum dependere à perſona Sacerdotis: Subditos poſſe pro arbitrio dominos deliquentes punire, & deponere: omnia de neceſſitate abſoluta evenire: improbantes etiam omnes Vniverſitates, collegia & gradus academicos: omnia quoque juramenta, & quæ alia referuntur *in Chronico Belg. M. p. 335.* conf. & *p. 319. 59.* ubi de diverſis Huſſitarum ſectis inter ſeſe. Plures articuli referuntur in tomis Conciliorum, ſed multa Wiclefo affiſta tunc fuiſſe, aſſerit *Boxborn. H. V. ad A. C. 1378.* Accedebat, quod hi dogmata ſua non verbo, ſed gladio defendere, propagare, & Magiſtratui rebellare contra divina & humana jura auſi fuerant. Denique & hoc cumprimis ad defendendum Imp. Sigismundum adfertur, quod ille Huſſo periculo capitis interdixiſſet fugam: hic vero contra interdictum, & violatis etiam conditionibus, quas ſcripto pepigiſſet cum Imp. fugam apprehenderit & ita vim ſalvi conductus enervaverit. *Emund. Campian. Jeſ. lib. de hoc argumento Rat. 4. & ex eo L. Meimburg. lib. 5. Hiſt. du grand. ſchiſm. d'occid p. 324.* Hinc non mirum, quod & doctrina eorum omnis, etiam quantum veritatem continuit, condemnata, & auctores rogo dicati, ac ſectatores rebelles armis petiti ac ſuppreſſi. Dubitari tamen poſſit, an rectius fuiſſet, dogmata ſatis ponderare ſingula, vera à falſis ritè ſeparare, nec omnia promiſcuè condemnare, ſcandala motusque majores excitare, quibus tandem Concilium Baſileenſe remedium ferre oportuit. De auctoritate hujus Concilii controverterunt

Epiſcopi Itali & Galli in Concilio Trid. Italis contendentibus, id partim approbatum partim reprobatum: his, fuiſſe Concilium Generale. Qua de re *Paulus Sarpius lib. VII. Hiſt. Concil. Tridentini* hæc refert: Atque hoc loco incidit controverſia inter *Gallos* & *Italos*, cum dicerent hi *Florentinum* concilium fuiſſe generale, & *Conſtantienſe* partim approbatum, patim reprobatum; *Baſileenſe* verò ſchiſmaticum: Illis contra ſuſtinentibus, *Conſtantienſe* & *Baſileenſe* fuiſſe Concilia generalia, & illud nomen non poſſe competere *Florentino*, cui interfuerunt tantummodo pauci aliquot Itali & quatuor Græci.

Caput

CAP. VI.

DE

LIBERTATE ECCLESIARVM GERM. AVGESCENTE SVB CONCILIO BASILEENSI.

SVMMARIA.

Concilii hujus occaſio diſſolutio Conſtantienſis. Jo. Gerſonis fatum. Nicolai de Clemangis laus. Concilii autoritas ſtabilita ſupra P. R. conſenſu Eugenii. Reformatio cœpta: quam reſpuit Curia Rom. Depoſito Papa alius ſuffectus: neuter ab Eccleſiis Germ. agnitus. Tandem Fridericus III. effecit, ut Nicolaus V. reciperetur. Concordata Nationis Germanicæ. Sanctio Pragmatica. Libertas Eccleſiæ Gallicanæ. Eccleſia Bohemica pro Catholica declarata. communio ejusdem cum CPolit.

§. I.

QVum reformationem ſui, tam quoad fidem Catholicam, quam quoad mores Chriſtianis dignos, univerſa deſideraret Eccleſia, atque utrumque hoc malum ex nimia Cleri potentia prolapſum cerneretur, id egerant hactenus Imperator & Eccleſiæ quinque nationum in Concilio Conſtantienſi, ut initium reformationis à coercenda Pontificis Clerique Rom. uſurpata potentia ſumerent. *Occaſio Concilii Baſil.*

merent. Sed qvum articulorum reformationis publicatio, & executio, contra prudentiſſimum Imperatoris monitum, poſt electionem Pontificis novi differretur, ut capite ſuperiori dictum, Martinus V. Papa poſtea vix unum aut alterum caput de Simonia, atque decimis, publicari fecit, cætera differri, in proximum Concilium, cujus locus ſeſſione penultima ſtatutus: itaque diſceſſit Pontifex Conſtantia in Italiam invito Imperatore, Conciliumque finitum die XXII. April. A. C. 1418. quaſi animus nunquam fuerit, quicquam de potentia remittere, ſed imo eam quovis modo adaugere. Quare hi, qui in concilio ſedis reformationem liberius poſtularunt, in ſummam Pontificis offenſam incurrerunt. Quod cumprimis etiam *Johannes Gerſon* Cancellarius Pariſienſis exemplo docuit ſuo, qui, quod in hoc Concilio emendationem Eccleſiæ Romanæ plurimis rationibus urſiſſet, diſſoluto eo, à Pontifice omnibus fortunis ſpoliatus extra patriam & dignitatem, privatus Lugduni vitam finiit. *Hunc plenum Chriſtiani ſpiritus & virum per omnia magnum*, appellat Philip. Mel. *apolog. pro M. Luth. T. 2 Jen. fol. 427.* Ejus diſcipulus *Nicolaus de Clemangis* Theol. Doctor, & Archidiaconus Bajocenſis in Gallia egregium librum *de corrupto Eccleſiæ ſtatu* conſcripſit; quibus perditos Eccleſiæ Romanæ mores graviſſimè perſequitur, & Reformationem Eccleſiæ ardenter exoptat; Repertum in Bibliotheca Vaticana, initio hujus ſeculi editum. Digna imprimis ſunt, quæ legantur, quæ ille de abolitione electionum, reſervatione beneficiorum, expectativis & aliis exceſſibus cap. V. VI. & ſqq. diſſeruit.

Gerſonis fatum.

Nic. de Clemang.

§. II.

§. II.

Quo minus grata ſedi Rom. reformatio ſui, unde tamen totius dependere Eccleſiæ repurgatio videbatur, eo magis deſiderata ab Imp. & Eccleſiis ac Principibus ea fuit. Accedebat, quod Huſſitarum motus nullis copiis, nullaque vi ſedari poſſent: unde alia iniri via in Concilio debebat. Atque hæc poſterior cauſa Pontificem Eugenium, Martini ſucceſſorem, tandem eo perſuaſit, ut Concilium Senis inchoatum transferretur Baſileam, A.C. 1431. Conceſſo *Bohemis* Theologis liberrimo ſalvo conductu: ut *decidendi* quoque facultatem haberent: ut in omni controverſia veteris Eccleſiæ praxis, Concilia & interpretes cum ſcriptura conſentientes obtinerent. Vt ipſis domi liceret religionis ſuæ exercitio uti: Ne quid in ipſorum doctrinæ contemtum, aut vituperationem fieret. Facta à Concilio etiam nomine Pontificis & Cardinalium cautione. *P. Suav. Hiſt. Trid. l. 4. p. 410.* In altera ſtatim ſeſſione *canon Conſtantienſis* de auctoritate Conciliorum Generalium ſumma, & Papæ ſubjectione, præſente Juliano Nuncio Apoſtolico, ſolenniter repetitus, cumque Patres animadverterent diſplicentiam Papæ, mox ſeſſione Tertia, idem decretum denuo repetiverunt, adjicientes alterum: *Papæ jus non eſſe diſſolvendi Concilii, quum ſit contra decreta Conſtantienſis Concilii, & tendat in grave periculum fidei, & ſtatus Eccleſiaſtici turbationem & detrimentum, atque ſcandalum totius populi Chriſtiani.* Conf. Bullam auream & Auiſamenta Sigismundi Imp. *apud Goldaſtum Tom. III. Conſt. Imp. ann. 1432. ſq.* Vnde porrò monuerant Eugenium, ut veniret ipſe ad Concilium: emanentis, & diſſolutionem aperte conantis contumaciam accuſantes citarunt ſæpius, usque dum

Concilii auctoritas ſtabilita.

ſeſſ.

ſeſſ. XVI. & ſequente Eugenius diſſolutionis affectationem annullaret ipſe, declarans *Concilium à Principio inchoationis ſuæ fuiſſe, & eſſe legitimè congregatum, revocatis Bullis*, quas ad diſſolvendum Concilium ante dederat. Quo facto, ſeſſione XVIII. ſuperiora decreta de Conciliorum & Papæ poteſtate iterum repetita. Adeo inſubidè *Fr. Sylvius* hoc Concilium *ſtatim fuiſſe illegitimum* annotavit, *quia cum ſub ſpecie reformandæ Eccleſiæ Patres conarentur Eccleſiæ Rom. privilegiis derogare, Eugenius illud revocaſſet.* Accuratius longe hac de re judicat *Fr. Duarenus lib. V. de SS. Eccleſ. Miniſt. c. XI.*

Conſens. Papæ.

§. III.

Reformatio cœpta.

Stabilita ſic concilii auctoritate adverſus Pontificem, progreſſi longius ſunt Patres in articulis reformatoriis, & de conſtitutione Epiſcoporum, ac cæterorum Prælatorum, de Synodorum annuarum, & conciliorum Provincialium inſtitutione, & parochianorum informatione catechetica: de converſatione cum Judæis, & eorum converſione procuranda: de concubinariis: de Annatis non exigendis: de Feſto fatuorum, Bachanalibus, aliisq; ſimilibus abuſibus, (inter quos etiam nec dum ubique abrogata fatuitas Natalitia cenſita, ni fallor *videas ſeſſionem XXI.*) tollendis: de erroribus Auguſtini Arhiepiſ. Nazareni; de electione Pontificis Rom. de numero & qualitate Cardinalium, deque Nepotiſmo abrogando, vetitis quoque omnibus *Beneficiorum Reſervationibus* generalibus, & ſpecialibus; Electionibus reſtitutis, & confirmationibus ad jus commune revocatis, *V. Petr. de Marca. l. VI. de C. S. & J. c. IX. M. A. de Dom. l. III. de Rep. Eccl. c. ult. §. XXIII. & lib. IX. c. VIII.*

§. IV.

Obtulit tunc Concilio libros de Concordantia Catholica ad Imp. Sigiſmundum & Julianum Cardinalem, Legatum ſcriptos, Nicolaus de Cuſa, nationis Alemannicæ Decanus S. Florini Confluentiæ, poſtea Cardinalis: ubi inprimis tractat de Eccleſiæ Romanæ & Conciliorum auctoritate, ac lib. 2. cap. 8. demonſtrat, quod *auctoritas in conciliis non dependeat à capite* (directorio) *concilii, ſed à communi omnium conſenſu.* & cap. XI. *etiam Romani Pontificis decreta robur ex acceptatione & uſu demum capere, aliàs in periculo eſſe Chriſtianos.* cap. XII. *præſidentiam Papæ in Concilio univerſali, quoad poteſtatem condendi rectè æquiparari præſidentiæ Metropolitani in concilio provinciali:* Cap. XVII. probat *Papam ſubeſſe Concilio univerſali.* Cap. XXIV. Conciliorum *Nationalium* autoritatem & magnam poteſtatem exponit. Inde de reformatione Eccleſiaſtica, ut præcipuè neceſſaria. Lib III. aſſerit *Imperatorem in corporali hierarchia, ſicut Papam in ſpirituali, caput & omnium Principem eſſe, cap. 1.* exploſâ donatione Conſtantini, *cap 2.* exponit poteſtatem Imperatoris quoad cuſtodiam Fidei, *cap. 7.* congregationem concilii *cap. 9.* etiam univerſalis *cap. 13. & 15.* Tandem de Imperiali concilio, ex membris principalibus Imperii collecto, & ejus uſu antiquo & utilitate *c. 25.* & ejus reformatione multa utilia diſſerit, nec diſſimulans, quod Curia Romana etiam in cauſa ſit evacuationis ærarii Reip. *Nicol. de Cuſa.*

§. V.

Eodem tempore & loco ſcripſit *Gaufredus de Monte electo* Abbas Lirinenſis Monaſterii in inſula mediterranei maris ad oſtia Liris in Italia, tractatum *de poteſtate Papæ & Concilii,* itemque alium *adverſus errores Bohemicos,* *Gaufred. Abb. Lir.*

micos, ac tertium *de auctoritate Concilii Generalis*, in quo ex Melchiadis Papæ confeſſione & Gratiani relatione *Diſt. 88. c. 1.* collegit, jus definiendi reſidere penes Synodum & non in ſolo Papa. *Et eſt*, inquit, *advertendum, quod Papa non dicit ibi* Decernimus ſacro approbante concilio, *ſed* Decrevit S. Synodus, *ad denotandum, quòd auctoritas diffinitiva reſidet penes Synodum & non in ſolo Papa; ſicut nec ſolus Papa facit Concilium, ſed ipſe cum aliis. Nec obſtat, quòd in ſupraſcriptione dictorum capitulorum præponitur nomen Papæ, & in pluribus locis dicitur* ſacro approbante concilio: *quia hoc factum fuit ex gratitudine Conciliorum ad honorandam S. Romanam Eccleſiam, quam Concilia generalia honorare conſueuerunt.* Etſi verò longè alia mens *Gratiani* fuerit, ut conſtat ex *cau. 25. q. 1. ad finem*, neque Melchiadis, ſed Concilii Chalcedonenſis canon iſte tertius ſit, rectè tamen ex jure canonico *veteri* hæc defenditur ſententia, cui jus novum Pontificium derogare voluit; ſed non admiſſum hactenus ab Eccleſiis Germaniæ & Galliæ. Vnde *St. Baluzius* hæc ex Gaufredo *ad dictam diſt. 88.* referens, bellè dicit *inveniendum eſſe ab hominibus Italis, juris novi defenſoribus, aliquam rationem, quâ Gallicanæ Eccleſiæ ſententiam cum ſuâ conſocient ac conjungant, ut idem omnes, ſi fieri poſſit, ſentiamus de auctoritate Conciliorum & Romani Pontificis. Hactenus enim Gallicanæ Eccleſiæ ſententia & Italicorum ingeniorum opinio viſæ ſunt eſſe res diſſociabiles, quantum attinet ad iſtam materiam.*

Diſt. 88. c. 1.

§. VI.

Papa reſpuit Reform.

At verò Pontifex cum Cardinalibus ſuis, cognito, potentiam curiæ ſuæ ab Eccleſia & Republica per Concilium jam coerceri, de diſſolvendo Concilio denuo tra-

ctavit. Sed Concilium audentius ivit contra, & Seſſione XXVI. usque ad XXIX. variè de Papa,& Cardinalibus admonendis, *citandisque* occupatum; tandem Pontificem pro *contumace* declaravit, & Seſſione XXXII. *Suſpenſionem Papæ* A. C. 1437. & mox, qvum Seſſione ſequente, decreta priora de ſuprema Concilii auctoritate, in rebus ſacris & in dependentia à Curia Romana, rurſus ſolenniſſime,& ſub declaratione Hæreſeos, ſi quis repugnaret, re-repetiiſſet, ad *depoſitionem* Papæ Eugenii progreſſum eſt; tandemque depoſito Eugenio electus *Felix V.* h. e. Amadeus Dux Sabaudiæ Eremita, & viduus imperante jam Alberto Auſtriaco, Sigismundi genero, A. C. 1439. Vide Bullam Synodi anno 1437. *de Papæ Romani ſuſpenſione ab officio paſtorali propter ejus lupinam tyrannidem, miſſam ad S. R. J. Electores in conventu Electorali congregatos.* Reſcriptum ejusdem *de non impedienda Eccleſiæ reformatione in capite & in membris, & quod Papa ſubjectus ſit Concilio, quodq́; tyrannica ejus adminiſtratio à Concilio ſuſpendi debeat.* anno 1438. & alia duo ſimilia anno ſequente, *apud Goldaſt. Tom. III. Conſt. Imp.* Alberti II. Imp. & Caroli VII. R. Francorum Pragmaticam Sanctionem de anno 1438. *apud eundem Tom. I.* *Curia Rom.*

§. VII.

Notandum eſt, quod Ambroſius Camaldulenſis Abbas Generalis in Hodeporico refert de Eugenio A. C. 1431. *Contendimus ſummo ſtudio, quæ ad optimam reformationem Religionis noſtræ pertinere videbantur, à Pontifice ſummo impetrare per nos ipſos interpellantes ſæpe Pontificem, & per alios familiarius illi inhærentes, præcipue per venerabilem Patrem noſtrum Abbatem S. Juſtinæ Prioremq́; S. Pauli Erat in nos Pontificis animus benigniſſimus, ſed temporis*

prævalente malitia, quædam indulgere noluit, quæ Conſuetudini Curiæ præjudicium afferre videbantur. Petebamus, ut liceret nobis antiquo more, Prælatos ordinis corripere, ac privare etiam (ſi mererentur ea pœna plecti) ut juxta Prophetam, evellere noxia germina, & utilia plantare poſſemus: eisque ſubſtituere, quos ſciremus idoneos: Porro Monaſteria non niſi per mortem Prælatorum vacare in Curia Rom. volebamus: Confirmationesque Prælatorum eâ lege poſcebamus, ut ſolverent in Curia taxationem conſuetam. Nihil horum libere impetrare potuimus, & hoc extremum minimè omnium. Et paulo poſt: *multus fuit nobis cum illis* (Cardinalibus quibusdam) *frequensque tractatus de Baſileenſi Concilio, cui Pontifex ægrè annuebat, ipſis contra ſentientibus. Adeo ut de hac re Pontificem fuerimus allocuti diutius, ſupplicesque oraverimus, ut occurrere imminenti periculo dignaretur. Multa reſpondit in rem, neque tamen quicquam profecimus tunc.*

§. VIII.

Depoſito ſuffectus alius.

In electione novi Pontificis conſenſerunt pleræque nationes præter *Gallicam* & *Germanicam*. De *Gallica* extant acta *apud Collectorem Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, Tom. II. c. XX.* ex quibus quasdam refert Petrus de Marca *l. I. de C. S. & J. c. XI. §. VIII.* nempe Carolus Rex Franciæ decreta quidem Synodi, Pragmatica Sanctione edita, amplexus, à communione tamen Eugenii ſecedere noluit, quod apud viros graves dubitaretur, num illa depoſitio, & ſubſequens electio ſint ritè, juſtè, canonicè, & legitimè celebratæ, ubi autem debite informatus fuerit de veritate cauſæ iſtius per Oecumenicum Concilium, aut aliud generale, ſeu etiam per congregationem Eccleſiæ Gallicanæ melius & extenſius convocandæ cum Ducibus, Baro-

Baronibus, aut Confœderatis ſuis, aut in Conventione Principum Chriſtianorum, tunc veritate comperta & diſcuſſa, ſtaturum ſe cum ea. Scripſit etiam conſilium prolixius *Jordanus Bricius* J.C. pro Eugenio IV. juſſu Petri Cardinalis Fuxenſis anno 1433. *extat in lib.3. Miſcellan. St. Baluzii.*

§. IX.

In *Germania* verò, ut Aventinus teſtatur, Ordines Imperii Eccleſiaſtici pariter ac Seculares, conſilio Jurisprudentiæ & Hiſtoriæ civilis conſultorum, neutrum Paparum agnoverunt, nec Eugenium, depoſitum à Concilio, nec Felicem, in quem non conſenſerant, tenentes *Neutralitatem* ut vocabant. Principes Electores fœdus & unionem deſuper condiderunt, ut legere eſt in *Goldaſti* Reichshändel *p. VIII. t. 1. p. 214. & Tom. I. Conſtit. Imp. anno 1440.* Nicolaus *de Cuſa* epiſtolam ſcripſit ad Rodericum de Trevino, Archidiaconum, Oratorem Regis Caſtellæ in diæta Francofordienſi anno 1442. die 20. Maji, quâ improbat Eugenii depoſitionem, propugnans, rectè ab eo Concilium Baſileenſe fuiſſe in Italiam translatum, quia pro reductione Orientalis Eccleſiæ. Sed de hoc poſtea. Scilicet ut in ſuperiori Concilio longe prudentiora Germani conſilia habuerunt, ſed à cæteris cum pernicie Eccleſiæ univerſæ poſthabita; itá in præſenti pariter conſultius putarunt, negotium reformationis ſemel vacante ſede confici, atque tentare; an cum majore Eccleſiæ Chriſtianæ emolumento regimen monarchicum in Ariſtorcaticum mutaretur? Sed *Fridericus tandem III.* effecit, ut Eugenii ſucceſſor *Nicolaus V.* ſummus literatorũ Evergeta reciperetur ab omnibus, & Felix V. reſignaret, factus Legatus à latere ad Nationem Germanicam *ſecundum*

Eccl. Germ. neutrius partis.

Nicol. V. receptus.

Aventinum, vel ut habet *Chron. Belgicum*, Legatus Franciæ, & Cardinalis Sabinianus, A. C. 1449. qvum per decennium Eccleſiæ Germanicæ à Monarchia Pontificia liberæ fuiſſent. Condita tum anno 1447. fuerunt Concordata Nationis Germanicæ cum Sede Romana pro Eccleſiæ unione & pace inter utramque perpetuò fovendam; *Goldaſt. Tom. 1. Conſt. Imp. Vid. Pallavic. Hiſt. Concil. Trid. 2: 8, 15. Georgii Branden Concordata Germaniæ.*

§. X.

Judicium Werneri. Is fuit exitus Concilii Baſileenſis, de quo Wernerus referente Chron. Belgico, hæc annotavit. *In iſto concilio multa bona inſtituta fuerunt, pro reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris. Habuit principium glorioſum, ſed finem humilem, & tribulatione plenum propter ſchiſma. Mirabilis rerum eventus: Prævaluit Concilium Conſtantienſe, contra tres Papas, eos dejiciendo, & quartum inſtituendo, cum tot haberet adverſitates & à nullo confirmatum eſſet. Iſtud autem tanta auctoritate collectum, & confirmatum nec unum potuit (& ne quidem parum) reducere ad normam ſui propoſiti. Imo è contra proceſſus ejus impeditus fuit ab uno, ibi debile principium & finis glorioſus. Hic è contra præciſe. Schisma Eccleſiæ XXXIII. inter Eugenium & Felicem duravit annis XVI. Cauſa fuit ſatis vana, nec ante hæc tempora viſa: quia Baſileenſe Concilium depoſuit Eugenium unicum & indubitatum Papam eo quod non ſervaverat decreta concilii Conſtantienſis (ut dicebatur) nec obedire curavit concilio Baſileenſi: Aſſerens magis, è contra debere fieri. Unde magna ſcribentium de hac materia altercatio, pro & contra, nec concordari in hunc diem poteſt. Una parte, concilium eſſe ſupra Papam aſſerente, & altera contrà. Deus ſuper omnia benedictus*

dictus det pacem ſuam in Eccleſia ſancta ſponſa CHRISTI. Hæc Wernerus. Cæterum de Conciliorum & Papæ auctoritate latè M. Anton. de Domin. l. VII. c. 3.

§. XI.

Eccleſiarum Gallicarum libertas ex hoc Concilio inſigniter fuit ſtabilita. Nam Carolus VII. Rex Galliæ, ſynodo per oratores ſuos id ab eo contendente non invitus fecit, ut ea decreta in regno ſuo tuenda ſuſciperet: ſed habito prius in Biturigum civitate, procerum, antiſtitum, aliorumque eruditiſſimorum hominum atque graviſſimorum conventu, quorum auctoritate, & conſilio adductus, ad ejus Synodi decreta confirmanda nobilem illam conſtitutionem edidit, quæ *Sanctio Pragmatica* vulgo appellatur, Palladium illud Franciæ, quam miris machinis, Pius II. Sixtus IV. *can. 1. Extravag. comm. de Treug. & Pac.* Innocentius VIII. Alex. VI. Jul. II. aggreſſi, usque dum Leo X. conſtitutionem promulgavit, qua Pragmaticæ Sanctioni multum derogatum eſt, prius ineſcato mirabiliter Franciſco Rege, ut novis aſſentiretur decretis, verba ſunt Fr. Duareni *l. V. de SS. Eccleſ. Miniſt. c. XI.* ubi plura egregia atque ſolida hanc in rem diſſerit, adjecto *libello,* quem *Senatus Pariſienſis* circa A. C. 1463. pro defendenda libertate Eccleſiæ Gallicæ adverſus Romanam Aulam ad Ludovicum XI. Regem Galliæ miſit, lectu ac conſideratu digniſſimum, conf. Petri de Marca *lib. VII. de C. S & J. c. IX.* In Concilio Tridentino A. 1563. ſtatuerunt Itali Epiſcopi contra Gallos, hoc Concilium eſſe ſchiſmaticum. *P. Suavis Hiſt. C. Tr. p. 738.* *Lib. Eccl. Gall.*

§. XII.

Cæterum de rebus Huſſiticis varie in hoc Concilio tractatum. In Seſſione XXX. fere confirmata fuerunt *Eccleſ. Bohem. pro*

ca

Catholic. declarata ea, quæ Concilium Conſtantienſe Seſſ. XIII. hac de re decreverat, *negando juris ac præcepti divini eſſe, ut omnes indifferenter Chriſtiani ſacramentum S. Euchariſtiæ ſub utraque recipiant, ſed libertati Eccleſiæ hoc fuiſſe relictum, diſponere, quomodo & quando debeat adminiſtrari.* Verum enimverò non ſatis ad *naturam Sacramentorum* hæc ſancita, quæ utique juris ac inſtitutionis divinæ, nec liberum Eccleſiæ hanc mutare. At neque mutaverat Eccleſia *Univerſalis,* quæ ſpiritu Infallibilitatis regitur, ſed *Romana* duntaxat, eaque non vetus illa & orthodoxa, ſed *recentior* & ab erroribus atque abuſibus inſignibus jam jam reformanda. Quamobrem Sigismundus Imp. effecit, ut Bohemi, impetrato ſalvo conductu, per trecentos ferè deputatos coram Concilio fidei ſuæ rationem exponerent, qvumque diſputaſſent ferè quinquaginta diebus Communio ſub utraque certis conditionibus ipſis fuit permiſſa, ac tandem A. C. 1437. Imperator Sigismundus & Legatus Concilii Philibertus Epiſc. Conſtantienſis Edictum in Lingua Latina, Germanica, Bohemica, & Hungarica promulgarunt, BOHEMOS COMMVNICANTES SVB DVPLICI SPECIE, PANIS ET VINI, ESSE LEGITIMOS ET GERMANOS CATHOLICÆ ECCLESIÆ FILIOS. Quod ad poſteritatem perpetuo monumento Tabulæ Marmoreæ aureis literis inſcriptum in Ædibus Corporis Chriſti cernitur, ac Annales Bohemici atteſtantur. Gold. *in Digeſt. Regiis de S. Euchariſt. diſt.* V. alias quoq; refert conſtitutiones. Nicol. de Cuſa jam Cardinalis & Legatus Nicolai V. anno 1452. valde ſollicitus fuit, Bohemicas Eccleſias ab hac libertate, ad Eccleſiam Romanam ejusque rationem reducere, ſcriptis aliquot epiſtolis ad

eas,

eas, atque qvum illæ inniterentur compactionibus Baſileenſibus; ille eas interpretatus eſt adverſus Bohemos. Nam qvum in primo articulo fuiſſet ſcriptum, quòd Regnum Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ in fide conformare ſe debeant *univerſali* Eccleſiæ, non poſſe aliam intelligi, quàm Romanam. *Epiſt. V. ad Bohemos.* Sed & *Conſtantinopolitana* Eccleſia *Bohemicam* ad unionem, & concordiam mutuam cohortans, promiſit ſacerdotes doctos & integræ vitæ. *Communio Eccleſ. CPol. & Bohem.*

CAPUT VII.
DE
JURE REFORMANDI ORDINUM IMPERII.

SUMMARIA.

Sedes Rom. repugnat Concilii decretis. Contra ipſa alia concilia agit; Florentini ſcriptor. Concilium Mantuanum. Æneas Sylvius ſibi contrarius. Alexander VI. Conniventia Impp. Papa ducem creat: Alia attentata civilia. Jus Statuum circa Reformationem. ſpeciatim Ducum Saxoniæ. Wilhelmi III. Duc. Sax. Pragmatica ſanctio anno 1446. Nicolai de Cuſa reformatio affectata. Deſideria reformationis.

ETſi eventus Concilii Baſileenſis id dederat, ut ne *quietam poſſeſſionem* abſoluti dominatus Pontifex adverſus Eccleſias, *Germaniæ* præſertim, unquam allegare poſſet: qvum & univerſa Eccleſia Occidentalis Pontificem Romanum ſibi aut Concilio Generali ſubjectum eſſe de- *Concilio repugnat Papa.*

claraſſet, & ſpeciatim Eccleſiæ Germanicæ per aliquot annos *ariſtocraticè* gubernatæ ac Imperatori atque Imperio *Jus Concilii* habendi ac transferendi, & jure & facto aſſertum fuiſſet: Non ceſſavit tamen Pontifex & Curia Rom. omnibus modis contra niti. Namque Eugenius Papa Anno Chriſti 1439.qvum à Concilio Baſileenſi dudum agnito, propter contùmaciam eſſet ſuſpenſus à Pontificatu, coegit Conventum *Ferrariæ* primò, mox *Florentiæ*, in eoque dominatus Vniverſalis, dogmata de igne purgatorio, de VII. Sacramentis novæ Legis, de receptione librorum apocryphorum in Canonem θεοπνεύστων, de Transſubſtantiatione fuerunt ſtatuta, in perniciem & ſine conſenſu Eccleſiarum Baſileæ legitimè tum congregatarum, ac præcipuæ nationis Germanicæ. Prætextus itaque tantum fuit & color, quod ob *reductionem Eccleſiæ Orientalis* Concilium eſſet transferendum in locum, qui magis rebus agendis congrueret, quod *Cuſanus* tum ſibi perſuadere paſſus fuit in antea allegatâ epiſtolâ ad Oratorem Hiſpanicum, in qua tamen illud egregium: *Quia in hoc*, inquit, *omnes Petri ſunt ſucceſſores, qui Dominici gregis curam gerunt: viſum eſt Sapientibus, univerſalem poteſtatem ſacri Principis Eccleſiæ ſuper iſtam cujusque particularem non eſſe, niſi ſecundum ſacri Principatus conditionem, ſcilicet ad ædificationem.*

in Concil. Ferrar. & Florent.

§. II.

Concil. Florent.

Concilii *Florentini* hiſtoriam edidit producto *Sylveſtri Sguropuli*, qui Concilio interfuit, ut unus ex quinque Crucigeris & intimis Conſiliariis Patriarchæ CPolit. Commentario, eoque in Latinum translato doctiſſimis notis adjectis, *Robertus Creygthonus* Caroli II. Regis Britann.

tann. Sacellanus domeſticus; cui ſeſe oppoſuit Leo Alletius pro Pontifice Romano. Conf. & Mart. Chemnitii *Examen Concilii Trident. P. 2.* Suſtinuerunt in Conc. Trid. Epiſcopi Itali, hoc concilium fuiſſe generale, Baſileenſe ſchiſmaticum: ſed Galli contra, Baſileenſe & Conſtantienſe fuiſſe generalia, Florentinum non item, quippe cui interfuerint pauci aliquot Itali tantum & quatuor Græci. Cum Italis faciunt Hiſpani. cum Gallis Germani. *V. P. Suav. Hiſt. Concil. Trid. lib. VI. pag. 636. 738. 770.*

§. III.

Quare qvum non ſatis roboris ex canone Florentino Monarchiæ Pontificiæ acceſſiſſe videret Pius II. ſive *Æneas Sylvius*, quondam Concilii Baſileenſis Notarius, & Friderici III. Imp. Secretarius, qui in dicto Concilio *notabilem* tractatum pro auctoritate ejusdem ſcripſerat, ut habet Chronicon Belgicum, itaque coacto *Mantuæ* Concilio A. C. 1459. decrevit: *A Pontifice ad Generale Concilium provocandi jus non eſſe ulli.* abrogare ſatagens contrarium Concilii Baſileenſis & Conſtantienſis Canonem Jure divino & humano fundatum. Ejus Succeſſor *Paulus* II. adeo de reformanda Curia non cogitavit, ut ipſius tempore Romæ omnia officia fuerint venalia, & ipſe his fere ſemper beneficia & Epiſcopatus commiſerit, qui officium aliquod venale haberent, unde elici munus poſſit teſte Caranza. **Concil. Mantuan.**

§. IV.

Secuta fuerunt flagitioſiſſima Alexandri antea Roderici *Borgiæ* tempora, hominis, ut ait *Onufrius*, ad exitium Italiæ nati, de quo verſus vulgo notus Joviani Pontani: **Alex. VI.**

Vendit Alexander Sacramenta, altaria, Chriſtum;
Emerat ille prius, vendere jure poteſt:
Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte.
Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.

Ejus filiæ inceſtuoſæ *Sanazarius* Poeta hoc fecerat Epitaphium:

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais, Alexandri filia, ſponſa, nurus.

§. V.

Imp. conniventia. Hæc fuit facies Sedis Rom. adverſus omnes Eccleſiarum, Germanicarum præcipuè, preces, flagitationes, objurgationes, cognitiones, ſuſpenſiones, depoſitiones, reformationesque ſuſceptas, extreme nitentis, & σίβαρμα univerſum proculcantis; Cui rei tepiditas *Friderici III.* Imp. rurſus magnam aperuit feneſtram, qvum non modo, ut antea attigi, Eccleſias Germanicas ſub obedientiam Nicolai V. reduceret, ſed conniveret etiam Pontifici, Imperatoris civilia jura uſurpanti. Nam ut Trithemius teſtatur, creavit Paulus II. comitem Eſtenſem inter Miſſarum ſolennia DUCEM, A. C. 1470 nec contradicente Imperatore, ut prætercam, quæ attentaverit Pontifex per ſuos in ſingulis Imperii provinciis inſtituendo cognitiones, ſuſcipiendo appellationes, cauſasque avocando.

§. VI.

Jus Statuum circa reform. Eccleſ. Atque hæc Pontificis vehementior Monarchiæ affectatio, & Imperatoris conniventia Statibus *Imperii* non potuit non diſplicere, ſed & eos eo commovere, ut ſinguli jure uterentur ſuo. Enimuero ſummum *jus circa ſacra* jure optimo maximo pertinebat ad *Imperatorem & Imperium* univerſum: quod etiam nuper in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi per Status Eccleſia-

cleſiaſticos & Laicos feliciter fuerat exercitum, itaque facto ipſo *transactio* inter Sedem Rom. & *Henricum V.* tanquam juri divino atque humano adverſa, (qua de re ſuperius late diſputatum) annullata & abolita. Sicut igitur Status Imperii univerſi cum Imperatore totum jus illud ordinandi ſacra habent *commune*: ita *ſinguli* pro rata ſuorum dominiorum & territoriorum ejusdem ſunt *participes:* atque non tantum jure ac *facultate* hac gaudent, ſed & officii *neceſſitate* ad id obligantur. Monuerat id pridem Ordines Imperii Marſilius Patavinus *P.2. Def. pac. c. XXV. ad fi. & P.3. concl. XL.* Legislatorem fidelem, aut ejus auctoritate Principantem, in ſubjecta ſibi provincia compellere poſſe, tam Epiſcopos, quam reliquos Evangelicos miniſtros, quibus de ſufficientia victus & tegmenti proviſum eſt, ad divina officia celebranda, & ſacramenta Eccleſiaſtica adminiſtranda: revocandamque eſſe poteſtatem Eccleſiaſtica officia conferendi & diſtribuendi: ad hæc enim obligari omnesjuris dictionem habentes præcipue Reges, Lege divina, & quæ ibi plura hac de re legi poſſunt. *Conf. ſupra lib. 1. c. 2. §. 23.*

§. VII.

Inter alios Imperii Ordines, hoc jure ſuo uſi fuerunt Principes ac Status *Thuringiæ* ac Miſniæ, exemplo ad poſteros memorando. Obtinuerat in diviſione Illuſtris hereditatis Friderici Bellicoſi, Electoris Sax. primogenitus filiorum, Fridericus Placidus, Elector, Saxoniam, & Miſniam ex parte: ex parte alter, *Wilhelmus III.* Dux. Sax. itemque Thuringiam A. C. 1445 in eaque anno ſubſequente Diætam cum Statibus Provincialibus Thuringiæ celebravit; ubi imprimis conſultatio habita de reformatione cleri Thuringiaci, & conſervatione Juris territoria-

Speciatim Dux Sax. in Landgrav. Thuring.

lis de non evocando aut appellando, adverſus Pontificis Rom. emiſſarios & adhærentes, atque Receſſus tandem conſtitutus, in quo præprimis ſanctio lata de cultu divino rectius obſervando, de cauſis ad peregrina judicia non avocandis, etiam Eccleſiaſticis, dictata banni pœnâ, ſi quis ad Judicem extra provinciam provocare præſumſerit: itemque, ne Judices Eccleſiaſtici cauſas cognoſcerent civiles, fœdere denique peculiari cum Statibus Provincialibus deſuper inito, ac milite provinciali conſtituto, ad manutenendam hanc ſanctionem contra aggreſſores, aut turbatores.

§. VIII.

Receſſ. Wilhel. III. Duc. Sax. 1446.

Operæ pretium fuerit ex ſcriniis hanc pragmaticam Saxonis ſanctionem poſteris exhibere. Wir Wilhelm VGG Herzog zu S. LGraff in Döring v. MGr. zu Miſſen thun kund in diſem Breffe allemänniglich alſo/ ꝛc. ſo ſetzen wir vor das erſte v. wollen daß in allen unſern Landen/ Sloſſen/ Steten/ Dörffern/ Gerichten v. Gebieten vorder allewege die heylige Fier an den heyligen Suntage durch alle menſchen/ welches weſen ſie ſint/ ſal heyliglich gehalten/ v. mit keynerleyge erbeit vorbrochen werde/ dodurch man rechte Fier vorbrechen mag/ welch menſche aber das nicht hildet/ alze dike alze das geſchicht/ ſo ſal ör ye als dike vor zu Buße vervallen ſyn zwey Pfunt wachß/ v. dy geben den alterlüten in de Pfarrkerche darzu er gehöret/ zu volgene an derſelben kerchen notz/ Ob aber en Menſche das alſo vorbrochen hätte/ die Buße aber acht tage vorhilde/ darnach ſollen die Alterlüte v. Vormunden der Pfarkerchen darinn das menſche gehöret daſſelbe menſche darüber phenden unverſchonet/ v. alſo dodurch

durch ſilche Buße der kerchen zu gute als offt er ſich vorvellet/ Inbrengen/ des auch niemanden verheben/ v. das nicht verhalten/ by den eyden v. trůen dy ſy zu ampte haben gethan/ darzu auch eyn ieglicher herre/ amtlůte red oder ȯbergewalt/an den vorvallendē eyden dyſelben alterleuthe v. vormunden ernſtlich handhaben/ v. byſtendig ſyn ſollen/ wo und als offte das noth geſchicht/ doch alſo wo uf dy Suntage Jarmarckte oder Wochenmerckte von alten herkommen ſyn/ daß ſal diſer ordnung halben ungeferlich v. ein ydermanne one ſchaden ſyn ꝛc.

So ſollen v. wollen wir auch Gott den Allmȧchtigen/ ſyner werden Mutter und allen himmeliſchen here zu lobe v. ere getraulich darnach erbeiten v. allen fleiß thun alſo vil wir v. unſer ieglicher das zu thun haben dadurch alle geiſtliche Clȯſter in unſern Landen reformirt v. weder zu redelicher geiſtlicher regirung bracht werden eyn igliches nach ußſatzunge v. regeln ſines ordens. Auch daß die weltlichen Prieſter ſich prieſterlich v. gȯttlich halten v ſyn/ v. ſich in keinen ſachen ungebehrlich finden laßen dodurch ȯre priſterliche werdigkeit v. weſen mȯgte geſchwenchit werden/ welch ſich aber durch enniche ſache unerbarlich v. unpriſterlich hilt/ So ſollen wir mit allen flyſſe daran ſyn/ und ſchaffen/ daß der geſtrafft v. gerechtfertiget wȯrde/ als ſich gebȯret v das auch ſebſt thun als vel w r das zu thune.

Item es ſint bißher durch dy inwohner unſer Lande vil ußlendiſche Gerichte geſucht/ daß den Landen eine unere/ v. auch groß ſchaden v. mercklich vorterbenis iſt/ Nu dem vor baß zu bewarne/ ſo haben wir geſazt

ſazt v. beſtallt/daß vorder nie kein inwohner unſer Landen Herrſchafft v. gebiete niemanden vor kein ußlendiſch gericht/ es ſey geiſtlich oder wertlich zyhē oder fordern ſoll iumb keinerleyge ſache/ wy dy geſy mag/ danne iſt eyn ſache geyſtlich v. gehört billiche vor geiſtlich Gerichte/ ſo ſol der Cleger die vor geiſtlich Gerichte bringen in unſern landen dohen ſy gehört/ v. ſich davor an rechte genügen/ dy ſache auch do ſy angefangen wird/ zu eynde lauffe laſſen/ und davon an keine fremde Gerichte ußewendig unſer Lande beruffen/ wenn man Doctores und gelerte lüte in den land darzu zu gebruchene wol gehaben kann/ dovon deshalben nicht brechs (mangel) ſyn darff ußgeſchloſſen wo geiſtliche Lüte zu ſchicken gewonnen ümbe geiſtlichkeiten das mögen ſie ußtragen an den eynden/ do es ſich gebörnt iſt/ Adir dy ſache werltlich/ So ſal man dy anbrengen und fordern an den werltchen ſtühlen v. gerichten darunter der antworter geſeſſen iſt/ und doran dy ſache gehört/ vor denſelben Gerichte ſal der Cleger ſyner angevangen furderunge folgen als ſich das gebört biß uff eynde/ v. ſich davor an rechte genügen laſſen/ ſich auch davon an kein ußlendiſch gerichte beruffen. So ſollen und wollen mit allen unſern amptlüthen ſchultheyßen/ richtern v. Scheppħen dy unſern ielicher gerichte ſetzen ernſtlichen beſtellen v. in alle wege in öre eyde legen/ daß ſy niemand an unſern verzöge Sundern eyn ydermanne nach redelichen herkommen v. gewohnheit der gerichten ſchlüniglich uffrichtelich v ungeweyert rechten helffen v. gen laſſen ſollen/ als ſich in iglichen ſachen dy vor ſy in gerichte kommen durch recht billich gebörel/ do durch nymanden ſyner ſachen adir ſynes rechten

mögen

mögen verſchnellet werden/ ſundern eyme yderman in ſynen ſachen glich v. recht unverzöglich gehe/ v. es ſol ein ieglicher Gaſt vor den Gerichten durch ſich ſelbſt/ oder durch ſyne vorſprechen ſynen frigen v. ungefehrlichen zu v. abgang haben/ alſo das her ör auch unfrefeilich v. redelich halten v. vermanen ſol mit worten v. wercken/ und werde eynicher richter oberkommen/ das her dy Gerichte nicht hilde v. geben liße immaßen als vor berührt iſt/ der ſolde von uns wenne der zu ſtunde zuſtunt an libe v. an gute one alle gnade geſtraffet werden. &c.

Item auch ſol keyn verſproche nymande ſyn wort vor Gerichte ſprechen/ her ſy danne in der pflege geſeſſen/ und man ſal denſelben nicht mehr von einem Gerichte denne eyn nüwen groſchen zu verdinſte geben/ der das kann ſal das auch von eyme iglichen deme das noht iſt/ nemen v. nicht verſagen/ oder wegern/ welcher das verbreche/ der aber mer gebe/ oder mer neme/ v. auch der by gerichte were v. eyme ſyn wort zu ſprechene weggerte/ v. nicht thun wolte/ der ſolde iglicher dem Gerichte die höchſte wette verfallen ſyn.

Item über offentliche wiſſentliche v. bekenntliche ſchuld/ die man ußwertigen geſten und Clägern pflichtig/ ſal man dieſelben/ dy der ſchuld bekenntlich ſint/ ſo dy ſache vorkommt/ unde wyße innewendig 14. tagen dem Cleger ußrichtung zu thunde v. willen zu machen/ geſchicht aber daß binnen der zeit nicht/ ſo ſul man darnach wanne das der Cleger begehrt/ denſelben unerclagter dinge ſchlünniglich helffen dar von her deme thun ſal nach gerichts leyfften v. gewohnheiten v. mit den pfanden gebaren als recht iſt/

Wer es nu daß iemant / wer der were in unſern landen/ herrſchafften v. gebieten wohnhafftig ſich an recht vor geiſtlichen ader weltlichen gerichten in den Landen/ inmaſſen obgerüth iſt/ nicht genügen welte laſſen / Sondern davon beruffen oder ſunſt ußländiſche gerichte weder dy unſern ſuchen wörden/ derſelbe ſol von ſtunt als eyn echter des landes gehalten werden/ v. ſal vorder nimmermer in unſere lande kommen/ ſundern dy ewiglich rümen/ v. durch keinen weg weder ingenommen noch obgerichtet worden/ v' ein ieglicher ſal v. mag ſich zu denſelben v. zu ſeinen gut halten mit rechte one alle hinderniſſe als zu unſern v. unſer lande rechten echter/ wenn auch derſelbe Boten ußſenden werde / es were mit Briven oder anders/ der Brive ſal man keinen uffnehmen/ ſich nichts daran keren/ v. ſich zu den Boten gehalten/ v. mit öm gebaren/ als mit deme ſelbtheter v. echter one alle verſchonunge / ꝛc. Item / als wir und die unſern viel Jahr bißher durch die geiſtliche Richter iun mancherley Sachen willen dy ſie alle vor ſich ziehen / und keine ußſchlieſſen ſie ſint geiſtlich oder weltlich mannigfeldiglich umbgezogen und obermeßig ſehr beſchwert ſint worden/ dorinne diſelben Richter Gott noch die Gerechtigkeit zu mermal wenig angeſehen han / doruß als zu beſorgen were uff lengere Tage merecklicher unglonbe unter den folcke wachßen und dadurch Gotte und der heil. Kirchen miſſebitunge und unſern geſchehen möchte/ dersunb Gott zu lobe und ſeiner heil. Kirchen zu eren ſollich öbel zu vermiden / So wollen wir fleiß thun/ uns mit Fürſten und Prälaten in der iurisdiction wir mit unſern Landen und Herſchafften geſeſſen ſint/ bytagen/ u-

ſie

ſie bitten/ or geiſtliche Gerichte zu rechtfertigen/ und keine Sache vor ſich zu ziehen oder zu richten/ denn welche geiſtlich ſint/ und vor geiſtlich Gerichte gehören/ derin wir nicht tragen/ welche Sache aber weltlich ſint/ daß ſy ſich der gar nichtiß annehmen. Wir ſollen und wollen auch alle in unſern Landen/ Herrſchafften und Gebieten ernſtlich beſtellen und ſchaffen/ daß nymandes welch weſen der ſy/ den andern umb ſachẽ die weltlich ſint vor kein geiſtlich Gerichte bringen/ fördern noch bannen ſal/ diwil eyn iglichen an unſern wertlichen Gerichten umbe Sachen di doran gehören/ inmaſſen obgerührt iſt/ Richter genug gehen und gehalten werden/ wer aber das nicht lieſſe/ ymanden vor geiſtliche Gerichte über weltliche Sachen brechte/ und uns dieſer unſer Ordnunge ungehorſam werde/ dorúm ſolt her ſine Sache/ dodurch her gefordert hette gegen ſinen wederteyl ganz verloren haben/ dorúber ein iglicher unter deme das geſchehe/ nothdúrfftige Hilffe und Folge thun ſolte/ und wer das thete/ ſolde auch dorzu ſinen Herren/ unter deme her ſeſſe/ eynen núwe ſchog gr. zu buſſe vorvallen ſyn und geben an alle vorſchonung/ und úmb beſſer und vorder Sicherheit willen. So ſal auch unſer iglicher mit allen Pfarrern und dorúmbe geſeſſenen beſtellen/ daß ſie keine Brive von den geiſtlichen Richtern úmb weltl. Sachen ufnehmen/ nach vorkúndigen/ welcher Pfarrer aber des alſo nicht halten wolt/ den ſal man keine Früchte oder nuzunge ſiner Pfarre volgen laſſen/ biß ſo lange daß her des auch gehorſam werden/ Ob danne die geiſtl. Richter dy Pfarrer úmb ein ſolches auch faſt ander mer Prälaten Geiſtlichkeit und Pfaffheit in unſern Landen/ Herrſchafften und

Gebieten durch ſolch oder ander ór gedrenckniß unmö-
gelich vorfaſſen und beſchweren laſſen wolten/ worümb
das were/ So ſollen und wollen wir diſelben Prälaten/
Geiſtlichkeit und Pfaffheit ſollicher und aller ander
unmögelich beſchwerniß ungedrenckniß getrüwlich
und chriſtlich handhaben/ ſchüzen und verteidigen nach
allen unſern Vermogen zu ören rechten dodurch ſi die
alten Freyheiten/ eren/ werden und gerechtigkeiten mögen
bliben.

§. IIX.

Reform. Nicol. de Cuſa in Germ.

Enim verò animadvertens *Nicolaus V.* Pontifex ſagaciſſimus, quo tandem res ſit evaſura, id egit, ut ſub ſpecie cujusdam Reformationis, & abuſuum abolitionis, Monarchia Pontificia ſtabiliretur. Itaque miſit Legatum ad Germanicas Eccleſias *Nicolaum de Cuſa* Cardinalem, ut *Indulgentiarum* præcipuè, ut videbatur abuſum temperaret. Itaque primò conſtituit, ut *ſine omni pecunia*, etiamin caſibus reſervatis confitentes abſolverent confeſſores. Interim tamen ciſtas pecuniarum in certis locis replerent confitentes, ſed, ut præ ſe ferebant, in *pios patriæ illius uſus*: ita, ut diſcedens Cardinalis confeſſariis plenam laboris mercedem ex ciſtis illis ſolveret. Deinde inculcavit, non dari indulgentias à *pœna & culpa*, ſed à ſatisfactione pœnitentiarum, quam ſingulis peccatis canones ſanxiſſent; cum autem propter vitæ brevitatem, & peccatorum multitudinem non poſſet homo niſi poſt mortem in Purgatorio tot annorum pœnitentias peragere; itaque ſatisfieri ſic Eccleſiæ per æquivalens, argentum, aurumve. Quod dogmatis, qvum & novo purgatorii dogmate hodie exploſo, & falſiſſima nitatur hypotheſi, quaſi ſatisfactiones iſtæ pœnitentiariæ Jure divi-

no

no niterentur, atque præciſe ſint præſtandæ Chriſtianis aut pecunia redimendæ, facile fraus rei patere potuit. V. *M. A. de Domin. lib. V. c. VIII.* Totum reformationis, & indulgentiarum harum proceſſum refert Chronicon Belgicum Magnum, unde ſequentia annotare libuit.

§. IX.

Eodem anno (M CCCC LI.) reverendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Nicolaus de Cuſa, tituli Sancti Petri ad vincula presbyter Cardinalis, per Almaniam legatus ad ſuæ legationis terminos ab urbe deſcendens, ab omnibus terræ illius Principibus, prælatis & magiſtratibus, cum copioſa equitum multitudine, & ab univerſo Clero & populo religioſis & ſecularibus cum vexillis & crucibus catervatim obviam ei occurrentibus, & cum magna gloria pſallentiumque tripudio: (Adveniſti diſiderabilis [?], quem expectabamus in tenebris:) inter ſe concinentium, ipſe ſuper mulum ſuum cum exiguo Romano comitatu humiliter inſidens, cum multis aliis de vicinis civitatibus, per quos tranſierat, & ad quas ibat, cruce argentea à Domino Apoſtolico ſibi data, cum ſuo ſtipite deargentato ſemper præcedente, ad Eccleſiam proceſſionaliter deductus, ibidem cum hymno (TE DEUM laudamus,) devotè fuit ſuſceptus. Omnibus ergò, qui in terminis ſuæ legationis habitabant, poſtquam ad ipſos pervenerat, verè contritis & confeſſis, & qui ad ciſtas in diverſis Almanniæ Eccleſiis de conſilio ſuo, & loci Epiſcoporum, & Prælatorum ordinatas certam pecuniæ ſummam juxta bonorum ſuorum facultatem voluntarie in pios illius patriæ uſus mox convertendam contribuerunt, conceſſit jubilæum, id eſt, plenam omnium peccatorum remiſſionem, non autem à pœna & culpa abſolutionem: quia ut ipſe in ſynodo provinciali nobis audientibus Magdeburgi per ipſum celebrata

dicebat: Sedes Apoſtolica ſub his verbis (à pœna, & à culpa) indulgentias nunquam dare conſuevit, ſed bene omnium peccatorum remiſſionem. Et adjecit, ſiquis pro uno ſimplici peccato mortali ſeptennem ageret pœnitentiam juxta canonum decreta in forma per Bartholomæum deſcripta, & pro duplici peccato mortali, ut eſt ſimilia, quatuordecim annis juxta promiſſa pœniteret, nullam & tunc poſt hanc vitam ſubiturum pœnam. Si autem prædictam non ageret pœnitentiam, quod tunc in præſenti vita non perficeret, id poſtmodum in purgatorio usque ad ultimum quadrantem debere perſolvi. Quia verò multis obnoxius criminibus, talem pro peccatis mortalibus agere pœnitentiam vix poſſit, idcirco dicebat dari indulgentias, ut vel ſic de theſauro Eccleſiæ ſuppleat, quod pro digna ſatisfactione ſibi ſentit deeſſe. Valde ergò eſt utile homini Chriſtiano tales indulgentias promereri libenter, quibus purgata anima poſt vitam hanc mortalem poſſit ſine macula vultui divæ gloriæ in cœlo præſentari. Ut autem omnem clerum & devotum populum ſuæ legationis aptum redderet, ad hujuſmodi indulgentias promerendas, certos confeſſores in civitatibus conſtituit, qui ſine omni pecunia, auctoritate ſedis Apoſtolicæ, etiam in caſibus reſervatis confitentes abſolverent: dicens non eſſe abſolutos, nec Jubilæi gratiam promereri, qui ſuis confeſſoribus contra mandatum quicquam dare præſumerent, quibus tamen in ſuo diſceſſu plenam laboris mercedem ex præmiſſis ciſtis dari mandaret. Ipſe etiam ab omni munere manus ſuas puras ſervavit, quod tamen terræ magnates, & alii divites copiosè offerebant, eſculentis & poculentis, ſine quibus vita præſens tranſigi non poteſt, duntaxat exceptis, quod idem ab aliis, quia juſticiarius erat, fieri deſideravit. Pater iſte reverendiſſimus plures abuſus diverſarum Eccleſiarum, &

& etiam Chriſti fidelium, in diverſis locis repertos, novis mandatis extirpans & eradicans ad antiqua ſanctæ Eccleſiæ jura eos renovari & obſervari in ſcriptis mandavit. Monaſteria quoque diverſorum ordinum utriusque ſexus à regulari tramite miſerabiliter ſatis prolapſa, ad primarias ſuas inſtitutiones, & regulæ obſervantiam per ſe & ſuos commiſſarios revocari ſtuduit, & reformavit. Superioribus igitur Auſtriæ, Thuringiæ, Saxoniæ & Weſtphaliæ partibus peragratis, cum ordinem noſtrum, & patres Capituli noſtri generalis de Wyndeſem ex odore bonæ famæ olim ſibi notos intimè diligerent, & eos videre deſideraret, monaſterium ordinis, & capituli noſtri propè Northem primum viſitavit, & cum paucis illuc ingrediens miſſam celebravit, & in conventu prædicavit, omnibusque affabilem, humilem & benignum ſe verbo & opere demonſtravit.

§. X.

Editus fuit libellus A. 1459. in lingua Brabantica, deinde & in noſtram dialectum verſus, cujusdam anonymi, ſed viri pii ac prudentis ſub tit. von den loſen Füchſen dieſer Welt. ibi cap. V. hæc habentur: O du angeregte reformation, wo biſtu ſo bald hinkommen? Wer hat dich ſo bald zurücke gekehrt? Warum biſtu nicht für dich gangen / und haſt deine Reiſe zur Beſſerung und Ergäntzung des verfallenen Standes der Geiſtlichen vollſtrecket? Wie komts? Biſtu untergedrucket/oder vertilget/oder biſtu verarreſtiret und bekümmert worden? Wie komt es denn/daß du die Klöſter nicht viſiciret / und beſucht haſt dieweil ihrer etlich doch ungereguliret ſeyn und darinn ein ſo unordentlich Leben führen / daß die Lufft darob ſtinckt/ und reucht/ und der Himmel darob braußet. Ich halte es eigentlich dafür/

für/

für/dieweil du ſo bald gefellt/und niedergelegt biſt/oder haſt dich verkrochen/daß du auf die Heucheley/und auf die eitele nichtige Glory ganz und gar gegrundfeſtet und gebanet wareſt/daß ich nu ſo ſcharff und rauch von dieſer Sache rede/ſoll man mir zugut halten/dann es kan und mag kein Ding verbeſſert werden ohne die reformation, und ſollen wir in einer Tugend einen Fürgang nehmen/und Nutz ſchaffen: So müſſen alle Stände die groſſen mit den kleiniſten zuvor gereformirt werden. Soll es anderſt wiederum in einen rechten Stand geſetzet werden.

LIBER SEPTIMUS.

DE

INSTAURATA LIBERTATE ECCL. GERM. PER REFORMATIONEM SUPERIORIS SECULI.

CAPUT PRIMUM.

De

OCCASIONE ET INITIIS SUPERIORIS REFORMATIONIS.

SUMMARIA.

Imp. Maximilianus defenſor libertatis civilis & ſacræ: una cum R. Franciæ. cujus Sanctio Pragm. in Germania juſſu Imperatoris publici juris facta. Gravamina contra S.R. & Edictum. Concilium Piſanum Julium deponit. Maximilianus ambit Pontificatum à decreto Piſano recedens. Julii Concili-

um

um Lateranenſe: ejus vis. Reformationis neceſſitas. Jus Tributi per Indulgentias quæſitum. has Lutherus reprehendit. LVTHERI perſona: juſtitia cauſæ. diſputationum fata. Epiſtola Eraſmi ad Lutherum de his initiis.

§. I.

Maximil. defenſ. Lib. Civil. FRiderici III. Imp. filius Maximilianus, patre animoſior, pro tuenda Imperii libertate, ac retundenda hierotyrannide in *civilibus*, primum proſcripſit A. C. 1505. Decanum & Capitulum *Treuirenſe*; eo quod comitem Imperii, coram Pontifice Rom. accuſaſſent, nec ab actione moniti deſiſterent. Edictum refert *Goldaſt. Conſt. Imp. Tom III. append. in fine.*

& Sacra. Quantum ad Libertatem ac reformationem *Eccleſiæ*, obligatus erat Pontifex Roman. ex Canone Concilii Conſtantienſis, decimo quovis anno Concilium celebrare, reformationemque hoc modo tandem conficere ac tueri. *1510.* Sed intermiſſo hoc officio hactenus, qvum Julius II. A. C. 1503. eligeretur, jurejurando adſtrictus fuit, ut Concilium Generale celebraret, pro reformatione Eccleſiæ & pace inter Chriſtianos Principes componenda: ſed requiſitus poſtea ut id præſtaret, rem differre ſategit. Quare & Imperator, & Franciæ Rex juſta ira commoti diverſa iniiſſe conſilia videntur, ad eundem tamen ſcopum tendentia, h. e. ad recuperandum jus circa ſacra & maximam Poteſtatis Pontificiæ partem.

§. II.

ut & R. Franciæ Rex Galliæ per Vrbanum IV. & Clementem IV. A. C. 1264. & 1268. Regnum *Siciliæ & Neapoleos*, non ſine querela juſti heredis Conradini, acquiſiverat, quo etſi pul-

pulſus, ſemel tamen atque iterum tentavit recuperare, donec Ludovicus XII. A. C. 1500. capto Ludovico Sfortia Ducatum Mediolanenſem: & anno ſequente partem Regni Neapolitani acquiſiviſſet. Inde dubio belli eventu res acta, interveniente quoque bello Veneto & fœdere inter Imp. Maximilianum, Julium Pontif. Rom. & Regem Galliæ adverſus Venetos; usque dum A. C. 1510. Papa cum Venetis pace facta arma contra Regem Galliæ convertit, Regnum Neapolitanum Ferdinando confirmans. Sequebatur mox fœdus inter Pontificem, Regem Caſtiliæ & Venetos de Gallis ex Italia ejiciendis: Ludovicum verò Pontifex excommunicabat.

§. III.

Gravam. contra S. R.

Obtulerunt eodem tempore Imperatori Electores, Principes & cæteri ordines Imperii *gravamina* adverſus ſedem Romanam *decem* unà cum modo, quo cuilibet remedium quærendum ducerent, extant *in Tom. II. Conſtit. Imper. pag. 119.* quibus deinde Imperator alia addi fecit, ut ad *centum* usq; excreverint *Tom. I. Conſt. Imp pag. 420. Conf. Politic. Imperial. Goldaſti P. XXIII. tit. 1 ſeqq.* curavitque, ut *Pragmatica Sanctio* Regni Franciæ cum obſervationibus Jac. Wimphelingi Seleſtadienſis in Germania publici juris fieret, *Tom. II. Conſt. Imp. p. 123.* Ipſe verò ſe experiri dicens ineffabilem atque à nullo diſpenſabilem quorundam avaritiam in beneficiis Eccleſiaſticis aſſequendis edixit eodem anno: *Summum Eccleſiæ paſtorem, & omnem clerum, exemplo chariſſimi patris noſtri, Friderici Romanorum Imperatoris tertii, hactenus venerati, non parvos dignitatum & Eccleſiarum parochialium proventus ex terrarum noſtrarum finibus, clericis & prælatis abſentibus clementer inferri permiſimus. Quos etiam clam pro huma-*

Sanct. Pr.

Edict.

na fragilitate delinquentes, cum Conſtantino prædeceſſore noſtro chlamyde operire non dedignaremur. Verum cum ex noſtra largitate divini cultus decrementum profluat, unde divinæ laudis, pſalmorum & miſſarum amplificatio debuerat proficiſci; noſtra intereſt, qui abſque meritis in ſolium Romani imperii electi ſumus, ut inter cæteras maximas pacis & belli occupationes, vigilanter quoque circumſpiciamus, ne eccleſiæ pereant, ne religio labaſcat, ne divinus cultus diminuatur, & ne animab. defunctorum, qui eccleſiis & ſacerdotibus de ſuo patrimonio benefecerunt, contra ultimas ipſorum voluntates tardius ſuccurratur. Quod manifeſtiſſime experti ſumus, & indies experimur, ex ineffabili atque à nullo diſpenſabili quorundam avaritia provenire, qui in beneficiis aſſequendis nullum finem conſtituunt, per quorum abſentiam (cum in uno ſolo perſonaliter reſideant & diſtributiones deſerviant) divinus cultus diminuitur, ultimæ benefactorum voluntates caſſantur, defunctorũ animæ tardius ex igne purgatorio eripiuntur, ædificia labant, eccleſiæ decreſcũt, eccleſiaſtica libertas læditur, literæ & monumenta perduntur, hoſpitalitas & eleemoſynæ minorantur, patrimonia parentum & nervi rerumpub. ex crebris hujusmodi avarorum collitigationibus evaneſcunt; clerici pro doctrina ſua & virtute beneficiis digni ſuaque prudentia eccleſiis in temporalibus & Spiritualibus utiles, à præbendis repelluntur, impediuntur, indignè vexantur, injuſte eis lites moventur, ſcandala laicis præbentur, ipſorumque odium & murmur in reliquos honeſtos ſacerdotes excitatur atque augetur. Eas ob res ex officio Cæſareæ Majeſtatis, ex amore incrementi cultus divini, ex zelo reip. hortamur & requirimus, ne quisquam à modo in una noſtrarum, noſtrique Romani imperii civitate Canonicatum aut vicariam

riam

riam poſſidens, in altera ejuſdem civitatis Eccleſia, aliam prabendam occupet, niſi primam intra anni ſpatium in perſonam idoneam ac eccleſia utilem ſit dimiſſurus. Neque alium in beneficiis aſſequendis per injuſtas lites aut ambages indigne vexet, aut circumveniat, nec quemcunque qui non ſit de numero deſcriptorum familiarium (juxta concordata Principum, & pacta nationis Germanica) falſo familiarem fuiſſe fingat, in ordinariorum collatorum prajudicium. Nec laicis jus patronatus auferre tentet, nec exiles prabendas: potiſſimum vero curatas eccleſias penſionibus gravet. Nec in adipiscendis beneficiis & bullis, quacunque fraude, dolo, falſis inſtrumentis, corruptis teſtibus, ſymonia etiam palliata utatur. Neque regreſſum aut alia ſacris canonibus inimica, contra jus, æquum, honeſtum, & rectam rationem impetrare præſumant, ſub pœna criminis læſa Majeſtatis & graviſſima noſtra offenſæ. Quam non ſolum ipſi ſic contra Deum & omnem honeſtatem, exorbitantes, ſed & omnes eorum fautores, auxilium, conſilium, hoſpitium & mutuum dantes, omnesque nuntios, curſores, ſolicitatores, notarios, procuratores, fidejuſſores, & reliquos amicos incidiſſe volumus, condignam pro tantis iniquitatibus & noſtri hujusmodi mandati contemptu pœnam accepturos. Ex Oeniponte, Anno 1510.

§. IV.

Imp. porrò & Rex Galliæ, cum Cardinalibus extra aulam Romanam degentibus per Legatos Concilium Piſis A. 1511. indicebant, animo Eccleſiæ reformandæ cùm in membris tum in capite, h. e. Pontifice, adeoque ipſius exauctorandi, *Pallavic. l. 1. H. C. Trid. c. 1. §. 2.* Edicta citatoria & inſtrumenta de Indictione facta & ab Imp. & Rege approbata refert Goldaſtus *Tom. I. Conſt. Imp. p. 421. & Polit. Imperial.*

rial. Part. XXVII. l. 2. eo itaque Julius indignus Pontifi-
ciâ ſede pronunciatus fuit, nec âgnitus ab iis, & Rege Gal-
liæ amplius Pontifex. Julii mores graphice deſcripſit
Budæus lib. de Aſſe. Ac notabilis eſt nummus Francicus
tum cuſus, cum elogio, PERDAM BABYLONIS
NOMEN. *Thuan. lib. I.* Hinc ſemina fatalis diſſidii.
Viciſſim enim Julius Concilium cogebat ad A. C. 1512.
Romæ ad Lateranum, quo Piſanum irritum declara-
tum.

§. V.

Imp. ambit Pontificatum.

Maximilianus porrò Imp. delinitus à Julio. *Vid. Ju-
ſtinian. l. 11.* à fervore reformationis remittere viſus, co-
mitia celebravit Coloniæ an. ſubſequente 1512. iisque
Edictum promulgavit de abolendis Conciliis Piſano &
Turonenſi: qvum paulo antè ſuperiore anno conſili-
um cepiſſet de Sede Rom. & Pontificia poteſtate ſuffra-
giis Cardinalium acquirenda; qvum de vita Julii Ponti-
ficis deſperaretur. Proditæ ſunt hac de re à Goldaſto
Polit. Reichshändeln *P. XII. tit. IV. p. 428.* Literæ Ma-
ximiliani Imp. ad Paulum Lichtenſteinium de mutuo ac-
cipiendis 300000. Ducatis à Fuggero in hoc negotium
inſumendis, quod Cardinalis Hadrianus ſpe de ſuo Colle-
gio facta, ſuaſerat, qvum hi neque ex Gallis neque ex Hi-
ſpanis Pontificem qui Julio ſuccederet, electuri eſſent.
1512. Atque ut hoc eo facilius obtineret, modo dictum decre-
tum de abolendo concilio Piſano, in Comitiis Coloni-
Receſſ. Imp. 1512. §. 1. enſibus factum fuiſſe videtur. Extat illud in *Receſſu* Imp.
illius anni *1512. §. 1.* quo Imperator & ordines ſedi Rom.
promittunt opem atque auxilium, & defenſionem adver-
ſus oppreſſores, invaſores, & ſchiſmaticos, puta Cardina-
les

les Gallicæ factionis, Julium indignum ſede pronunciantes. *conf. alterum ejusd. anni Receſſ. minorem.* §. 9.

§. VI.

At Pontifex Maximus res ſuas tuetur Concilio *Lateranenſi* Romæ A. C. 1512. coacto, in quo primò excuſavit moram celebrandi concilii ob bellum cum Rege Francorum Ludovico XII. quanquam infeliciter geſtum: deinde fecit concilium Piſanum irritum pronunciari: tandem reformationem ita attigit, ut electio Papæ per Simoniam facta, ipſo facto nulla exiſteret, & electo nulla facultas in ſpiritualibus, aut temporalibus tributa eſſet, atque quatriduo poſt mortuus eſt *Julius.* Succeſſit mox *Leo X.* ex familia Medicæa. Hinc majori apparatu res Eccleſiæ reaſſumtæ: electi XXIV. prælati, atque in tres claſſes diſtributi, quarum una *paci civili* inter Principes & Pontificem componendæ, altera *reformationi Curiæ*, & tertia *fidei*, operam daret. Recepti mox Cardinales Gallicæ factionis. Cæteroquin nec pax confecta, nec Curia reformata, ut deſiderium, atque intentio Eccleſiarum requirebat, *canones* tamen nonnulli, ne nihil ageretur, de ætate & qualitate Prælatorum, de eorum accuſatione ac defenſione, de præbendis & aſſeſſoribus Cardinalibus, de informatione juventutis, de horis canonicis obſervandis, de monte pietatis, de cenſura librorum, de concionatoribus & ſimilibus. Sed & circa *Fidem*, de unitate & immortalitate animæ humanæ Conſtitutionem fecerunt, quæ extat *in VII. decretal. de hæret. & ſchismat.* Certè ſi ſingula penitius penſiculantur, partim faciunt ad hiero-monarchiam ſtabiliendam, qui erat ſcopus Pontificis, reliqua haud ſerio acta, nec uſu obſervata ſunt, teſte *Caranza.* Atque ita finitur Concilium A. C. 1517. 16. Mar-

Papa concilium Lateran.

Martii creatis à Leone XXXI. Cardinalibus una vice, qvum paulò ante graviſſimam orationem habuiſſet Jo. Franc. Picus Comes Mirandulæ ad Leonem & Concilium de moribus Eccleſiæ ſeriò reformandis, cujus epitomen Paralipomena Vrſpergenſis Chronici exhibent.

§. VII.

Vis Concil. Later. Ex his haud difficile eſt judicatu, quæ hujus Concilii vis, quod robur eſſe poſſit: quippe nec Generale, aut communi Eccleſiarum conſenſu actum, neque normatum per omnia juxta divini atque humani juris regulas, & proximè præcedentis Concilii Generalis Baſileenſis Canones. Nulla dum igitur reformatio Eccleſiarum ſerio ſuſcepta, multo minus confecta erat: quin potius earum *libertas* magis magisque ſuppreſſa cernebatur, & quidem in duabus præcipuè partibus, primum quoad *ſummum circa ſacra jus*, quod neque Imperio, neque Concilio Pontifex concedere volebat, civili etiam Libertati vim inferens; deinde quoad veritatem & *puritatem religionis*, quam per varia nova ad ſtatum conſervandum excogitata dogmata, depravatam pii querebantur. Ex corrupta denique doctrina non poterant non & *mores* corrumpi, qui fœdiſſimè depravati cernebantur, clerique potiſſimùm. *Reformationis neceſſitas.* Ex duplici igitur hac ratione neceſſe erat *reformationem* ſuſcipi, tum à ſumma Reip. poteſtate, ut huic ſuum redderetur; tum ab Eccleſia, ut doctrina moresque purgarentur. De cujus progreſſu deinceps.

§. VIII.

1518. Jus tributi per indulgent. Antea qvum de imperio Rudolphi I. Imp. diſſeruimus, dictum fuit, Martinum V. Pontif. Rom. auſum fuiſſe, JVS TRIBVTORVM, quod unicum profecto dominatui deeſſe videbatur, per Germaniis affectare:

ſtare: Verum defenſam quoque à noſtris hac in parte 1518.
Eccleſiarum & Reip. libertatem fuiſſe. Videtur itaque Curia Romana aliam, & obliquam iniiſſe viam, atque ſub INDVLGENTIARVM jam tum ſuperſtitione imbuto nomine eundem ſcopum obtinere voluiſſe. Et certè ut Annatas & ſimiles modos prætercam, tantum tributorum coacervatum fuit per Eccleſias Germanicas, ut & iſthæc exactio Principibus, ac poteſtati civili, & dogma ipſum doctoribus Eccleſiarum jam tum ſuſpectum fuerit redditum. Retuli quoque qua ratione Pontifex per Nicolaum de Cuſa, Cardinalem, utrumque, & dogma, & quæſturam emollire, & emendare, invidiamque & odium principum pariter ac populi effugere intenderit. Vnde id equidem evenit, ut aliquantum acquieverint Germani, longanimitatem tandem gravitate compenſaturi.

§. IX.

At Succeſſores Nicolai V. ſive ipſi, ſive quæſtores *quas Lu-*
eorum ad priora relapſi, atque imprimis, finito Concilio *therg re-*
Lateranenſi, Leo X. diplomata *Indulgentiarum* denuo *prehendit*
promulgavit. Quæ continentur in *lib 3. diplomat. Leonis fol. 9. & Diplomat. Secretor. Sadolet. lib. 1. 2. & 4. fol. 60.* Negotium hoc Pontifex Alberto Brandenburgico, Archiepiſcopo Moguntino, & Primati Germaniæ, injunxit; qui porrò Jo. Tezelio *Dominicani* ordinis, commiſit. Julius II. Pontifex crediderat hanc rem antea Fratrum *Minorum* Ordini. Ex quo apparet falſum eſſe, quod nonnulli tradiderunt, ordini Eremitarum S. Auguſtini hanc quæſturam antea concedi ſolitam, quodque jam ei ablata fuiſſet, exacerbatum hujus ordinis homines & præcipuè Lutherum. *Pallavic. l. 3. 6. & c. 4. 1.* Sed imò enormis indulgentiarum abuſus reductus, vera cauſa fuit, cur

Mmmmm tan-

1518. tandem aliquando inter Theologos Saxonicos quidam repertus fuit, qui libertatem pariter ac veritatem indagaret, & indagatam tueretur, MARTINVS LVTHERVS Eremita Auguſtinianus, ut dixi, presbyter, Artium ac SS. Theologiæ Magiſter, & ejusdem Profeſſor Ordinarius in Academia Witebergenſi.

§. X.

Lutheri perſona. Ejus ingenium, eruditionem, induſtriam ac vim concionandi ipſi adverſarii haud diffitentur. Pallavicinus: *Acuto, vividoque fuit ingenio, propenſus ad ſtudia literarum, & in iis corpore ac mente indefeſſus. Cum inops literaturæ non eſſet, longe ditiſſimus videbatur; quippe cui in lingua, tanquam in numerato, ſua omnia in promtu erant, ejusque linguæ dexteritate, laterum etiam robore pollentis, eorum ſemper plauſum ſibi conciliabat, qui ſenſu magis quam mente diſceptante judicium ferunt. l. 1. c. 4.* 2. Lud. Maymburgius in Hiſt. Lutheraniſmi: *C eſtoit un homme de beaucoup d' esprit, de grande qualite, adroit, eloquent, tres-bien fait de ſa perſonne, & fort conſidere de Frideric Duc de Saxe.* Viciſſim non diffitemur Pallavicino, *d. l. 1. c. 5.* Lutherum θεόπνευστον inſtar Prophetarum haud fuiſſe, ſed inde non conficitur, igitur penitus nullum ὄργανον fuit divinum. Etſi enim non immediato afflatu divino veritatem concepit, hauſit tamen eam ſucceſſive precibus atque induſtria. Neque inficias imus, hominem eum fuiſſe, & humani nihil alienum ab eo eſſe potuiſſe, nihil tamen, quicquid iſtius ſit, virtuti divinitus ad repurgationem Eccleſiæ excitatæ, atque heroicæ quicquam detrahit, non magis atque Samſoni, Jephthæ aliisque priſcis & omnino θεοπνεύστοις Heroibus ea, quæ humanitus paſſi leguntur. Atque fortaſſis Deo videbatur, tantam remedi

dii vehementiam, quam Luthero imputant, inveterati 1518.
morbi gravitas poſcere; quemadmodum Ezechieli dixit Dominus: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, ut adamantem, & ut ſilicem, dedi faciem tuam.* c. 3. 8.
Certe etſi omnia & ſingula dicta, & ſcripta Lutheri exemplo nobis neceſſe non ſit; nec tamen ſcandalo nobis eſſe debent. Agnoſcamus potius hic vias DOMINI mirabiles, & humanis contrarias: idque vel exinde, quod Reges, Principes, Cardinales reformationi ſeſe opponentes, atrocibus ignominiis ab ipſo affecti, nullas pœnas de eo ſumere potuerunt. Quorſum etiam Eraſmi judicium intendit, quod Melanchthon ad *Camerarium A. 1544.* perſcripſit: *Sed ſæpe his diebus cogitavi Eraſmi dictum, qui ſi quando audivit bonos viros, cauſam probantes, moderationem verò requirentes, inquit: Eccleſiam his temporibus non mitiorem medicum meritam eſſe.* Idem Philippus perpetuò *cauſam* reformationis à *modo tractandi* ſeparavit. De controverſia inter eundem Eraſmum & Lutherum, eidem Camerario anno 1526. ita ſcripſit: *Atque utinam Lutherus etiam taceret, quem cum ætate, uſque inter tot mala ſperabam mitiorem aliquando futurum, video ſubinde vehementiorem fieri, tales illi pugnæ & adverſarii offeruntur. Ea res ſane animum meum graviter cruciat. Sic eſt, niſi DEVS conſuluerit huic tumultui, & ſervarit nos, quam vereor, ne quo non oportet, evadant hæ contentiones. Sed profectò hæ res ſingulares ſunt, & θεῖα πράγματα.* Anno ſequente ad eundem de lite ead. inter Camerarium & Lutherum ſcribit: *Utinam verò non eſſet tam atrox certamen inter vos ſuſceptum. Neque ſatis enim habuit fortaſſè tuæ dignitatis rationem Lutherus. Et tu viciſſim illum mirifice deformaſti, quem quidem virum ego meliorem eſſe judico,*

1518. *quam qualis videtur facienti de eo judicium ex illis violentis ſcriptionibus ipſius.* Et A. 1536. p. 276. Vt *autem verum fatear* ἐπράχθη δή τιν ὡς ἐπράχθη ὁ παρ᾽ ἡμῶν κακῶς. *Sed omnium quæ & nunc nonnulla apud nos in reprehenſionem merito incurrere videntur, & poſthac fortaſſe gerentur minus recte, horum igitur omnium & auctores putandi ſunt, & culpam ſuſtinebunt illi ipſi, qui primum S. Eccleſiam turpiſſimè contaminarunt, deinde iis, qui repugnare volebant, acerrime fuerunt adverſati. Nam & ea fuerunt vitia Eccleſiaſticorum, & ii morbi, in quibus ſi medicina peccaret, non eſſet mirandum, & tanta contumacia atque reſiagatio omnium conſecuta eſt, ut moderationem & clementiam omnem celeriter perverteret. Ita accidit, ut neceſſariò multa temerè fierent.*

§. XI.

cauſa juſticia. Sed miſſa Lutheri perſona, *cauſam* quod attinet ipſam, reprehendit ille *abuſus indulgentiarum* Papalium, tùm pro cathedra diſputando, tum monendo per literas Albertum, Electorem & Archiepiſcop. Moguntinum, ut coerceret præconum impudentiam, transmiſſis *theſibus* ſuis, quæ extant *T. 1. Lat. Jenenſ. f. 1.* De eadem re Pontificem quoque ipſum datis literis rogavit, quas exhibet idem Tomus *fol. 70.* Pallavicinus *l. 1. c. IV.* urget hic diſcrimen inter *tributa* neceſſaria, & inter *Eleemoſynas* voluntarias. Sed effectu res eodem recidit, qvum perſuaderetur populo *neceſſarium eſſe ad ſalutem æternam* dare has eleemoſynas. Id quod haud diffiteri poſſunt ipſi adverſarii. Itaque L. Maymburgius in *Hiſt. Luth. p. 10.* id potius improbat quàm excuſat, ſed quæſtoribus & *prædicatoribus indulgentiarum* imputat, quod ipſi ſuo auſu adeò exag-

exaggeraſſent valorem earum, ut occaſionem dederint 1518.
populo credendi, quaſi certos reddant de ſalute ſua & liberent animas ex purgatorio, quam primum datum eſſet argentum pro literis indulgentiarum: Statibus vero Imperii cauſam gravaminum in Comitiis. Præterea & *luxuriantes* de his pecuniis quæſtores recte incuſatos, atque hos abuſus in omnium linguarum hiſtoriis relatos eſſe, ut ſupprimi non poſſint, ingenuè fatetur.

§. XII.

Cauſam indulgentiarum porrò vulnerabat, *diſputationum fata.* quod theſibus Lutheri Wittebergenſi Academiæ propoſitis extra eam oppoſuerunt contrarias, in Germania quidem præter *Tezelium*, cujus imprimis intererat, & qui Francofurti ad Oderam contra diſputavit, etiam *Johannes Ekius* Procancellarius Ingolſtadienſis, & Auguſtæ Concionator, de cujus refutatione Pallavicinus *c. VI. 2.* ita judicat: *Ea verò ab Ekio fortaſſe minus acerba confici potuiſſet, quo non tam hoſti ſpiculum inferret, quam erranti facem præferre videretur.* Sed & in Italia Sylveſter Prierias, S. Palatii Magiſter, ac Generalis Quæſitor Fidei contradixit Lutheri theſibus, quo de eundem audiamus judicem: *Sed quam appoſitè*, inquit, *proponebatur ibi fallaciæ Lutheri ſophiſmatum, tam jejunè rationes afferebantur ad revincendam falſitatem illius rationum, cum eæ non ſemel tanquam hæreticæ ibi damnarentur, non alio ferè argumento, quàm Pontificiæ auctoritatis. Quare ſcriptum illud & Lutherum exaſperavit, quod ſe altè petitum cerneret probris æmulorum, (quibus humana ſuperbia nunquam ſe victam fatetur;) & planè ipſum edocuit, hanc infamiam evitari non poſſe, niſi oppugnata Pontificis Rom. poteſtate.* Illud nimirum eſt, quod Lutherus faſſus eſt, ſe

1518. in hoc negotium incidiſſe, non ſtudio ab initio id intendiſſe, ſcilicet ut impugnaret Pontificis Rom. poteſtatem, unde non potuit non Eccleſiarum ſeparatio tandem oriri. Itaque *L. Maymburgius* has impugnationes theſium Lutheri judicat fuiſſe *claſſicum* belli tum imminentis & adhuc durantis Eccleſiaſtici. ſatius autē fuiſſe putat, ſi ſtatim ante vulneratam cauſam, utrinque ſilentio impoſito, controverſia hæc de Indulgentiis per deciſionem legitimam ſublata, & Luthero ſatis factum fuiſſet, qui ſe Eccleſiæ judicio ſubmiſerat: abuſibus nempe indulgentiarum agnitis & abolitis; id quod tandem in fine Concilii Tridentini tentatum, at ſeriùs, ut videtur.

§. XIII.

Non erit credo ingratum, hic inſerere epiſtolam, ad hoc argumentum apprimè, facientem, quam ſcripſit Eraſmus Roterodamus ad Lutherum,

Erasmvs Roterod.
D. Martino Lvthero.
S. P.

Frater in Chriſto chariſſime, epiſtola tua fuit mihi gratiſſima, & ingenii argutiam præ ſe ferens, & animum ſpirans Chriſtianum. Nullo ſermone conſequi queam, quas tragœdias hic excitarint tui libelli. Ne adhuc quidem ex animis illorum evelli poteſt, falſiſſima ſuſpicio, quam putant tuas lucubrationes meis auxiliis eſſe ſcriptas, meque hujus factionis, ut vocant, vexilliferum eſſe. Exiſtimabant ſibi datam anſam, qua, ut bonas litteras opprimerent: quas capitaliter oderunt, velut offecturas majeſtati theologicæ, quam multo pluris faciunt, quam Chriſtum, ſimulque me, quem arbitrantur ad excitanda ſtudia non nihil afferre momenti.

unti. Tota res vociferationibus eſt acta, temeritate, ſtrophis, obtrectationibus, ſycophantiis, ut niſi præſens hæc ſpectaſſem, immo ſenſiſſem, nulli unquam auctori fuerim crediturus, ſic inſanire theologos, peſtem fatalem eſſe diceres. Et tamen hujus mali virus à paucis ortum, in plures ſerpſit, adeo ut magna pars hujus Academiæ non infrequentis, hujus morbi contagio lymphata ferretur. Teſtatus ſum te mihi ignotiſſimum eſſe, libros tuos nondum eſſe lectos. Proinde nec improbare quicquam, nec probare, tantum admonui, ne libris tuis nondum lectis, ad populum tam odioſè vociferarentur. id ipſorum referre, quorum judicium eſſet graviſſimum. Quin & illud perpenderent, an expediret ea traduci apud plebem promiſcuam, quæ rectius libris editis refellerentur, aut inter eruditos diſputarentur. Præſertim cum uno ore vita authoris prædicaretur; nihil profectum eſt, huc usque inſaniunt, obliquis imò famoſis his diſputationibus. Quoties inter nos de pace convenit? Quoties illi ex temerè concepta ſuſpiciuncula novos tumultus excitarunt? Et ii Theologi ſibi videntur. Theologi ſunt hic aulicis inviſi, quod ipſum mihi quoque imputant. Epiſcopos omnes habeo mihi faventiſſimos, libris nihil fidunt, in ſolis ſycophantiis victoriæ ſpes illis ſita eſt, eas contemno recti conſcientia fretus. In te redduntur aliquanto mitiores. Meum calamum timent, ſibi malè conſcii. Quos ego ſanè ſuis pingerem coloribus, ut digni ſunt, niſi me Chriſti tum doctrina, tum exemplum alio vocarent. Immanes feræ manſueſcunt officiis; iſti benefactis efferuntur. Habes in Anglia, qui de tuis ſcriptis optime ſentiunt, & ſunt ii maximi. Sunt & hic, quorum eſt Epiſcopus Leodienſis, qui tuis favet. Ego me, quoad licet integrum ſervo: Quo magis proſim bonis literis reſloreſcentibus. Et mihi videtur 1519.

plus

1519. *plus profici civili modeſtia, quam impetu. Sic Chriſtus orbem in ſuam ditionem perduxit. Sic Paulus Judaicam legem abrogavit, omnia trahens ad allegoriam. Magis expedit clamare in eos, qui Pontificum auctoritate abutuntur, quam in ipſos Pontifices. idem de regibus faciendum cenſeo. Scholæ non tam aſpernandæ ſunt, quam ad ſtudia magis ſobria revocandæ. De rebus receptioribus, quam ut ſubito poſſint ex animis revelli, diſputandum eſt argumentis denſis, & efficacibus potius, quam aſſeverandum. Quorundam virulentas contentiones magis conducit contemnere, quam revellere. Ubique cavendum, ne quid arroganter aut factioſe loquamur faciamusve. Sic arbitror gratum eſſe ſpiritui Chriſti. Interea ſervandus animus, ne vel ira, vel odio, vel gloria corrumpatur. Nam hæc in medio pietatis ſtudio ſolet inſidiari. Hæc non admoneo ut facias, ſed ut quod facis, perpetuò facias. Deguſtavi Commentarios tuos in Pſalmos, vehementer arrident, & ſpero magnam utilitatem allaturos. Eſt Antwerpiæ Prior ejus Monaſterii, vir purè Chriſtianus, qui te unicè deamat, tuus olim diſcipulus, ut prædicat, is omnium pene ſolus Chriſtum prædicat. Cæteri ferè, aut hominum fabulas, aut ſuumquæſtum prædicant. Melanchthoni ſcripſi. Dominus JESUS tibi ſuum Spiritum in dies uberius impartiat ad ipſius gloriam, & publicam utilitatem. Cum hæc ſcriberem, tua epiſtola ad manum non erat. Vale. Lovanii. tertio Calendas Junias Anno M. D. XIX.*

CAPUT

CAPVT II.

DE CONCORDIA IMPERATORIS ET ORDINVM CIRCA REFORMATIONEM PERFICIENDAM.

SVMMARIA.

Reformationem adjuvant Imp. & Status Imperii pro libertate Eccleſiarum. Maximiliani epiſtola ad Papam. Friderici Elector. Saxon. ſapiens opera. Georgius Dux Sax. Cauſæ ob quas Lutherus primo diſputationem cum Ekio declinaſſe videtur. Diſputationis relatio Moſellani ad Julium Pflugium. Imp. Carolus & Ordines unanimiter urgent gravaminum ſolutionem & reformationem. Regimentum Imperii Formulam reformationis jubet fieri. Excommunicatio per Appellationem ſuſpenſa à Luthero: executio & proſcriptio à Statibus. Gravamina Pontifici transmiſſa recenſentur. Pallavicino de Annatis reſpondetur. Concordata Nicolai V.

§. I.

Cœpta per increpationem *Abuſuum* Eccleſiæ reformatione ſecundum fidei analogiam, una libertatis *Statꝰ Imperii Libert. Eccl. tuentur.*

 ſpecie,

ſpecie, non tantum *conveniens* videbatur, ut & altera vindicaretur, quæ circa poteſtatem & *Imperium Sacrum* verſatur; ſed & *inclinabant* plerique omnes ad ſuam quisque libertatem recuperandam, quam Principibus Secularibus imminuiſſe Epiſcopi dicebantur, Epiſcopis Legati Pontificis Romani & ejus Curia. Atque qvum paucorum Abuſuum abrogationi anathemate *reniteretur* Pontifex, *non poterat* hoc rerum ſtatu nimia hujus potentia apertam jàm impugnationem evitare, quam effugiſſet adhuc, ſi ſaltem Indulgentiarum mercimonia, & quæſturam remiſiſſet. Sed imminebat fatum. Itaque intelligere incipiebant Principes, qvum Eccleſia ſit in Rep. & illi Eccleſiarum ſuarum defenſores, fas eſſe, ut ipſi cæterique ordines Imperii cum capite ſuo auguſtiſſimo,
1518. Imperatore, utramque reformationis ſpeciem tum circa
1519. abuſus in doctrina, tum poteſtatis circa ſacra, ſimul ac ſemel, DEO O. M. Duce aggrederentur.

§. II.

Imp. ipſe. Optimus quidem Imperator *Maximilianus* primo in *Comitiis Auguſtan.* A. 1518 de Lutheri auſu conqueſtus eſt, tum ad ſtatus Imperii, tum verò ad Pontificem Rom. eum rogans, ut auctoritate ſua conſuleret, quidquid ab ipſo fuerit ſancitum id ſe effecturum, ut ubique obſervaretur *Pallavic. l. 1. H. C. Tr. c. VI. 4.* Epiſtola habetur *Tom. I. Luth. Jen. Lat. fol. 179. Goldaſt. Tom. 2. Conſt. Imp.* At mox melius de ardua hac cauſa informatus Imperator, alium animum poſtea oſtendit.

§. III.

Frider. El. Sax. Fridericus Elector Saxoniæ prudentiſſimè quoque, ut ubique, ita maximè in hoc negotio ſe geſſit. Lutherum Pontifex citaverat Romam. Atqui *jus evocandi* Germanos

nos extra Patriam ordines Imperii, atque imprimis Saxones haud conceſſerant: quare & hoc Leoni modeſte denegatum. Qua de re legi poteſt epiſtola reſponſoria Electoris ad Raphaëlem tituli S. Georgii ad velum aureum. *Tom. Luth. I. Jen. Lat. fol. 108.* item ad Thomam de Vio Cajetanum tituli S. Sixti Cardinalem, *fol. 197.* Hæc fuit vera ratio, cur renueret Elector, quò minus ſe Romæ ſiſteret Lutherus, & conſequenter tantùm ſalvum conductum denegaret: quam nec Lutherus tum ſatis aſſequi potuit in Epiſt. ad Spalatinum Tom. I. LVI. quem Pallavicinus l. I. c. 7. 2. propterea cavillatur immeritò. Cæterum etſi ob tuendam cauſam communem Reip. Elector Lutherum odio haud habuit, nunquam tamen cum ipſo fuit converſatus. Ge. Spalatinus in vita hujus Electoris, prout in Ducali Bibliotheca quæ Gothæ eſt, MSta extat, teſtatur: will ſchweigen/ wie freundlich u. gnädiglich er mit dem Herrn D. Marthin Luthern meinet/ denn wiewol er nichts mit ihm iemal umgieng/noch hätt er ihn gewißlich gnädiglich lieb u. werth. De monaſteriis & *bonis Eccleſiaſticis* quid ſenſerit Elector, idem refert: So erzeigten auch ſeine Churfürſtl. Gn. andern Stifftern (præter Wittebergenſem à ſe extructam Cathedralem) als Altenburg/ Gotha/ Eyſenach/ auch allen Jungfraw- und Münchs-Kloſtern alle Gnade ihr Lebenlang/ hörten auch gewißlich ungern/ daß man ihr einem einiges Leid thät/ auch die Zeit/ do das Evangelium war widerumb angangen. Addit, abrogationem & mutationem liturgiæ, & *rituum Eccleſiaſticorum* toleraſſe, adminiſtrationem S. cœnæ ſub utraque ſpecie approbaſſe, & in fine vitæ bis ipſum ſumma cum devotione ita eà uſum fuiſſe.

§. IV.

Georg. D. Saxon. Georgius Dux Saxoniæ, Lipſiæ reſidens, inuito Epiſcopo Mersburgenſi Diœceſano, ad inſtantiam Johannis *Ekii* campum aperiebat publice diſputandi de mota iſthac controverſia. Ekius ut *Pallavicinus* refert, *lib. I. c. XIV. 8.* ſæpius cum Luthero Auguſtæ verba miſcuerat, & partim ſtudio religionis, partim æmulatione præfervidus, nihil cupiebat ardentius, quam ſui ſpecimen præbere in ſolenni diſputatione cum æmulo. Itaque, *pergit ille*, auctoritate privata Ekius ad hujusmodi certamen Lutherum provocauit, quod alter per varias excuſationes declinare ſtuduit, ut qui adverſarii robur, ſuasque opiniones parum acceptas ſatis intelligebat. Hæc & alia plura de hac *Cur Luth. declinarit primò diſp.* Diſputatione Pallavicinus. Verum prudenti conſilio potius, quam ex diffidentia virium, videtur Lutherus declinaſſe iſtam pugnam. Satis enim viſum fuerat *abuſus* in religione Catholica increpaſſe, atque facto ipſo eorum abolitionem procuraſſe, tempore perficiendam. Porrò de *poteſtate Epiſcoporum & Pontificis* Romani, atque de gravaminibus nationis Germanicæ ſuper ea diſputare *1519.* non ad cathedram Academicam, ſed ad Imperatorem & ordines Imperii pertinere viſum, atque de hoc *Regalium jure* in Comitiis Jmperii & Provincialibus potius tractandum fore. Denique *de quæſtionibus Theologicis* ex abuſuum reprehenſione ſubnatis, de libero arbitrio, de peccato originis, & aliis pluribus, tutius viſum non progredi ad palæſtras haſce publicas, & quaſi quædam compromiſſa, qvum veritas diſputando rarò acquiratur, frequentius obruatur. Phil. Melanchthon ad Camerarium A. 1546. ſcribens, proclamat: *Sed profecto quoties de illo genere diſputationum cogito, coborreſco toto corpore. Non*

veritas,

veritas, non vel mediocris tranquillitas Eccleſiarum quæritur. Libenter igitur procul abſum ab illis fucoſis & inſidioſis actionibus. Et anno præcedente ſcripſerat: *Sermonibus de colloquio Theologorum non valde moveor, quia nec quæritur veritas illis fucoſis actionibus, nec conſulitur paci.* itemque A. 43. *Etſi autem mihi quidem nihil in vita dulcius fuit colloquiis, & collatione eruditorum, tamen illa certamina ſophiſtica conventuum odi, ac utriusque partis ſtudia ac voluntates cogitans, toto corpore cohorreſco. Præclarè illud quidem apud Thucydidem dicitur, ἐπιείκεια τοῦ διδάσκειν καθ' ἡσυχίαν ἀλλήλους οὐ ψέγεται. Sed hæc philoſophia prorſus ignota eſt iſtis, qui volunt eſſe βραβευταὶ diſputationum in Conventibus.* Atque qvum de his controverſiis jam tum in Eccleſia Catholica diverſæ eſſent ſententiæ inter Theologos Scholaſticos, in Sectas præſertim *Thomiſtarum* & *Scotiſtarum* diviſos, viſum fuit, poſſe ſententias eorum, quæ abrogationi abuſuum faverent, absque ſtrepitu ac tumultu in cathedra Academica deinceps præferri. Certe non diffitetur Pallavicinus *l. 1. c. IV. 2.* Lutheri primas theſes de abuſibus fuiſſe excerpta plurimùm à quopiam Scholaſticorum, ſed contraria ſententiis magis receptis. Et Gibbon de Burgo, *de Luthero-Calviniſmo reconciliabili Diſp. IV. Q. 2. §. 3.* aſſerit, dogma noſtrum de bonis operibus ad Catholicum *Scotiſtarum* 1519. ſenſum accedere.

§. V.

Sed vincebat tamen æmuli inſtantia & Ducis invi- *Diſp. Lipſ.* tatio ad hoc certamen Scholaſticum, quo eò progreſſum, 1519. ut non tantum de abuſibus iſtis in religione Catholica hactenus toleratis, ſed & de poteſtate Papæ & Curiæ Romanæ diſputaretur, atque in latiſſimum iſtum controver-

ſiarum Theologicarum Oceanum proveherentur. De qua Syrraxi vid. *Paralipom. ad Conrad. Vrſpergenſem. pag. 344. quæ Melanchthonis eſt relatio. itemque Tom. I. Luth. Lat. Jen. fol. 364. ſeqq. Pallavic. lib. 1. cap. 59.* Sed & digna eſt epiſtola *Petri Moſellani* ad Julium Pflugium poſtea Epiſcopum Numburgenſem, ea de ſcripta, quæ huc apponatur, quam ex αὐτογράφῳ ſumſi. Præmiſerat tunc P. Moſellanus actui diſputatorio, Georgii Ducis Sax. nomine, orationem de ratione diſputandi præſertim in re Theologica die XXVII. Junii 1519.

PETRI MOSELLANI
LITERAE
ad
JULIUM PFLUGIUM,
de Diſputatione Lutheri cum Eccio Lipſiæ habita: anno 1519.

ex αὐτογράφῳ deſcriptæ.

PETRUS MOSELLANUS JULIO Suo S.

„NUper cum à Treviris meis, quo ex negocio quodam „principe bene favente iter confeceram, in hanc „tuam patriam me reciperem, mali ſuſpicans nihil, tan„tam rerum omnium permutationem immo perturba„tionem offendi, ut ſubitaneos adeo rerum humanarum „motus ſatis mirari non poſſem. Nam ſtatim ut Er„phurdiam in redeundo perveni, amici, quos illic habeo „multos & magnos, civilia potius aut familiaria Saxonum „inter ſeſe bella narrabant. Tum litterarias conflicta„tiones Lipſiæ ac Wittenbergæ, ex quo abiiſſem, famoſæ illius

„ illius diſputationis occaſione exiſtenteis, ac ſine fine
„ progredientes. Quarum & ipſe pars eſſem. Poſtre-
„ mo, quæ extrema videbatur calamitas, peſtilentiæ un-
„ dique graſſantis horrorem ſic verbis atrocibus depin-
„ gebant, & quaſi ante oculos ſtatuebant, ut pene cum
„ Vergiliano Ænea obſtupeſcerem, ſtarentque comæ &
„ vox faucibus hæreret. Quanquam autem boni viri me
„ non hortabantur modo ſed & conditione optabili pro-
„ poſita, orabant, ut illic apud ſe, vel hyematurus tantùm,
„ ſubſiſterem, nec imbecillam hanc valetudinem in ca-
„ ſum ac periculum darem, malui tamen ad flammam
„ accedere propius, & incendii vaſtitatem, qualitatemque
„ coram certius explorare. Itaque biduum tantum re-
„ fovendis equis commoratus, Numbergam ad Ryne-
„ ckum noſtrum contendo. A quo, pro mutua noſtra
„ amicitia, humaniſſime exceptus, de meis rebus nonnihil
„ edoceor, ſimulque te ab Italis reducem audio. Hic in
„ ſummis malis tanta mihi oborta eſt lætitia, ut ferme
„ omneis animi moleſtias abſtergeret. Non aliter atque
„ ruſtici gaudere ſolent, ſi quando diuturno imbre ma-
„ dentibus, ſol ille amabilis, nube diſcuſſa aureum illud
„ os ſuum oſtenderit. Tametſi apud hunc nec mora,
„ nec requies. Quod hoſtis jam muros haberet, & undi-
„ quaque appareret plurima mortis imago. Quare po-
„ ſtridie quam eo veneram mane Lipſia ad ſiniſtram reli-
„ cta, certisſima tui conveniendi ſpe ardens Pegam con-
„ tendo. Atque ibi in diverſorio forte fortuna Mar-
„ cum patris tui ſcribam invenio. Rogo domine ſis, an
„ Miſnæ agas, Abeſſe ſe Miſnæ ajebat. Hic quaſi in trivio
„ conſtitutus quo me verterem dubitavi. Nam apud ani-
„ mum meum ſtatutum omnio erat, Miſnam, quo prin-
ceps

„ceps Academiam tranſtulerat, concedere, quod pro-
„poſitum urgebat eo magis, quo te tanto intervallo vi-
„dere, & jucundiſſima tua conſuetudine frui ardentius
„geſtiebam. Sed univerſa rerum mearum ſupellex et-
„iamnum reditum meum Lipſiæ expectabat. Vt ſine
„libris Miſnam fruſtra conceſſurus eſſem, & nihilominus
„à Lipſia adeunda peſtis metu deterrerer. Inter hæc
„fluctuanti demum ex valetudinis meæ uſu videbatur re-
„cta ad te Miſnam contendere. Atqui caſu quodam
„accidit ut nobis jam accinctis, & equis ephippiatis jacta-
„retur inter familiam, Doc. Alexandrum de Tzneyman,
„cui ego diſcedens rerum mearum curam demandave-
„ram, una cum fratre ſuo in unis ædibus prope Martio-
„pyrgum agere. Sedi nomen eſt Kötzlitz. Hic locus,
„ſtudioſe ſciſcitari cœpi, quantum à Pega tua abeſſet, &
„an cum ejus diei luce eo pervenire liceret. Cum an-
„nuiſſent per transverſos agros (neque enim via aliqua
„ducebat eo) ſub noctem, quo deſtinaram, devenio. Hic
„totum pene triduum nobis eſt extractum. Dum videl.
„Vir ille optimus & amiciſſimus genus omne humani-
„tatis in nos exercet, & miniſter in urbe ſarcinas compo-
„nit, ac aurigas quibus devehendas committat, quærit.
„Dum ſic manemus & parum mature promovemus, ecce
„nobis Julius interea Miſna relicta è manibus effugit.
„Ita omni ſpe fructus, quam ex mutuo noſtro conſpectu
„pariter & colloquio, ingentem conceperam, dejectus,
„δεύτερον πλοῖον πειρά ζεύξαι hoc eſt litteras ad te dare co-
„gitavi. Eas jam adornatas tuæ ex inſperato oppreſſe-
„runt. Quibus legendis facilè intellexi meam in hac re
„infelicitatem non minus tibi quam & mihi dolori fuiſſe.
„Tametſi mea pluris intererat, quam tua. Neque enim
tan-

,, tantùm de communibus rebus, ſed peculiariter etiam
,, de vitæ meæ rationibus tecum amantiſſimo mei homi-
,, ne communicaſſem. Imitabor ergo te, & quod coram
,, non licuit verbis, abſens agam litteris. Nam quod ad
,, Martini theologi cauſam tanta tot ſophiſtarum æmula-
,, tione in ſummam invidiam hic adductam attinet, cujus
,, hiſtoriæ te imprimis cupidum video, quanquam ita ha-
,, bet, mea ſententia, ut eam litteris quamtumvis obſignan-
,, dis committere parum ſit tutum, ne tamen Julio meo
,, negare videar quidquam, paucis totius tragœdiæ ſum-
,, mam bona cum fide repræſentabo. Sed heus tu cave,
,, quenquam præterea ſpectatorem admittas. Alioqui
,, ſcito mihi perſonam in media actione caſuram. Prin-
,, cipio ſatis conſtat, ut nullus repetam, quantæ fuerit in-
,, vidiæ Martino ſuus conatus apud omneis, & qui vel Ro-
,, manenſium iſtorum impietatem ignorant, eorum vitiis
,, aluntur & qui totam ætatem in ſophiſticis tricis con-
,, ſumpſerunt, quamque concluſionibus per totam Ger-
,, maniam ſparſis utrinque ſit pugnatum, dum ille Philo-
,, ſophiam Ariſtotelicam, quam ſolam quamvis nunquam
,, intellectam iſti tenent, ex theologorum theatro explo-
,, dit. hii eam ceu amaſiam ſuam mordicus tenent, & qui-
,, bus poſſunt armis tueri ſtudent, dolone an virtute, quis
,, in hoſte requirat? Non enim ſoli Lipſienſes noſtri con-
,, cluſiones ſuas Martinianis oppoſuerunt, ſed & Eccius in
,, Bavaris theologum agens ἀεροβατῶντι καὶ τὸν θεὸν ὥσπερ
,, σωκράτης ἀπὸ ταῤῥου ὑπερφρονῶν rei novitate permotus
,, Epiſcopo Eiſtettenſi corollaria aliquot contra Marti-
,, num exhibuit. Quod ubi Martinus per amicos reſci-
,, viſſet, mox Caroloſtadium Wittenbergenſem archidia-
,, conum in eum immiſit, hominem ad παλινῳδίαν coge-

Ooooo re ni-

,, re niſus, ille ſemel atque iterum reſpondit, ſed meo ju-
,, dicio frigidius, quam ut doctrinæ alicujus eminentis fi-
,, dem lectori cordato facere videatur. Neque enim
,, Eccius quam eſt linguâ promptus, tam & calamum ha-
,, bet expeditum. δεινὸς μὲν λαλεῖν ἀδεινότατος δὲ λέγειν.
,, Quare hoc genere pugnæ victoriam deſperans ad thea-
,, tricum illum publicæ diſceptationis congreſſum provo-
,, cat. Nimirum ἵππος εἰς πεδίον. Non detrectant
,, certamen Wittenbergenſes. Sic utrisque pugnandi
,, fit copia in theologorum noſtrorum vere φροντιστηρίῳ
,, XXIII. Junii menſis die ad congrediendum condicta.
,, Maturè utrique advenerunt. Eccius ſolus, cum ſolo
,, miniſtro eoque commodatitio, principi noſtro Fucari
,, litteris commendatus. Martinus ac Caroloſtadius o-
,, ptatam Academiæ ſuæ partem ſecum trahebant, inter
,, quos inſignis erat Bernimus Pomeranorum Princeps
,, juvenis modeſtiſſimus, & litterarum amantiſſimus &
,, mihi peculiariter favens. Confluebant autem eventus vi-
,, dendi ſtudio omnis ordinis homines Abbates, Comi-
,, tes, equites aurati, docti ſimul atque indocti, ut ex tot
,, auditoriis, quot ampliſſima habet hæc ſchola, nullum
,, tantæ multitudinis capax eſſet. Qua in re Principis
,, providentia clariſſime extitit. Is enim quod futurum
,, erat animo proſpiciens, capaciſſimum illud atrium, quod
,, eſt in arce, in præſentem uſum deſtinatum apparari juſ-
,, ſerat. Et quia invito Epiſcopo Merſeburgenſe recla-
,, mantibus theologis noſtris, partibus diſputandi copiam
,, fecerat, in ſe quoque omne procurandæ rei onus ſpon-
,, te ſuſcepit. Dat negocium ſenatui, ut pro hoſpitum
,, dignitate hoſpitia procurent, & ne in re tanta quid tu-
,, multus oboriatur, in armis eſſe jubet. Curantur omnia
rectè.

„rectè. Præſertim cum principis nomine pater tuus „non ſolum omnibus intereſſet, ſed & præeſſet. Jam „dies condicta illuxerat, cum mane hora (ut hic nume„ramus) ſexta in proſperiorem cœpti negocii ſucces„ſum, apud Divi Thomæ ſacrum omne genus muſicis ad„hibitis magnificè peragebatur. Poſt magnifica planè „instructa pompa agminatim in arcem feſtinarunt o„mnes. Verùm, ne turba omnis citra delectum irrue„ret, armatis aliquot, qui fores obſidebant, cautum erat. „Ut verò introgreſſi jam quisque pro ſuo ordine ſedem „ceperat, miſer ego homuncio nonnihil adhuc febrici„tans per poſticum intromiſſus ſuggeſtum aſcendo, prin„cipis nomine & ſumma omnium expectatione dicturus. „Terrebat me primum, fateor, tantus tantorum hominum „conſeſſus, tanta omnium expectatio, tantâ tanti princi„pis perſona, cui gerendæ ut par futurus eſſem, verebar. „Dixi tamen, ſi non magna cum laude, ita tamen, ut cum „optimis quibusque & princeps ipſe boni conſuleret. „Vbi jam peroratum eſſet, & jam omnes finem cuperent „(effluxerant enim duæ penè clepſydræ) muſici aliquot „meo conſilio in hoc adornati itidem per poſticum intro„ducti canticum illud, cujus initium eſt Veni ſancte Spi„ritus, ſuaviſſimo concentu modulabantur auditoribus „omnibus in genua venerabundè procumbentibus. Hiis „quaſi παρασκευαῖς antemeridiano tempore conſum„to in prandium diſceſſum eſt, & per præconem totum „auditorium à prandio redire juſſum. Rediere o„mnes expectabundi. Caroloſtadius atque Eccius uter„que pro ſe ex more veniam præfati in harenam deſcen„dere. Inter hos certatum eſt de libero arbitrio videl. „ſut illud ſe haberet erga opus hominis ſalutare. Nam

„ Caroloſtadius obtinere ſtudebat: Quidquid in dictis „ ac factis hominis ſalutare eſſet id totum Deo ceu ſolo „ bonorum omnium fonti deberi. Porro hominis vo„ luntatem ſuo conſenſu nihil bonitatis addere. Sed „ tantum cœleſtis gratiæ influxum excipere. Breviter „ Deum eſſe fabrum, noſtrum arbitrium malleum, quo „ ille noſtram ſalutem fabricet. Cui ſententiæ haudqua„ quam abſurdæ (ſi quid in hiis ipſe intelligo) totum „ pene triduum ab Eccio reclamatum eſt opus merito„ rium (ſic enim vocare ſolebat) partim gratiæ, partim „ hominis voluntati tribuente. Huc tandem res devol„ vebatur, ut Eccius daret totum opus bonum eſſe à Deo, „ ſed non totaliter μακρὰ χαίρειν φράσας ἐπιτρέπων τῷ ἀπὸ „ συζύγων τόπῳ. Quam diſtinctiunculam non tantum „ in præſens eluſit Caroloſtadius ſed & poſtea longiſſima „ epiſtola in vulgus edita frigidiſſimum commentum „ confutavit. Qui labor quam aliis probetur neſcio, „ mihi certè quod ad cauſam attinet, abunde fecit ſatis: „ Succeſſit Caroloſtadio Martinus ſuſtentaturus hoc „ Rom. eccleſiam, ejusque epiſcopum cæteris ſuperio„ rem probari tantum ex decretis nuper natis. Contra „ quæ ſtaret & Scripturæ, & Niceni concilii authoritas. „ Quam ſententiam ut everteret Eccius, nihil non tenta„ vit hucque omnes ingenii ſui machinas admovit & dies „ continuos octo impendit obiter illud potiſſimum ſtu„ dens, ut plerisque Boiemicæ factionis articulis objectis, „ hominem in majorem invidiam adduceret. Quas in„ ſidias ſtatim intelligens Martinus, graviter & velut ſpiri„ tu quodam infremuit huc ſe παρέργως inſidiosè trahi. „ Porro objecta dogmata partim magna cum indignatio„ ne rejecit, partim etiam ut Chriſtiana amplectebatur,

nisus

„ niſus ubique verò ſcripturæ libratiſſimis teſtimoniis,
„ vel veterum conciliorum decretis. In ſumma nihil
„ tam ſtuduit, quam Bojemici diſſidii per ſe approbandi
„ ſuſpicionem procul à ſe movere. Rurſus Eccius in hoc
„ erat totus, ut hanc de Martino opinionem omnibus in-
„ gereret, ipſo Martino quamtumvis reclamante. Hiis
„ & id genus aliis de ſtatu animarum in purgatorio de-
„ gentium , de penitentiæ ſcintilla timore. De con-
„ donationibus XX. penè dies conſumebantur. Nec
„ dum finis fuiſſet ullus, niſi nunciatum eſſet Joachimum
„ Marchionem Brandenburgenſem Francofordia a prin-
„ cipum electorum comitiis redeuntem in propinquo
„ adeſſe, ei enim principis noſtri juſſu hoſpitium Lipſiæ
„ in arce adornandum erat. Itaque ſic eſt diſceſſum, ut u-
„ traque factio victoriæ palmam ſibi vendicaret. Eccius
„ enim triumphat apud omnes, qui vel ἔνοι λύρας ἀκροα-
„ ταί totum negocium non intelligunt, vel jam inde a
„ pueris in Petro Hiſpano conſenuerunt, vel qui alia ali-
„ qua ex cauſa Wittenbergenſibus male volunt. Martini
„ ac Caroloſtadii victoria eo minus eſt celebris, quo do-
„ cti & judicio præditi ſunt pauciores, & in ſuis rebus de-
„ prædicandis modeſtiores. Habes fabulam breviter &
„ quaſi ſaltuatim, multis parum ad cauſæ ſtatum facienti-
„ bus, in medio relictis, à me tibi perſcriptam. Sed quid
„ non plauſum etiam attollis? Ineptus fortaſſe tibi videor
„ ὑποκριτής aut necdum ſatur plura expectas. Explebo
„ igitur te vel ad faſtidium usque hiis epulis & ipſos belli
„ hujus duces tibi quaſi in tabula depictos oſtendam.
„ Martinus ſtatura eſt mediocri, corpore gracilento, curis
„ pariter ac ſtudiis exhauſto ſic ut propius intuenti omnia
„ pene oſſa liceat dinumerare. Ætate virili adhuc, & in-

„ tegra. Voce acuta & clara. Doctrina verò & ſcripturæ „ cognitio in eo admirabilis adeo ut omnia pene in numerato habeat. Græce & Hebraice hactenus didicit, ut „ de interpretationibus judicium facere poſſit. Nec deeſt „ dicendi materia, ſuppetit enim & rerum & verborum „ ſylva ingens. Judicium fortaſſe & utendi rationem „ in eo deſideres. Porro in ipſa vita ac moribus civilis & „ facilis, nihil Stoicum, nihil ſuperciliosum præ ſe fert, im„ mo omnium horarum hominem agit. In congreſſibus „ feſtivus & jucundus nugator. Alacris & ſecurus, ubi„ que & ſemper læta facie florens, quantumvis atrocia „ comminentur adverſarii, ut haud facile credas homi„ nem tam ardua ſine numine divûm, moliri. Sed, quod „ ei vitio dant plerique omnes, in reprehendendo impru„ dentior paulo & mordacior, quam vel tutum ſit τῷ τὰ „ θεῖα καινοτομοῦντι vel decorum homini theologo. Quod „ vitium haud ſcio an non cum omnibus τοῖς ὀψιμαθέσιν „ habeat commune. Hæc plæraque omnia in Carolo„ ſtadio paulo minora deprehendas. Niſi quod huic ſta„ tura eſt brevior. facies & nigricans & aduſta. Vox ob„ ſcura & inamœna. Memoria infirmior & iracundia „ promptior. Jam Eccio ſtatus eſt procerus, corpus ſo„ lidum & quadratum. Vox plena & plane germanica „ lateribus fortiſſimis ſubnixa ut non tragœdis tantum, „ ſed & præconibus ſufficere poſſit. Aſper tamen magis „ quam expreſſa. Tantum abeſt, ut nativam illam Ro„ mani oris ſvavitatem Fabio ac Ciceroni tantopere lau„ datam referat. Os & oculi totus denique vultus ſunt „ ejusmodi, ut hinc certe quemvis lanium, aut Carem „ militem citius, quam theologum poſſis agnoſcere „ Quod ad ingenium attinet, memoria pollet inſigni „ Quæ ſi in parem incidiſſet intellectum, jam omnibus nume-

„numeris naturæ opus fuiſſet abſolutum. Deeſt homi-
„ni intelligendi prompta vis, deeſt judicandi acumen.
„Sine quo ceteræ dotes omnes fruſtra contingunt. At-
„que hæc cauſa eſt, quod cum diſputat, tot argumenta,
„tot ſcripturæ teſtimonia, tot authorum dicta citra ul-
„lum omnio delectum congerit interim non advertens,
„quam pleraque ſint frigida, quam ſuis locis recte intel-
„lecta, ad præſens nihil faciant, quam denique ſint vel
„ἀπόκρυφα vel ſophiſtica. Hoc enim tantum curat, ut
„copioſum farraginem ſpargens auditoribus magna
„ex parte ſtupidis fucum faciat, & victoriæ opinionem de
„ſe præbeat. Adde hiis incredibilem audaciam. Quam
„admirabili tegit vafricie. Etenim ſi quando per hanc
„in adverſarii laqueos incidiſſe ſe ſentit, diſputationem
„paulatim alio deflectit, nonnunquam verò & adver-
„ſarii ſententiam aliis verbis conceptam pro ſua ample-
„ctens, abſurdam ſuam in adverſarium mirabili callidi-
„ditate detorquet. Ut quemvis Socratem vincere vide-
„ri poſſet. Niſi quod ille τὸ εἰρωνεύεσθαι profeſſus nihil
„decernebat, hic peripateticam ſciendi fiduciam pro-
„feſſus τὴν προσκεπτικὴν exprimit. En tibi bona fide A-
„pellem. Si non, quam fuit ille, artificem. Sedulum
„tamen & induſtrium. Iam verò animus erat & de meis
„rebus ad te perſcribere. Sed quia vel hæc epiſtolæ mo-
„dum excedunt, & Decanus tuus Major eſt, quam ut plu-
„rimis chartis ſit onerandus, finem faciam paucula prius
„aliena ſi adjecero. Non credis quam pene omnes, ex
„quo huc conceſſimus, in Martinum mitiores redditi
„ſunt. Inprimis ὁ γραμματοφόρος tantum abeſt ut in
„eum quidquam ſcribat. Quid enim ſcriberet γέρων πα-
„λίμπαις; Doctor Heynitz tuus de hoc negocio recte
ſen-

„ſentit. Doctor Gabelentz. Item Henricus Monachus.
„Doctor Hermeſtorff. Joannes de Maltytz homo opti-
„mus hoc eſt tui ſimilimus. Cum reliquis non multum
„mihi nec rei eſt, nec ſpei. Ac verò Archiepiſcopus Tre-
„virenſis, cui Martini cauſa a pontifice eſt commiſſa, ho-
„mini non admodum vult male. Id quod ex mutuo
„colloquio, cum nuper in patria ad prandium ab eo vo-
„catus eſſem, didici. Hic heros prudentiſſimus eſt & a-
„nimi plane magni. Ut Romanenſes iſtos nihil more-
„tur. Franciſcus de Syggyngen ille Magnus in Germa-
„mania ductor Hogeſtratum ac ſuos ſodaleis graviter ur-
„get, quo Capnioni noſtro rei familiaris jacturam, quam
„propter eos fecit, intra ſtatum tempus reſarciant. Alio-
„qui ſe eos pariter & Colonienſem remp. afflicturum.
„Devoluti enim ſunt hoſtes Reuchlini in expenſarum
„condemnationem ut vocant. Ulrychus Huttenus,
„principis ſui ſumtibus Moguntiæ trium Linguarum
„Scholam adornat. Vides quam paucis annis tota Ger-
„mania litteras cœperit amplecti. Et in hac laude Fri-
„derico principi electori primæ debentur. Is jam in-
„gentibus premiis Matthæum Hadrianum Hebræum no-
„ſtræ memoriæ, doctiſſimum ſuæ linguæ medicum e Lo-
„vanio Wittenbergam accerſit. Quod gymnaſium veli-
„mus nolimus, in Lipſiæ perniciem ſupra quam credi
„poſſit, accreſcit. Usque adeo, ut me Lipſienſium pœni-
„teret, niſi ſpes quædam in te tuique ſimilibus juvenibus,
„meliorum temporum oſtenderetur. Paravit me in
„Treviris detinere nuper princeps meus. Idem Erphur-
„dienſes aliquoties ſunt conati. Nec Moguntia excipe-
„re nos dedignatur. Quid tu nobis ſuadeas, neſcio.
„Ipſe hoc animo ſum, ut non libenter hyrundinum ritu
migrem

„migrem ac remigrem, & Italia certe tituli doctorei
„cohemendi cauſa, omnino eſt adeunda. Cui rei an-
„num deſtinavi unum aut alterum, non amplius. Sed
„conſilia in hac re mea ad te aliàs per ocium ſcribam.
„Princeps mihi faventior reddi videtur item pater tuus.
„Ceterique magnates. Imprimis autem me fovet nunc
„exulem, Reverendus pater Martinus Abbas Cellenſis.
„E cujus Ædibus, quas Miſnæ habet, hæc ad te ſcribo. V.
„Fabricius Capito doctiſſimus trium linguarum theolo-
„gus Moguntinæ Eccleſiæ concionator lectus eſt, quod
„quæſtuoſum illic eſt ſacerdotium, hactenus à theologi-
„ſtis poſſeſſum. Theologia in priſtinam ſynceritatem
„ſtrenue reſtituitur. Quod ut pro mea virili adjuvem,
„quatuor libros de Theologia Gregorii Nazianzeni in
„latinum vertere cœpi. Verum haud ſcio an feliciter.
„Nam hiis diebus ſcripſit Oecolampadius Concionator
„Auguſtanus & ſe idem moliri. Quare cupere ſe, ut
„meis literis de meo inſtituto certior reddatur. Se enim,
„ſi reſciat nos idem conari, nobis ceſſurum. At me tan-
„to viro cedere æquius, opinor, erit. Eraſmus in Paulo
„illuſtrando commentariis verſatur. Germania jam à
„bellis quieſcit. Sed peſtilentia pene tota laborat. Vix
„angulum habemus, in quo tuti reſideamus. Heſſum
„noſtrum rectiſſime valere cupio, cui libellos Croci, quos
„cupit, jam diu miſiſſem, ſi haberi poſſent. Nusquam,
„quod ſciam, proſtant. Is noſter Crocus in Aula regis
„ſui agit, & me jam literis in Angliam vocat. Sed an
„fidendum ſit neſcio. Meas nugas, quas edidi propterea
„ad vos non mitto. Quod Italorum naſum metuam.
„Tametſi Beatus Rhenanus ad me ſcripſit, eas Baſileæ
„denuo excuſas à Calvô Bibliopola iſtuc in Italiam de-

,, portari. Spigello omnia fauſta precor. Petrus Suave-
,, nius eques Pomeranus, meus diſcipulus tui amantiſſi-
,, mus, quia ſimillimus, te reverenter ſalutat. Inſinuabo
,, te tuasque Virtutes hic omnibus præſertim doctis. Ne-
,, que enim eſt aliquis in Germania celebriter doctus, cum
,, quo mihi non intercedat familiaritas laus ſuperis. Plus
,, mihi tribuitur, quam vel ipſe agnoſcam vel hec ætas, &
,, tenuitas capere poſſit. Tu bene Vale & longiſſimis
,, literis, per Decanum nobis reſponde. Tecum jam
,, agerem in Italia. Si de reditu tuo quidquam præſci-
,, viſſem, & in hoc res meas domi, & hic cum principe
,, compoſuiſſem. Iterum Vale. Calamos aliquot mit-
,, tes qvum commode poteris. Miſnæ Octavo Eidus
,, Decemb. An. M. D. XIX. Raptim ac celerrime, ut vides.

Adjiciam & aliam Epiſtolam cum pace tua,
L. B.

S. Agnoſco ſuaviſſime Juli ſingulare iſtud tuum erga
,, me ſtudium planè evidenter per hoc, quòd toties, & tam
,, amanter litteris tuis me appellas, ac jacturam, quam nu-
,, per amicicia noſtra ex negato congreſſu fecit, ſtrennue
,, reſarcis. Crede mihi erras multis modis, ſi quenquam
,, vivere credis, cui tuæ litteræ æque ac mihi ſint jucundæ.
,, Vsque adeo tui amore pectus hoc flagrat, ex quo candi-
,, diſſimæ illius tuæ eruditionis ſpecimen nobis edidiſti.
,, Atque utinam tanta ſuppeteret dicendi facultas, ut hu-
,, jus mei amoris imaginem verbis idoneis tibi depingere
,, poſſem. Videres profecto beneficia illa tua tam multa
,, tam non vulgaria in amiculum nihil minus quam in-
,, gratum tibi collocata. Tametſi, quæ mea eſt tenuitas,
,, nulla re alia reſpondere poſſum, niſi ut me tibi debere

agno-

„ agnoſcam. Hoc adeo curabo, ut olim omnes meæ lit-
„ tere clament, paginis quamtumvis pauperculis. Te
„ verò eo eloquentiæ procedere video, ut me mei pene
„ pudeat, dum tu me præceptorem etiam in litterarum
„ inſcriptionibus agnoſcis. Humile enim eſt, quidquid
„ à nobis accepiſti, & indignum, quod homuncionem Ju-
„ lio faciat διδάσκαλον. Latomi audacia, quando Eraſmi
„ noſtri patrocinio repreſſa eſt, me non admodum movet.
„ Quanquam autem Eraſmus ipſe τὴν ἀπολογίας nobis non
„ nimis diſvadet, tuum tamen conſilium ſequens contu-
„ meliam hanc etiamſi inſignem in me recipio devoro-
„ que. Quid enim facerem aliud, præſertim cum mihi
„ magnus adeo contigerit patronus. Cujus beneficio
„ honeſtius mihi eſt cauſa cadere, quam cauſam dicere.
„ Et alioqui ſatis negocii exhibent hic κακοθεόλογοι. Qui
„ me plane exercitium ſuum habent. Itaque horum
„ crabronum opera perſuaſum erat illuſtriſſimo Principi
„ Georgio Moſellanum hunc cum Friderico Principe &
„ Wittenbergenſibus certo fœdere conjuraſſe non tan-
„ tum in hujus ſcholæ perniciem, ſed & principis noſtri
„ infamiam. Vide quid non audeat ſophiſtarum deſpe-
„ rata ryrannis. Quos cuniculos agat, quo fortiſſimum
„ rectorum ſtudiorum propugnaculum expugnent. Ni-
„ mirum principum erga doctos favorem. In bonis re-
„ bus ſunt craſſisſimi. At in ejusm. ſycophantiis commi-
„ niſcendis vel ipſum Vliſſem τὸν μητιόεντα ſuperant. In
„ litteris noſtris non inveniunt, quod aliquo prætextu
„ poſſint invadere. Mores quoque ejusmodi ſunt, ut hiis
„ non hominibus, ſed portentis imitandi potius ſint,
„ quam culpandi. Sola invidia malignandi occaſionem
„ malis præbuit. Nam cum Vicinorum res ita floreant,

„ ut hiis vel Italicæ ſcholæ invidere poſſint, alienam hanc „ fœlicitatem tam iniquo animo ferunt, ut meo favore „ hanc eis contigiſſe calumnientur apud principem, qui „ toties in meis lucubrationibus Fridericum Mecœna- „ tem & res Wittenbergenſium plena, quod dici ſolet, „ manu laudarim. Quaſi verò vituperare debeam, in ali- „ quorum gratiam, quæ video omni preconio, meo cer- „ te majora. Aut quaſi Fridericus princeps non & de me „ ſit bene meritus, quem non ſolum amantiſſimis litteris „ ſalutavit, ſed & honorifici muneris judicio ornavit. Aut „ non & noſtrum principem pariter & hanc ſcholam „ plusquam candide tot locis tractarim. Ridiculum. „ Laudari volunt hii, & interim pudenda faciunt. Scho- „ lam habere frequentem geſtiunt, & ſunt in hoc toti, ut „ bonas literas pariter & linguarum ſtudia extinguant. „ Jam quod Wittenbergenſes creſcunt, concordiæ eſt. Neq; „ enim minus alius alium invicem amant, quam ſi omnes „ eſſent fratres Germani. Quod noſtræ res Mandrabuli „ more procedunt non tam fatis quam fatuis nobis „ imputandum puto. Qui perpetuo factionibus ſtude- „ mus, & mutuis odiis inteſtina gerimus bella, & ſcis con- „ cordia res parvas creſcere, diſcordia verò maximas di- „ labi. Spero tamen fore, ut tandem noſtris malis edo- „ cti συγκρητίσωμεν. Quod ad me attinet, quo minus per „ me ſtet pax, ridiculum illum (multis) Magiſterii titu- „ lum paſſus ſum mihi imponi. Simul ut minori nego- „ cio ad Collegiaturæ fortunam perveniam, & theologi „ titulum mihi comparem. Pollicitus enim eſt prin- „ ceps, ut primum ceciderit aliquis e collegio, „ ſe mei rationem habiturum. Tam parum iſti calu- „ mniando profecerunt. Tum & Canonicatus Miſnen-

ſis

„ ſis oſtenſa ſpes ab iis,qui apud principem authoritate ac „gratia ſunt primi. In quorum numero præcipuus eſt „ doctor Heynitius tuus. Cui fac me iterum, atque ite- „ rum charum facias. Idque prudenter. Callide enim „ tractandi ſunt,hii quos ipſos,litterarum non admodum „ peritos, litteris patrocinari volumus. Scripſi longiſſi- „ mam epiſtolam per Decanum tuum. Spero redditam. „ Sciltilios & Schliccios odii in me ſui pene pudet. Tu „ quocunque modo potes fac nobis & litteris proſis. Par „ enim eſt,ut,cum Barbari comjurent ubique, & nos con- „ junctis armis pugnemus. Bene Vale. Luttichium „ noſtrum ſaluta cui Piſtorius meus ſcripſit,cum quo vivo „ jucundiſſime. Huic aliquando ſcribes. Bonus eſt vir „ & eruditus. Diſcit modo ſtrennue græca. Poſt Za- „ zium in Germania jureconſultorum facile doctiſſimus. „ Bene Vale Lipſiæ & ſi quid habes novi, reſcribe. Laudo, „ quod Petro meo Suavenio tui ſimilimo diſcipulo ſcri- „ pſeris. Iterum Vale. Calend. Martias. An. M. D XX.

T. Petrus Moſellanus.

Georgius Dux Sax. epiſtola ad Lutherum *A. 1526. T. 3. Jen. Germ. f. 190.* Du rühmeſt wie du viel liebli- cher Büchlein gemacht/ mit andern Schrifften / So wollen wir dir nicht bergen / daß wir deiner Schrifft erſtlich / da ſie ausgangen/ zum theil guten Gefallen gehabt. Wir haben auch nicht ungerne gehört / daß die Diſputation zu Leipzig geſchehen / denn wir haben gehofft was Beſſerung der Mißbrauche unter den Chriſten.

§. VI.

1520. *Imp. & ſtatus cõcord. in reform.*

Maximiliano piè defuncto legitimâ electione ſuccedebat CAROLVS V. Imp. Hic cum Electore & Ducibus Saxoniæ ut & cæteri quoque ordines, etiam Eccleſiaſtici, *unanimes* erant, ut *gravamina Nationis Germanicæ* ab anteceſſore jam tum collecta, tandem ſolverentur, & Eccleſiæ in capite, & membris reformatio in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi cœpta, perficeretur. Imperator ipſe reſcripſit Pontifici abrogationem abuſuum poſtulans. Epiſtolam exhibet Goldaſtus *Tom. I. Conſt. Imp. de Anno 1522. ultimo Octobris.* & in vernaculo *T. 2. Germ. op. Luth. Jen. fol. 159.*

§. VII.

Regimen Imper.

Summus Imperii Senatus, qui REGIMENTVM appellabatur, Norimbergæ conſtitutus, mandatum dederat Johanni, *Epiſcopo Miſnenſi*, vi cujus is *Formulam Reformationis* tum quoad doctrinam tum diſciplinam, meditatus eſt, edito mandato ad clerum ſuum, ut preces publicas eam ob rem inſtituerent, atque interea nulla attentata aliorum admitterent. Exhibetur in vernaculo eodem *T. 2. Germ. Jen. f. 93. ſeqq.* unà cum literis Friderici Electoris ad eundem Epiſcopum.

§. VIII.

Contra Excomm.

Interea Pontifex Rom. contra Lutherum Bullam *Excommunicationis* A. 1520. edidit, quæ habetur *T. 1. Lat. Jen. Luth. f. 474.* Sed *abſque juſta cauſæ cognitione*, quâ Sedes Romana proptêrea non opus eſſe ajebat, quod theſes Lutheri *notoriè* eſſent hæreticæ. Vnde Hadrianus Papa *in literis ad ordines Imperii d. 25. Nov. 1522.* ſcribit: ſe ſolatium cepiſſe ex notorietate, quod cauſa Lutheri manifeſto mala eſſet, adeoque diu durare non poſſit.

Hortled.

Hortled. I. de C. B. G. 1. n. 6. At verò theſes ſuas ex *S. Scriptura* hauſiſſe, Lutherus regerebat: atque adverſarii, ut ſupra monitum, non diffitentur, ex *Scholaſticorum* Theologorum nonnullis eas excerptas. Cognitio igitur cauſæ omnino neceſſaria viſa. vid. Epiſt. Eraſmi Roterod. ad Frider. Elect. Sax. *T. 1. Luth. Lat. Jen. f. 211.* & ejusdem Axiomata *T. 2. f. 134.* Jure itaque ſuo uti ſibi videbatur Lutherus, ut primò A. 1518. minas excommunicationis à Nuncio Romano audiens *eventualiter*, mox, publicata bulla etiam formaliter *Appellationem* ad Concilium Generale interponeret, cujus inſtrumentum habetur *Tom. I. Jen. Lat. f. 207. & T. 2. f. 258.* conf. Pallavic. *l. 12. 6.* Hoc enim & veteres, & Baſileenſes quoque Concilii canones admittebant. *appellatio*

§. IX.

Non attenta iſta provocatione citabatur Lutherus à Carolo V. Imp. ad Comitia Wormatiæ habita An. 1520. Comparebat ille, & ſuam doctrinam Concilii Generalis judicio ſubmittebat ita, ut exceptos ex libris ſuis articulos, quos hæreſeos accuſarent, ſibi exhiberent, Concilio ſubjiciendos, atque ex S. Scriptura aut judicandos, aut refutandos. *Vid. Acta Wormat. T. 2. Jen. Lat. fol. 416.* quod nec Pallavic. *1: 27. 7.* tandem diffiteri poteſt. Quod autem ex *S. Scriptura* judicanda ſua dogmata dixit, non rejicere quidem voluit Oecumenicorum Conciliorum Symbola & conformem interpretationem ab Eccleſia Chriſtiana approbatorum doctorum, prout hæc docendi ratio in *Receſſu* Imp. Comitiorum Noricorum *A. 1524. §. 29.* & Auguſtano anni ſequentis §. *1.* communi conſenſu approbata, & ſingulis inculcata fuerat: Attamen normam dijudicandi has controverſias non aliam, quam S. Scripturam *Proſcript. à ſtatib. ſuſpenſa.*

ram agnoverunt Imperator, Eccleſiæ & Status Imperii communiter in *Receſſu* Imp. Comitiorum Auguſtanorum *A. 1530. §. 1.* ut ſuo loco videbimus. Etſi verò proſcriberetur ab Imp. Lutherus, non tamen aderat qui *proſcriptionem exequeretur*. Latebat aliquandiu proſcriptus, mox prorumpens iconoclaſtiam Caroloſtadii inhibiturus, tutus ſub protectione Friderici Electoris, & docendo & ſacra publica ordinando pergebat. Vid. Epiſt. Frid. Elect. ad *Miltitium, Miſſum Pontificis, datam. Kal. April. 1520. T. 2. Jen. fol. 256.* itemque *reſponſum Nuncio Apoſtolico datum, fol. 315.* Acta Colonienſia *fol. 317.* & literas ad Teutlebium *Tom. 1. Jen. Germ. fol. 222.* nec non *T. 2. Lat. Jen. fol. 470.* In *Comitiis Noricis* A. 1523. & Carolus Imp. per Oratorem ſuum, & Hadrianus Papa querebantur de conniventia Principum & Ordinum Germaniæ & omiſſa executione proſcriptionis, deque receptione doctrinæ Lutheri & ſociorum, per literas, quas legere licet apud *Hortled. de C. B. G. 1: 1.* Fatebatur ſimul Pontifex neceſſitatem reformationis Eccleſiæ & imprimis Curiæ Romanæ, eamq; à ſe ſe ſuſceptum iri promittebat. At Imperatoris Vicarius *Ferdinandus* Rex atque *Ordines* Imperii conjunctim cauſas monſtrabant, ob quas executio proſcriptionis fieri nondum potuiſſet, deinde ſtatus *Seculares* gravamina contra clerum Rom. denuo Imperatori offerebant, & Concilium univerſale in Germania, cum conſenſu Imp. inſtituendum, ſimul omnes utriusque ordinis ſtatus urgebant.

§. X.

Cent. Gravam. Gravamina Nationis Germanicæ tunc edita, & Pontifici transmiſſa hæc ſunt:

Sacri

Sacri Romani Imperii Principum

ac Procerum Gravamina centum, quæ adverſus Sedem Romanam ac totum eccleſiaſticum ordinem, Oratori Pontificiæ ſanctitatis, in Comitiis Germanorum Principum Norenbergæ, Anno &c. XXII. inchoatis, finitis verò XXIII. propoſuerunt.

Poſtquam relatio per Oratorem ſanctitatis Pontificiæ Comitiis prædictis, coram Majeſtatis Cæſareæ locum tenente, Electoribus, cæteriſq; Principibus ac Imperii ſtatibus, ibidem congregatis, habita, ac Breve (quod vocant Apoſtolicum) ejuſdem Romani Pontificis in conſultatione forent deducta, deſuperq; reſponſio conſulta & concluſa, ac eidem Oratori & Legato Pontificio, in ſcriptis, nomine totius Romani Imperii, tradita factaq; eſſet: facta eſt inter alia mentio non infrequens, Gravaminum atque onerum Romani Imperii Procerum, quibus iniquius, quàm par ſit, ab Romanæ eccleſiæ clero premerentur. placuit Principibus ac cæteris Imperii ordinibus, hæc ipſa quæ contra eccleſiæ Romanæ Primores, ſe ibi in medium adducturos pollicitierant, Gravamina paulo altius à principiis, ſigillatim per claſſes & quam fieri potuit maximè per ordinem digeſta, repetere, recenſereq;: ac ita deſcripta fuſius Legato Romano, ferenda ſecum trans Alpes dare, rogareq; hunc, ut apud Sedem Apoſtolicam curare velit, quatenus onera hæc, non ferenda Germanis, è medio tollere, emendareq; Sanctitas ſua non dedignetur. Quemadmodum prædicta hæc in reſponſione ſupra memorata, omnia latius continentur. Itaque per compendium, ut ſequitur, Germanicæ nationis onera hæc juſto graviora, digeſta, ac Oratori Pontificio, qui ſe nomine ſancti-

 ctiſſi-

ctiſſimi Romani præſulis ita ſincerè ac Chriſtianè obtulerat, tradita ſunt quo ſæpe dictus Orator ac Legatus Pontificius, hæc inde Sanctitati ſuæ referre, ac apud eandem pro Germanis Principibus & primoribus totius Imperii Romani ordinibus, interpellare poſſit.

Sunt autem Gravamina ſupra memorata, quæ per Capita nunc ſeqvuntur.

Gravamina Sedis Apoſtolicæ, non ferenda Germanis, ac primum de Diſpenſationibus ære redemptis.

I. *Inter reliqua onera, vel illud minimè poſtremo loco eſt collocandum, quod conſtitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo divino præcepto vel interdicta ſunt, vel imperata. Quod genus ſunt, matrimoniorum tam innumera excogitata obſtacula, ex affinitatis publicè honeſtatis cognatione, ſpirituali, legaliq́, & conſanguinitatis tam multis gradibus, originem traducta. Ciborum item uſus interdictum, quos Deus tamen ad hominis neceſſitatem creavit, ac cum gratiarum actione promiſcuè ſumendos Apoſtolus docuit. Hæc nimirum, atque his ſimiles complures humanæ conſtitutiones, eo usque ligant homines, donec pecunia ſibi harum legum gratiam à ſtatuentibus impetrent. ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus gratis ſit prohibitum. Illicitisq́, his legum ac conſtitutionum humanarum retiaculis, non modò magna nummorum copia à Germanis expiſcata, è Germania & trans Alpes lata, ſed & maxima inter æquè Chriſtianos orta iniquitas, plura offendicula & ſimultates, dum tenues hiſce laqueis vident ſe allaquecari, non ob aliud, niſi quod ſpinas*

evangelicas (ita enim Chriſtus divitias non ſemel appellat) non poſſideant.

De tempore interdicto.

II. *Pari modo agitur etiam cum celebrandis nuptiarum ſolennibus, à dominica ſeptuageſima, qua cantatur in eccleſia,* circumdederunt me &c. *ſub quadrageſimæ usque initium, quo tempore ab eccleſiæ Romanæ primoribus undique nuptias celebrari interdictum eſt. Quum tamen interim & ab eccleſiaſticis & à ſecularibus paſſim ſine diſcrimine publicè, genialiter vivatur. Sed ita demum interdictum illud procedit, ſi gratis hoc facere quis intendat. Quòd ſi nummi ſpes refulſerit, jam quod primùm erat prohibitum impune ac liberè facere licet. Eſt enim & hoc grave Germanorum crumenis retiaculum, quo extrahuntur nummi. Nec minus interim gravamen, quod pauperis, divitisq́ longè diverſa in relaxandis his conſtitutionibus, ſit conditio.*

De oneribus Papalium indulgentiarum.

III. *Illud importabile jam olim increbuit Romanarum indulgentiarum onus, quando ſub perſona pietatis, quum aut baſilicas Romanas conſtruere, aut profectionem in Turcas parare polliciti ſunt Romani Pontifices, omnem à ſimplicibus nimiumq́ credulis Germanis exſuxerunt pecuniarum medullam. Et quod longè majoris eſt faciendum, per has impoſturas, ac earum conductitios præcones & prædicatores, profligata eſt Germana Chriſtianorum pietas; dum qui extrudere volebant venales ſuas bullas, laudes ſuis mercibus occinebant miras & inauditas: condonari per emptitias has condonationes, nedum noxas præteritas aut futuras viventium, ſed & defunctorum vita, exiſtentium in purgatorio (quod vocant cantores illi indulgentia-*

rum) ignis, modò numeraretur aliquid, modò tinniat dextera. Atque his mercium nundinationibus, ſimul & ſpoliata eſt ære Germania, & Chriſti pietas extincta, quando quilibet pro pretii, quod in has merces expenderat, modo, peccandi impunitatem ſibi pollicebatur. Hinc ſtupra, inceſtus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna ſemel originem ſibi traxerunt. Quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales, quando ſibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita ſed & poſt obitum, ære, licet immodico, comparari poſſe à nundinatoribus illis indulgentiariis, ſemel perſuaſum habent? maxime Germani, quibus per hos veræ pietatis ſimos, ſub religionis perſona, nihil non perſuaderi difficile eſt, ut ingenio planè ad pietatem credulo eſt Germania.

IV. *Et licet indulgentiæ hæ non ſemel in hoc ad Germanos miſſæ ſint, quaſi ex corraſa earum venditione pecunia, fideles contra Barbaros eſſent tutandi ac defendendi; eventu tamen compertum habent Germani, pecuniam hanc non in rem fidei, aut alioqui reipubl. Chriſtianæ neceſſariam, ſed in propinquorum luxum ac ſublevandam familiam ipſorum eſſe verſam. Quo uno bina hæc nata ſunt perquam maxima incommoda, quod & offendicula orta ſunt ſimplicibus, & quod nunc Germani toties ſentientes luſam fidem, quam verè jam res poſtulat, ut contra Turcas inſtituatur expeditio bellica, nullis rationibus perſuaderi ſe patiuntur, ut credant, quod res ipſa ferè notorium facit, ita ſcilicet inſtare cervicibus noſtris crudeles Turcas: ſuſpicantes ſemper, prioribus ſimile quippiam agi. Quæ una ratio eſt, ut tam ægrè manus contra Turcas jungant. Quantorum ergò malorum & in rebus temporalibus ac Chriſti fidelium conſcientiis, cauſæ fuerint Romanæ indulgentiæ, Sanctitas Apoſto-*

lica

lica pro ſublimitate captus ſui, exigua opera, vel inde ſi non, exre ulla alia, conjectura conſequi poterit.

V. *Præterea Papalis ſanctitas, cæterique Epiſcopi, ac eccleſiæ Romanæ columnæ, caſus aliquot ſuæ tantum abſolutioni reliquos fecerunt: quorum ſi unum aut alterum commiſeris, jam aut numerandum, aut abſolutione tibi carendum eſt. Nempe quod in hoc reſervati ſint, ut vel inde nummorum aliquid eis accreſcat. Quod ex eo conjicere licet, quod in caſibus etiam, quantumvis pro tempore honeſtis aut neceſſariis, nunquam tamen niſi numeretur aliquid diſpenſant; at ſi nihil attuleris, numeraveris ve, indiſpenſatus perpetuo maneas oportet.*

VI. *Verum, ſi quis unde numeret, habeat, jam nedum præſentes indulgentur harum conſtitutionum transgresſiones, ſed & in futurum impune, ut eas ipſas transgredi liceat, indulto permittitur. Quo fit, ut anſam inde accipiant ii, cum quibus ita diſpenſatum eſt, pejerandi, homicidia, adulteria, & ſimilia flagitia perpetrandi: quando quilibet ex ſacerdotum vulgo, abſolutionem emptitiam virtute indulti his impartiri poteſt. Quæ malorum ſeges tota ex habendi libidine, aurique ſacra fame qua nunc Eccleſiaſticorum nonnulli miſere excruciantur, originem ducit.*

De Prædicatoribus indulgentiarum Stationariis.

VII. *Eſt & aliud indulgentiis vendendis addictum hominum genus, quos ſtationarios vulgo vocant. Hi ruſticorum plerumque abutuntur ſimplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniaque peragrant caſtella & oppidula: prædicantes ſancti cujuſpiam, Valentini puta, Huperti, Cornelii, Anaſtaſii ve ſanctimoniam, ac quantum ad rem familiarem addat, ſi quotannis hunc vel illum munu-*

ſeculo aliquo, quod eis Stationariis ſcilic. in commodum cedat, demulceas: inſcribenteſq́; dehinc ſimplices ſub ſancti alicujus numen ac tutelam, promittenteſq́;, ut hoc aut altero morborum genere vacaturus ſit, qui eis annuum cenſum penderit. Quæ omnia in hoc excogitata ſunt, ut ſimplices illi ad vivum usque exugantur. Nam primum hoc negotium à ſancto Antonio cœptum, in numerata morborum genera dehinc ſuevit diduci, ita ut vix ſuperſit morbus nunc aliquis, cui Stationarii non & peculiarem ſanctum, tanquam tabernæ vel negotiationi præpoſuerint. Proceſſitq́; eousque ejus mali ſerpigo, ut pauperum ac ſimplicium illorum Quæſtuarii ac Stationarii prædicatores ſanguinem vorent & medullam, dumq́; illi una cum liberis ſuis neceſſariis ſpoliantur, in delitiis & luxu plus quàm Sybaritico degant Stationarii. Quæ res & imprimis præſentem ſibi Sanctitatis Apoſtolicæ medicinam poſtulare videtur, quo interdiceretur epiſcopis, cæteriſq́; eccleſiæ primatibus, ac eorum vicariis, ne pro legationis ſeu functionis hujus admiſſione quidpiam poſthac acciperent pretii, neve eas omnino tolerarent amplius, aut quantum per eos ſtaret, paterentur.

VIII. *Nec minus & in hoc à Religioſis gravantur profani, maximè pauperes, quibus res eſt anguſta domi. Nempe quod mendicitas Ordinum mendicantium, nihil in rure, neque in urbe ſinit non peragratum, dum à terminis, quos pervagantur, Terminarii dicuntur. Quas quidem pervagationes contra Ordinis eorum ſtatuta, neque etiam ad neceſſitatem, per avaritiam inſatiabilem adinvenerunt. Ita enim fit, ut quum in oppidulo, aliquando non admodum celebri, ſed perexiguo, duo, tria, aut eo amplius illorum ſint conventicula, in quæ omne quicquid eleemoſynæ undique diſquiri poteſt, confertur: dum tamen interim morbo, aut*

ſenio

ſenio confecti cives vel incolæ, qui per ætatem ex laboribus & ſudoribus ſuis, una cum uxoribus & liberis honeſtè vixerant, egeant, fame & inedia pereundum neceſſe habeant. Itaque rogant ſanctitatem Apoſtolicam, Imperii Principes, cæteriq; ſtatus, quatenus Sanctitas ſua, paterno animi affectu, offendicula & gravamina hæc indulgentiarum, diſpenſationum, Stationariorum, Terminariorumq; è medio tollere atque ita negotium temperare velit, ne libertas Chriſtiana ſervitute humanarum conſtitutionum penitus extinguatur, illaqueenturq; conſcientiæ Chriſti fidelium mandatis hominum, quibus nullum eſt peccatum majus, quam nummis carere. Non ultra enim quicquam prohibent, quam ſi gratis contravenire quis velit, & diſpenſant illicò quod prohibuerant, numerata ſcilicet pecunia ampliore. Verum, quod ſincerius cum fidelibus Chriſti, tanquam cum ſuis ovibus agatur, inſtituanturq; potiùs ad pietatem & charitatem mutuam ex juſſione Chriſti, quam ad obſervationem cujusvis traditionis humanæ, formidine pœnæ; ac ſi errare eas aliquando labique contigerit, moneantur, & ſubleventur potius fraternè, quam ita ſerviliter, ac dure tractentur. Quo omnibus paulò notius fiat, paſtorem cupere potius, & quærere ſalutem ovium, quàm privata compendia, ac earum lanam.

Quam inique cauſſæ profanæ in prima inſtantia ad Romanum tribunal judiciarium trahantur.

IX. *Quum nedum juris ratio, ſed & rei ipſa ſeries poſtulet, ut diſtincti ſint jurisdictionum limites, & ut quilibet Ordinarius ſuis ſit finibus contentus, alterumq; in exercenda jurisdictione non diſturbet, minime tamen Pontifices Romani pro tempore exiſtentes, æquitatem hanc communem con-*

conſideraverunt; ſed neglecta hac, ad petitionem perſonarum eccleſiaſticarum, laicos non raro in cauſis etiam profanis, puta, hæreditatum aut pignorum, & in prima quidem inſtantia, coram ſe Romam citari, ac in jus vocari fecerunt. Quæ res nedum ita (ut prædictum eſt) in jus vocatis, ſed & totius Romani Imperii ordinibus cedit in jacturam, perniciem, contemptum, ac jurisdictionis dehoneſtationem, diminutionemq́ue.

X. *Item, quum Romæ quiſpiam etiam laicus, interpoſito juramento, aſſerit, ſe non ſperare juſtitiam apud judicem competentem in Germania aſſequi poſſe, protinus ad tale juramentum admittitur, ac citatio ei contra partem adverſam decernitur. Sicq́ue proceſſus à judice ordinario ex Germania Romam, nec judice interpellato, nec parte adverſa monita, protrahitur; inde juramenti prætextu, nec fori declinatio, nec ulla admittitur probatio, etiamſi planè doceri poſſet, auctorem illum pejerâſſe. Quæ res ſi altius radices ageret, nec principiis reſiſteretur, omnes tandem cauſæ ad Romanæ curiæ tribunal devolverentur, ordinariiq́ue univerſi ſua privarentur jurisdictione. Quod non ſolùm contra omnem juſtitiam, ſed etiam intolerabile foret.*

Ea propter ſacri Romani Imperii Status Sanctitatem Apoſtolicam rogitant, ut prædictum onus in Romana curia poſthac non tolerare velit: ſed curare, ut dehinc nemo vel eccleſiaſticus, vel ſecularis, ob cauſam profanam, in prima inſtantia, Romam in jus vocetur, ſed perſonæ & cauſæ hæ ordinario judici, cui immediatè ſubjacent, relinquantur, ultraque hoc amplius contra æquitatem non graventur.

De Conſervatoribus, ac cæteris Papalibus judicibus.

XI. *Item eſt & aliud judicium Papalium, per quos*

æquè

æquè ordinaria attenuatur jurisdictio, genus, quos conſervatores vulgo vocant. Eos epiſcopi, cæterique eccleſiæ principes, ex primatibus, vel Abbatibus, ſuæ Diœceſis à ſede Apoſtolica in hoc impetrare ſolent, ut coram his, omnes illorum cauſæ, & lites quas jam inſtituere cogitant, dirimantur, evocenturq́ per hos in jus perſonæ ſeculares, nobiles & plebeji, in cauſis omnino profanis, licet actoribus juſtitia per ordinarium tribunal nunquam fuerit denegata. Quod ſi vocati in jus ire recuſaverint, ii contra jus ac fas excommunicatione, licet nulla, feriuntur, cujus rei innumera adduci poſſint exempla. Ac ſi ut cœpit negotium, procederet, brevi eo rerum veniremus ut omnes cauſſæ profanæ, ad Conſervatores hos, cæterosq́ judices eccleſiaſticos, laicis nedum ſuſpectos ſed & alioqui incommodos, pertraherentur. Quod ut eſt intolerabile Germanis Principibus, ita & aperta fronte cum Sacri Romani Imperii pugnat conſtitutionibus ordinatis, quæ clare & expreſſim volunt ac exprimunt, quod nemo alium ex ordinario ad incompetens tribunal in jus pertrahere debeat. Quapropter Imperii Principes, Proceres, ac Status ſedi Apoſtolicæ ſupplicant, ut gravamina atque onera hæc radicitus, funditusq́ tollantur & abrogentur.

De Papalibus Delegatis ac Commiſſariis.

XII. *Item Sanctitas Pontificia ad eccleſiaſticarum perſonarum petitionem, judices delegatos, & commiſſarios, tanquam eccleſiaſticos judices per Germaniam concedere ſolet, ut impetrantes dehinc laicos, cujuscunque etiam dignitatis, vel præeminentiæ, coram ita delegatis in cauſis profanis, judicio convenire poſſint. Quod ut de facto ſæpenumero præſumunt, ita excommunicationis pœna mandatam ſibi inter partes jurisdictionem defendere conantur. Quæ*

omnia & in perniciem perſonarum ſecularium, & jurisdictionis Germanicæ ac ordinariæ jacturam vergunt & attenuationem.

Quo pacto eccleſiæ Prælati per ſedem Apoſtolicam, ex Epiſcopornm ordinaria jurisdictione ac cæterorum ſuorum defenſorum tutela eximantur.

XIII. *Inſuper & hoc moliuntur Summi Pontifices, monaſteria aliquot eximendo, ut ab Epiſcoporum, eorum ſcilicet ordinariis, ac defenſorum protectorumq́, aliorum jurisdictione ita exempti, reddantur immunes, immediateq́, ſubjaceant ſedi Apoſtolicæ. Quæ res non tantùm prædictis ipſorum ordinariis ac defenſoribus, ſed & toti Romano Imperio cedit in jacturam, tum quando collatio pecuniaria pro Imperii neceſſitate viritim Imperii ſtatibus indicitur. Ita enim fit, ut ipſi per ſe ab oneribus publicis exempti, immunitate ſuâ gaudeant: dehinc etiam auxiliares manus epiſcopis ac defenſoribus ſuis, quod antehac facere neceſſum habebant, non porrigant, per quam technam Romani Imperii attenuantur nervi, ac decreſcunt plus juſto vires. Quapropter & hic Imperii proceres ac ſtatus rogant præfata onera exemptionum abroganda, tollenda, emendandaq́, ac monaſteria hæc epiſcoporum & defenſorum ordinariæ jurisdictioni relinquenda: ut vel inde Imperium Romanum per ſedem Apoſtolicam enervatum, vires priſtinas eo celerius recuperare queat.*

De attenuatione juris quod vocant Patronatus.

XIV. *Item, qvum per mortes poſſeſſorum pro tempore beneficia vacare incipiunt, quorum jus patronatus ad*

laicos ſpectat ſeu eccleſiaſticos: tum conantur & Papalis ſanctitas, & ejus oratores vel legati juri huic derogare, hoc modo, ut conferant beneficia ita vacantia curtiſanis, aut aliis quibuscunque libuerit. Ita, ut patronis ipſis Jus ſuum præſentandi per hoc adimatur, auferaturq́. Ac interim hoc prætexitur à ſede Apoſtolica, quaſi præventioni hac in re ſit locus, ut qui prior beneficium illud contulerit, quod hæc teneat collatio, licet patroni tempus quoddam habeant, intra cujus metas, beneficia ſua liberè, & à nemine præventi, conferre poſſit. Eam ob rem patronis laicis & eccleſiaſticis ex fictitia hac præventione multa oritur jactura. Quapropter Sacri Romani Imperii Status ſanctitatem Apoſtolicam rogitant, ut talia gravamina atque onera aboleantur, & poſthac beneficia vacatura, ſuo quæque patrono relinquantur. Nec permittendum curtiſanis, ut dehinc vel per judiciorum ordinem, vel ſuopte ingenio ad talia beneficia ſe ingerant: ſed ſtatuto irrevocabili ſanciendum, ſi quid à quoquam contra patronos beneficiorum ordinarios, prætextu imaginarii iſtius juris, præventionis, ut præmittitur, fuerit attentatum, quod omne id nullius ſit momenti, viribus careat, ſitq́; ipſo jure nullum, caſſum & invalidum.

De eccleſiaſticis, qui Romæ, vel inter eundum Romam, mortem oppetunt.

XV. *Item, & tum curtiſanis, cæterisq́; (ut prædictum eſt) inhabilibus perſonis, per Sedem Apoſtolicam vacantia collata ſunt officia & beneficia, cum familiares Sanctitatis ſuæ, aut qui curiæ ſervirent, vel in anno (quod vocant) Jubilæo, inter eundum Romam, aut etiam Romæ agentes, mortem oppetiiſſent, tanquam ſi beneficia hæc Sedi Apoſtolicæ eſſent commiſſa, rectè atque feudorum collatio committitur.*

Nec conſideratur à Pontificia Sanctitate, talia beneficia vel officia de jure patronatus ſint necne, per quod eccleſiaſtici & laici patroni feudatarii denuo etiam jure ſuo patronatus ordinario, privati ſunt & ſpoliati.

XVI. *Quinetiam aliquando, quum ii, qui bonis aut multis præditi ſunt beneficiis Romam veniunt, à curialibus Cardinalium tanquam officii gratia ad menſam invitantur dominorum ſuorum, inde clam adhibentur teſtes & notarius, quorum interventu conficiuntur inſtrumenta, quibus cum ſuo tempore probari poſſit, tales fuiſſe curiales Cardinalium, ac ideo beneficia eorum eſſe in perpetuum affecta. Quàm doli ac fraudis res hæc ſit plena, unusquisque bonus facile perpendere poteſt.*

Quo pacto ſub prætextu familiaritatis Papalis Curiæ, multorum beneficiorum per Curtiſanos impugnetur collatio, etiamſi poſſeſſores illorum longè antehac talibus fuerint beneficiis inveſtiti.

XVII. *Nec minus & illud ſuetum hucusque fuit, ut ultra prædicta omnia quorundam magni penſi beneficiorum, ſub nomine officialium vel familiarium Papæ & curiæ Papalis, per idiotas & alioqui inhabiles perſonas ſit impugnata collatio; ac per illos conatum tentatumq; , ſi quo modo fieri poſſet, ut beneficia hæc in commendas ſeu proviſiones, ita enim ipſi vocant, vertere ac cenſibus annuis obnoxia reddere queant. Hinc prætendentes regreſſus, reſervationes, penſiones & plura alia incompatibilia, ſibi in his competere. Quibus technis ac dolis malis beneficia illa penitus exuguntur, enervantur, attenuanturq; cum perpetuo Romanæ Curiæ penſionibus annuis ſerviunt, fitque, ut Germanorum utcunque habilium, nemo ad hæc adſpirare poſſit.*

XIIX.

XIIX. *Item, obviam veniunt & tum Germanis non ferenda à Curtiſanis onera. Ita enim per Germaniam ſubtili ingenio beneficia venantur, ut conentur viris presbyteris ætate & integritate vitæ ſpectabilibus, qui beneficia ſua abſque omni controverſia, juſto titulo, & bonâ fide, multos jam annos quietè poſſederant, in longæva poſſeſſione negotium facere, poſſeſſionem interturbare, ad Romanam curiam perſonaliter ut compareant, in jus vocare, ac mille aliis artibus ita eos adigere, ut transactiones quantumvis iniquas, inire neceſſum habeant, modo ſupremos hos annos quiete agere velint. Coguntur enim hoc quo dictum eſt modo à Curtiſanis ad penſiones annuas, reſervata, & id genus alias præſtationes. Atque hoc agunt Curtiſani nebulones, non propria (ut ferunt) auctoritate, ſed Romanorum ſuorum ſtatutorum, ac regularum quas vocant Cancellariæ. Quæ conſtitutiones omnes quotidiè pro libidine Curtiſanorum figuntur ac refiguntur, cum derogatur prioribus non admodum, ut videbatur, æquis & ferunt iniquiores. Quare nedum ſenio confectis beneficiorum poſſeſſoribus harum decipularum atque fraudum rudibus, ſed & beneficiorum collatoribus imponunt mille inſtructi dolis Curtiſani. Nam etſi poſſidens beneficium presbyter cum Curtiſano litigatore fictitio, non tranſigat: tamen ita ſibi litem facit præſtigiator ille Curtiſanus, ut ſi pendente efficta hac controverſia, moriatur, beneficii (ut prædictum eſt) litigioſi poſſeſſor, quod de hinc continuo litem faciens, neglecto collatoris ordinario jure, in poſſeſſionem ejus beneficii mittatur. Ea propter denuo atque iterum Sacri Romani Imperii Status juſtas Sanctitati Apoſtolicæ fundunt preces, velit enumerata omnia Curtiſanorum importabilia onera emendare ac penitus abrogare. Neve illis poſthac permittere, ut beneficia*

Germanorum libera, per machinationes præfatas, oppugnare impunè audeant.

Quomodo proviſiones eccleſiaſticarum dignitatum Romam pertrahantur.

XIX. *Item, quæcunque dignitates, ſeu beneficia pinguia, ut puta Præpoſitura, Decanatus, Cantoratus, ac cætera officia Canonicatus eccleſiæ curata & beneficia ſimplicia, quæ ſub menſe ordinario, extra Romana mœnia vacare incipiunt, quorum antehac ad jus ordinarium patronatus eccleſiaſticorum & laicorum ſpectabat collatio & electio, tum excogitatur à Romana ſede, juris patronatus ab ordinariis collatoribus abalienatio, maximè, ſi poſſeſſores priſtini beneficiorum aut officiorum dignitatumve talium, familiares vel officiales Papæ aut Cardinalium fuerunt. Ideo rogant Romani Imperii Status, prædictum etiam onus è medio tollendum, ac patronos collatores ordinarios apud collationem, electionem, præſentationem, & nominationem talium dignitatum ac beneficiorum, jura ſcilicet ordinaria, defendendos ac defenſos manutenendos. Nec curandum, utrum familiares, vel officiales Romanæ Curiæ fuerint, qui beneficia hæc poſſederint, regreſſum, acceſſumvè, aut aliud quoddam jus imaginarium ad ea habuerint; ita quod tale jus prætentum ordinario patrono, ac collatori, nunc & poſthac nullum faciat præjudicium, nullamq́; generet jacturam, ſed per omnia jura ordinaria ſinantur illæſa.*

De Regulis Cancellariæ Papalis, novis technis & reſervatis ſuper caſibus futuris.

XX. *Adhæc Cancellariæ Romanæ regulæ, quas ad ſua compendia ſubinde excogitare ſolent Curtiſani, ac toties*

ferre

ferre ac revocare, nec non & aliæ ſubinde novæ artes excogitari cœperunt, quibus beneficia eccleſiaſtica ex Germania Romam eo facilius pertrahantur, aggraventurque: ita, uti ſi Germanorum quispiam beneficiorum aliquod ambiat, id non aliunde, quàm ex Curtiſanorum manu magna numerata pecunia, aut penſione annua reſervata aſſequi posſit. Neque in hoc Curtiſanorum inexplebilis auri ſitis contenta quieſcit, quin novas quotidie artes excogitet: qualis eſt & illa, cum ſuper beneficio aliquo vacaturo, duo aut tria millia aureorum ad futuros caſus reſervantur, collatoribus ordinariis tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, eorumq; juri ordinario ac ipſis denique eccleſiaſticis beneficiis in prægrande exitium, perniciem, attenuationem, & detrimentum. Nam cum caſus aliquis futurarum reſervationum extitit, adſequiturq; is beneficium, cui prius tot reſervata erant ſuper hoc millia, tum ad ſupremam opem, technas profectò inauditas, confingunt, permutationum ſcilicet reſervationem, ſurrogationem, reſervantes ſibi ingreſſum, acceſſum, atque alias id genus decipulas quibus jus ordinarium collatorum ita exhauritur & attenuatur, ut aut nunquam aut vix tandem poſt multorum annorum curricula patroni ac collatores ordinarii ad jus ſuum patronatus pervenire posſint.

De eccleſiaſticis beneficiis, curatis & non curatis in genere.

XXI. *Nec minus & illud in Romana Curia hucusque obſervatum eſt, ut gratiæ, & reſervationes pectorales, mentales, generales & ſpeciales regreſſus, acceſſus, incorporationes, uniones, & concordata, quod ſuis vocant excogitatis nominibus, ob pecuniæ & privati lucri amorem ſuper beneficiis, ac prælaturis, præſertim per Germaniam, Curtiſanis à*

Sede Romana concederentur. Neque hoc contentus fuit habendi ſceleratus amor; quin & ea ipſa beneficia ac prælaturæ prædictæ, ſocietatibus mercatorum potentum ære, cum onere cenſus mediocris, ſed ita, ut dehinc latius venderentur, conceduntur. Qua ſubtili practica atque techna factum eſt, quod plurima aut certè pinguium beneficiorum magna ſi non maxima portio, ex Germanorum manu Romam eſt tralata, quæ beneficia hinc idiotis, inidoneis, ac inhoneſtis etiam perſonis, non rarò ſunt collata, & quidem nec Germanis, ſed Barbaris, qui Germanam linguam neque loquantur nec intelligant, ut inauditum dictu hoc inde ſit ſequutum, quod ovibus Chriſti præfecti ſunt paſtores, quorum etſi oves vocem forte audierint non intelligant. Verùm gravius etiam inde oritur Germanis onus, quod beneficia hæc & parochiales eccleſiæ ipſi propria perſona neque poſſidere, neque gubernare poſſunt. Quod tamen paſtoris officium inprimis ſibi poſtulabant. Nimirum ut ſubditis parochialibus, & integritate ac innocentiâ morum, egregium de ſe præberent exemplum, ut oves ſuas tanquam oves Chriſti, doctrina ſolida, ſincera, ac ex puris evangelii fontibus hauſta, quantum ad ſalutem animarum ovium pertineret, ipſimet paſtores paſcerent. Eorum vero neutrum per paſtores illos ſubdititios curatur. Primum enim ipſi qui beneficia hæc eccleſiaſtica à mercatoribus quo prædictum eſt aſſequuntur modo, quia propria perſona ad poſſidendum ea ſunt minus idonei, ideo hæc eadem aliis æquè aut longè etiam quam ſint ipſi ad onus hoc inhabilioribus, pro annuo cenſu locant, non ſecus atque cenſus ac reditus annui ex agris locantur & emuntur, ut is demum habeatur emptor idoneus, qui pluris mercem licitaverit. Ita planè pro pretii quantitate elocantur nunc per Curtiſanos eccleſiaſtica beneficia.

Dehinc

Dehinc quum ferè fiat, ut majus pretium annuum offerat, qui ad Eccleſiæ munus quàm minimum ſit idoneus, evenit, ut conductitii illi paſtores (an prædones rectius quis eos dixerit, dubium eſt) ſimplici Chriſti plebeculæ pro Evangelii limpidiſſimo fonte, turbidas protritas, ac ruderibus oppletas, propinent lacunas: dum legendas, quas vocant ſanctorum, nec ab eccleſia receptas, & gentilibus fabulis, quam Chriſtianæ & Evangelicæ doctrinæ ſimilioribus, ad populum Chriſti publice in concione docent. Quid enim aliud docerent indocte docti, ac idiotæ illi, qui lanam magis quàm ſalutem ovium ut curarent, munus hoc eccleſiaſticum pecunia etiam non modica conduxerunt? ac mercenarii ſunt, non (quod evangelium abominatur) paſtores. Ita enim ſit, ut Chriſti ſimplex plebecula, per ſuppoſititios hos paſtores, à germana Chriſti fide ac in Deum fiducia, in quibus ſola requieſcit animæ ſalus, ad hominum ſuperſtitioſa ſomnia ac commenta, per quæ res famliaris mercenariorum conductitiorum, quàm Chriſti gloria augeatur potius, ducatur trahaturq́, ac multiplicibus etiam exactionibus interim gravetur plebs Chriſti, quando hoc ſolum curant conductores, ut ultra penſionem locatori pendendam, res ipſa eorum quoque reddatur lautior: expilaturq́ interea ſuis nummis ab exteris nationibus, unde nulla, nec mutua benevolentia, aut gratiarum actio ſperanda ei eſt, Germania: quanquam beneficia hæc non ad exteros, ſed ſuos, hoc eſt Germanos, ut pertinerent, primum fundaverit. Quapropter ſacri Romani Imperii Status, obnixe quoque rogant, ut præfata onera ac gravamina, per quæ tam immenſo pecuniarum cumulo ſpoliatur Germania, quæ hinc per Curtiſanos male prodigitur, radicitus ac penitus tollantur & auferantur, ita ut beneficia per Germaniam nemini, quàm natis Germanis, qui perſonaliter ea

 poſſi-

poſſideant, id quod æquitas & honeſtas ipſa ſibi poſtulant, poſthac conferantur ac concedantur.

Quibus nexibus Archiepiſcopi ac Epiſcopi à ſuis Capitulis ob collationem beneficiorum ſint adſtricti.

XXII. *Nec tantum beneficia ac parochiales Eccleſiæ Romæ ob pecuniæ favoris aut familiaris conſuetudinis amorem, indoctis, turpibus, ridiculis, ac offendiculorum plenis conferuntur perſonis; ſed & ſimile quiddam ab Archiepiſcopis & Epiſcopis committitur, qui per eorum capitulares congregationes ita obligantur, ut omnia præpinguia beneficia, curata ac non curata (quæ procul dubio à fundatoribus primum, ut ad doctos ac integros pertinerent viros, ſunt fundata) capitularibus Canonicis, utcunque ad hoc inidoneis, conferre neceſſum habeant: qui dehinc talia beneficia ſimplicia ac curata, indoctis ac ludicris perſonis, modo quam maximum pendeant cenſum annuum, elocant, æque atque ſupra de mercatorum ſocietatibus dictum eſt; ita quod poſſeſſores illi conductitii, majorem partem ex illicitis exactionibus vivere, atque ob id ſubditos eo amplius onerare coguntur. Similiter & cum cæteris cathedralibus collegiatisque Eccleſiis, ac earum capitulis agitur. Item & per præpoſitos, reliquosque in dignitate conſtitutos agitur idem, interim dum ſua conferunt beneficia eccleſiaſtica.*

XXIII. *Præterea, qui pinguiora ita (ut prædictum eſt) habent beneficia, ac eccleſias parochiales, utcunque annuas penſiones ampliſſimas ex locationis titulo à conductoribus percipiant, quibus reditibus à laicis fundatoribus beneficia hæc ampliter ſunt dotata, tamen committunt locatores ut domus beneficiariæ, præ neglecta ædificiorum cura,*

peni-

penitus collabantur. Nihil enim alid curant beneficiorum perſonati iſti poſſeſſores aut locatores, quam ut pecuniæ æquo majorem ſummam quotannis à conductoribus recipiant, ac eandem hinc in varios, ſed in inhoneſtos, illicitos, ac offendiculorum peccatorumque plenos uſus convertant, de ſalute & cura animarum, vel ſubditorum, vel etiam eorum, quorum ex marſupio vivunt, hoc eſt, fundatorum, prorſus apud hos nulla mentio, reſpectus (velut Megarenſium olim) plane nullus. Eapropter S. Rom. Imp. Status, ac Principes, & Proceres laici, hic quoque ſupplicant, Sanctitas Pontificia velit eam offendiculorum ſylvam, turbatum rerum ordinem, ac onera hæc juſto graviora, tollere, emendareque, ac Archiepiſcopos Epiſcopoſque ab obligatione, qua ex promiſſionis prædictæ nexu tenentur, liberare, ſolutoſque reddere, ac edicto cavere, ne poſthac Archiepiſcopi & Epiſcopi, talibus aſtringantur vinculis, ſed ut dehinc nulli beneficium Eccleſiaſticum, curam habens animarum, conferatur, qui non ſit doctrina, ætateque & moribus ad hoc idoneus, qui & honeſtam, ac presbytero dignam vivat vitam, & qui ipſe propria illud poſſideat perſona, nec plura quidem, ſed unum tantum beneficium curatum, ſeu parochialem eccleſiam, Chriſtiane, hoc eſt, ſine offendiculis ullis, ſed multo cum doctrinæ tum vitæ integritatis fructu adminiſtret.

De Prælaturarum commendis, ut vocant, & incorporationibus.

XXIV. *Item & illud hucusque notorie obſervatum fuit, ut Abbatiæ multæ, cœnobia item plura, ac reliquæ id genus domus ſeu eccleſiaſticarum perſonarum congregationes, fundationes ſc. Imperatoriæ ac Principales, Cardinalibus, Epiſcopis, ac ceteris Prælatis, in tutelam commendarentur*

tur incorporenturque. Quare factum eſt, ut per Cardinales, Epiſcopos, ac Prælatos illos, quibus ita (ut dictum eſt) commendatæ erant Abbatiæ ac monaſteria, ita ſint attenuata exhauſtaque, quod cum antehac in uno illorum monaſteriorum quadraginta, quinquaginta, aut ultra hoc etiam perſonæ ſatis commode potuerunt foveri, nunc ægre quinque, ſex, aut decem de neceſſariis provideri poſſit alimentis. Quæ res omnis in privata compendia aut commoda Cardinalium eſt excogitata. Unde nedum plura oriuntur offendicula, ſed & gravamina oneraque ardua, ac non ferenda Germanis. Ideoque & hic ſupplicatur, Abbatias prædictas, monaſteria, ac religioſas cæteras domus, denuo in integrum jus eorum, priſtinumque rerum ſtatum reſtituendas, cavendumque poſthac, ne cuiquam tales commendæ, ut vocant, ſeu incorporationes concedantur.

De Collegiatis Eccleſiis, quæ ſuper nobilibus tantum fundatæ ſunt.

XXV. *Inſuper licet quædam ſint collegiatæ Eccleſiæ per Germaniam, quæ à nobilibus, & in hoc, ut nobiles tantum ſummæ atque mediæ ſortis ad eas reciperentur, primum ſunt fundatæ, in quibus perdiutinæ obſervatæ ac præſcriptæ conſuetudinis privilegium eſt, ut tantum Principes, Comites, Barones, aut alioqui Nobiles acceptari poſſint & debeant. Attamen laudabiles hæ conſuetudines, jura non ſcripta, privilegia Papalia, nequaquam curantur, manutenenturve, ſed è regione agitur per curtiſanos, ad liberæ electionis Epiſcoporum, Præpoſitorum, ac Decanorum & Canonicorum præpeditionem, ut coadjutores aliqui contra capitularium voluntatem ac conſenſum efficiantur. Nec raro Curtiſanis licet indoctis & ignobilibus parantur ad canonicatus hujus-*

cemodi acceſſus, non obſtantibus ſtatutis & conſuetudinibus, & privilegiis præſcriptis, ita quod nobilibus Germanis beneficia ſubtrahantur, & hæc eadem ignobilibus vel ob pecuniam, vel familiarem conſuetudinem hoc pacto conferuntur, ut licet impetrantes ignobiles ad ea non admittantur, obſtante ſibi conſuetudine, tamen ſi quis Principum, Comitum, Baronum, nobiliumve hæc eadem à Curtiſanis impetrare velit cum colore quodam excogitati oneris, ab eisdem vel emere, vel annuo cenſu redimere cogitur: quanquam ſubinde alia huic negotio prætexantur vocabula, quæ res ipſa quoque nobilibus Germaniæ ſupremæ atque mediæ conditionis, in magnum cedit onerum ac gravaminum cumulum.

Inveterata privelegia manutenenda.

XXVI. *Ad hæc quamvis omnia eccleſiaſticis ac laicis ſtatibus privilegia ac immunitates ſint conceſſæ, Præpoſituras, aliaque beneficia & officia per ſe conferendi atque eligendi, attamen per Sedem Romanam novæ ſubinde excogitatæ ſunt technæ ac practicæ, per quas privilegiis prædictis derogatur multifariam, immo ea penitus tolluntur ac turbantur. Eapropter rogant Sac. Roman. Imperii Status, hoc emendandum, & in poſterum cavendum, ac unumquemque cum ſuis juribus & privilegiis defendendum, manutenendumque. Id quod rei æquitas ipſa per ſe ſibi poſtulat.*

De Annatis.

XXVII. *Quantum ad Annatas (ut vocant) attinet, quas eccleſiaſtici prælati Romano Pontifici quotannis pendunt, quasque ante aliquot annos Germani Principes Sedi Rom. ſub certis usq. annorum metis, eo tamen modo ut perſol-*

verentur, conſenſerunt, quo pecunia hæc ad nihil aliud, quàm contra Turcas parandam defenſionem Romæ tanquàm depoſita, fideliter adſervaretur. Verum, quum anni, in quos præfato modo conſenſum erat per Germanos, jam olim effluxerint, ac Annatas depenſas, non contra Turcas, ſed aliò experientiâ Germani Principes didicerint verſas, eapropter per omnes Imperii Ordines illud ipſum pro onere non mediocri huc allegatur, ſupplicaturque. Id quod in reſponſione generali Oratori Pontificio data ac inprimis ex Cæſareæ Majeſt. literis ad Sanctitatem Pontificiam eam ob rem ſcriptis liquido magis reperitur, quam ob cauſam laici Status Rom. Imp. vela complicanda cenſuerunt.

De contributione eccleſiaſticorum, ac religioſarum domuum, contra Turcas, ac pro defenſione juris & tranquillitatis publicæ.

XXIIX. *Item, poſtquam laicorum Imperii Statuum majores, eccleſias, monaſteria, cæteraſque religioſas domos, per Germaniam, ad laudem omnipotentis ita ampliter atque hoc pacto dotarunt, divitiisque auxerunt, quod jam laici ipſi, vix tertiam aut quartam partem in bonis temporalibus poſſident, atque ob eam cauſam, neceſſitati, tam eccleſiaſticorum quam laicorum ſublevandæ, propugnandæque ac manu defendendæ paci ac juri publicis, nec non & in Turcas, cæteroſque Eccleſiæ Catholicæ, ac Sacri Rom. Imp. hoſtes parandæ expeditioni, præ rerum inopia vires minus ſuppetunt: ideo negotii ipſius exigit neceſſitas, æquitaſque, quod Sanctitas Pontificia ita æque ac paternè rem temperet, ut eccleſiaſtici etiam, tanquam qui ampliores poſſident divitias, nedum contra Turcas adferendum opem teneantur auxilia-*

res

res porrigere manus; ſed ad tuendum jus publicum, ac tranquillum Chriſtianæ reipublicæ ſtatum, quotannis pecuniæ quippiam contribuendum. Ita quod Archiepiſcopi & Epiſcopi eccleſiaſticis prælatis ac perſonis ſuæ ditioni ſubjectis, ipſi ſoli ad ferendum hanc opem, contributionem prædictam indicere, jus ac poteſtatem habeant.

XXIX. *Atque illud eo moderamine agatur, ut Electores, cæterique Principes & magiſtratus laici ab eccleſiaſticis proceribus, in eorum principatibus, comitatibus, oppidis, ac territoriis, in exercenda jurisdictione non perturbentur aut præpediantur. Nempe hac re fiet, quod laici inter eccleſiaſticos jus ac tranquillitatem publicam tueri, & eccleſiaſtici ſub laicis degentes, eo facilius ac commodius etiam jus quemque ſuum defendere, ac manutenere poterunt, cum Eccleſiaſtici paria onera una cum laicis magiſtratibus ac gubernatoribus provinciarum ferre & contribuere jubebuntur, quemadmodum ad idipſum ex Chriſtiana & germana charitate, ac ob æquitatem, paritatemque ſervandam alioqui tenentur obligatique ſunt.*

XXX. *Et quandoquidem omnes, eccleſiaſtici imprimis ac præcipue, merito pro viribus contra Turcas, tanquam hoſtes Chriſtianæ fidei, ad ferendam opem, parandam defenſionem, recuperandumque manu, quas olim crudelis ille ferro ſubjugarat Chriſtianorum provincias, teneantur: eam ob rem pro licito bono, ac pariter Chriſtianæ reipublicæ utili & neceſſario viſum placitumque eſt, ut ſi quando exigere id neceſſitas videbitur, quod mundus & pretioſior ſupellex eccleſiarum cathedralium, monaſteriorum, cæterarumque eccleſiarum ac religioſarum domorum, auri, argenti, unionum, aliorumque pretioſorum lapillorum, denique & campanarum pars non neceſſaria, pro communi Chriſtianæ reipubl.* utili-

utilitate in medium conferatur, ne theſaurus ille Eccleſiæ Turcis potius, quàm nobis cuſtodiatur adſerveturve. Id quod & per Græciæ regnum jam olim uſu veniſſe experientia ipſa docuit. Quæ res Turcis magno ceſſit lucro præſidioque, quando reperto hoc Eccleſiæ mando, ſeu theſauro, militibus ſuis comparare potuerunt uberiorem commeatum, ut eo inſtructiores hinc cæteras Chriſtianorum urbes oppugnarent ac provincias.

Quod perſonæ Eccleſiaſticæ ob perpetrata maleficia commeritam nullam luant pœnam.

XXXI. *Item, quicunque eccleſiaſticos recipit ordines majores ſeu minores, per hoc omnium pœnarum magiſtratuum ſecularium, utcunque magna perpetret maleficia, immunis eſſe contendit. Neque hoc ita ordinati temere præſumunt, quo ab eccleſiaſticis ſummæ conditionis Statibus in peccandi hac licentia manuteneantur. Sæpenumero enim compertum eſt, quum ita conſecratis, præſertim ſacerdotibus, per jura canonica legitimæ uxores ſint interdictæ, quod dehinc pudicitiam matronarum, virginum, laicorum ſcilicet uxorum, filiarum, ſororum attentant, ac noctu interdiuque ſollicitant. Efficiunt quoque per aſſiduum ac indefeſſum laborem partim muneribus, donis ac blanditiis, ut complures honeſtæ alioqui virgines & matronæ; partim etiam in ſecretis (quas vocant) confeſſionibus, id quod eventu ipſo compertum eſt, diuturna opera labefactentur, ad peccata, offendiculaque commoveantur. Nec raro etiam evenit, ut hi uxores ac filias maritis patribusque detineant, & removentur; minantes interim gladio, aqua, ignive, ulturos repetitas uxores: atque tantorum malorum ſegetem ex libidine*

inſa-

inſana contrahunt, mirum quid latrociniis, homicidiis, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falſa cudendo numiſmata, ac mille ſcelerum formis, interim contra divina, humanaque jura omnia non ſine magno etiam aliorum offendiculo, liberrime ac impune quotidie committant. Nempe immunitate ac peccandi ſua licentia, quam ex privilegiis canonum ſibi uſurparunt, in hoc freti. Cum enim ſemel compertum habent, licere eis impune quicquid libuerit tum nedum magiſtratibus civilibis, ſed & ſuis epiſcopis ac ſuperioribus medium oſtendunt unguem, quodcunque illi vel jubeant, vel vetent. Et tandem ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus interdictum eſt Archiepiſcopis & Epiſcopis, ne malefactores hos publice criminali judicio reos agere poſſint, niſi prius degradatos: id quod tantis ſumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquàm rariſſimum uncti illi malefactores merita plectantur pœna. Adhæc conſtringuntur, obliganturque Epiſcopi per ſua capitula, ut perſonas in ſacris ordinibus, quod dicitur, conſtitutas, ſecundum canonica etiam jura, pœnis utcumque levibus, punire, affligereque non audeant. Quæ res tota eo ſpectat, ut ex diſparitate hac, inter laicos & eccleſiaſticos ſimultates, disſidia, atque odia plus quàm Vatiniana oriantur.

XXXII. *Illud quoque non mediocriter timendum eſt, ut ſi perſonæ eccleſiaſticæ, jam dicti oneris aliorumque maleficiorum cauſa, quæ quotidiè perpetrare pergunt non æqua jura, judices æquos paresque pœnas habeant, quod eorum vita offendiculoſa apud laicorum vulgus tumultum quempiam, ſeditionemque pergrandem, nedum contra ipſos eccleſiaſticos ſcilicet, ſed & contra magiſtratus, ac ſuperio-*

res omnes, quod impunita ſinant maleficia tam notoria, commotura excitaturaque ſint.

XXXIII. *Quapropter neceſſitas, æquitasque ipſa ſibi poſtulant, ut eccleſiaſticarum perſonarum prædicta præſumpta privilegia abrogentur, aboleantur, è medio tollanturque; ac illarum gratia finaliter ſanciatur, caveatur ac ſtatuatur, quod ordinati in majoribus vel minoribus conſtituti, una cum perſonis laicis, æqua habeant jura, æquos judices, paresque pœnas, itaque eccleſiaſtici ultra laicos, in paribus delictis, nullam prætendere poſſint prærogativam immunitatemve, ſed ut quisque delinquentium eccleſiaſticorum ſub quo deliquit judice, ob commiſſum ſuum maleficium, ſecundum delicti qualitatem ac menſuram, non ſecus atque alii malefactores, pœna à jure communi Imperii impoſita delicto commenſurataque, plecti, puniri, & affici poſſit atque debeat. Id quod vere eccleſiaſticis, hoc eſt probis & eruditis viris, dubio procul, impendio magis arridebit: tantum abeſt, ut per hoc lædi jus eorum putent. Hac re namque fiet, ut titulo tantum eccleſiaſtici, alioqui improbi nebulones, ad obedientiam majoribus debitam, ac ad bene honeſteque vivendum, compellantur. Ad hæc ſeditiones, ſimultatesque inter eos atque laicos præcaveantur, evitentur. Denique & hoc ipſo laici ad obſervandum, colendumque integræ vitæ eccleſiaſticos eo magis invitabuntur, permovebunturque.*

De onere Banni, ſeu excommunicationis.

XXXIV. *Item Romæ cæterisque in locis per Archiepiſcopos ac Epiſcopos, aut certe eorum eccleſiaſticos judices, multi Chriſtianorum ob cauſas prophanas, ob pecuniæ denique ac turpis quæſtus amorem excommunicantur, multorumque,*

rumque, ſed eorum in fide infirmorum conſcientia per hoc aggravantur, & in deſperationem pertrahuntur, & denique ob pecunia, lucrive tantulum, aut alioqui res minimi pretii, ad internecionem usque animæ, corporis, honoris, atque rei familiaris, contra divina humanaque jura perducuntur. Quando nemo, niſi ob convictum hæreſeos crimen, excommunicationis gladio feriendus, aut pro ſecluſo à Chriſtiana Catholicaque eccleſia literis teſtantibus, reputandus eſt. Eapropter S. Rom. Imp. Principes, proceres ac Status laici rogant, ut Pontificia Sanct. tanquam fidus, Chriſtianus, ac pius pater, velit præfatum onus banni, ſeu excommunicationis, apud Sedem Romanam penitus abolere, ac apud cæteros Archiepiſcopos, Epiſcopos, & eorum judices eccleſiaſticos ablegare, tollere, & denique ita ſancire, cavereque, ut nemo ullam ob cauſam quàm manifeſtum ac convictum hæreſeos crimen, & quantum ad ſacroſanctam Chriſti fidem attinet, excommunicationis fulmine feriatur, aut pro ſecluſo à Chriſtiana ac Catholica eccleſia habeatur. Periniquum ſiquidem eſt, fideles Chriſti ob temporalium bonorum, lucrive, aut denique ullam humanarum conſtitutionum transgreſſionem, excepta hæreſis perfidia, à Deo Optimo Maximo, ſua Eccleſia Catholica excludi, ſejungi, ſepararique.

Quo pacto multi cohabitatores oppidorum excommunicati, & ipſi utcunque innocentes excommunicantur.

XXXV. *Item & illud in pleriſque ſæpiuſcule evenit, quod vicinorum excommunicati decem, & eo amplius, quos tamen cauſa nihil omnino contingit, cum ipſo principali excommunicationis pœna aggravantur, & non ob aliud, quàm ut officiales eccleſiaſtici ſive judices, facilius, citiusq; pro libi-*

dine ſua miſeram plebeculam depeculentur, ac pro ſuo libitu, eorum abutantur ſimplicitate, ipſosque principales ad quascunque etiam iniquas acceptandas transactiones per hoc compellant, adigantque. Nam etiamſi excommunicatus ipſe, una cum uxore, liberisque ſuis, per intolerabile hoc & iniquiſſimum Banni onus, in exilium ire cogatur, quod hac in re nullus ſit officialibus modus, neque finis, neque ulla facultatum ratio. Tamen nullus eſt hominibus illis reſpectus, num induſtria, datave ad hoc opera, & per contemptum, an neceſſitate ita impellente, vel caſu potius, vicini cohabitatores, cum excommunicato ipſo participarint, commerciumve habuerint, aut ſufficiensne hæc fuerit concivibus cauſa, quare excommunicatum merito ſolum vertere juſſiſſe debuerant, horum penſi habetur nullum. Sed unum curatur hoc per officiales, ut quousque principalis ipſe excommunicatus, ſolvendo non eſt, concives ac vicini ſui, utut culpa vacent, ad ſolutionem tamen quod supereſt debiti cogantur. Quod ſi aliquando officialibus in os obtrudatur, contra domeſtica, nempe canonica ſua, eos hoc moliti jura, quæ pecuniæ cauſa quempiam excommunicari, aut interdictum edici vetent. Nihilominus tamen idipſum conantur cauſſantes interim, non ob pecuniam, ſed contumaciam, quæ tanto ſit major, quanto unde ſibi originem ducit, minorem habeat cauſam tales excommunicari, atque hac decipula, avaritiam ſuam officiales, nugando contegere nituntur.

Item & de illicitis interdictis.

XXXVI. *Præterea, quum ſacerdos, aut alioqui eccleſiaſtica perſona caſu occiditur, tum nedum occiſor excommunicatur, ſed & totum oppidum aut totus pagus iniquiſſime interdicitur, quod interdictum eousque durat, tamque*

diu

diu interrupta pendent publica Chriſtianorum officia, quousque vel occiſor, vel tota incolarum ejus loci communitas fecerint homicidii compenſationem, homicidiumque expiarint, non conſiderato eo, dederit ne occaſionem, ut ſe geſſerit probe vel nequiter verſatus fuerit occiſus ſacerdos, vel aliàs eccleſiaſtico ordini aſcriptus, licet jura canonica ipſa in quibusdam caſibus, modum negotio præſcribant, Prægraventurque itaque, ex delicto unius, centum alii nihil tale commeriti, nedum contra communem æquitatem, ſed & contra omnia divina & humana jura.

De abrogatione feriatarum aliquot dierum.

XXXVII. *Inſuper & feriarum, feſtorumque dierum tanta copia laicorum vulgus non mediocriter urgetur. Nimirum, qvum tot ſint religioſi facti dies, ut vix ægre tempus agricolis ſuppetat, quo fructus agri, tot ſudoribus è terra pellectos, aliquando aqua, pluvia, immodicove æſtu, non raro etiam grandine, aliave tempeſtate periclitantes, in horrea conferant, quos tamen fructꝰ, ſi non feriarum ſolennibus præpediti forent, commode, ac citra jacturam ex agro legere, domumque ferre potuisſent. Adde, quod feriatis quoque diebus, qui dubio procul bono conſilio, ac in Dei Opt. Max. honorem, primum bene ſunt feriati, innumera perpetrantur delicta, peccataque & ſcelera potius, quàm his omnipotens colatur, venereturve. Id quod res ipſa notorium facit, tantum abeſt, ut teſtibus hoc egeat. Eamque ob cauſam Sac. Rom. Imp. Status laici conſultius putant, ac reip. Chriſtianæ conducibilius, ſi effrænis feriarum (quæ animis quam externo cultu Chriſtianis, hoc eſt his, quibus à peccatis ſemper feriandum eſt, rectius celebrantur) feſtorumque dierum numerus paulo coerceatur in arctum, minuaturque.*

De domibus ordinum militarium, ac Baliviis (ut vocant) per Appuliam, Siciliamque ordini militari Teutonicorum vi, doloque Germanorum ditioni ereptis.

XXXIIX. *Item, licet dominis ordinis divæ Mariæ Virginis (quos vulgo fratrum Teutonicorum vocant) ex liberalitate Romanorum Imperatorum celeberrimæ memoriæ, item & Principum, Comitum & Baronum, in eos collata, cæterorumque nobilium contributa auctione, certa bona temporalia ac reditus & cenſus annui, per Appuliam, Siciliam, reliquamque Italiam, empti ſint atque adaucti, non ab aliud, quam ut contra hoſtes Chriſtianæ religionis, ad pugnam inſtructiores forent, haberentque Germani nobiles pariter & fidei Catholicæ propugnatores, unde commodius & honeſtius vitam militiæ ſemper paratam vivere poſſent, ea ex bonorum aſſe præfecturæ ejus ordinis aliquot (quas vulgo Balivias, ac à commeatu ordini parando, commeaturas vocant) diſtinctæ ſunt & diſterminatæ per claſſes, quas quiete ſine cujuſpiam turbatione, per multa ſecula poſſederunt, uſurparuntque. Attamen per præcedentes Romanos Pontifices ordini prædicto bona talia erepta, à Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopiſque, illiſque nec Germanis, nec præfati ordinis militaris exiſtentibus, collata, traditaque ſunt. Quemadmodum & in hunc uſque diem militaris Germanorum ordo his ipſis ſpoliatus, carere cogitur. Inſuper priores Rom. Pontifices domus ordinis ſupradicti locatas, nato Italo nempe Hieronymo Venero tradiderunt, ac conceſſerunt. Eumque ordinis ſæpe dicti inſignibus decorarunt, contra Romanorum licet Pontificum ac Imperatorum ſtatuta & privilegia, toties antehac per eorum prædeceſſores roborata, quibus ad Germanos tantum*

tum ordinis milites, ut hæc omnia pertinerent, cautum, ſancitumque eſt.

Deinde & Romanenſes Curtiſani ordinis ſupra memorati domos per Italiam, Bononiæ puta, Papalibus Bullis ac proviſionibus attentare conati ſunt, quo facto ordinem ad litigandum ſecum Romæ coegerunt. Id quod non ad mediocrem perniciem & ipſius ordinis, & totius Germanicæ vergit nationis. Demum Germanis Stablore quoque divi Benedicti monaſterium, contra fundationis quanquam jura, ſuperioribus paucis equidem annis ereptum eſt, ac in commendam (ut ajunt) Cardinali Columnæ collatum. Quæ omnia in pernitiem tendunt, ac irrecuperabile Germanicæ nationis detrimentum, attentatumque eſt, quicquid id eſt, contra jus & fas, ac æquitatem omnem. Ea propter Imperii Status hic quoque rogant, Sanctitas Pontificia velit militari Teutonicorum ordini, bona erepta, cenſusque & reditus ablatos, absque ulteriore mora confeſtim reddere, ac reſtituere, aut id ipſum, ut quanto citius fiat, mandare, curareve quemadmodum juris, bonique & æqui ratio hoc ſibi poſtulat.

De oneribus Sacri Rom. Imp. Statuum laicorum, contra Archiepiſcopos, Epiſcopos cæterosque prælatos eccleſiaſticos, eorum quoque Capitula, ac ſuffectos judices, quos vocant eccleſiaſticos.

XXXIX. *Præter onera ſupra memorata, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Prælatorum, quod ii (ut prædictum eſt) à Sede Romana conſervatores delegatos, atque id genus alios pleroſque eccleſiaſticos impetrant judices, per quos laici non ferendis aggravantur modis, quod non omnino infrequenter evenit, ut laici in periculum ac perniciem animæ, æſtimationis, corporis atque bonorum perducantur, ac quantum*

tum per hos ſtat judices, pertrahantur etiam. Sed hic nondum finis. Sunt enim complura adhuc alia gravamina, prout ſigillatim ea per capita nunc recenſebuntur.

Primum, quibus modis laicorum bona immobilia ad eccleſiaſticorum manus & non contra, ab eccleſiaſticis ad laicos perveniant.

XL. *Item, quum à Sede Romana conſtitutionibus ſit cautum ac proviſum, ne bona eccleſiaſtica, præſertim immobilia, regulariter perſonis laicis, unquam diſtrahi aut vendi poſſint, & tamen eccleſiaſtici, nulla cogente neceſſitate, ſed tantum, ut eorum res familiaris reddatur lautior, creſcantque cenſus, nunquam non ceſſant laicorum prædia emptionibus, innumerisque aliis modis ad ſe pellicere, ſi qua tandem ſit poſſibile via. Quod ipſum quoque Statibus laicis grave, damnoſum, ac intolerabile eſt. Quamobrem Sac. Rom. Imp. Status laici reip. Germanorum utile, neceſſariumque putaverunt, ſi omnia bona immobilia, ſoli, ſcilicet quæ poſthac aliquo quocunque tandem titulo à laicis ad eccleſiaſticos pervenirent, poſſent à laicis ſuperioribus, quorum ditioni prædia hæc ſubjecta forent, tandem ab eccleſiaſticis, redimi, lui, atque juſto pretio vendicari, non conſiderato quicquid contra hoc privilegiorum prætenderent eccleſiaſtici.*

Quomodo Epiſcopi bona hæreditaria eccleſiaſticorum ad ſe trahere conentur.

XLI. *Nec raro & illud facto contigit, quod cum perſonæ eccleſiaſticæ bona hæreditario titulo, à majoribus ſuis, unà cum cæteris cohæredibus, jure hæreditario ſibi forte uſurparent, ac ſi dehinc inteſtati deceſſiſſent eccleſiaſtici, tum per Epiſcoporum nonnullos ſibi ipſis bona illa hæreditaria*

laico-

laitorum vendicari cœperunt, non in mediocrem proximorum venientium ab inteſtato cognatorum perniciem ac jacturam. Quæ res ipſa quoque laicis non ferenda, immo omnimodo oneroſa intolerabilisque eſt.

Quo ingenio, bona quædam laica, quæ Eccleſiis, aut aliis religioſis domibus certis pactionibus vendita ſunt vel hypothecata, ditioni eccleſiaſticæ ſubjugari conentur.

XLII. *Ad hæc, ſi quando caſu ita contingit, quod bona laica temporali jurisdictioni ſubjecta, fructibus, reditibus, cenſibusve annuis eccleſiis ac cæteris religioſis domibus legentur, vendantur, hypothecentur, aut quovis alio titulo tradantur, vel à laicis erga eccleſias ac monaſteria annuo cenſu tributaria efficiantur; moliuntur eccleſiaſtici, talia prædia laica ex civili poteſtate ac ditione in eccleſiaſticam transferre, atque huic utcunque iniquo illicitove conatui, Epiſcopi, eccleſiaſticique patrocinantur prælati, tuenturque rem longe iniquiſſimam, tantum abeſt, ut in hoc quenquam revereantur eccleſiaſtici.*

De collatione beneficiorum eccleſiaſticorum jam primum fundatorum.

XLIII. *Item quum beneficium aliquod eccleſiaſticum à laicis, ſummæ vel mediæ conditionis primum fundatur, dotaturque, tunc quidam Epiſcoporum primam ejus beneficii collationem ſibi uſurpare nituntur, ac beneficiis ipſius dotationem, fundationemve prius confirmare recuſant, quàm eorum intentioni acquieverint qui beneficia ex ſuis cenſibus dotarunt, hoc eſt, fundatores atque patroni ſecundum jura etiam Canonica collatores ordinarii.*

De confirmationibus beneficiorum eccleſiaſticorum non neceſſariis, atque aliis id genus gravaminibus.

XLIV. *Præterea ſi quis novam fundationem beneficii eccleſiaſtici, fraternitatisve erigere, atque eandem confirmandam petere velit, quanquam confirmationis hujusce, de jure ac æquitate minime indigeat. Nihilominus tamen fundatores beneficiorum præter modum, pecuniarum exactionibus, ad vivum usque aggravantur, exuguntur que, ac per Romanorum ſtatuta, technas ac ſubtiles practicas, eo diriguntur, ut fundationes hæ omnes, quamvis minimi ſint pretii, neceſſario confirmentur. Quod ipſum non mediocre Germanorum laicorum eſt onus.*

De ſubſidiis & aliis oneribus, quæ imponuntur Eccleſiaſticis, qui collatores habent laicos.

XLV. *Deinceps, ſi quando contingit, eccleſiaſticam perſonam à laico beneficio aliquo dotari, & Epiſcopo pro inveſtura accipienda præſentari, tum epiſcoporum in ſpiritualibus (ut vocant) vicarii, pro inveſtura tantum erogant æris, præſentatis illis, quantum collatum beneficium in annuo habet proventu, nonnunquam etiam quantum bimo. Ita etiam altera portio exigitur Epiſcopo, & reliqua interim Archidiacono, aut Archipresbytero pro inveſtura vel poſſeſſionis traditione.*

XLVI. *Inſuper nimiumque pro viribus, illicitis exactionibus gravant epiſcopi beneficia, ſubſidiis nimirum, nullæ licet ſubſint urgentes, aut illud ſibi admodum poſtulantes cauſæ, hoc eſt, quod jura vocant, manifeſtæ & rationabiles, ultra etiam modum, quem jura communia in caſibus evidentibus & neceſſariis præſcribunt. Illis nempe caſibus,*

quibus ſolis jura ſubſidium ab eccleſiaſticis erogari permittunt, ſitque ejus rei immodico uſu, ut presbyteris vita neceſſaria vix, aut certe ne illa quidem relinquantur. Demum & in totius populi caput hoc redundat onus, quando ita premuntur ſacerdotes, ut reſpirare eis non liceat, ni viciſſim ſubditam plebeculam arrodant. Ita ex onere ſeritur onus, eousque ut nullum gratis, niſi numeretur ſemper aliquid, miniſtrent ſacramentum, eccleſiæque Chriſtianæ donum, ad quod tamen præcipuum gratis ut facerent, darentque ea gratis, quæ nullo ære redimi poſſunt, atque ipſi gratis accepiſſent, ſacro ſancti Evangelii atteſtantibus literis, tenebantur. At illud res ipſa fecit notorium.

Quo pacto ſæpius & quidem plures, unà indocti atque inidonei ordinentur ſacerdotes.

XVII. *Item Archiepiſcopi, Epiſcopi, & eorum ſuffecti (quos ſuffraganeos vocant) ſæpenumero plures indoctos, idiotas, inhabiles, vileſque ac ludicras perſonas ad ſacerdotii functionem ordinant, qui cum ex miniſterio eccleſiæ, ad quod minus ſunt idonei, vivere non poſſunt, tamen neque aliunde, vel ex beneficiis, vel propriis hæreditariis bonis, unde vitam presbytero dignam ducere queant, habent, ſed tantum imaginarios & fictitios, aliquando neque illos quidem ſecum ferunt titulos, ſitque dehinc, aut ex innata malitia, morumve levitate, aut qua premuntur egeſtate, (ſicut res eſt maleſvada fames) ut inhoneſta exerceant commercia ac munia ſacerdotibus obeant indigna. Quæ res anſam ſubinde miniſtrat, vere eccleſiaſticos ac Chriſto ſacros presbyteros floccipendendi, nihilque faciendi, quod illorum vita coram univerſo populo offendiculis ſit quam refertisſima. Interim à quibusdam Epiſcopis ſex corruptis teſtibus ad hoc*

adhibitis, dignuſne ſit ſacerdotii munere, vel minus ordinandus, fides adhibetur, qui paſſim quoſque indigniſſimos ſimulatis ſuis vocibus teſtantur dignos, adque hoc miniſterium aptos ferunt & accommodos, licet non raro nullus perſonatorum illorum teſtium, ordinandum, vel de facie albus an ater ſit, noverit, conanturque ita Chriſtianis ſanctionibus, ſub perſona, fuco, atque fictitia tantum prætextu ſatisfacere.

De impenſis immodicis, quæ in Eccleſiarum conſecratione inſumuntur.

XLIIX. *Inſuper quum Eccleſias ac templa prætenuia quidem, Deo dicant, ſacrantque nonnulli ſuffraganeorum, ſubditos utcunque per ſe egeſtate laborantes, ſuperfluis, minimeque neceſſariis ſumptibus onerant, neque hoc contenti, quin munera quoque & illa quidem immodica, à miſera plebecula exigant.*

XLIX. *Item quum laici Eccleſiis altaris donant ornamenta quædam, nec non Caſulas & ſimilia, ac in Dei honorem pecunias ſuas expendunt, nihilominus tamen Suffraganei exigunt, ut talia, priusquam ad altaris convertantur uſum conſecrentur, pro qua demum conſecratione munera ac dona petuntur innumera. Quapropter æquum eſt, ut tales abuſus deleantur. Et ſi Suffraganei fruſtra laborare nolint, ut unicuique prælato aut plebano talia faciendi permittatur poteſtas.*

Quemadmodum Cœmiteria nonnunquam ſuperflue, ac minime neceſſario conſecrentur.

L. *Demum ſi forte ſine armis, pugnis tantum & capillis in Cœmiterio, duo, pluresve manus conſerant, aut ri-*

xam

xam habeant, ad ſanguinis usque quantumvis modici, effuſionem, tum ad interdictorum ſeveritatem recurrunt eccleſiaſtici, nec prius publica Chriſtianorum redintegrant officia, quam civium univerſitas Cœmiterium denuo magna pompa, gravibusque, nec profecto minoribus impenſis conſecrari curaverit, quam primum (ut prædictum eſt) ex prophano redditus ſit ſepulturæ is locus ſacer. Quæ omnia in caput tandem redundant laicorum.

LI. *Item Suffraganei excogitaverunt, ut ſolum ipſi, & nullus alius Sacerdos, laicis campanas baptizent, credunt deinde ſimpliciores ita affirmantibus Suffraganeis, tales campanas baptizatas, dæmones & tempeſtates pellere. Quapropter innumeri plerumque adhibentur compatres, præcipuè vero, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana religata eſt, tangunt, ac Suffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri ſolet) omnes pariter reſpondent, ac campanæ nomen ingeminant, veſteque nova (quemadmodum & Chriſtianis fieri ſolet) campana induitur. Inde ad ſumptuoſa properatur convivia, quibus præcipue compatres, ut eo largius munera offerant, adhibentur, nec non Suffraganei & eorum Capellani cum multis aliis miniſtris regaliter paſcuntur. Nec hoc ſatis eſt, ſed & Suffraganeo mercedem perſolvere neceſſe eſt, quam illi munuſculum vocare ſolent. Inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali abſumantur & expendantur baptizatione. Quæ res non ſolum ſuperſtitioſa, ſed etiam Chriſtianæ religioni contraria, ac ſimpliciorum ſeductio, & mera eſt exactio. Veruntamen Epiſcopi, ut Suffraganeos vel viliſſima obærare poſſint mercede, talia & adhuc abſurdiora tolerant. Res igitur tam nefanda & illicita merito aboleri debet. Cæte-*

rum ſi conducere videtur, ut campanæ conſecrentur (ita enim Suffraganei baptizationem appellant, quotiès à prudentioribus de hac re interpellantur) conveniens erit, ut talis conſecratio per unumquemque fiat ſacerdotum, quemadmodum cum aqua benedicta, ſale, herbis, & ſimilibus fieri ſolet, idque absque pretio & expenſis laicorum, ne populus ſimplex ita ſeducatur, & damno afficiatur, nec non avaritiæ deteſtandæ præſumptio evitetur.

Quemadmodum de nova ſancti cujuſpiam celebritate partem petant oblationis.

LII. *Deinceps, ſi forte per diœceſin Epiſcopi alicujus nova effertur ſancti celebritas, ad quem paſſim concurſus fit tum Epiſcopi aut prælati eo loci, oblationum omnium tertiam, aut certe quartam partem ſibi vendicare præſumunt. Quod tamen domeſtica eorum, nempe canonica jura eis non permittunt, quin oblata illa pecunia, potius ac merito, pro totius Chriſtianæ reipubl. neceſſitate, ad contrahendam militum manum parandumque expeditioni bellicæ commeatum contra Turcas uſurparetur, aut certe in proximi verteretur neceſſarios uſus.*

Quo pacto illicitam à Præpoſitis monaſteriorum Deo dicatarum virginum petant pecuniam.

LIII. *Item quum monaſteria aliqua Deo dicatarum virginum, per præpoſitos, ſeu præfectos gubernentur, qui tamen ad libitum officio hoc moveri poſſunt, neque enim perpetua eſt hæc præpoſitura, attamen Epiſcopi, acceptationi aut miſſioni præpoſitorum, prius conſenſum ſuum adhibere recuſant, quam à monaſteriorum Deo devotarum, ſimpliciumque puellarum pecuniæ aliquid numeratum fuerit.*

LIV.

LIV. *Item, quum Abbas quiſpiam, aut Abbatiſſa eligitur, coguntur iterum per Suffraganeos conſecrari, licet antea ut monachi & moniales ſatis ſuperque ſint conſecrati, Suffraganeumque cum ſuis regie excipere & paſcere, ac inſuper tanquam muneris loco, magnam perſolvere pecuniam. Quæ res non in parvum damnum cedit monaſteriorum, ſed etiam illorum quibus monaſteria illa ſunt ſubjecta.*

Inſuper Pontifices ſummi multa & varia in curia Romana excogitarunt officia, quæ ipſi immani vendunt pretio, quod quidem illi perſolvere coguntur, qui (ita jubente Pontifice) opera talium indigent officialium ſeu ſcriptorum. Hinc evenit ut natio Germanica, præcipuè verò Epiſcopi, quoties pallium redimunt, aut confirmationem à Romano petunt Pontifice, ac multi alii oppido aggraventur, ac longè plus, quàm elapſis annis pecunias ſuas dilapidare compellantur. Hinc facile conjicere licet, quot Romæ, quantique laquei pro emungendis nummis tendantur. Quapropter talia officia merito deleri debent.

De Archipresbyterorum Officialibus, & aliis judicibus eccleſiaſticis.

LV. *Archipresbyterorum quoque Officiales, ut plurimum ſunt indocti, inhabiles, inſuper & ſcurrilibus moribus, nihil penſi habentes, nihil aventes, quàm pecuniam. Et quàm notorie in publicis degant peccatis ac facinoribus, quotidiano diſcitur uſu, per quod laici, quos ob admiſſa, debito modo corripere, at in pietate Chriſtiana eruditiores & meliores reddere debeant, nedum ad meliorem frugem non perducuntur, ſed offendiculis onerantur potius. Ad hæc per leves ac viles has officialium perſonas, in quorum conſcientiis, nulla Chriſtianæ pietatis viget ratio, ſed tantum ſcelera-*

tus

tus habendi amor, laici miſere ad vivum usque in bonis ſuis ſpoliantur, ac deprædantur. Id quod Archiepiſcopi & Epiſcopi, ſi quidem re vera quod dicuntur, eſſent, hoc eſt Chriſti paſtores, dubio procul, diutius non tolerarent, ovesque Chriſti talibus offendiculoſis paſtoribus curandas, minime commendarent, paſcendasve committerent.

Quam inique laici ad vetitum trahantur eccleſiaſticorum tribunal.

LVI. *Fere & hoc quoque accidit, ut laici ad eccleſiaſticorum, licet perinique, trahantur judicium. Nam etiam ſi actor ſit eccleſiaſticus, qui laicum reum judicio convenire intendit, attamen nihilominus ordinariæ jurisdictioni reorum deferunt, quin paſſim eccleſiaſtici tales reos laicos ſeu quascunque etiam ob cauſas civiles ac plane prophanas, ad eccleſiaſticum tribunal, refragantibus omnibus etiam juribus, pertrahere adnituntur, quum tamen maxime conveniat, ac jure non ignoto ſit, quam expreſſim cautum, actorem, rei forum ſequi debere.*

Quo pacto magiſtratuum civilium ſubditi, propter debitam pecuniam ad judicia eccleſiaſtica pertrahantur.

LVII. *Præterea eccleſiaſtici ſæpiuſcule laicorum ſubditos ob debita pecuniaria, coram eccleſiaſtico judice in jus vocant, ac prægravi eorum judiciorum ordine eosdem inibi vexant atque excutiunt, licet à civili magiſtratu adeoque judice reorum ordinaria juſtitia, jurisque debita executio eis nunquam fuerit vel denegata, vel diutius, quàm par ſit, procraſtinata, ſitque ita per actorum (ut dictum eſt) petulantiam,*

lantiam; qui conventi judicio eccleſiaſtico laici, varios ob caſus jus ſuum non ita examuſſim, vel deducere per imprudentiam, vel non probare per ſimplicitatem, noverunt, neque docti ſunt, ut in prætenſam pronuntientur excommunicationem, ac irreparabile rerum ſuarum perducantur detrimentum, perniciem & jacturam.

Quàm inique laicis judicibus præbeatur occaſio ab eccleſiaſticis, ſubditorum ſuorum petendi miſſionem.

LIIX. *Inſuper & alias ob plures cauſas illicitas, à judicibus eccleſiaſticis contra perſonas laicas emittuntur citationes ac monitoria, quanquam tales judices, publica etiam teſtante fama, indubitanter perſpectum habeant, vocatos ita in jus ad ditionis ſuæ terminos minime pertinere, illosque ad ordinarium jus remittendos fore. Quod ipſum quoque laicorum ſubjectis, non ferendis modis grave, oneroſumque eſt. Nam etſi cauſæ perſonæque tales ad inſtantiam magiſtratuum civilium ac laicorum ſuperiorum petitionem, tandem ad jus dicentis laici ordinarium remittantur tribunal, nihilominus tamen ita immerito in jus vocati gravibus onerantur impendiis, damnis & expenſis, eo quod ſuperiores ſuos laicos, quos non raro ultra centeſimum lapidem peregre abeſſe contingit, primum requirere, dehinc literas miſſionum ab his impetrare, ac tandem eas ipſas judicibus eccleſiaſticis mittere cogantur, interim nuntiis ad hoc conductis eroganda eſt pecunia, ceſſandum à quotidianis operibus, ferendæ impenſæ itinerum atque advocatorum. Quod ſi forte ſuperiores ſuos in jus vocati non continuo imploraverint, miſſionum literas impetrarint, easque judicibus prædictis transmiſerint, ac ad monitionem uſque proceſſum interea*

ſiet, etiam eccleſiaſtici judices vel requiſiti hinc à vocatorum ſuperioribus, quacunque tandem in jus vocati ſit cauſa, remittere tamen ita vocatos atque admonitos ad ordinarium judicem laicum, recuſant.

Quòd judices eccleſiaſtici cauſas aliquot ſpeciales, licet laicas, ita ſuæ aſſerant ditioni, ut omninò eas remittere nolint.

LIX. *Quum apud eccleſiaſticum judicem ob decerptum virginitatis florem, item ob id illegitime natorum, hoc eſt, naturalium liberum ſtatum, aut ſervientium mercedem, viduarumve quæcunque etiam judicio ventilantur cauſæ contra laicos reos, tum vel interpellati à litigantium laicorum ſuperioribus, judices eccleſiaſtici, terminum tamen ſiſtendi jure, nec circumducere, aut ad ſe in jus vocatos, ordinariæ juriſdictioni ut remittant precibus induci poſſunt.*

De aliis illicitis & inutilibus expenſis cauſarum prophanarum, quæ ad eccleſiaſticos judices trahuntur, ac denuo remittuntur.

LX. *Adhæc, quum laicus coram judice eccleſiaſtico (ut ſupra dictum eſt) inique in jus vocatur, demumque ad petitionem judicis ordinarii remittitur, tunc temere agentis procurator, qui tam male in jus vocari fecerat laicum reum, mercedem ſuam à convento, qui tamen temere ad vetitum tractus fuit judicium, petit, cogiturque dehinc excommunicationis pœna innocens ille ultra expenſas, quas ob malam in jus vocationem in itinera, procuratores, proque impetrandis & redimendis miſſionum literis, neceſſario expenderat. Adde & neglectorum operum æſtimationem, jam*

jam tandem nulliter & inique emiſſos judiciarios proceſſus perſolvere, atque ære non immodico coactus licet penſare. Namque id ſi forte recuſet, anathematis præſto eſt gladius, hoc ei minantur judices eccleſiaſtici fulmen, ni perſolutis vocationum literis, habendi libidinem ipſorum ſatiaverint. Ita afflicto additur afflictio. Neque juris ratio, quæ temere in jus vocato, refundendas dictat expenſas, à judicibus his curatur quicquam, imò judiciarius hic eorum ordo, ex diametro, quod ajunt, cum juris, bonique & æqui ordine pugnat. Eum tamen judiciorum ordinem, non ob aliud, quantum conjectura aſſequi licet, hactenus ita religioſe obſervarunt, quàm ut plurima actorum turba per hoc ad eorum alliceretur tribunal. Ita ſemper iniquum, ex re, quæ merito debeat eſſe æquiſſima, ſtudent facere lucrum.

Quomodo novæ per violentiam inſtituantur decimarum præſtationes.

LXI. *Item, etſi laici per multa annorum curricula de certis eorum prædiis, neque majores, neque exiguas (ut vocant) præſtiterint decimas, tamen per eccleſiaſticos judices, apud quos iniquis litigant conditionibus, autoritate judicaria, ita eis fit negotium, ut aut petitas judicio decimas, ſive quidpiam aliud eſt quod ab eis exigitur, præſtare, perſolvereque, aut excommunicationis pœnam ferre, neceſſum habeant. Neque hoc temere. Nam etiamſi à ſententia quantumvis iniqua Romam appellaverint, non eos fugit quàm oneroſus atque diſpar ſit & illic litium eventus.*

Quo pacto eccleſiaſticorum officiales ac ſuffecti, & ipſi laicos ad eccleſiaſticorum tribunal in jus trahere conentur.

LXII. *Ad hæc omnia, perſonæ eccleſiaſticæ nedum ipſæ per ſe laicos, quibus dictum eſt ac ſimilibus caſibus, ad eccleſiaſticos trahunt judices; verum etiam eccleſiaſticorum officiales, ſuffecti, procuratores, domeſtici famuli, famulæq; ac denique ipſorum etiam ſubditi conantur, adnituntur que idem juris, quod eorum habent ſuperiores, ſibi ipſis quoque aſſerere, uſurpareque.*

De cauſis injuriarum, quæ coram eccleſiaſtico ventilantur judicio.

LXIII. *Tandem, ſi quando ex facto evenit, ut eccleſiaſticus contra laicum injuriarum agere illatas forte verbo injurias, intendat, conatur eccleſiaſticus judex eas ipſas quoque ſuæ jurisdictioni vendicare cauſas. Quo denuo reus judicio conventus, ordinario juri ſuæque eripitur atque eximitur jurisdictioni.*

Quemadmodum cauſæ prophanæ ob interpoſita juramenta, eccleſiaſtico tribunali aſſerantur.

LXIV. *Inſuper & id præſumunt officiales, ſi quando in cauſis prophanis, ac inter perſonas eccleſiæ minime ſacratas, dicatasve, ſed omnino laicas, data fide, ſeu præſtito juramento, verbo vel in ſcriptis, pacta, obligationes, contractus, vel promiſſiones factæ ſint, vel celebratæ, quod eam ob rem, atque hujus prætextus ratione, tales prophanæ laicæque cauſæ coram ipſis potius, quàm ordinario judice agitari debeant. Quæ nova eccleſiaſticorum techna uſu ſi increſceret ac diutius toleraretur, jam actum foret de civili cauſarum auditorio, quod omnes prophanæ civilesque cauſæ contractuum atque transactionum, hac via neceſſario ad eccleſiaſticos pertrahe-*

traherentur. Quis enim contractus, quæ transactio, quæ denique inter paciſcentes conventio, quæ non ſint ſolenni ita ſtipulatione, aut promiſſione vallata? Illac nimirum rerum veniremus, ut in totum civilia eluderuntur judicia. Quod nedum contra æquitatem ipſam, contra omnia jura ſcripta, ſed & civili magiſtratui intolerabile foret. Nam ut demus hoc interim eccleſiaſticis judicibus, de perjurio commiſſo notionem ut habeant, nihilo magis per id cauſæ ipſius principalis, contractus puta aut transactionis, quamobrem ille pejeravit, judices competentes erunt, quin perjuros illos ob religionis transgreſſionem manifeſtariam tantum judicio convenire poſſent, ac Canonicam huic indicere mulctam, reſervata tamen civili magiſtratui, qui perjuros pœnali judicio ſecundum civiles ſanctiones plectere jus habent, commiſſa ſibi ob id pœna.

Quonam modo reformationes ſuorum judiciorum nec obſervent, neque manu, hoc eſt, executione debi- [illegible] ta tueantur.

LXV. *Præterea, nedum rationi conſona jura communia, ſed & eccleſiarum aliquot cathedralium, propriæ reformationes, notoriè in quàmplurimis caſibus negliguntur, irritaque fiunt, dum contrarius ex eisdem ducitur ſenſus. Exeqvuntur enim hæc contra hos tantum, quorum poteſtatem ipſi non reverentur. At ſi res potentiores, aut eos quibus manu pares eſſe non poſſumus, contingat, tum ex juris ſui rigore remittunt quippiam. Nam etſi maxime Epiſcopi locorum ordinarii, aut eorum officiarii à vim paſſis, aut his, quibus contra jus injuriæ illatæ ſunt, pro debita juſtitiæ executione, ac talium gravaminum onerumve abrogatione inter-*

 pellen-

pellentur, ſæpenumero tamen evenit, ut querela hæc vel Præpoſitum contingat, vel decanum, vel certe capitulum, ac eccleſiæ canonicos capitulares, hoc eſt eos, contra quos loci hujus ordinarius Epiſcopus utcunque æquitati favens, remorante eum hac via, in electione præſtita ac promiſſa fide, meritam transgreſſionis emendationem atque mulctam præſumere, eisque infligere non audeat.

LXVI. *Adhæc, Epiſcoporum ac prælatorum nonnulli pro tempore eccleſiaſticorum judiciorum ſynodorumque, ad ſuum libitum ſpeciales quasdam & prætentas ferunt reformationes, ordinationes, leges, atque ſtatuta, quæ ipſa multifariam à jure communi disſident, ac ſeorſum toti civili magiſtratui & jurisdictioni, eorumque ſubditis derogant atque perniciem adferunt, neque ullam præ ſe ferentia æquitatem, quod ad eccleſiaſticorum privata compendia inque Laicorum necem ſint excogitata atq; effecta. Eamque ob rem laici ea acceptare, aut his parere minime tenentur. Nam neque ipſi eccleſiaſtici domeſticas has ſuas conſtitutiones ſecundum rationabilem, ſinceriorem ac germanum æquitatis intellectum, obſervant. Etenim tametſi reformationes hujuscemodi, ut plurimum, ſtatuant, coram officialibus eorumque eccleſiaſticis conſiſtoriis manifeſta ac notoria tantum, minimeque occulta delicta, debere agitari atque ventilari, conſiderarique inprimis ſalus animarum, & honor Jeſu Chriſto debitus, potius quàm pecuniarum lucrum: attamen ejus rei oppoſitum, atque ex profeſſo contrarium negotium ipſum, innumeræque aliæ conjecturæ ac circumſtantiæ plus liquido manifeſtum reddunt, id quod partim ex ſupra enumeratis, partim ex recenſendis ſequentibus articulis, utcunque ſuccinctis, cuique æſtimare facile eſt.*

Quem-

Quemadmodum plus pecuniæ, quàm pœnitentiæ peccatoribus imponant.

LXVII. *Patrum canonibus ſancitum eſt, ſpiritualibus ac manifeſtis peccatis, ſpiritualem pœnitentiam ſeu ſatisfactionem imponendam eſſe, ut ſic non pecuniæ lucrum, ſed potius animarum ſalus quæri intelligatur. Id quod ſupra etiam memoratum eſt. At eccleſiaſtici judices & officiales, perperam animadverſis canonibus, dictam ſpiritualem pœnitentiam intantum exaſperant, aggravant & augent, ut laici, priusquàm eam ſatisfactionem acceptare velint, pecunia magis ſibi ab ipſis immunitatem comparent. Quare laici multum premuntur, eccleſiaſtici contra multum ditantur, utpote qui in ſuum privatum commodum & partis agunt munus, & judicis; quod tamen omnibus juribus diſſonum eſt.*

Quem in modum honeſti viri & mulieres ex falſo rumore ſæpenumero graventur.

LXIIX. *Accidit etiam nonnunquam, quod viri & mulieres coram Officiali, ſeu eccleſiaſtico tribunali, ut delictorum ac ſcelerum ſontes, ſiniſtro rumore deferuntur, ac non prius per ſententiam innocentes declarantur, quàm ubi ſe jurejurando purgaverint, qua purgatione facta, in priſtinum æſtimationis ſtatum reſtituuntur. Et quamvis tam ſiniſtre denuntiatis incommoda, damna, impenſæ eam ob rem perpeſſæ, merito refundi deberent, nihilominus tamen innocentes ipſi in dictæ reſtitutionis ſidem, Officiali eccleſiaſticove judici, duos aureos cum aurei quarta parte, pro abſolutoriis literis nequaquam neceſſariis, numerare coguntur.*

Et

Et hoc eſt, cur officiales, eccleſiaſticique judices, tam iniquas & illicitas, rumoris falſi & delationis cauſſas, ita adſectentur, ad ſe evocent, ſoliſque ſibi vendicent. Id tamen ipſum non ſine magna ſingulari ac gravi jactura mortalium committunt. Nam ſæpius evenit, quod altercantes mulieres, ira, invidia, ſeu alio quopiam adſectu commotæ, invicem ſe maledictis impetant, conviciis proſcindant, in tantumque dementententur, quod altera alteram vel adulterii, vel magicæ artis ream inſimulet. Quod ubi coram Officiali deducitur, tum illa, quæ per iracundiam alteram probris ac contumeliis adfecerat, jurisjurando ſacramenti ſeſe excuſare ac purgare cogitur; ſcilicet quicquid injuriarum in alteram protulerit, id omne non ex certo animi propoſito, ſed ira invidiaque profectum eſſe, parique modo altera, quæ adulterii necromantiæve inſimulata eſt, ſuam innocentiam, quodque prædictorum nequaquam ſibi conſcia ſit facinorum juramento detegere jubetur. Interim verò quilibet apud ſe facile conjicere poteſt, in talibus cauſis, mulieribus, ſive memoratorum ſcelerum vacuæ ſint, ſive iiſdem criminibus obnoxiæ, jurandum tamen eſſe dummodo famam, honorem, ac vitalem ſpiritum retinere velint. Quà ex re non ſolum illicitum pecuniarum lucrum quæritur, ſed deliberatæ pejerationes extorquentur, ſeculareſque juriſdictiones & judices in eorum mulctandi officio impediuntur. Et ſic contra rationem impunita remanere delicta neceſſarium eſt.

Quomodo eccleſiaſtici judices illicitum ex jactatis matrimoniorum cauſis petant intereſſe.

LXIX. *Deinceps, quum inter virum atque fœminam, de pangendis matrimonialibus ſacris illis fœderibus, nego-*

tium

tium quod inter eos forte agebatur, eousque proceſſit, quod ab alterutra partium matrimonii contractus ex pactionibus illis ratus perfectusque prætendatur; at inficietur altera, datumque eſt ab altera alteri perſonæ veſtium, aut alioqui mundi muliebris quidpiam tanquam arrabonis loco, ad ſervandum ac cuſtodiendum; accidatque deinde, ut aſſerti contractus matrimonii ſcilicet contemplatione, contrahentes, ad eccleſiaſticum perveniant tribunal, ac ibidem per ſententiam, in diverſum ire jubeantur, ſeparenturque: tum judex ille eccleſiaſticus inique hoc ſibi in hac cauſa prætendit intereſſe, nimirum, ut omne quicquid hinc inde arrabonis vice traditum ſit, ut hoc ſibi cedat tanquam commiſſum. Id quod nedum contra omnia jura, ſed & æquitatem atque honeſtatem ipſam procul dubio eſt.

Quibus artibus judices eccleſiaſtici cauſſas promiſcuas, quæ coram civili etiam magiſtratu in judicium deduci poſſunt, ſibi ſolis vendicare conentur.

LXX. *Item, licet complures ſint cauſæ ita promiſcuæ jurisdictionis, ut ſecundum jura communia, apud eccleſiaſticos atque civiles judices agitari, & puniri poſſint; ſæpiuſcule tamen evenit, ut quum civiles judices, conceſſam ſibi hac in re provinciam & jurisdictionem adminiſtrare atque exercere velint; quod idipſum ne faciant per judices eccleſiaſticos ſub excommunicationis pœna eis interdicitur prohibeturque. Quod ſi diutius perſtare deberet, brevi eccleſiaſtici judices à magiſtratu ejusque jurisdictione quascunque etiam cauſas eximerent, ſuæque asſererent ditioni. Id quod Cæſareæ Majeſt. cæterisque Imp. Romani membris grave eſt & intolerabile. Et quanquam ſecundum jura communia,*

nia, manifeſta perjuria atque adulteria, maleficiorumque præſtigiæ, ac conſimiles aliæ cauſæ, per eccleſiaſticos ac civiles judices promiſcuum, uter occuparit, civiliter pro tempore plecti poſſint, habeatque ita præventio hac in re locum: attamen eccleſiaſtici judices contra omnia jura, cauſas hujuscemodi ſolis ſibi ſuæque jurisdictioni uſurpare conantur. Quod ipſum jurisdictioni civili non ferendum eſt onus ac gravamen.

Quemadmodum cauſſæ prophanæ ſub prætextu denegatæ executionis ad eccleſiaſticorum conſiſtoria trahantur.

LXXI. *Item ſi quando perſonæ laicæ in cauſis etiam omnino prophanis à judicibus eccleſiaſticis citationes impetrare conentur, prætendantque magiſtratum civilem, debitam ſibi juris executionem facere neglexiſſe, antequam ſummarie, ſaltem per evidens aliquod docuerint inſtrumentum, juſtitiam ut queruntur ſibi denegatam; citationes tamen atque alii judiciarii proceſſus à judicibus eccleſiaſticis ad ſolam petentium querelam his decernuntur. Quod ſi deinceps ad petitionem vel civilis judicis, aut partis in jus vocatæ, cauſſæ hujuscemodi ad ordinarium tribunal remittantur, præfigitur civili judici perbreve quatuor hebdomadarum, puta tempus fatale, intra quod actoris intentioni & querimoniæ ex integro atque ex aſſe executionis ordine ſatisfaciat. Ac ſi in arctiſſimo ita præſtituto termino ſententia definitiva, aut non fertur vel executioni lata non mandatur, libertatem dehinc judex eccleſiaſticus dat actori laico, coram ſuo tribunali, ulterius procedendum, ſitque non raro (mirum hoc auditu) ut cauſſa, quæ intra menſis ſpatium coram civili conſiſtorio agitari peragique debebat, quod hac eadem*

apud eccleſiaſticum judicem triennio aut eo amplius pendeat hinc indeciſa.

LXXII. *Ajunt præterea judices eccleſiaſtici, in talibus caſibus, prophanas ad ſe cauſas pertrahere ſibi licere, ſi magiſtratus civilis in adminiſtranda juſtitiæ executione negligens inveniatur, è regione tamen ferre minime poſſunt, ut in pari caſu, idem juris cum eis ſervetur. Nimirum ut in cauſſis eccleſiaſticis quiſpiam de neglecto cultu juſtitiæ ab eccleſiaſticis apud laicos aut civiles magiſtratus conqueri ac juſtitiam ſibi per civiles magiſtratus adminiſtrari poſtulare poſſit. Quanquam jura communia in genere definiant ſtatuantque, quo pacto canonica civilibus, & è regione canonicis civilia jura opem ſuppetiasque ferre debeant.*

Quo pacto eccleſiaſtici judices, ſeculares cauſas, prætentæ jurisdictionis prætextu, in ſeſe transferre conentur.

LXXIII. *Neque hoc plerisque longa experientia rerum ac eruditione doctis probatur, quod judices eccleſiaſtici quibusdam in locis, diuturni caſus quaſi poſſeſſionis, adimpletæque præſcriptionis prætextu, laicorum controverſias coram ſe dirimendas hactenus præſumpſerunt. Nam ea ex re Cæſarea Majeſtas Romanumque Imperium haud parum detrimenti patitur, ut puta, quod non minimus Imperii honor temporalis ſeu jurisdictio, memoratæ præſcriptionis velamine minuitur, attenuatur, & penitus ab Imperio ad eccleſiaſticos refertur. Quod contra recepta apertaque jura eſſe nemo eſt qui neſciat, quibus ſtatuitur & cavetur, ut nulli præſcriptioni quantumvis longæ adverſus præeminentem tum Papæ tum Cæſaris poteſtatem ſit locus.*

Quàm inique homicidæ, aliique peccatores ab eccleſiaſticis judicibus duplici afficiantur pœna.

LXXIV. *Quum divina humanaque jura vetent, ut nemo duabus cedi debeat virgis, meritò plerique quibus cerebrum eſt, nonnullarum cathedralium eccleſiarum odioſa ſtatuta, perverſoſque mores, quibus utriusque ſexus homicidas, reliquosque majorum minorumve criminum reos hucusque vexarunt, deteſtantur. Nam hactenus ſervata eſt conſuetudo, quod homicidii ſimiliumque facinorum, (quos caſus epiſcopis reſervatos vocant,) rei, peracta in aurem confeſſione, publicam pœnitentiam in totius populi conſpectu cum magno ſuorum ipſorum dedecore, ignominia, infamia, ſubire coguntur. Quæ quidem pœnitentiæ forma, non usquequaque improbanda foret, utpote quæ ad primitivæ Eccleſiæ inſtituta quàm proxime accederet, ſi hac contenti, non etiam ampliorem juſto peccantibus egregii iſti maleque officioſi officiales extorquerent pecuniæ ſummam, ac duplici delinquentes punirent pœna. Quare, mirum, quam multi offendantur. Quod quàm iniquum, quamque longe à Chriſti inſtituto ſit alienum, cuique ſanæ mentis conjectura aſſequendum relinquitur.*

Quomodo funeſtæ pecuniæ intuitu eccleſiaſtici judices & officiales illegitimas cohabitationes & uſuras tolerent.

LXXV. *Præterea Officiales auri ſacra pellecti fame, uſuras ac pecuniæ fœnus illicitum, nedum non interdicunt, ſed & paſſim permittunt, fovent ac tutantur. Inſuper etiam clericos religioſosque & ſeculares, accepto ab eisdem annuo cenſu, publice cum ſuis concubinis, pellicibus & aliis id*

genus

genus meretricibus, illegitime cohabitare, liberosque procreare ſinunt. Quæ res ambæ quantum ſcandali, periculi, detrimenti, fortunis animabus & corporibus pariant, non eſt quod recenſeatur, quum nemo id, niſi talpa magis cæcutiat, non videat.

LXXVI. *Præterea contingit aliquando, quod alter conjugum, belli, votorum, ſeu alia quapiam cauſa peregre proficiſcatur: qui ſi aliquanto diutius, quàm alterius conferat libidini, abſit, tum officialis alteri, pacta tamen numerataque prius mercede ſatis magna, cum alia victitare perſona ac cohabitare indulget, non præhabita prius diligenti veſtigatione, ſuperſtes ne ſit abiens conjunx, an naturæ conceſſerit. Et ne hoc eorum factum à quoquam calumniari poſſet, tolerantiæ nomen ei, non ſine magno mortalium offendiculo, ſanctiq; matrimonii contemptu indiderunt.*

Vt officialium delegati ſeu ſynodales judices illicitos è domibus cenſus exigant.

LXXVII. *Et hoc Germanis poſthac non ferendum onus eſt, quod ſynodales judices quarundam regionum oppidula & vicos oſtiatim peragrant, cenſusque è domibus annuos exigunt, quos ubi tenuis plebecula perſolvere nequit, protinus cum excommunicationis jaculis petitur, ad eorum quoque cenſuum ſolutionem cum ſumma rei familiaris attritione atque attenuatione compellitur. Quod ſi penitus amoveri non poteſt gravamen, aliquo ſaltem fine ad æqui bonique regulam coerceatur.*

Quo pacto hebdomadaria pecunia mechanicis exigatur.

LXXIIX. *Pari modo proxime memorati judices, qui-*

busdam in locis à ſtabulariis, piſtoribus, laniis, propolis, molitoribus, ejusdemque generis mechanicarum artium profeſſoribus, qualibet ſeptimana pecuniam poſtulant: qua forte per inopiam non ſoluta, eccleſiaſtico ad id fulmine adiguntur.

De iniquis eccleſiaſticorum arreſtis (ut vocant) & impedimentis.

LXXIX. *Non mediocrem item ſuperioritatis & juriſdictionis temporalis jacturam Cæſarea Majeſtas Romanumque Imperium patitur, ex male obſervata hactenus pluribus in locis diuturna conſuetudine. Videlicet, quod eccleſiaſtici judices, ubi inter duos laicos civilis orta eſt controverſia, ad alterius partis petitionem literas inhibitorias emittunt, quibus alteri partium mandant, ne inceptam coram ſeculari, ſeu ſuo judice litem proſequatur, ſed in eccleſiaſtico coram ſeſe judicio compareat. Cui mandato ubi pars vocata obtemperat, ſe ſuamque cauſam ad ſuum ordinarium judicem remitti in judicio petit, tùm primùm libello, articuli, exceptiones, replicæ, duplicæ, & cateræ id genus ſcripturæ utrinque producuntur; quibus reliquisque actis & agitatis perlectis, numeratisque potius quam ponderatis interloquuntur controverſiam coram ſe ventilandam eſſe. Cui ſententiæ propterea, velint nolint, parere coguntur, etiamſi maxime eagraventur, quod appellationem ad curiam Romanam interpoſitam, ob immenſos tùm labores, tùm impenſas proſequi nequeant. Neque enim cuivis commodum eſt, adire Romam. An vero talibus ſimilibusque ſententiis ſe ſuſpectos reddant, nec ne, cuilibet bono viro conjiciendum relinquitur. Vnum hoc certum eſt, quod ex jam enumeratis caſibus, copioſa civilium cauſarum ſylva, juriſdictioni*

dictioni temporali ac civili magiſtratui indies ſubtrahitur atque eripitur. Quod non ſolum juribus & æquitati, ſed etiam rationi contrarium eſſe dignoſcitur.

Vt plerique inopia rerum laborantes judicialium expenſarum, variorumque laborum & expenſarum formidine, ad iniquas tranſactiones compellantur.

LXXX. *Neque hoc ſilentio præteriri poteſt, quod eccleſiaſtici judices & officiales miſeros ac ſimplices laïcos multoties ad illicitas, iniquas, ſibique penitus nocivas tranſactiones adigunt. Nam ſi quando eos in jus vocant, magna patronorum, tabularum forenſium, ſcribarum, cæterorumque, quorum opera in judiciario ſtrepitu uti neceſſum habent, caterva, nullo ære conducta, ſed gratuito conquiſita, ſtipati aſtant: ac pauperibus illis prophanis, egeſtate preſſis, id hominum genus, non niſi magno conducendum eſt. Quod ubi fortunæ reique familiaris tenuitas denegat, ni penitus cauſa, etiam juſtiſſima, decidere velint, tranſactionem ſeu compoſitionem utcunque iniquam inire coguntur. Quare quantum graventur tenues, nemo eſt, qui non facile id deprehendat.*

In multis eccleſiaſticorum conſiſtoriis, externi cauſarum patroni & procuratores, quam non admittantur.

LXXXI. *Et hoc hactenus Germanis multum attulit moleſtiarum, quod per eccleſiaſticos judices, nulli coram ſe litigantium partium, aliis uti advocatis & procuratoribus licet, quàm iis, quos ſibi ſuisque tribunalibus, jurisjurandi ſacramento obnoxios reddiderunt. Ne tamen nihilominus*

nus externi patroni à litigatoribus conſulantur, adeo breves præfigunt terminos, ut adiri nequaquam poſſint. Et ne hoc eorum factum tanquam æquitati contrarium improbari poſſit, ſe id in controverſiæ commodum facere adfirmant, quo celeriorem per conſiſtorii juratos procuratores ſortiatur exitum. At interim meridiana luce clarius apparet, quâ ſinceritate, quâve dexteritate id agatur. Nempe compertum habent officiales, ſe ſuosque ſuperiores à conſiſtorii advocatis & procuratoribus timeri. Et ſic miſeri clientes patronorum verecundia, dum quod contra eccleſiaſticum judicem ejusve ſuperiores quacunque in parte facere poſſent, in judicio proponere non audent, ultra quàm par ſit negliguntur. Quam rem eccleſiaſtici prælati iique quorum in territorio tale exercetur conſiſtorium, quum prohibere penituſque eradicare deberent, tutantur ac defendunt. Et id potiſſimum eam ob cauſam, ut ſi quando ipſis, ſubditisve ipſorum in eccleſiaſtico judicio experiendum ſit, dicti advocati & procuratores contra ipſos exteris ſuis clientulis, ea quæ cauſſæ ſibi poſtulat neceſſitas, conſulere in judicioque proponere vereantur, ne, ſi diverſum facerent, prælatos ſibi infenſos judicesque ſibi male propitios redderent; talemque advocatorum & procuratorum metum ac formidinem, nemo eſt cui vel cerebrum ſit, cui leva in parte mammillæ cor ſaliat, qui inficias ire vel poſſit, vel audeat, cum id quotidiana experientia adeo eluceat, ut nemini non niſi forte iis, qui nondum ære lavantur, ſit exploratiſſimum. Quotus enim quisque eſt advocatorum, vel procuratorum, qui non amore, ſpe, timore, invidia, favore, muneribus, ſimilibusve adfectibus, animo non aliquando rectoque conſilio dejiciatur, quum nihilominus vacui etiam prædictorum adfectuum vix tandem precibus pretiove inducuntur, ut nihil diligen-

tiæ, laborum nihil, nihil item clientuli jurium prætermittatur. Enumeratis vero gravaminibus nulla præſentior adhiberi poſſet medicina, quàm ſi litigantibus à certo usque limite & advocatos & procuratores vel conſulere vel ad conſiſtorium ſecum adducere liceret.

Quàm levibus ex cauſis pauperibus ſacramenta denegentur.

LXXXII. *Et hoc facinus Chriſti diſciplinam profitentibus penitus abominandum eſt, quod iis, quibus eſt res anguſta domi, ubi parochis & eccleſiis ad diem ſolutioni deſtinatum, per inopiam ſatisfacere nequeunt, corpus & ſanguis Chriſti, ſacroſancta quæ nobis ſacramenta in remiſſionem peccatorum reliquit, denegantur, immo quaſi pignus præcluduntur; non attenta ulterioris dilationis (& quidem modicæ) petitione. Quanquam tales ſimilesque cauſſæ pro conditione ſua coram ſecularibus judicibus, merito finem ſortiri deberent.*

LXXXIII. *Item, qvum agricolæ autumni tempore vindemiare cupiunt, quemadmodum unicuique ad ſui utilitatem facere licet, nihilominus tamen, ſi vindemia illa diſplicet ſpiritualibus (ut vocant) qui eo loci decimas poſſident, miſeris inhibent agricolis, ſub excommunicationis nec non pecuniarum pœna, ne uvas colligant prius quam ipſi id permittant. Unde evenit, ut ſæpe pauperculi illi non parvo afficiantur damno, cum uvas ſuas, quas maximis expenſis & laboribus per integrum coluerunt annum, vindemiare non audeant; etiamſi illi interim vel frigore pereant, vel etiam marceſſere incipiant, tantummodo, ob decimarum lucrum iniqvum, ſæpius etiam ob invidiam deteſtandam. Quæ*

ambo contra jura ſunt divina, fas & omnem pietatem, ac ideo merito aboleri debent.

Vt Eccleſiaſtici Synodis abutantur.

LXXXIV. *Nec minus moleſtum, grave, & Germanorum vulgo intolerabile eſt, quod ſynodales judices pluribus in locis quotannis, id quod non niſi poſt annorum intercapedinem ut fieret juribus permiſſum eſt, obequitant, ac mirum, quid fictitiæ jurisdictionis aut ſuperioritatis exerceant. Hoc interim conſtat ſimplici popello hac via neceſſaria ſubtrahi alimenta. Neque talis peragratio eo fine & ordinatione, qua à ſummis Pontificibus inſtituta eſt, obſervatur. Nam pro pœnis & correctionibus, quibus facinoroſos & criminum ſontes à vitiis deterrere deberent, pecuniam præſentem & numeratam, & quicquid denique eis in lucellum cedere poteſt, exigunt. Id quod in ſuperioribus etiam partim memoratum eſt.*

De Canonicis cathedralium & collegiatarum eccleſiarum, parochis, reliquisque religioſis perſonis; & primum, quod iniquis nexibus epiſcopi & prælati à ſuis adſtringantur Capitulis.

LXXXV. *Illicitum eſt & hoc planeque iniquum, quod Canonici eccleſiarumque cathedralium præeminentiores, quorum in manu potior eccleſiaſticorum judiciorum, ſynodorum, ac cenſurarum pars ſita eſt, reliquique collegiatarum eccleſiarum Canonici, quibus eligendi ſuperiorem poteſtas eſt, nullum in epiſcopum ſeu prælatum eligunt, niſi ſe priùs jurejurando adſtrinxerit, planeque devoverit, literis quoque interdum inſtrumentisque ſigillo probe munitis caverit,*

ipſis

ipſis ipſorumque ordinatis judicibus ab officialibus in nullo utcunque gravi, vel inhoneſto, intolerabilique propoſito, ſe contrarium fore. Ac ſi quando eos delinquere contigerit, impune eis per ipſum ut hoc ſibi liceat.

De non ferendis ultra oneribus, quibus miſera plebs pro ſacramentorum adminiſtratione gravatur.

LXXXVI. *Pleræque item parochiales eccleſiæ, monaſteriis, prælatis, aliisque eccleſiarum curatarum rectoribus, incorporationis (ut vocant) ſeu alio quopiam jure, ſubditæ ſunt: quas etſi ipſi juxta canonum conſtitutiones, per ſeſe providere teneantur, ubi aliis elocant gubernandas, beneficiorum dotem, ac decimas, plerumque ſibi ipſis reſervant, & præterea tam enormibus abſentiarum penſionibus gravant atque onerant ut conductitii iſti parochi, eorumque vicarii, viceplebani, ſacellani, coadjutores, cæterique conductarum eccleſiarum adminiſtratores, competentem ſuſtentationem, decentiaque alimenta inde habere nequeant. Quo fit, (nam unde conductitii iſti paſtores & mercenarii vivant, habeant oportet,) ut illicitis exactionibus locatas ſibi oviculas, miſere deprædent, dilanient, omnemque ſubſtantiam tantum non abſumant. Poſtquam enim altaris baptiſmique ſacramenta adminiſtrada ſunt, Primus, Septimus, Triceſimus, Anniverſariusque dies peragendus, auricularis confeſſio audienda, mortui ſepeliendi & quicquid denique reliquum eſt, quod ad vita functorum ceremonias obſervandas operæ pretium arbitrantur, id gratuito faciunt nequaquam, ſed tantum exigunt, extorquent, exugunt, quantum miſera plebecula, vel cum ſummo ſuo diſpendio præſtare difficulter poteſt talesque exactiones usque ad ſummum indies augent*

atque accumulant, nonnunquam quoque excommunicationis fulmine ad ſolvendum adigunt, pleroſque etiam, quibus per inopiam non licet, ad celebranda vita functis obſequia, anniverſarios & alias ejus farinæ ceremonias compellere conantur.

Vt ob miſſas cantandas & legendas, pecuniam exigant.

LXXXVII. *Neque hoc præteriri poteſt, quum non minimum ſit, quo Germani premantur, quod ſacerdotes unius diei miſſas, ad quas aliàs fundationis ſeu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, non ſemel, ſed quater, quinquies, pluriesve venundant, unàque miſſâ, duobus, tribus, aut pluribus eccleſiaſticis beneficiis ſatisfacere præſumunt.*

Quo pacto Parochi à ſuis parochialibus ſubditis, ubi domicilium mutare voluerint, pecunias emulgeant.

LXXXIIX. *Item, ſicubi curatæ eccleſiæ ſubditus domicilium, matrimonii ſeu alterius cujuſpiam negotii cauſſa, in aliam transferre parochiam animo ſecum volutat, non priùs migrandi licentiam à parocho impetrat, quàm ubi pro teſtimonialibus literis aureum numerarit nummum: quem ſi ſolvere vel nolit, vel egeſtate preſſus non poſſit ſacramentorum interdicto, donec ſatisfecerit, mulctatur. Ex hoc itaque ac cæteris ſupra tactis oneribus & gravaminibus facile deprehenditur, mirumque in modum emicat, quod omnia Romanæ eccleſiæ ſacramenta his qui opibus abundant, auro venalia ſunt; reliquis vero quibus minimum ſuppetit nummorum, & iniquus eſt plutus, ille divitiarum Deus, non impartiuntur, ſed penitus denegantur.*

Quem-

Quemadmodum ſepulturæ jus quibusdam mortuorum cadaveribus magno ſit ære redimendum.

LXXXIX. *Papalibus ſtatutum eſt canonibus, ut his duntaxat publici juris eccleſiaſtica denegetur ſepultura, quos manifeſtis & plane notoriis, mortalibus (ut vocant) peccatis, ex communi hac mortalium ſorte, absque dominici corporis ſanguinisque participatione migraſſe compertum ſit. Verum eccleſiaſtici non animadverſis talibus Pontificum decretis, forte fortuna aqua ſuffocatos, gladio, ruina, vel incendio occiſos, jugulatos, atque vita caſu functos, etiamſi non pateat, peccatis mortalibus obnoxii deceſſerint nec ne, in eccleſiaſticam tumulare ſepulturam non permittunt, quousque tam iniquo fato mortuorum uxores, liberi, amicive ab ipſis cœmiterium non modico ære comparaverint.*

Vt plerique eccleſiaſtici vitam laicam planeque rixoſam agant.

XC. *Nec minùs etiam Germanis moleſtum eſt, quod potior parochorum ſacerdotum, monachorum aliorumque eccleſiaſticorum pars, in diverſoriis, ſtabulis ac choreis, populorum turbis ſe immiſcent, in plateis item habitu minus decenti, ut puta gladiis, veſtibusque ludicris, præterea rixis, jurgiis, litibus, altercationibus laicos ad iram, & conſequenter ad arma provocant, vulnerant, nonnunquam etiam confodiunt. Dein excommunicationis fulmine miſeros illos laicos, vel quos læſerunt, eousque divexant, quousque ad libitum ſuum laici ſe cum his compoſuerint.*

XCI. *Item in locis plerisque Epiſcopi & eorum officiales non ſolum ſacerdotum tolerant concubinatum, dummodo*

modo certa perſolvatur pecunia, ſed & ſacerdotes continentes, & qui absque concubinis degunt, concubinatus cenſum perſolvere cogunt: aſſerentes, Epiſcopum pecuniæ indigum eſſe, qua ſoluta, licere ſacerdotibus, ut vel cælibes permaneant, vel concubinas alant. Quàm res hæc ſit nefanda, nemo non intelligit.

Quo pacto nonnulli eccleſiaſtici publicas exerceant tabernas, & illicita corrodant lucra.

XCII. *Eccleſiaſtici item, potiſſimum in his locis, ubi jurisdictionem habent, in templorum dedicationibus publicas exercent tabernas, ſuisque ſacellanis & ſacerdotibus, taxillos, chartulas luſorias, & quicquid ad ludum pertinet, convivis adminiſtrare, ac omni ſepoſito pudore, illicitum inde percipere lucrum ſtudent, idque ſuperioritatis quodam jure ſibi licere adſerunt. Quanquam Pontificum canones, Imperatorum leges, omnesque omnium provinciarum magiſtratus vetent, ne eccleſiaſtici ita à decoro & honeſto devient, ut his ſe involvant negotiis, circa quæ vix laicos occupatos eſſe decet.*

Quomodo eccleſiaſtici moribundis, ut ſuos & legitimos hæredes defraudent, perſuadeant.

XCIII. *Inter cætera etiam hoc obticendum eſt nequaquam, qvum non minimum ſit onus, quo Germani gravantur, quod regionum pervagatores, quos vulgo Terminarios ac Stationarios vocant, monachi & ſacerdotes, infirmos, animamque jam jam agentes, ac præſertim eos, quibus æs eſſe in ciſta norunt, temporalibusve bonis abundare compertum habent, blandiloquentia, adulatione, verbisque venu-*

ſtulis

ſtulis (ut ad peſſima quæque hoc genus hominum ſemper plus æquo inſtructum eſt atque paratum) adoriuntur, circumveniunt, perſuaſionibusque fictitiis eo tandem adducunt, quoad ſibi potiorem & pecuniarum & bonorum partem in teſtamentis legant. Qua re liberi, agnati ac cognati, reliquique ſui & legitimi hæredes, quibus potius tota hæreditas illæſa relinquenda erat, contra omnem æquitatem, mirum quam jactura adficiantur, interdumque ad miſeriam usque adigantur.

Quibus mediis innumeram pecuniæ ſummam mendicantium ordines Romam importent, virginumque Veſtalium monaſteria moleſtent.

XCIV. *Qvum nemini dubium ſit, his, qui jure experiri volunt pecunia eaque non modica opus eſſe, & plerique mendicantium ordinum regulis addicti, multas cauſſas atque lites in judicialem controverſiam, non ſine magno ordinariorum parochorum atque laicorum detrimento, contra fas nefasque, imò nulla omnino neceſſitate exigente Romam pertrahant, tribus inſuper eorum Generalibus, quos vocant, Cardinalicii galeri dignitatem, innumera (ut fertur) pecunia comparaverint: non parum timendum eſt, ne non præfati mendicantium ordinibus ſubjugati, multa ſacrarum virginum, & præſertim ea, ubi ſe ſolos dominari norunt, monaſteria, in quibus Principum, Comitum, Baronum, nobilium, ac civium liberi frequenter vitam vivunt, pecuniis expilent, ac depeculentur, & eis dehinc quibuscunque aliis modis interitus, perniciei, moleſtiarum, variorumque incommodorum radix atque origo ſint; interimque miſere captivas moniales ſub perpetui pœna carceris adigant, ne cui-*

cuiquam alii, quo ſecum pacto agant manifeſtent. Id quod quibusdam in locis plus nimio, proh dolor, compertum eſt. Quibus verò pharmacis huic morbo mederi poſſit, cogitandum relinquitur. Num præſtaret, quod virginum monaſteriis ac mendicantium ordinibus, in meri ac mixti imperii jurisdictionibus ſitis, quibus hactenus per jurisdictionum magiſtratus ac poteſtates nulli præfecti ſunt curatores, ſeu diſpenſatores, duo ætate moribus ac probitate perſpicua præſtantes viri, unicuique tali monaſterio ſeorſim præficerentur, qui omnibus eorum communibus computationibus, acceptorum videlicet & expenſorum intereſſent, quibusque curæ eſſet, ne in poſterum prædicta virginalia cœnobia à mendicantibus monachis, eorum non neceſſaria præſentia, vel quocunque alio modo gravarentur. Qua una re procul dubio efficeretur, quod dictorum monaſteriorum annui fructus, cenſus, reditus indies augerentur, monialium perſonæ in magnum usque excreſcerent numerum, & ſic multo melius, uberius, utilius, quam ſi ipſarum pecunia vel Romam vel in alium quempiam locum indecentem conferatur, ſuſtentari poſſent.

De Romanorum Pontificum Legatis & Oratoribus, nec non Comitibus (quos vocant) Palatinis.

XCV. *Accidit aliquando, quod Legati & Oratores Romani, cum Papalibus (ut vocant) facultatibus in Germaniam mittantur, qui talium facultatum vigore & prætextu, liberos vulgo conceptos, baſtardos, ſpurios, damnato ex coitu prognatos, aliosque qui contra Chriſti inſtituta, legumque ſanctiones in mundum editi atque expoſiti ſunt, legitimos efficere, & ad quoscunque actus legitimos, idoneos reddere,*

ad

ad ſucceſſiones item cum legitimis & naturalibus liberis habiles facere & admittere, omniumque denique ſtatuum ac dignitatum capacitatem tribuere conantur. Cujus tamen rei in Romani Imperii territorio nullam omnino habent poteſtatem. Nec parum inde litium, jurgiorum, errorum, controverſiarum, offendiculorumque in ſacroſancto Romano Imperio oritur, quod ex non conceſſo coitu concepti cum legitime editis ad parem admitti debent ſucceſſionem. Quam rem ut nimium Germaniæ moleſtam, Imperii Ordines tolli, amoveri, penituſque aboleri ſummopere petunt.

XCVI. *Pari præterea modo à Romana Sede jam dictis Legatis, Vicecomites Palatini ſufficiuntur, ſimili poteſtate legitimandi, ad ſucceſſionem admittendi, & omnia adinſtar legatorum, quorum jam ante mentio facta eſt, efficiendi, nec non notarios creandi. Qui tamen vicecomites adeo ſunt inidonei, adeo inhabiles, adeo literarum ignari, adeo denique rerum inexpertes, ut minimum etiam, quod ad notariatus artem pertineat, ignorent. Unde non immerito ſubſequitur, quod multo ineptiores, quàm ipſi ſint, creent notarios: ut ſemper dignum, quod in proverbio eſt, contingit patellæ cooperculum. Quod ipſum Imperii Status abrogari efflictim rogitant. Præfati item Apoſtolicæ Sedis nuntii & legati à jurejurandis, pactis, obligationibus abſolvere, & ſic abſolutos ad agendum de novo reſtituere moliuntur. Qua una re æquitati fideique humanæ nihil eſt adverſum magis.*

XCVII. *Conantur inſuper beneficia, quæ patronatus juri ſubſunt, conferre, & ſic patronis tàm eccleſiaſticis quàm ſecularibus in juribus ſuis derogare, penituſque eos privare: quod etiam merito aboletur.*

Vtriusque ſexus religioſi in ſuorum monaſteriorum, clauſarum, fundationum, aliorumque conventuum commodum ſuccedunt ſecularibus; qvum ipſi viciſſim ab illis ad hæreditates neque vocentur, neque admittantur.

XCVIII. *Neque hoc Germanicorum gravaminum poſtremum eſt, quamvis ultimum hic ſortiatur locum. Mos non amplius ferendus hactenus inolevit, pauloque altius, quàm par ſit, radices egit, videlicet, quod monachi, moniales, Beghardæ, Beguttæ, Nolhardi, conventus, & quicunque tandem ſunt, qui ſe religioſos & à popularibus ſegregatos profitentur, parentibus, conſanguineis, agnatis, ac cæteris amicis in hæreditariis bonis aliquando in partem, nonnunquam in totum ſuccedunt. At viciſſim eorum cognati ſeu neceſſarii laici à prætactis religioſis ad ipſorum hæreditates adeundas, non ſolum non vocantur, ſed nec admittuntur quidem. Quod Germanis & grave & moleſtum, injuſtum etiam ac non diutius tolerandum onus eſt. Eapropter neceſſario ac ſumma prudentia curandum eſt, ut deinceps nemo ſe memoratorum religioſorum votis vel aſtringat vel addicat, niſi prius eâ de re civiles magiſtratus certiores fecerit, quorum præſentia, autoritate & conſilio religionem ingredi volentibus, à parentibus & amicis juxta cujusq. fortunam ac facultates mediocriter providere debe , ut habeant, unde commode in monaſteriis vivere poſſint. Ea tamen lege, eo pacto & condititione, ut omnibus hæreditatibus omnibusque parentum, fratrum, ſororum, cognatorum, cohæredum ac quorumcunque aliorum ſucceſſionibus renuntient, in animumque nequaquam inducant ſuum, ſe in poſterum hæreditario jure quicquam nedum ſperare, tantum abeſt, ut conſequi ſe*

poſſe

poſſe putare queant. Idemque cum his, qui jam olim religioſorum regulis ſeſe ſubjecerunt, fieri, à ſacri Romani Imperii Statibus & petitur & cenſetur.

Quod & in proxime habitis Wormatiæ comitiis de hactenus memoratis gravaminibus tractatum ſit.

XCIX. *Potior item pars hactenus enumeratorum articulorum, Romanam Sedem, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, Officiales, eccleſiaſtica conſiſtoria, cæteraſque eccleſiaſticas perſonas concernentium Cæſareæ Majeſtati in proximo Principum ac procerum VVormatiæ celebrato conventu, à laicis Imperii columnis & Statibus inſcriptis, non ſine ſupplicibus oblata eſt precibus, quo prædicta gravamina, æquitate neceſſitateque ita poſtulantibus aboleat, atque è medio penitus tollat. Quod ipſum non clam Archiepiſcopis, Epiſcopis, reliquiſque eccleſiaſticorum ſtatibus in prædictis comitiis factum eſt. At hucusque nihil vel immutare, vel emendare cœperunt. Eam ob rem ſeculares Imperii Ordines neceſſario urgentibusque ex cauſis adacti ſunt, Papali Sanctitati ſupra memorata, ac non amplius ferenda onera, prout ſua Sanctitas clementi, Chriſtiano, planeque paterno animi adfectu fieri petiit, indicare, atque ſuppliciter rogare, quo prædicta gravamina ſua Sanctitas emendet atque è medio tollat.*

Plura adhuc gravamina ob oculos verſantur indicatu maxime neceſſaria, quæ tamen brevitatis gratia obmittuntur.

C. *Quamvis ſeculares ſacroſancti Romani Imperii Ordines, longe graviora multoque plura adhuc haberent*

onera, quæ æquitate interpretante, indicanda forent. At ne juſtæ brevitatis modum excedere videantur, jam recenſitis hoc tempore, reſervatis aliis in magis commodum tempus, contenti eſſe volunt. Ea ſpe freti, ea fiducia nixi, ubi hactenus enumerata abolita fuerint gravamina, quod & reliqua unà corruitura ſint.

Peroratio ac finalis petitio.

Super hæc omnia, omnium Sacri Romani Imperii ſupremæ atque inferioris conditionis Statuum, ſupplex eſt adhortatio, humilisque precatio atque petitio, qua Sanctitati Pontificiæ ſupplicant, quatenus Sanctitas ſua omnia prædicta onera ac gravamina Sedis Romanæ, ac ſæpedictorum cæterorum Statuum eccleſiaſticorum & perſonarum eccleſiaſticarum, id quod non ſemel in præcedentibus quoque juſtis precibus poſtulatum eſt, clementer tollere, emendare abrogareque & è medio auferre dignetur, ac Archiepiſcopos & Epiſcopos, ſi quâ in re per eorum Capitula, gravamina hæc quæ minus emendare abrogareque auderent, obligati forent, à promiſſione obligationeque tali, mandatis abſolutoriis, ſeveritatem quandam, ſed eam quidem neceſſariam præ ſe ferentibus abſolvere, liberareque velit, inque omnibus & ſingulis his, ita paterne ac gratioſe ſe gerere & exhibere, ut talia onera atque gravamina in genere, ſeorſimque quantocius ex radice funditus ac penitus tollantur, amoveantur & emendentur. Quod ipſum, & quidem brevi futurum, curatumque iri ſacri Romani Imperii Status laici, vel ob Dei Opt. Max. laudem, præcipuè & honorem: hinc rei quoque ipſius neceſſitatem atque æquitatem, maximè quum (ut prædictum eſt) Sanctitas Pontificia per Oratorem & Legatum ſuum

ſuum ita magnifice, ampliter ac Chriſtiane ſe obtulerit, indubiam certiſſimamque ſpem animo conceperunt. E regione, ſe Sanctitati Pontificiæ tanquam obſequentes morigerosque filios, cæteris quoque Statibus eccleſiaſticis, ut in Chriſto fratres, & commembra capitis unius, nimirum Chriſti, ſe devoventes, obligantesque.

Quod ſi enumerata onera atque gravamina in præſtituto tempore non etiam ocius ex oculis mortalium ſublata atque abolita & abrogata fuerint, id quod Imperii Romani Status laici futurum minime ſuſpicantur augurantur ve, tum Sanctitatem Pontificiam latere nolunt, prædicta urgentiſſima atque intolerabilia penitusque non ferenda onera, diutius eos, neque perferre velle neque tolerare poſſe. Sed rei ipſius iniquitate & neceſſitate huc eos adigi, cogi, atque compelli, pro eorum captu ac induſtria, de aliis commodioribus forte viis & mediis cogitandi, veſtigandi ac conſultandi, quibus tandem modis, qua arte, qua denique ſolertia, onerum atque gravaminum ſupra memoratorum, ab eccleſiaſticis exonerari, liberari, ac tandem in priſtinam immunitatem & libertatem aſſeri, atque vendicari poſſint.

Quemadmodum omnia hæc, priusquam Sanctitatis Pontificiæ Orator & Legatus à Norimberga ſolviſſet, eidem per modum reſponſi hinc legantis Sanctitati referenda, ad longum ſunt expoſita atque enumerata: eſſentque ita in compendium, & quodammodo per catalogum, redacta & recenſita, memorato Nuntio atque Oratori Pontificio ferenda ſecum Romam tradita, ſi non præter omnium expectationem, abitionem ſuam hinc tantopere maturaſſet, ac inopinato ita diſceſſiſſet. Verum ne ob id eo magis Germanorum Principum, Procerum, atque Romani Imperii Statuum conſultatio & concluſio Sanctitatem Pontificiam fugere vel latere poſ-

ſent, tandem placuit, onera ac gravamina, quorum non infrequens tum coram agente adhuc Legato facta fuit mentio, per capita ac ſigillatim ita ſcripta, Sanctitati Pontificiæ transmittere, eandemque quàm humilime ac ſuppliciter, pro abrogandis hiſce oneribus, rogare obſecrareque ne deteriora contingant.

§. XI.

De hac re ita *Pallavicinus* judicat *2.7. ſi.* *Iis omnibus poſtulatis, ſi Pontifex indulſiſſet, ejus auctoritas deſerta jacuiſſet, & dum recuperandis Laicis, & reconciliandis hæreticis ſtuderet obſequentium ſibi Germanorum Antiſtitum jacturam feciſſet.* Speciatim quoad *Annatas*, earum exactionem contineri in Concordatis Germaniæ inter Nicolaum V. & Fridericum III. Imp. & Status, absque conditione illa de Bello Turcico, quam ſtatus jam commemorarint, & reliquas quoque nationes absque ea has perſolvere. Atque verum eſt in Concordatis illis ſeu potius Conſtitutione Nicolai conditio non expreſſa legitur: §. *IV. Placet ſimiliter nobis quod circa proviſionem dictæ Sedis ordinandam, modus annatarum hoc modo currat. De Eccleſiis cathedralibus omnibus & monaſteriis virorum duntaxat vacantibus &c.* Johannes XXII. fatetur, ſe per literas deputaſſe fructus primi anni beneficiorum vacantium pro eccleſiæ Rom. *neceſſitatibus* relevandis, *cap. cum nonnullæ. 11. ſeqq. Extrav. comm.* Cum de hoc conqueſtæ Eccleſiæ, Bonifacius IX. moderatus eſt annatas ad dimidium. Paulus Langius in Chronico Citicenſi: *Annatam Eccleſiaſticis beneficiis primus impoſuit Bonifacius anno M. CCCC. IV. ut beneficium adeptus dimidium annui*

de Annatis Pallavicino reſponſ.

annui proventus apoſtolico ſolveret fiſco. Videtur enim cauſa prima Annatarum fuiſſe *Paſſagium terræ ſanctæ* & bella contra infideles: in hanc conſenſerant Eccleſiæ: atque ita etiam intelligi volebant Concordata cum Nicolao, velut de *Extraordinario* ſubſidio: Cæterum extenſionem & mutationem ſive totius ſive dimidii anni in ordinarium rectè queſti ſunt Ordines Imperii, neque enim ſic ad neceſſitates Eccleſiæ ſublevandas contra Turcam exactæ fuerunt annatæ, ſed diviſæ inter Papam & Cardinales, unde etiam jamdudum Eccleſia Gallicana annatas denegaverat. *Petr. de Marca l. VI. de C. S. R. J. cap. XI. §. II. ſq.*

§. XII.

Quicquid ſit, in Concilio Baſileenſi Annatæ penitus ſublatæ fuerunt Seſſ. XXI. Contrà Concordata illa Nicolai V. Romæ fuerunt condita, & per modum *Conſtitutionis* edita, non, ut fieri debuiſſet per modum pacti & *transactionis* ab utraque parte roboratæ. Eò facilius igitur Archiepiſcopus Moguntinus Dieterus de Iſenberg anno 1461. detrectavit Pio Papæ *Annatas*, ſcribens ad Principes Germaniæ contra illum, ſatagens, *ut exoneretur natio Germanica ab oneribus Curiæ Romanæ contra decreta Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis.* Solutio *Annatarum* propter exceſſivam taxam, articulorum illorum unus erat: Inſtitutaque fuit *appellatio* à Papa ad generale Concilium. Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, & Fridericus Marchio Brandenburgenſis & alii Principes adhæſerunt appellationi. Summa quæ danda fuerat per Dietherum erat *xx millia, ſexingenti & quatuor floreni.* Scriptæ duæ epiſtolæ à duobus Electori-

Concordata Nicolai V.

bus

bus Palatino & Brandenburgenſi ad Papam, acres & pungentes, complectentes hos ſex articulos: *I. de tollenda decima. II. de revocanda reſtitutione Mantuana. III. de auferendis Annatis ſecundum decreta Concilii Baſileenſis. IV. de congregando Concilio. V. de gravamine illato ſingulariter Electo Moguntino & adhærendo appellationi ſuæ. VI. de accipiendo in his remedio, dato quod Papa non vellet hæc facere, ut incepta eſſent.* Pontifex ſcripſit Decano & Capitulo Moguntino, conquerens de Diethero, *qui vellet Sedem Apoſtolicam humiliare, & Imperialem evehere; & quod vera etiam in Papam dicere, eſſet contra juramentum Epiſcoporum.* Itaque excommunicavit Dietherum. Viciſſim à Diethero Friderico Palatino & Philippo Comite in Katzenellenbogen interdictum fuit *omnibus Papiſticis literis & proceſſibus, ſub pœna capitis. Et cui conſtiterit de nuntiis talibus, ut capiantur, & Præfectis Principum præſententur.* Hæc refert concinnator Paralipom. ad Conradi Vrsperg. Chronicon. Duravit igitur hic diſſenſus præcipuarum Eccleſiarum Germaniæ & gravamina præſertim de Annatis usque ad hæc tempora, nec agnita per omnia, Concordata iſta Nicolai.

CAPUT

CAP. III.

De

SPERATA REFORMATIONE VNIVERSALI.

SVMMARIA.

Hadrianus P. M. intendit reformationem Sedis & Eccleſiæ: morte prævenutus. Clementis VII. Legatio ad Germanos. Receſſ. Imp. 1524. Clementis reformatio affectata. Jus circa ſacra Statibꝰ vindicatum. Presbyteri Proteſtantium approbati in Conventu Nationali. Spes reformationis univerſalis.

§. I.

HAdrianus P. M. Germanus natione neceſſitatem reformationis faſſus erat, eamque ſuſceptum iri promiſerat. Equidem ſi conſidero animum *Hadriani*, atque ingenium, natalesque Germanicos, credo, non ceſſaturum fuiſſe eum libertatem Germanis reſtituere, abuſus Curiæ Romanæ tollere, & Eccleſiam quantum pote, reformare. Refert Pallavicinus, Hadrianum jam tum, antequam Romam veniſſet, concepiſſe certam reformandæ Sedis formam, eam unicum imminentis ſchiſmatis remedium futurum exiſtimaſſe, atque triduo poſt ſuum in urbem adventum in Senatu propoſuiſſe, ad eandemque

Hadriani intentio.

2:3,3. & 5.

Patres magnopere cohortatum eſſe; Sed res eò redactas offendiſſe, ut non modo ad illam eas revocare nequiviſſet, ſed & neceſſe habuiſſe, modicæ malorum parti mederi, cum propriæ exiſtimationis jacturâ. Itaque adjeciſſe animum ad *abuſus* amoliendos, unde ſcilicet primæ incendii ſcintillæ, nimirum in promulgatione *Indulgentiarum*. Hoc enim jurijurando Pontificis inſertum fuiſſe à Collegio Cardinalium: *Revocandas eſſe facultates omnes Fratribus Minoribus conceſſas, promulgandi Indulgentias*
2:6,9. *pro Vaticani templi molitione*. Quapropter & Indulgentias perparcè eum conceſſiſſe, & quæſtuoſæ in facultatibus indulgendis liberalitati modum adhibuiſſe.

§. II.

Exitus. Notabile eſt conſilium Franciſci Soderini Cardinalis Hadriano ſuggeſtum, quo conatum reformationis repreſſit. Paulus Sarpius *in Hiſt. Conc. Trid.* rem ita refert: *Suſpenſum autem, & vacillantem confirmavit tandem* Franciſcus Soderinus, Præneſtinus *Cardinalis, dictus* Volaterranus, *ab intimis ei tum Conſiliis, ſed poſt paulo alienato Pontificis animo, ab eo in cuſtodiam datus. Hic in rerum civilium tractatione verſatiſſimus, quem ſcilicet* Alexander, Julius *&* Leo *Pontifices plurimis & maximis negotiis adhibuerant, in omnibus ſuis cum Pontifice ſermonibus verba emittebat, quibus ille inſtitui & erudiri poſſet. In* Hadriano *probitatem, ingenuitatem, animumque reformandæ Eccleſiæ & profligandis hæreſibus intentum vehementer probabat. Sed negabat ſolum voluntatis propenſionem laude dignam: quod ea ſola ad bene agendum non ſufficeret, niſi ad eam accederent, accurata mediorum convenientium electio, & eorundem prudens & cauta exercitio. Sed cum videret illi temporis anguſtiis oppreſſo aliquid neceſſa-*

ceſſario conſtituendum, his verbis eum eſt affatus. Minime eſſe ſperandum; ut per emendationem morum Curiæ Romanæ deleantur & exterminentur Lutherani: eam potius eſſe rationem augendæ ipſorum & exiſtimationis, & contumaciæ. Imperitam enim plebem, quæ ex eventibus ſolet judicare, comperto ſemel ex emendatione cœpta Pontificiam Eccleſiæ gubernationem parte aliqua jure reprehenſam, facile ſibi perſvaſuram, non minus juſtas eſſe cauſſas aliarum proponendarum, quæ ſimilem requirant emendationem; ipſoſque hæreſeon autores, in uno aliquo victoriæ compotes, nunquam congrediendi & coarguendi finem facturos. In cunctis rebus humanis uſu venire, ut, cui in aliqua poſtulatione ſatis eſt factum, is poſtulata poſtulatis accumulans, omnia impetrare diſcupiat, & ſuo ſibi jure deberi credat. Hiſtorias veteres voluentibus liquere, ex quo tempore natæ ſunt hæreſes. Eccleſiæ Romanæ autoritatem vellicantes, omnes, corruptos Curiæ mores conatibus ſuis obtendiſſe. Præterea neminem unquam Pontificum reformandi viam quaſi rebus ſuis utilem ſequutum; ſed adhibitis primum monitis, & præceptionibus continuo Principes ad Eccleſiam protegendam acciviſſe. Quod anteavo ceſſit feliciter, id arcte tenendum, obſervandumque: neque ulla ratione citius everti Rempubl. quam mutata regiminis forma. Novis & inſolitis aditum patefacere, eſſe perinde, ac grandibus ſe objicere periculis: longe tutiſſimum incedere via piorum Pontificum, quorum incœpta felicem habuere exitum. Nullum eorum hæreſes reformationibus excidiſſe, ſed Cruciatis, quas vocant, excitatis contra eas Principibus, & populis, Crucis Symbolo *inſignitis. Meminerit* Innocentium *III. hac via* Albigenſes *in Gallia Narbonenſi oppreſſiſſe, & eadem ſequutos Pontifices,* Valdenſes, Picardos, Pauperes

de Lugduno, Arnaldiſtas, Speroniſtas & Patavinos, *quorum præter nudum nomen nihil remanſit, variis in locis extinxiſſe. Neque defuturos in Germania Principes, qui, hoc conceſſo à Pontifice, ut liceat ipſis fautorum* Lutheri *territoria invadere, conditionem ultro ſint accepturi, maxime ſi populi vicini Indulgentiis & peccatorum expiationibus oblatis, ad ſuccurrendum invitentur. Ad hoc poſuit Cardinalis, Pontifici non ſic cogitandum de tumultibus Germaniæ religionis cauſa, quaſi nullum aliud immineret Sedi Apoſtolicæ periculum. Impendere bellum Italicum, cui, tanquam majoris diſcriminis negotio, potiſſimum ſit incumbendum, eo quod, niſi pecunia, quæ eſt belli nervus, bene munitus accederet, inſigni infortunio poſſet mactari. Neque vero reformationem ullam poſſe inſtitui, quæ obventiones Eccleſiaſticas non inſigniter diminutura erat. Quarum cum III. ſint fontes, unus temporalis, ſtatus Eccleſiaſtici reditus ordinarii: alii ſpirituales* Indulgentiæ, Diſpenſationes, & Beneficiorum collationes, *nullum horum poſſe obturari & occludi, quin derepente cenſu Eccleſiaſtico quarta pars decedat.*

Hoc ſermone communicato cum Guilielmo Encourt, *quem poſtea creavit Cardinalem, &* Theodorico Hezio, *quorum utroque familiariſſime utebatur,* Hadrianus *profeſſus eſt miſeram eſſe Pontificum conditionem; quibus videbat deeſſe recte faciendi facultatem, etiam cum maxime velint, & in id operam ac diligentiam impendant.*
2:6,8. Neque inficiatur *Pallavicinus* veritati conſentanea hæc eſſe, in Hadriano agnoſcens *pietatem*, deſiderans *pruden-*
2:8,1. *tiam* Pontificatui ſuſtinendo parem. Sanè fatum obſtitit Zelo reformandi, quem præ ſe tulit Hadrianus, annum à facta legatione ad Germanos non ſupergreſſus;

veneno

veneno à nonnullis ſublatus creditus, exceſſit XXIV. Sept. 1523. durantibus adhuc Comitiis Germanicis.

§. III.

Succeſſor Julius Mediceus ſive *Clemens VII.* A. 1524. Laurentium *Campegium* Cardinalem Legatum miſit ad Comitia Norica, in quibus quo magis Germani inſtabant, ut Centum gravaminibus ſatisfieret, rati jam tempus adeſſe, quô liceret eò Pontificem adigere, ſi mallet Germaniam non amittere, eosque à perdita libertate coercere, ad quam Lutherus alliciebat, *ſunt verba Pallavicini*, eo acrius Legatus Pontificis de *iniquitate gravaminum* conqueſtus, quod vellent rerum ſtatum permutare, tot ſeculis pacifice in Germania permanentem, atque in cœteris omnibus Catholicorum regionibus conſervatum; aboleri emolumenta præcipua, quibus Pontifices & Antiſtites potirentur, quà ex antiquiſſimis legibus, quà ex liberalitate ſuorum majorum. Quare eam impetrationem ſperari non poſſe, alias coactum iri Pontificem, ut idem reliquis Catholicorum Regnis indulgeret, majorem fore jacturam, ſi ſponte conſentiret ſe tanta bonorum parte in iis regionibus privari, quam ſi in iisdem per vim emolumentis omnibus privaretur. At verò *Imp.* atque ordines *decretum* fecerunt: Mandato Proſcriptionis parendum, IN QVANTVM POSSIBILE: Concilium Generale liberum per Pontificem conſenſu & indultu Imp. quam primum in Germania convocandum: interea conventum Nationalem Spiræ habendum, atque de modo procedendi in concilio Generali conſultandum; eum in finem deſignationem dogmatum & librorum novorum exhibendam: Evangelium ſecundum verum ſenſum, & interpretationem Doctorum Eccleſiæ ab Eccleſia Univer-

Clem. VII. legatio ad German.

2:10,11. ſq.

Rec. Imp. 1524.

verſali approbatorum docendum absque tumultu & ſcandalo. De gravaminibus in Comitiis proxime habendis deliberandum, & quæ neceſſitas poſtulaverit, concludendum. *Receſſ. Imp. de A. 1524. §. 28. ſeqq.* Idem repetitum in Comitiis anni ſequentis §. 1. & 5. *Hortled. d. C. B. G. 1. 2. 3. 4.* Clauſulam illam: *Inquantum posſibile*, L. Maymburg *in Hiſt. Luth.* ita exponit: *Ce qui eſtoit juſtement leur laiſſer la liberté de n'en rien faire, comme il arriue. i. e. Quod perinde eſt ac ſi conceſſerint libertatem nihil agendi, vel exequendi: ſicut & contigit.*

§. IV.

Clem. VII. reformatio. At Pontifex ægerrimè tulit hoc libertatis Germanicæ ſpecimen, intelligens novum de Religione Tribunal citra ipſius auctoritatem erigi. Quamobrem *Reges Angliæ & Luſitaniæ executores* voluit fieri, qui compellerent Germanos ad Edicto Wormatienſi obtemperandum, cum clauſula *denegandi commercia* ſuis in regnis. Conventum Spirenſem omnibus modis impediendum eſſe ſtatuit. Legatus verò ejus Ferdinandum Imperatoris fratrem & aliquot Epiſcopos ac Principes *Ratisbonæ* mox congregavit, hunc in finem, ut hi in ſuis ditionibus Edictum Wormatienſe exſequerentur: promulgans quoque *Conſtitutionem* Pontificis, complectentem *cleri Germanici reformationem*, eam Goldaſtus exhibet *Tom. III. Conſt. Imp. anno 1524.* Volebat Pontifex utcunque ſatisfacere per hanc reformationem *centum gravaminibus* ex potiori parte, qvum ad Principum Potentiorumque utilitatem ſolum referret. Exitus vero comprobavit, hanc reformationis ſpeciem effectu caruiſſe, & gravaminibus Germanorum nulla ex parte fuiſſe hactenus ſatisfactum.

§. V.

§. V.

Erexit autem jam ſe ipſa *libertas Germanica* tum *interna conſcientiarum*, ſuppreſſa ſuperſtitione à rudibus indulgentiarum prædicatoribus populo propoſita, tum *externa* τῆς κυρίας & ſummæ Reip. poteſtatis portio circa ſacra. Namque in iisdem Noricis Comitiis, præſente Nuncio Pontificio, velut in conventu nationali, & doctrina illa purior, *abuſus* indulgentiarum, atque ſimiles reprehendens, publica auctoritate admiſſa eſt, & *jus Concilii* convocandi à conſenſu & permiſſione Imperatoris dependens, atque jus conſultandi de modo procedendi in Concilio Statibus etiam Politicis adſertum, & *Executio* mandati Imperatoris & Pontificis eo usque *ſuſpenſa*, & denique *cura religionis* orthodoxæ etiam Principibus & *Statibus Imperii Politicis* vindicata jure ditionis atque territorii. Ita enim in Receſſu horum Comitiorum concludit Natio Germanica: Und damit das Gute neben dem Böſen nicht untergedruckt/ und endlich erörtert werden mög/ weß ſich hinfürter in dem ein jeder verhalten ſoll/ ſo haben unſer Städthalter und Orator/ auch Churfürſten/Fürſten/Prälaten/Graffen und Stände des Reichs/ſo hie zugegen/als vor hoch notdürfftig/ eines gemeinen freyen Universals Concilii der Chriſtenheit ſo durch Päpſtliche Heiligkeit mit unſer Bewilligung/ auffs allerförderlichſt/ ſo ſolches immer möglich/ geſchehen kan/ an gelegene Malſtatt in Teutſcher Nation/wie ſich gebührt, verkündigt und ausgeſchrieben werden/ angeſehen/ darauff mit Päbſtlicher Heiligkeit Legation hie gehandelt/die ſolches an Päbſtliche Heiligkeit zu bringen/ und zum treulichſten zu fördern angenommen/ und ſoll nit deſto weniger Mitlerzeit

Libertas defenſa & jus ſacrū ſtatibus vindicatum.

Receſſ. Imp. 1524. §. 28. ſq.

zeit auf S. Martins Tag / ſchierſt gen Speyer ein gemeine Verſamlung Teutſcher Nation geſchehen / und darinn / wie obgemelt / bedacht / erwogen und berathſchlagt werden / wie es bey Anſtellung eines gemeinen Concilii gehalten werden ſoll / darauf ein jeglicher Churfürſt / Fürſt / Prälat / Graff und andere Stände des Reichs in eigner Perſon erſcheinen möchten. Wo aber das nicht beſchehe / alsdenn ſoll derſelbig einer oder mehr / ſeiner dapfferen und treffentlichen Räth / mit völligem Gewalt dahin ſchicken / endlich deßhalben zu handeln und zuſchlieſſen.

Und iſt darauf Churfürſten / Fürſten und Ständen / und ſonderlich denen / ſo hohe Schulen in ihren Fürſtenthumen und Städten haben / geſchrieben und befohlen / durch ihre gelehrte / erbare / erfahrne und verſtändige Räth / einen Auszug aller neuer Lehrer und Bücher / was darinn diſputirlich befunden / zu machen / und denſelben uns / oder in unſerm Abweſen unſerm Stadthalter / auch Churfürſten / Fürſten und Ständen auf obgemelte Verſamlungen fürzubringen / deſto fruchtbarlicher und förderlicher auf künfftigem Concilio im Handel haben fortzuſchreiten. Es ſollen auch unſer Stadthalter und Regiment / darzu Churfürſten / Fürſten / Prälaten / Graffen und Stände des Reichs / daneben mit ſonderem hohem Fleiß und Aufmercken verſehen daß mitler Zeit das heilig Evangelium und Gottes Wort / nach rechtem wahrem Verſtand / und Auslegung der von gemeinen Kirchen angenommenen Lehrern ohn Aufruhr und Aergerniß geprediget und gelehrt werde. Es ſollen auch die Beſchwerung Teutſcher Nation / von den Weltlichen

Für-

Fürſten und Ständen wieder den Stul zu Rom / auf nechſt hie gehaltenem Reichstag angezeigt / und dann der Weltlichen Beſchwerung wider die Geiſtlichen / den Räthen und Perſonen / ſo von Churfürſten / Fürſten / und Ständen / wie obgemeldt / verordnet / auch zu berathſchlagen / zu ermeſſen / und mit ſambt ihrem Gutbedüncken / wie dieſelbe auff leidliche Bahn gericht und gebracht möchten werden / auff künfftiger gemeiner des Reichs Verſamblung / uns oder unſerm Stadthalter / Churfürſten / Fürſten / und Ständen / fürbracht / und in ſolchem fürter die Nothdurfft bedacht und beſchloſſen werden. Conf. Receſſ. Imp. *Auguſt.* 1525. §. 1. & 5. *Spirenſem A.* 1526. §. 4. Hortled. *de C. B. G. l.* 1. *c.* 2. §. 7. 9.

§. VI.

Ex iisdem Receſſibus evincitur, *Presbyteros*, quos Eccleſiæ abuſus repurgantes conſtituerant, ac deinceps conſtituturæ erant, communi Imperatoris & ſtatuum, atque etiam *Epiſcoporum Germaniæ* conſenſu fuiſſe approbatos. Ita enim dicti Receſſ. Norici verba §. 29. Es ſollen auch unſere Stadthalter / und Regiment / darzu Churfürſten / Fürſten / Prälaten / Grafen / und Stände des Reichs darneben mit ſondern hohen Fleiß und Aufmercken verſehen / daß mitler Zeit das heilige Evangelium und Gottes Wort nach rechten waren Verſtand / und Außlegung der von gemeinen Kirchen angenommenen Lehrern ohne Aufruhr und Aergerniß geprediget / und gelehret werde. Et clarius Receſſ. Auguſt. 1525. §. I. Und nachdem etwan viel Prediger das heilige Evangelium / und Wort Gottes in mancherley Meynung zu ziehen / und zu theilen unterſtehen / ſo ſoll

Presbyteri reformati approbati in Comitiis.

eine iede Obrigkeit / ſie ſey geiſtliches oder weltliches Standes / ein fleißiges Aufmercken und fleißiges Einſehen haben / daß in ihren Fürſtenthumen / Landen und Gebieten / mitler zeit das heilige Evangelium und Gottes Wort nach rechtem waren Verſtande und Außlegung deren von gemeiner Chriſtlichen Kirchen angenommenen Lehrern ohne Aufruhr und Aergerniß zu Erhaltung Gottes Lob / Frieden und Einigkeit geprediget werde / wie dann auf jüngſt gehaltenem Reichstage zu Nürnberg auch beſchloſſen und im Abſchiede begriffen iſt / ſolches auch den Predigern anzeigen laſſen ihn ſelben gewarnet zu ſeyn. De Paſtoribus & Presbyteris Reformatarum Eccleſiarum loquitur Receſſus, eosque pro talibus agnoſcit, limites tantum & normam prædicandi præſcribit, & tamen illi non erant niſi à ſuis Eccleſiis ordinati. Quod deinde in Comitiis A. C. 1530. eatenus reſtringi voluit, atque ſanciri, ut paſtores Eccleſiarum etiam reformatarum ab Epiſcopis Pontificiis examinarentur §. 55. Wir haben uns darauf mit Churfürſten / Fürſten und Ständen verglichen / und vereiniget: Setzen / ordnen / und wollen / daß nun hinfürter kein Prediger an einigen Ort zu predigen zugelaſſen oder aufgeſtellet werden ſoll / er ſey dann zuvor durch den Ertzbiſchoff / oder Biſchoff darunter er geſeſſen / examinirt / und ſeines Lebens Lehr / und Geſchickligkeit erfahren und geſchickt befunden / auch zu dem Predigambt genugſam erkannt. Sola igitur *examinatio*, non *ordinatio* Epiſcopis tum iterum fuit aſſerta, quod & ipſum hodieque alicubi fieri ſolet, & tum fieri potuit, potuiſſetque porrò, ſi Epiſcopi puritatem doctrinæ poſtliminio admiſiſſent. quo ipſo factum, ut communi Imper. atque

omnium

omnium ordinum proprioque conſenſu *Juriſdictio* ipſorum fuerit *ſuſpenſa*, & exercitium ejus tam quoad Examinationem, quam Ordinationem Eccleſiis noſtris, earumque Presbyteriis publico ac ſolenni totius Eccleſiæ Nationalis atque Imperii conſenſu conceſſum. Ex quibus apparet, omnino oſtendere poſſe primos Eccleſiarum noſtrarum Paſtores repurgatam doctrinam prædicantes *legitimam ſucceſſionem, ordinationem & conſecrationem, ab habentibus poteſtatem;* contra quam putavit *Gibbon de Burgo Diſp. III. Qu. 2. § I. XVII.* Cæterum *Conſenſum Pontificis Rom.* Imp. & Status Imp. Eccleſiæque Provinciales Germaniæ expectare non fuiſſe ſeſe obligatos exiſtimarunt, ſcientes Imperium Papale in Eccleſiis Germaniæ non jure divino venire, ſed per *Concordata* atque pacta quæ Curia Romana cum Eccleſiis Nationis Germanicæ & Imperatoribus poſt Hildebrandum ab Henrico V. Jmp. usque inivit; quæ ipſa tamen Sedes Rom. infinities fregerat, atque eo ipſo Imperium atque Eccleſias Germaniæ ab obligatione pactorum liberaverat. Videas *Gravamina Statuum* contra Sedem Rom. in Comitiis Noricis A. 1522. & ſequente exhibita. & *conf. ſupra Lib. 1. Cap. 2. §. XV. ſeqq.*

§. VII.

Hoc rerum ſtatu, ſpes affulgebat magna, fore, ut Eccleſia Germanica *unanimi concordia* Capitis & ſtatuum, reformaretur ac nitori priſtino reſtitueretur. Perrexerunt quoque præter Saxonicas, aliæ Eccleſiæ Germanicæ, ut exteras magno numero prætercam, abuſus deteſtari & veritatem agnitam profiteri publicè. *Vid. Paralipom. Chronico Urſpergenſis adjecta in fine.* Viri etiam eruditi *Spes reform. univerſ.*

pro viribus ſinguli σύμβολα conferebant ad reformandam Eccleſiam pariter & tuendam concordiam. Imprimis & Haſſiæ & Saxoniæ principes, jure ſuo utentes, tum univerſali Superioritatis territorialis, tum ſpeciali ex promulgato Receſſu Imperiali, *jus viſitandi* Eccleſias exercuerunt. Accedebant graviſſimæ offenſiones inter Imp. & Pontificem ob fœdus *quod Sanctam Ligam* vocabant, cum Gallo contra Imp. inito *A. 1526.* aliasque cauſas, quas refert *Pallavic. 2, 12, 13.* & operæ eſt legere reſcriptum Imp. ad Clementem hunc ſub *17. Sept. 1526.* quo inter alia Papæ imputat, quod rem Chriſtianam promovere non poſſit, atque ad Generale Concilium provocat. *Goldaſt. I. Conſt. Imp.* Quod ipſum ut cunctante Pontifice Senatus Cardinalium indiceret ad eundem reſcripſit Senatum, 6. oct. 1526. *exhibet idem Goldaſtus ibidem Pallavic. 2. 13. 3.*

Caput IV.

De

Impedita Reformatione Univerſali.

Summaria.

Reformatio univerſalis impedita per diſcordiam Ordinum. Cauſa diſcordiæ: quæ ſedata videbatur per Rec. Imp. 1526. Jure Concilii Imperatori vindicato. Sed reſuſcitata in Comitiis Spirenſibus 1529. Prote-

ſtatio

ſtatio contra Receſſum Spirenſem: unde Proteſtantium denominatio. Acceſſit diſſidium domeſticum inter Proteſtantes Theologos. Quod ſopiri tentatum in Colloquio Marpurgenſi. Comitia & Confeſſio Auguſtana. 1530. hæc diſputationi expoſita. Conſilia atrocia, temperata. Colloquium Auguſtanum, ſine effectu. De jurisdictione Epiſcoporum diſputatum. Receſſus Imp. 1530. agnoſcit pro norma dijudicandi cauſam religionis tantum S. Scripturam. Diffidentia Statuum aucta. Fœdus Smalcaldicum. Electio Ferdinandi in Regem Rom. Concilium à Pontifice detrectatum, itemque reformatio Curiæ Rom. Tandem ſub duris conditionibus in concilium conſentit Papa. Amicitia Proteſtantium cum exteris.

§. I.

QVamvis verò magna ſpes unanimis & univerſalis reformationis Eccleſiarum Germaniæ affulgebat: At contigit tamen fato dicam an imprudentia? ut prior illa in Comitiis Noricis, & alias hactenus ſpectata Ordinum concordia ſcinderetur, & à multis executio Edicti Wormatienſis magis quam ſatisfactio ad centum gravamina urgeretur. Cujus rei cauſas alii ad artes atque perſuaſiones Curiæ Rom. referunt, imprimis enim ſollicitius impediebatur Conventus Spirenſis, præparatorius Concilii Generalis in ſuperioribus Comitiis decretus; alii ad motus ſeditioſos Ruſticorum & Carlſtadianos; alii ad inteſtinum Lutheri cum Zvvinglio bellum; alii denique ad nimium reformantium impetum, præſertim in jus Epiſcopale, & bona Eccleſiaſtica. *V. Hortled. de C. B. G. t. 2. n* quodque à pleriſque Lutheri intentiones atque facta à

Reform. impedita per diſcord. ordin. ejus

cauſa.

Carlſtadii Zvvinglii & aliorum κενοδοξίας ergo reformantium erroribus non ſatis diſcernerentur, invidia omni in Lutherum rejecta. Inde igitur ſcandalum acceperunt tum Principes tum viri docti, qui initio reformationis hujus negotio multum favere viſi. Quam in rem conqueſtus eſt Georgius Dux Sax. in præfatione, quam novo Teſtamento ab Emſero in linguam Germanicam translato præfigi fecit. *Tom. IV. Luth. Jen. Germ. f. 542.* Hi ac ſimiles ſcopuli ſi evitari cautius potuiſſent, futurum videbatur poſſe in Eccleſiis Germaniæ plerisque omnibus ſine ſchismate abuſus tolli & doctrina vetus purior reduci.

§. II.

Inſtabant hoc rerum eventu Comitia Spiræ indicta, in quibus & de gravaminibus contra Pontificiam Aulam, & de Concilio inſtituendo erat agendum. Sed ex facta animorum mutatione urgebatur à plurimis executio Edicti Wormatienſis. Nihilominus vicit pars melior, & prudentia ac moderatio Ferdinandi Auſtriaci in Comitiis A. C. 1526. Spiræ habitis, atq; per Receſſ. Imp. 27. Auguſti executio denuo ſuſpenſa, atque arbitrio cujusque ſtatus in ſuo territorio Reformatio relicta: factæque reformationis negotium, & plenior cauſæ Lutheranæ cognitio ad concilium generale aut ſaltem Nationale remiſſa. De cujus concilii & neceſſitate & tempore ac loco ſtatus decretum fecerunt, & poteſtatem celebrandi Imperatori tribuerunt, nulla pontificiæ auctoritatis facta mentione; Videatur *Receſſ. Imp. de A. C. 1526. §. 1. & 4.* Conf. *Receſſ. Imp. de A. 1532. §. Concil.* betref. Salutare utique Concilium, atque Juri divino & humano, veterique Eccleſiarum Germanicarum libertati per omnia conforme decretum, ſed curiæ Rom. per omnia odioſum, atque exinde

diſcordia ſedata per Receſſ. Spir. A. 1526.

Jus Concil.

de pro viribus impeditum. Interea conſultationes liberæ non modo de reformandis Eccleſiis & ſacris celebrandis habitæ à Principibus & Statibus Germaniæ, ſed etiam executioni datæ. Quomodo inter Marchiones Brandenburgicos & ordines Provinciales Onolsbaci conventum deſuper fuerit, extat ap. Hortl. *l. 1. de C. B. G. c. 3.* Anno ſequente 1529. M. Majo capta Româ à Cæſareano milite, *Pontifex* Clem. VII. in arce Hadriani per ſex menſes captivus tenebatur, in *Hiſpaniam* deportandus, ut eſt apud *P. Suav. H. C. Trid. lib. 1.* in qua ipſa nominis Pontificii auctoritas tum abolita fuerat, exemplo ab Hiſpanis poſteritati relicto, poſſe Eccleſiaſticam diſciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conſervari, inquit Thuanus *lib. 1.* id quod etiam ſuperiorum temporum hiſtoria confirmavit. *V. Cap. V. §. XI. Lib. VI.*

§. III.

Verum enim verò qvum cauſæ antea expoſitæ quibus ſciſſi in partes fuerant ſtatus in Comitiis modo dictis, non abolerentur, ſed imo creſcerent in dies, inprimis verò *Zwinglii*, & Oecolampadii heterodoxia de SS. Euchariſtia latius ſerperet, atque *Anabaptiſtarum* hæreſis infinitam nova dogmata cudendi licentiam minari videretur, hinc non potuit non idem iterum effectus conſequi; Diſſidium videlicet inter ſtatus circa *modum reformandi* Eccleſias Germaniæ, ſufflante etiam diſſimultates tumultu Pakiano, de quo Hortled. *l. 2. d. C. B. G.* Itaque qvum A. C. 1529. iterum Spiræ conveniſſent, *major pars* ſtatuum cenſuit, Libertatem reformandi, de qua ſuperiori in receſſu conventum erat, eſſe reſtringendam & declarandum, ut citra ulteriorem reformationem, res in ſtatu, quo nunc eſſent, *reſuſcitatur. Receſſ. Spir. 1529.*

eſſent, usque ad inſtans Concilium Generale vel Nationale permaneret: Dogma Zvvinglianum de SS. Euchariſtia non toleretur: Miſſæ uſus non abrogaretur: hæreſis Anabaptiſtica extirparetur. Concilium Generale à Pontifice & Imp. ſimul ad minimum intra anni ſpatium indiceretur; eoque elapſo, nec Concilio Univerſali haberi cœpto, ab Imperatore conventus Nationis Germanicæ ageretur, & cauſa religionis reformandæ componeretur. *Vid. Rec. Imp. de A. 1529.* Phil. Melancht. qui his Comitiis interfuit, hac de re ad Camerarium ſcribens; *ſcis*, inquit, *multa me ſolitum in noſtris deſiderare, ſed hoc loco non id agitur, ut noſtra vitia corrigantur, illud agitur ut optima cauſa opprimatur. p. 119.*

§. IV.

Proteſt. contr. Rec. Imp. 1529. Itaque huic Receſſui nomina ſua non ſubſcripſerunt Elector atque Duces Saxoniæ, Princeps Haſſiæ, & Anhaltinus, inter quos Saxoniæ Elector, itemque Haſſus etiam publicam ediderunt PROTESTATIONEM adverſus hanc prioris RECESSUS immutationem inhærentes priori, provocantesque adhuc ad Concilium Generale aut Nationale: ex quo nomen ſtatuum PROTESTANTIUM uſurpari cœptum fuit, ſimulque acrius defendi Libertas Sacra, non ſine periculo etiam civilis. Melanchthon ad Camerarium hac de re ſcribit: *Heri decreta eſt illa decreti formula, de qua tibi dixi, in qua videmur obligare noſtros adverſarios, ut retineant Pontificis leges. Itaque noſtri oppoſuerunt proteſtationem, in qua declarant, ſe non conſentire de ea formula &c.* Item *p. 125. Initio conventus ſcis horribile edictum propoſitum eſſe à Pontificiâ factione, ut pareamus edicto Wormatienſi. Si quis nolit parere,*

parere, ut proſcriptus habeatur ſine ulteriore, ut loqvuntur illi, declaratione. Sed hæc tam atrox ſententia poſtea mitigata fuit, & poſt longum certamen, capita quædam comprehenſa, quæ jam ſunt edicta. Ne hæc quidem nobis placebant, quia in his hoc erat poſitum, ut qui hactenus ſervaſſent veteres traditiones, cogerentur & in poſterum ſervare: Nobis αὐτονομία concedebatur. At nos non voluimus obligare alios &c. Status igitur proteſtantes Legatos hac de re ad Carolum Imp. Placentiam miſerunt, & perſiſtenti ipſi in prædicto Receſſu inſinuari fecerunt *inſtrumentum Appellationis:* Sed Imperator irritatus, per unam atque alteram ſeptimanam *areſto legatos* detinuit: quamobrem querelæ ſtatuum auctæ, quas refert Hortled *de C.B. G. 1. 6. & 7.*

§. V.

In iisdem Comitiis de interno Proteſtantium diſſidio inter Lutherum & *Zwinglium* utrinque concertatum, aliis illud elevantibus, aliis acriter incuſantibus. Vterque *Philippus*, & Princeps Haſſiæ, & Theologus ac Philoſophus Witebergicus, inter priores illos erant. Sed hic mox *pœnitebat*, peractis Comitiis. Scribit enim ad Camerarium: *Noluimus ſtatim à nobis divelli quosdam non nimis pertinaces.* κἀγὼ δ᾽ πάνυ ἐπίδοξον περὶ ἐκείνου πράγματος ψῆφον ἐνεγκεῖν. *Non igitur condemnavimus ullos, ſed diſputavimus, controverſa eſſe rejicienda ad Synodum, aut eos, qui accuſarentur, vocandos eſſe, ne indicta cauſa queri poſſent, ſe damnatos eſſe. Si qua vis adverſus eos pararetur, verendum ne ἐξωτικοί τινες in Germaniam adducerentur, id quoque providendum eſſe, ne accideret. Et hæc diſputabamus tantum nequaquam defenſuri hos aut illos, neque verbum ullum facturi amplius, ſi capita ad nos perti-* p. 125.

Disſid. intern. Proteſt.

nentia eſſent mitigata. Et mox: Poſtea reſcivi, cupere quosdam (Zwinglianos) cum noſtris & urbe veſtra (Norinberga) fœdus facere. Ibi cœpi horribiliter angi, nollem enim à nobis defendi aliena. ἄλις γάρ τῶν οἰκείων φροντίδων. *Etſi an ad hujus defenſionem fœdus expetatur, nondum planè ſcio. Dolebam item, quod non ſtatim auctor, vel certè ſuaſor ſeparationis fuiſſem. Cogitatam occaſionem datam eſſe, per quam latius ſerpat* βεβηλότης. *Veniebat in mentem, hanc rem Imperii & religionis mutationem afferre poſſe. Infinita ſunt, quæ me adhuc excruciant. Iam parva momenta quantam vim habent! Cum ego nihil contra conſcientiam fecerim, tantum timidus in damnando fui eos, quos nondum rite audieramus. Et quidem eſto Synodi illa cognitio, quod me maxime ut in dolore conſolatur, & tamen per multa* ἡμαρτῆσθαι δοκῶ, *niſi Deus errata noſtra corrigat.*

§. VI.

tentatur ſopiri in Colloq. Marp. At *Philippus Haſſiæ Princeps* laboravit de conciliatione Lutheri atque Zvvinglii, inſtituto *Marpurgi Colloquio* inter ipſos atque ſocios anno hoc vigeſimo nono vergente. Etſi verò de quatuordecim fidei articulis fuit conventum inter eos, de *præſentia* tamen *corporis & ſanguinis Chriſti* in benedicto pane atque vino conveniri non potuit. Extant geſta *Tom. IV. Luth. Jen. Germ. f. 467.* ubi tranſactioni hæc clauſula adjecta: Und wiewol aber wir uns / ob der wahre Leib und Blut Chriſti leiblich im Brod und Wein ſey? dieſe Zeit nicht verglichen haben / ſo ſoll doch ein Theil gegen den andern Chriſtliche Liebe / ſo fern iedes Gewiſſen im̃er leiden kan / erzeigen /
1530. und beyde Theil Gott den Allmächtigen fleißig bitten / daß er uns durch ſeinen Geiſt in dem rechten Verſtande beſtätti-

beſtättigen wolle. Philippus ad eundem Camerarium: *De Congreſſu Marpurgenſi non habeo quod ſcribam, de aliis capitibus doctrinæ Chriſtianæ omnibus convenit, tantum controverſia de cœna explicari nonpotuit. Leges capita quæ ibi compoſita ſunt. Tantum triduanum colloquium fuit. Et adverſarii leniores viſi ſunt, quam fore arbitrabar, reliqui omnes præter Lutherum κωφὰ πρόσωπα.* Pallavicinus contendit, Zvvinglium etiam in articulo de *peccato originali*, à Luthero diſſenſiſſe, in *loquendo* tantum conſonaſſe. *l.3.c.1.* reprehendens cæteroquin Lutherum, quod ſcripſerit poſtea, *A. 1523.3. Julii Tom. IV.* ad amicum: *Noluiſſe ſe in articulo Euchariſtiæ in Zwinglii ſententiam ire, ne graviorem populorum invidiam in ſuos aſſeclas excitaret:* In eo ſcilicet palam feciſſe, *à ſe fidei myſteria tradi non ex divina veritate, ſed ex humana calliditate.* Verum iniquior paulò eſt in Lutherum Cardinalis, dum ea, quæ Lutherus *ex hypotheſi* ſcribit, *abſolute* accipit. Alibi enim, quod & ipſe adverſarius non diffitetur, ſatis edocuit Lutherus, Zvvinglii ſententiam S. Literis atque Eccleſiæ Doctrinæ repugnaſſe: Poſito autem, quod eſſet res indifferens, neque S Scripturæ & Eccleſiæ conſuetudini contrarietur, tamen noluiſſe ſe eam recipere, ne graviorem invidiam excitaret, Lutherus ſentit.

§. VII.

Elapſus annus erat à Comitiis Spirenſibus, nec dum *Comit.*
apparebant initia Concilii Generalis, quare, prout in illis *Auguſt.*
conventum fuerat, Imperatoris erat, conventum nationis *1530.*
Germanicæ agere, ut cauſa religionis reformandæ tandem componeretur. Indicta *Auguſtæ Comitia.* Magna ſpes tum erant Proteſtantium in *Mercurino*, Cancellario

Imperatoris. *Audio,* ſcribit Melanchthon ex his Comitiis ad Camerarium, *diverſas eſſe ſententias Conſilii Cæſareani, alii cenſent Cæſarem debere Edicto propoſito, ſine ulla cognitione, damnare cauſam noſtram: alii contra, cognoſcendam eſſe, & corrigenda vitia Eccleſiarum. In hac ſententia dicitur eſſe Mercurius; Ἀρχιγραμματεὺς vir ſummus & moderatiſſimus, quem ajunt dicere ſe hac ſpe ſecutum eſſe in adverſa valetudine Cæſarem, quod arbitraretur fore, ut hæc mala rite ſanarentur. Violenta conſilia ſe nolle attingere, quia res oſtenderit Wormatiæ, nihil profeciſſe illam damnationem iniquam.* At contra mox ſubjicit de Epiſcopis: *Intelligo hoc τὰς ἀρχιερέας moliri, ut omnino nihil agatur de negotiis Eccleſiaſticis.* Atque perinopportunè accidit mors Mercurini, de qua idem: *Cornelius Schepperus affirmat bonam ſe ſpem pacis vivo Mercurino habuiſſe: hoc extincto, neminem eſſe in aula pacis autorem, qui modo valeat autoritate.* Etſi autem ſatius fuiſſe videri poſſit, inhæſiſſe ſtatus poſtulatæ ſatisfactioni centum gravaminum & abuſuum in ſacris abolitioni: quia tamen Theologia Scholaſtica non minus quam aliæ à Scholaſticis occupatæ hactenus diſciplinæ repurgationem merebatur, inſtituerat jam anno præcedente Melanchthon *Enchiridion dogmatum Chriſtianorum,* ut, quid de omnibus Fidei
p.129. articulis ſenſerimus, poſteritas judicare poſſet, ut ſcribit ad Camerarium. A. 1529. *Nam ſæpe,* ſubjicit, *mihi ſtomachum movet veterum Pontificum negligentia ſive inſcitia, quod nullus ordine complexus eſt ſummam Chriſtianorum dogmatum, niſi illa fortaſſe ſcripta ad nos non pervenerunt. De multis magnis rebus vix ſuſpicari poſſumus, quid ſenſerint veteres.* Atque qvum Proteſtantium Theologi ubi-
1530. que de dogmatibus erroneis abominabiliter *diffamarentur*

tur à malevolis & indoctis, *Apologiam* paraverat Philippus *ſcriptam ſumma verecundia; neque his de rebus dici mitius poſſe*, ad Camerarium ſcribit, ex iisdem Comitiis, quæ inſtructus jam tum ante *Imperatoris* adventum acceſſerat. Is adventans *juſſerat* quoque rationem doctrinæ reddere, quod apparet ex *literis Joannis Electoris Sax. ad Lutherum*, & *ex hiſtoria Comitiorum relata in Tom. V. Luth. Germ. Jen. f. 20. ſqq.* p. 137.

§. VIII.

Exhibita itaque in publicis Comitiis fuit, atque recitata à Proteſtantibus CONFESSIO FIDEI, quam ſummam *doctrinæ* ſuæ præmiſerunt, atque *abuſus*, quos abrogarint, recenſuerunt. Audiamus concinnatorem illius ad Camerarium: *Heri quod fauſtum felixque ſit, exhibita eſt Cæſari Confeſſio noſtra, & lecta publicè. Attentio dicitur Principum major opinione fuiſſe. Ego mutabam & refingebam pleraque quotidiè, plura etiam mutaturus, ſi noſtri συμφερόμενοι permiſiſſent, ac tantum abeſt, ut lenius juſto ſcriptam fuiſſe judicem, ut verear etiam mirum in modum, ne qui ſint offenſi libertate noſtra. Nam Valdeſius Secretarius Cæſaris uidit, antequam exhibuimus, ac planè putavit πικρότερον eſſe, quàm ut ferre poſſent adverſarii.* *Confeſſ. Auguſt.*

§. IX.

Lecta ea, adverſæ partis Theologis communicata, & à Cochlæo, Fabro, atque Eccio *confutatio* conſcripta, & poſt aliquam correctionem, Proteſtantibus non *ſcripto*, ſed voce expoſita. Id quod Legatus Pontificius urgebat, quia, ut inquit Pallavicinus, *prævidebat, nova eos reſponſa reddituros absque ullo contentionis exitu, citraque Apoſtolicæ ſedis dignitatem, dum ex æquo cum ſuis rebellibus certamen iniret, quin eosdem ſingulas ſyllabas cavillaturos; & ſi quicquam* *Diſputationi expoſita.* 3: 3. ſ.

quam quantulumcumque minus ſolidum oſtendiſſent, traducturos in ludibrium apud vulgus univerſam Eccleſiæ doctrinam & auctoritatem, perinde ac ſi libellus ille Oecumenici Concilii ſcita complecteretur. Etſi verò hinc cœpiſſe iſta infinita diſputandi prurigo, atq; invicem contradicendi videatur, quâ & leges diſputantium ſæpe violentur, & contra divina ac humana jura impingatur: tamen partim *cauſæ ſuæ diffidebat* Legatus, partim impedire ſatagebat, ne de *religione in Comitiis Germaniæ* tractaretur, quanquam hoc & exempla antiqua, quæ ſupra vidimus permittebant, & Libertas genti noſtræ propria requirebat, ſed & in noviſſimis antea Comitiis Imperator atque ordines jure ſuo ita conſtituerant.

§. X.

Conſilia atrocia.

Quæ conſilia interim apud Imp. agitata, ſcribit Philippus Camerario: *Ajunt Cæſarem imperaturum, ut omnia in priſtinum reſtituantur, donec has controverſias judicaverit Synodus. Hæc dicitur eſſe conſilii ſumma. Quod niſi mitigabitur hæc ſententia, quos motus excitatura ſit, facile potes exiſtimare.* ὁ πηὸς ἡμετέρου ἡγεμόνος (Georgium Ducem Sax. indigitat) *hujus atrocis ſententiæ autor eſſe fertur, qui ſi paululum remitteret de ſua pertinacia, quam ſcis eum habere plane ferream, omnia hic eſſent faciliora. Moguntinus qvum diceretur contra nos ſententia, quam ſupra perſcripſi, noluit intereſſe, qui pridie acerrime pugnans, non poterat placare illum* πηὸν τοῦ ἡμετέρου. *Ac Doctores Theologi qui ſunt in aula Moguntina ab Eccio excluſi ſunt ex illo conciliabulo, quod contra nos habent. Sic agitur res factioſè.* Et epiſtolâ ſequente: *Moguntinus, & alii quidem exceſſerunt ex iſto non ſanè, ut videtur, admodum pio concilio.*

§. XI.

§. XI.

Quæ res hunc eventum ſortita, ut quanquam lecta confeſſioni oppoſita reſponſione, adhortatus eſſet Carolus Imp. Proteſtantes ad communem doctrinæ concordiam, etiam Friderico Palatino Electore mediatore; & proteſtantes viciſſim Concilii celebrationem in proximis comitiis Spirenſibus promiſſam urſerint; *amicabilem* tamen *diſſidii compoſitionem diverſis gradibus* Imp. tentavit. Primò quidem præcipua proteſtantium poſtulata ad quinque capita redacta digna exiſtimavit, ut ſedes Rom. condeſcenderet. Ea erant, Pallavicino rem referente ex diario Ludoviſiorum *lib. 3 c. 4. 3.* Euchariſtiæ perceptio *ſub utraque ſpecie: Sacerdotum conjugium:* Canonis prætermiſſio in *Miſſæ ſacrificio* : *Bonorum Eccleſiaſticorum*, quæ Proteſtantes occupaverant, retentio & *Concilii* celebratio : Etſi vero his poſtulatis ab Imperatore Legato Pontificio, Campegio, patefactis, & ab illo ad Pontificem perſcriptis, atque in Conſiſtorio Cardinalium relatis, decretum fuerit : *Cum ea tam oppoſitos Religioni articulos ſuſcitarent, & qui tam gravi forent diſciplinæ legibusq; detrimento, admittenda non eſſe: grates tamen Cæſari agerentur de religionis ſtudio, quo in revocandis ad Eccleſiam transfugis laboraret.* Attamen Imperator ſtudio religionis etiamnum ſeriò incumbens, ad preces ſtatuum *Pontificiorum* (ut teſtatur *Relatio* de geſtis religionis cauſa in his comitiis auctoritate Imperatoris eodem anno edita, & aſſervata ab Hordled. *l. 1. de C. B. G. c. IX. 5.*) compoſitionem amicabilem, per Joachimum Marchionem & Elect. Brandeb. tentavit; eâque fruſtratus, *Congreſſum* inter utramque partem diſſidentem die XVI. Aug. inſtituit, *ſeptem* utrinque electis, binis ſcil. Principibus, Epiſcopo Auguſtano

temperata.

1530.

1.

2. *Colloquiũ Auguſt.*

ſtano & Henrico duce Brunovicenſi, cui ſuffectus Georgius Saxon. Dux, itemque Jo. Friderico, Duce Saxon. & Georg. Marchione Brandenburgico: binis Jctis Cancellariis Electoris Colonienſis, & Marchionis Badenſis, nec non Gregorio Pontano & D. Hellero, & ternis denique *Theologis:* Jo. Eckio, Conr. Wimpino, & Jo. Cochlæo, ut & Phil. Melanchthone, Jo. Brentio, & Erh. Snepſio. Quo-
3. rum numerus tandem ad ternos utrinque coarctatus: Eckium & Melanchthonem, ac duos Jctos ex utraque parte.

§. XII.

ſine effectu. Eventus hujus colloquii fuit, quod in nonnullis conventum, in multis diſſenſum, qua de re vid. dicta Relatio apud Hortled. *1. 9. 6.* & Pallavicin *d. c. 4, 4. ſqq.* Philippus Camerario ſuo hac de re ſcribit: Poſtridie iduum Sextilis: *Luthero mitto literas, quas cupio mox ad eum perferri. Ego cogor hanc curam ſuſcipere, quia noſtri plane ceſſant. de magnis rebus eum conſulo. Noſtra negotia omnia pendent adhuc incerta, cum adverſariis diſputamus, quantum profuturi ſimus neſcio.* Itemque III. Kal. Sept. queritur: *Non poſſum in aula impetrare, ut certus hinc ad Lutherum tabellarius mittatur. Ideo jam alterum ad te faſciculum mitto, neque tamen ille reſpondet. Id etiam fato aliquo accidit opinor, ut effugiant è manibus αἱ ἀφορμαὶ τῆς εἰρήνης. Mihi non perinde cupidì videntur pacis nonnulli, ut oportuit bonos viros & amantes religionis. Quidam Legati mirificè mihi ſuccenſent, quod videor reſtituere Epiſcoporu regnum.* Pridie vero Cal. Sept. ſcribit: *Hoc malè habet quosdam immoderatiores, reddi Juriſdictionem, reſtitui πολιτείαν Eccleſiaſticam, hoc interpretantur reſtitutionem dominationis Pontificiæ. Neque ignoro, cur tantum abhor-*

Juriſdictio Epiſcopor.

reant

reant ab hoc conſilio. Aegre patiuntur civitates reduci in urbes illam Epiſcoporum dominationem. Et ſapiunt, ſed quo ore eripiemus eis, ſi nobis permiſerint doctrinam? Quid quod omnia, quæ largiti ſumus, habent ejusmodi exceptiones, ut hoc metuam, ne Epiſcopi exiſtiment offerri ῥήματα ἀντ᾽ ἀλφίτων. Sed quid potuimus aliud? Quanquam, ut ego, quod ſentio, dicam: Utinam utinam poſſim non quidem dominationem confirmare, ſed adminiſtrationem reſtituere Epiſcoporum. Video enim qualem ſimus habituri Eccleſiam diſſoluta πολιτεία Eccleſiaſtica. Video poſtea multo intolerabiliorem futuram tyrannidem, quam antea unquam fuit. (conf. Pallavic. H. C. Tr. l. 3. c. 9, 1.) *Ad hæc nihil aliud conceſſimus adverſariis, præter ea, quæ Lutherus cenſuit eſſe reddenda re bene ac diligenter deliberata ante conventum. Neque ego non additurus eram aliquid quaſi auctarium publicæ pacis cauſa. Heri dictæ ſunt ſententiæ à noſtris de reſtituenda poteſtate Eccleſiaſtica. Et convenit inter Saxonem, Marchionem, & Luneburgenſem, Heſſi cunctantur, & diſſimulant ſententiam veſtri* (Norici) *Legati. Neque adhuc intelligo, quid habeant conſilii iſti, qui malunt omnia* 1530. *funditus perire, quam in rebus non maximi momenti alicubi adverſariis morem gerere. Quem ego locum, quem articulum neceſſarium deſerui? Imo effeci etiam, ut fateri cogeretur Eccius, Juſtitiam contingere per fidem. nunc deliberat Cæſar, quid de nobis ſtatuere velit, poſtquam non omnia convenerunt.* Itemque IV. Id. Sept. *Pacem videmur conſecuturi, ſi paulo eſſent æquiores ac tractabiliores iſti, qui meam ἐπιείκειαν reprehendunt. Nunc præter noſtros, nemo ſuſtinet audire ullam moderatam vocem.* Prid. Non. Sept. *De nobis hic nondum decretum eſt, neque accipiunt adverſarii conditiones quas propoſuimus. Tanto plus vident,*

quam quidam qui ſe nobis amicos dictitarent, qui eâ conceſſione vociferabantur, ſolidam τυραννίδα *Epiſcoporum reſtitutam eſſe. Intelligunt enim, quid habeat illa conceſſio incommodi, quanquam ego optimo animo ſemper putavi iſta concedenda eſſe. Quo jure enim licebit nobis diſſolvere* πολιτείαν *Eccleſiaſticam, ſi Epiſcopi nobis concedant illa, quæ æquum eſt eos concedere. Et ut liceat, certe non expedit. Semper ita ſenſit ipſe Lutherus, quem nulla de cauſa quidam, ut video, amant, niſi quia beneficio ejus ſentiunt, ſe Epiſcopos excuſſiſſe, & adeptos libertatem minimè utilem ad poſteritatem, qualis enim cedo futurus eſt ſtatus ad poſteros in Eccleſiis, ſi omnes veteres mores ſint aboliti, ſi nulli certi ſint Præſides?* Denique XI. Cal. Oct. *Nondum pronunciatum eſt de noſtra cauſa. Heri, item hodie erat abiturus noſter Princeps. Retinuit eum tamen Cæſar, pollicitus ſe intra triduum pronunciaturum eſſe. Hæc mora quid ſignificet, neſcio, tantum hoc ſcio, Cæſarem cupere rem ad otium deducere mediocribus conditionibꝰ. Atq; utinam noſtri non deeſſent ſibi ipſis,* ἡμέτεροι σύμμαχοι καὶ αὐτοὶ οὐ πάντως ἀοσσοὶ ἐν αὐτοῖς δοκοῦσιν εἶναι. *Sed quando fiet, ut nihil deſideremus? Scripſi his diebus apologiam Confeſſionis noſtræ, quæ, ſi opus erit, exhibebitur, opponetur enim confutationi adverſariorum, quam prælegi audiviſti. Scripſi accurate & vehementer.* Et mox ſequente Epiſtola: *De Cæſaris ſententia jam audiſti. Cæſar propoſuerat moderatiſſimam ſententiam, relicturus nobis ſpatium deliberandi, utrum ad XV. Aprilis recepturi eſſemus veteres omnes mores Romanos, ſed una particula inſerta corrupit totam rem: Quia Cæſar ſatis confutaſſet noſtram confeſſionem. Hæc particula poſtremo impedivit concordiam,* ἀλλ' οἱ Βυκερνίζοντες ἐκεῖνοι μονονουχὶ μόνοι ἐκώλυσαν ποιεῖν εἰρήνην, ἐπειδὴ οἱ ἀντίδικοι προσέθεσαν

αν

συνθήκας ἐπιεικῶς. *Video eſſe fatalia mala.* Conf. *Lutheri* Epiſtolam ad Electorem Moguntinum & alias, *T. V. Jen. Germ. fol. 72. ſeq.*

§. XIII.

Qvum itaque nulla ratione poſſet diſſidium componi, *decretum* ab Imp. fuit propoſitum, quo usque ad XV. April. anni ſequentis dilatio dabatur, quodque innuebat modo Melanchthon: ſed eo non acceptato, aliud *promulgatum*, ut ex Receſſu Imp. 1530. prolixè videre eſt. Conf. Relat. apud Hortled. *d. l. 1. c. 9.* Illud notatu dignum eſt, quod in hoc ab Imp. & Statibus maxime Eccleſiaſticis promulgato decreto, §. *I.* articulos controverſos *dijudicandi norma* non niſi *SS. Scriptura* agnoſcatur, ajunt: Solch ihr Bekenntniß mit dem heil. Evangelio und heiliger Schrifft mit gutem Grunde widerlegen ꝛc. *Receſſ. Imp. 1530.*

§. XIV.

Comitiis ita diſſolutis, *diſcordia* animorum & ſimultates atque *diffidentia* inter ordines magis magisque creſcebant, ut de armis jam cogitaretur, quibus libertas à peregrino dominatu defenderetur. Itaque convenere proteſtantes exeunte anno triceſimo *Smalcaldiæ*, jactaque fuerunt initia *Fœderis*, quod ex loco nomen obtinuit, de cujus origine & progreſſu Hortled. *l. VIII. d. C. B. G.* Quæ conſilia tum agitata, *Philippus* ex parte ad *Camerarium* ſcribit, ſuamque ſententiam exponit *Kal. Jan. 1531.* *Diffidentia aucta.* *foedus Smalcald.*

§. XV.

Enimvero nunciabatur, *Pontificem* nolle Concilium Generale, prout Imperator atque ordines volebant, cele- *Electio Regis Rom.*

brare: imo vero *fœdus* feciſſe *cum Imperatore* ad extingvendos armis proteſtantes. Accedebat quod Imper. ſe vivo *Regem Ronanorum* poſtularet eligi, id quod Proteſtantes contra Auream Bullam ac Libertatem Germaniæ arbitrabantur, & Elector Saxoniæ per filium Jo. Fridericum, poſtea Electorem, Proteſtationem contra factam electionem interponebat, conſentientibus aliis quoque Proteſtantibus. Pallavicinus *l.3. c.9. 2.* ob eam rem *duo diplomata* à Pontifice ad Imp. miſſa recitat, quorum altero Saxoni Jus *ſuffragii Electorale* abrogatum ob ſuſceptam hæreſin, altero idem permiſſum, hæreſi non obſtante. Verum Imperator neutrum cenſuit inſinuandum, qvum jus illud Rom. Pontifici nunquam ab Imp. fuiſſet conceſſum. Accedebat, quod & Guilielmus & Fridericus Fratres Duces Bavariæ in ferendo ſuffragio cum Proteſtantibus convenirent, jure in Bohemiam prætenſo, *Pallavicin. 3. 9. 3.* Sed his invitis frater Imperatoris FERDINANDUS Rex Romanorum menſe Januario 1531. electus fuit.

§. XVI.

Detrectat. Concilii Quod ad *Concilium*, allegat *Pallavicinus* literas Pontificis ad Imp. d. 31. Julii 1530. perſcriptas, in quibus Concilium haud profuturum cenſuit ob cauſas allegatas, iis tamen prætuliſſe Imperatoris ſententiam, atque conſen-

3:5. ſiſſe Pontificem, ut ejus nomine Imperator Concilium ſponderet, ſed ut adjicit in *Italia*, ac *Roma* potiſſimum: itemq; ſub hac *conditione*, ut interim Proteſtantes Pontifici *obtemperarent*, quâ non impleta, *detrectaſſe* Pontificem Concilium per Nuntios, adducta eam in rem Inſtructione eis data. Cum verò adhuc urgeretur ab Imp. Concilium,

cilium, conſenſiſſe tandem Pontificem, ſed *ſub his conditionibus*, ut *primò* non alium ad *ſcopum* haberetur, niſi ad contrahenda contra Turcas ſubſidia, ad *Lutheranos ad frugem revocandos*, neutiquam verò generatim, neque etiam ſpeciatim ad reformationem, quia, ut ait Pallavicinus; *verendum erat, ne hæretici ex reis callide actores evaderent, urgentes morum emendationem, legumque mutationem.*

§. XVII.

Quam tamen conditionem Imp. ſtatim repreſſit, quantopere enim Pontifex Reformationem Eccleſiæ Aulæque Romanæ reformidabat, tantopere & Imp. & cæteri Reges ac Principes eandem expetebant. Ut tamen civiliter, atque cum honore Papæ hanc conditionem recuſaret Imperator, reſpondit; *ſatius videri absque ulla coarctatione illud convocare, qvum poſtea in ipſa re ad Pontificem pertineret, quid in eo proponendum, quid agendum, præſcribere.* Ex qua clauſula civilitatis Pallavicinus arguit, à *Cæſare Pontificem fuiſſe agnitum*, ut *moderatorem Concilii, non ut illi ſubjectum.* Sed Imperator neque libertatem Concilii, neque moderationem ſuam ut Imperatoris excluſam voluiſſe cenſendus, ut acta reliqua ejus demonſtrant. Ait quidem Pallavicinus, *rem gratam accidiſſe Pontifici, quod Cæſar in cauſa religionis inſtituisſet, etſi enim Papa noluiſſet ſe illi negotio immiſcere, ne vel ipſius particeps, vel ipſi conſentiens videretur; tamen Cæſarem Judicis poteſtatẽ in rebus religionis ſibi neutiquam arrogasſe, ſed intacta ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate cuncta cum Legato communicaſſe.* Viciſſim igitur etiam Imp. idem à Pontifice in Concilio expectabat, ut ſalva Imperatoris

& reformat. Curia Rom.

auctoritate cuncta cum eo communicaret. Atque id, nunc agendum videbatur, ut, quoniam Jus circa ſacra à Pontifice occupatum nondum in una Imperatoris perſona recoaleſceret, ſaltem ab utroque pro indiviſo teneretur, usque dum per gradus quaſi res ad priſtinum ſtatum rediret.

§. XVIII.

Conditiones reliqua à Papa R. propoſita.

Altera conditio idem confirmat, nec Pontificem aliter accepiſſe, volebat enim, ut ipſe *Imp. intereſſet Concilio*, eoque abeunte Concilium ceu dimiſſum haberetur, ut Pallavicinus teſtis eſt. Id vero quid aliud, quam ut præeſſet Concilio Imp. illudque auctoritate ſua liberè finiret? Sane ipſe præterea etiam *cap.7.lib.3.* ulterius refert, Imperatorem huic conditioni ita ſubſcripſiſſe, ut ipſemet Concilio intereſſet, *quemadmodum Conſtantinus Niceno, Theodoſius M. CPolitano, Marcianus Chalcedonenſi, aliique aliis.* Quod verò *pro tertia* lege adjecit Pontifex, ut in *Italia* Synodus haberetur, in una ex urbibus à Pontifice deſignatis: illud contrarium erat votis atque decretis Imperatoris & ordinum Germaniæ, quare nec veriſimile eſt, quod idem auctor refert, Imperatorem reſpondiſſe ad hoc Pontificis poſtulatum, Germanis *Mantuam* acceptam fore, vel *Mediolanum*. Quarta conditio à Papa dicta Concilio fuit, Ne quisquam *jus ſuffragii* obtineret, niſi cui è ſacrorum Canonum præſcripto tribueretur. Reſpondit Imp. formam ac morem ſuperiorum Conciliorum in eo ſervandam. Id quod *excludendis Laicis* ſatis fuiſſe Pallavicinus judicat. Contrariebatur tamen Decreto Norimbergenſium Comitiorum A. 1524. & ſequentium. Sed

& in

& in vetuſtis Germanorum Conciliis ſtatus quoque Laicos ſuffragia tuliſſe ex ſuperioribus manifeſtum fuit. Quare neque in hac conditione conventum fuerat. Ultima denique conditio fuit: *Ut Lutherani Concilium flagitarent, litterasque procuratorias mitterent.* Sed hæc conditio expreſſe fuit rejecta. Id enim agebatur, ne Lutherani ullum jus ſuffragii haberent, ſed tanquam rei ſupplices reconciliarentur. Ne quid tamen omittere videretur Pontifex, Kal. Decembris An. 1530. *diploma publicum de congregando Concilio* edidit, in loco, de quo adhuc foret conſultandum; ita futurum ratus, ut Proteſtantes aut facilius oblato huic concilio ſeſe ſubmitterent, aut contumacia major accuſari poſſet.

§. XIX.

Augebant præterea diffidentiam ordinum inter ipſos, Regum Galliæ, atque Angliæ inclinationes in cauſam Proteſtantium. Videantur actitata Franciſci Regis Gallorum cum Imperii Principibus, & Fœderatis Smalcaldicis *apud Marq. Freher. Tom. 3. Germ. rer. ſcriptor.* Diverſa hac de re prudentium fuerunt judicia. Philippus ad Camerarium poſtridie τῆς ἁγίας τριάδ☉ 1531. ſcripſit: *Gallus reſcripſit humaniſſime, ac mihi tali tempore & in tanto odio non potuiſſe benignius reſpondere videtur. Significat ſe quoque Synodum optare, & laudat noſtros, quod petant, cogi Concilium, oſtendit ſe non ſumturum arma contra nos, niſi hac re ritè cognita. Ac mihi quidem præcipuum eſſe videtur, quod talem Synodum cogi vult, ubi libere dici ſententiæ queant. De hoc toto, quid diſputent quidam acuti, curandum*

Amicitia cum exteris.

dum non puto, ego, quod dici ſolet, τὰ διδόμενα *non aſpernor.* Sed mox ita: *Fuit hic quidam Pariſienſis Doctor, Gervaſius, homo, ut videtur, inimiciſſimus noſtræ cauſæ,* ἀλλὰ τοῦ βασιλέως τοῦ Φραγκικοῦ ἐντολὰς ἔχει περὶ τῆς χειροτονίας. *Sunt, quibus illæ Gallicæ eſſe magis, quam Francicæ technæ. Sed nos, quod datur, accipiamus, & ſentiamus liberalius. Certe illæ minæ Campegii de Gallorum amicitia hoc tempore ſunt inanes, etſi moveor prædictionibus quibusdam, quas tibi in mentem venire neceſſe eſt, ſæpe enim de illis inter nos. Niſi Chriſtus conſulet Eccleſiæ, omnia funditus perierint. Nam illi Reges ſua agunt negotia, & nulli mortales nunc* πάνυ φιλοσοφοῦσι.

CAPUT

CAP. V.

De

INDVCIIS RELIGIOSIS ET SECESSIONE AB SEDE ROM.

SVMMARIA.

Motus Helveticus ob religionem. Comitia Germaniæ anno 1532. Intentio Pontificis & Imperatoris diverſa. Pax religionis prima. ejus ratio. Confirmata per transactionem Cadauenſem. Fides de concilio habendo fallit. Rex Galliæ favet libertati Eccl. Germ. Pauli III. reformatio repreſſa. Is reum ſeſe prodit. ejus attentata. Poteſtas Papæ Rom. per Germaniam abrogata. Seceſſio juſta contra M. A.° de Dominis & Gibbonem de Burgo defenſa.

§. I.

INter has conſiliorum ex utraque parte confuſiones, appropinquabat tempus tum Comitiorum, tum Concilii habendi. Interea natio Helvetica per Zvvinglium in partes ſciſſa, ad arma pervenerat, ſed interemtis ex altera parte ducibus, Zvvinglio & Oecolampadio, concordiam inter ſe ſe, conceſſa libertate mutua Religionis, fecerat. Conventum in Germania Spiræ primum, mox Ratisbonæ, quo tandem & Imperator pervenit, cum Alexandro Nuncio

1532. motg Helvet. *Comitia German. 1532.*

cio Pontificis, ſed diverſis ab eo conſiliis. Id quidem Pontifex intendebat, ut Imp. Edictum Wormatienſe tandem ſtrenuè exſequeretur, nullis ulterius induciis indulgendis, ſpernendisque Proteſtantium minis, de non ferendis ſuppetiis adverſus imminentem Turcam. Contra ea Imperator inducias usque ad Concilium omnino intendebat; itaque clam Nuncio Pontificio, miſſis primo Svinfurtum Menſe Aprili, poſtea Norinbergam Alberto Archiepiſc. Moguntino, & Ludovico Palatino Electoribus, tractavit cum Proteſtantibus de induciis usque ad Concilium, deque Concilio procurando. Quo comperto Pontificii miniſtri vehementer obſtitere: Induciis Proteſtantium potentiam confirmari, qua magis inſuperabiles redderentur, fraudulenter eas accipi ab his, quos conſtaret, repudiare concilium iis conditionibus, quas Pontifex & Imperator propoſuiſſent. Non eſſe partam Edicto Wormatienſi gloriam parum honeſta conceſſione contaminandam. In eandem ire ſententiam Regem Galliæ & Duces Bavariæ. At Imp. his in ſua confirmatus potius ſententia eſt: reputabat vires Proteſtantium, & vetus Pontificum Rom. inſtitutum, Germanos inter ſeſe committere, quo eos & imprimis Imperatorem ſibi imbecilliores haberent. Edictum Wormatienſe aliorum culpa non fuiſſe executioni datum. Concilium haberi debuiſſe absque tot propoſitis conditionibus. Quantumvis porro etiam ordines Imperii Catholici induciis reclamarent, poſtulantes ut Lutheranæ Confeſſionis confutatio, Auguſtæ adprobata, in lucem ederetur, omnesque cogerentur ad illius præſcriptam fidem & opera confirmare. *Pallavic. 3. 19. 9.* Nihilominus tamen fato ita dante, auctoritate Imperiali dictis mediatoribus cum Proteſtantibus trans-

Intentio Pontif.

Imp.

Pax religionis prima.

tranſactio atque induciæ aut pax de negotio Religionis reformandæ & Eccleſiarum Germanicarum libertate, usque ad proximum Concilium, *Norimbergæ* die 23. Julii 1532. fuit compoſita; *Ne quisquam alteri litem propter religionem moveret, & ut controverſiæ jam tum contra Proteſtantes Fidem concernentes,* den Glauben belangend / *usque ad proximum Concilium eſſent in ſuſpenſo: Concilium denique intra annum, juxta Receſſum Norimbergenſem de anno 1522. & 1524. eſſe procurandum.* Quæ pacificatio in Comitiis Ratisponæ ab Imp. confirmata, atque per Imp. promulgata legitur apud Hortleder. *de C. B. G. l. 1. c. 10. 11. & 12. Goldaſt. T. I. Conſt. Imp. pag. 511.* Vnde colligere eſt, utramque partem abſtraxiſſe in hoc puncto tam à Receſſu Spirenſi A. 1526. quam de A. 1529.

§. II.

Vtrum prudenter Imperator hanc libertatem Eccleſiis Germaniæ conceſſerit, vix ex præceptis prudentiæ civilis dubitare licet. Inficiari tamen videtur Pallavicinus *l. 3. c. 10. fi.* ideo, quod hæc indulgentia invertat religionem in quoddam chaos, in atheiſmum, in beſtiarum mores, obedientiam in contumaciam unius, & optimorum regimen, in popularium plurimorum dominatum. Verum enimverò ut ut optima conſilia ſæpe peſſime cadant, hæc tamen Caroli Pacificatio usque ad legitimum Concilium iſtum quidem effectum non habet. Quid enim? ſi concedat Rex Magnæ Britanniæ Pontificiis libertatem ſuæ religionis in Anglia, anne ideo inverteret religionem in quoddam chaos, in atheiſmum, in beſtiarum mores? Certe confeſſio Auguſtana neque religionum chaos quoddam continet, neque atheiſmum docet, neque beſtiarum mores intendit: Epiſcoporum verò

Ratio pacificationis.

1532.

juriſdictionem cum dominatu populari haut commutat, multo minus obedientiam, quam ſuperioribus debemus, in contumaciam unius pervertit. Cæterum ab eo, quod per accidens religionis mutationi contingere poteſt, argumentari in univerſum, parum fidei conficit. Atque qvum concordiam religionis per legitimum concilium Imperator optimus obtinere impediretur hactenus, prudentis erat, ſaltem civilem concordiam ad reprimendum communem Chriſtianitatis hoſtem ſtabilire. Audiamus Philippum Camerario ſcribentem Idibus Aug. 1523. *Conditiones pacis acceptæ ſunt; nunc igitur erunt aliquantiſper ἀλκυόνεια. Nam diuturna hæc pax ut ſit, optandum quidem, ſed quid eſt, quod fore, ſpem faciat? Propemodum ita ſuſpicor; Turcas etiam cunctari, poſtquam vident non exoriri in Germania ſeditionem, id quod ipſi ſperarunt. Audiſſe enim te puto, quam miris technis, ut id fieret, multorum animi tentati fuerint.*

§. III.

confirmata 1534.

Atque parum fefellit res Philippum, namque nihilominus in Camera Spirenſi contra aliquot ſtatus Proteſtantes procedebatur, atque ita pacto illi ſub prætextu limitationis, quæ ſint cauſæ fidem concernentes, contraveniebatur. Igitur conventum iterum & renovatum id fuit in transactione *Cadavenſi* in oppido Bohemiæ *A. 1534.* §. *2.* inter Ferdinandum R. Rom. & Jo. Fridericum Elect. Saxon. quem exhibet Hortled. *l. 3. de C. B. G. c. XIII. Goldaſt. Tom. II. Conſt. Imp. p. 177.* ſimulque libertas Eccleſiarum Germaniæ ſtabilita rurſus communi utriusque partis conſenſu. Illud hic notatu dignum, quodque ad Imperatoris pleniorem pertinet poteſtatem, quod hæc transactio, atque pacificatio religioſa valide fuerit con-

Transactio Cadavenſis.

tracta

tractâ atque ſtabilita, etſi plures ſtatus catholici diſſenſerint. Denique & controverſia de electione Ferdinandi R. Rom. iſta transactione fuit ſopita, verum ſub conditione hac, ut Imp. Auream Bullam declaret, ſi Rex Rom. vivo Imp. ſit eligendus, ut ante omnia de quæſtione an causæ ſufficientes adſint, omnes Electores convocentur, atque audiantur. *Hortled. d. l. 3. c. 13. 3.* Sed hanc conditionem non impletam fuiſſe conqueritur Elector Saxon. *apud eundem l. 4. c. 22. 54.* Inde eſt, quod etiam poſt transactionem Cadamicam Rex Rom. ab Electore Sax. non fuerit agnitus.

§. IV.

Interea de Concilio Generali toties deſiderato, toties promiſſo ſpem fecit Imp. Statibus per Edictum *apud Hortled. de C. B. G. l. 1. c. XIII.* poſtquam Imp. atque Pontifex Bononiæ An. 1532. convenientes hac de re conſultarant. Nec minus Pontifex tam per Bullam, quam per nuncium ad Electorem Sax miſſum, *c. XV. XVI. XIX. XX.* Sed minime ſecundum ductum Receſſuum Imperii, ita ut nec in Germania, ſed in Italia, & quidem *Mantuæ* à ſolo Pontifice & Cardinalibus Italicis indiceretur tandem A. 1536. *c. XXII. Goldaſt. Polit. Imper. P. XXVII. p. 1197.* Qua in re faviſſe videtur Imperatoris Orator Pontifici Romano ad Proteſtantes Schmalcaldiæ congregatos miſſus, *c. XXV.* contra proprium factum ac promiſſum, quod urgent Status, apud Hortled. d. l. *c. XXVI.* At fuit poſtea Heldus, quod nimis vehemens fuiſſet adverſus Proteſtantes in negotiis gerendis, conſilio Granvellari ab aula Imperatoris remotus. Rex Franciſcus I. Ordinibus Imperii amicitiam atque operam ad hoc ipſum, ut intra fines Germaniæ

Fides de Concilio habendo fallit.

Rex Galliæ libert. Germ. Ec. favet.

maniæ Concilium Vniverſale haberetur, obtulit, *C. XIIX.* & quidem *Genevæ:* id quod Pontifex Clemens VII. vecordiam interpretatus *P. Suav. Lib. I. Hiſt. Conc. Trid. ad A. C. 1534.* Carolus autem Imp ſeceſſionem exinde ad Regem Franciæ metuit. *Hortled. d. l. 1. c. XXIII.* Epiſtolam Franciſci ad Melanchthonem refert Goldaſtus *Tom. II. Conſtit. Imp. p. 560.* Proteſtantium detrectationem hujus Concilii *Polit. Imp. Part. XXVII. p. 1200.*

§. V.

Paul. III. reform. Paulus III. ex Farneſio Card. Pontifex M. vir præclaris animi dotibus conſpicuus, ſed qui ipſe diſſimulationem ante cæteras omnes diligebat, ut judicat Petr. Svavis *Hiſt. Conc. Trid.* Is viſus eſt Hadriani IV. veſtigiis hactenus inſiſtere, & reformationem ſeriò aggredi. Nec enim tantum A. C. 1536. de Civitate Romana atque curia ſua ab omnibus ſordibus atque vitiis eluenda diploma publicavit, quatuor Cardinalibus eâ provincia data: Sed qvum exprobraretur & hujus negotii & Concilii inſtituendi cunctatio, triennio poſt majori niſu rem aggreſſus, quatuor Cardinalibus quinque Epiſcopos adjungens, cum hoc mandato; ut Aulæ Romanæ morbos accurate circumſpicerent, remedia eisdem cito & facilè removendis applicarent, ut ad bonam valetudinem Eccl. poſſit redire. Reformatores negotio ſuſcepto, reformationis formulam diligenter conſcriptam Pontifici obtulerant, quam Collegio Cardinalium Pontifex ad conſultandum propoſuit; ſed, qvum diſſiderent iſti inter ſeſe, aliis reformationis impatientibus, aliis eam urgentibus, res fuit rejecta in aliud tempus, atque, ut ſilentio tegeretur, à Papa mandatum. Cardinalis tamen Capuanus, Nicolaus Schombergius, qui urſerat maximè reformationem,

exem-

exemplar illius ſcripti miſit in Germaniam, typis poſtea evulgatum. Exhibet H. Conringius *Ge. Wicelii via Regia adjectam*. Pallavic. *IV.5.* S. Freiberg. *diſcurſ. 1. P. 2. Germ. perturb. in vernaculo.* Paulus porro Concilium Vicentiæ habendum indicit, A. 1537. *Pallavic. IV.5.* ſed eodem eventu, cum & par ratio eſſet: unde Pontifex Bulla XIII. Junii emiſſa, illud iterum ſuſpendit. *Pallavic. IV. 6.* Conf. *Luth. T. VI. Germ. Jen. f. 53.*

§. VI.

Pontifex ſe ſe reum prodit.

Satis jam cauſæ habere ſibi videbantur Status Imperii detrectandi Concilii contra jura atq; *pacta* publica indicti & ſuſpenſi; ſed majus vitium ex Curiæ Pontificiæ impetu accedere, quod, nec expectata concilii congregatione, nec cognitione, nec ſententiâ, Pontifex cum Curia Italica *præjudicium* grande deſignaret de non audiendis Statibus in Concilio Reformationi à Luthero inceptæ & propagatæ addictis, utpote foventibus doctrinam *peſtiferam & hæreticam*, adeoque in futuro concilio *condemnandam*. Exhibet hanc Bullam Hortled. *c. XXIV.* Id quod Imperatoris Legato oppoſuere ſtatus reformantes *c. XXVI. & XXVIII. 2. conf.* P. *Suav. Hiſt. Conc. Trid. p. 181.* Quibus Pallavicinus *IV. 2. 6.* nihil habet reponere, niſi per obliquam tantum enunciationem, quæ in judicio haud ſatis probet, hæreticos nominatos; qui tamen potuiſſent confidere, Pontificem vel certe Epiſcopos, aliosque illarum partium, pariter fidem catholicam impugnaturos, ubi eadem illis veritas affulſiſſet. Ipſo Suavi ſuavior!

§. VII.

Papa attentata.

Certe ſatis liquere Proteſtantes rebantur, ſcopum Curiæ Pontificiæ jam non eſſe, *cauſa* controverſæ, & in comitiis Germaniæ hactenus per tot annos ſuſpenſæ & ad

Con-

Concilium futurum prorogatæ, *cognitionem* plenariam, atque legitimam deciſionem, ſed imo *Edicti* priſtini *Wormatienſis* æque ſuſpenſi, cauſæ cognitionis adhuc indigentis *executionem* ſeveram non minus, quam præpoſteram, atque præcipitem. Inconveniens itaque viſum Proteſtantibus eum, à cujus decreto, absque cauſæ cognitione facto, ad legitimum Concilium appellatio recepta, in ipſo judicio *Appellationis* velle non modo *judicem* eſſe, ſed & ante judicium cœptum, ſententiamque latam, *executionem* adverſæ parti appellanti comminari! Neque ullum jus *exceptionem ſuſpecti judicis*, locique non tuti, atque omnino *non fundatæ Jurisdictionis* in cauſa ejusmodi ardua

obj. & conſcientias tangente? Enimvero privatis in judiciis id obtinere certum: ſed in Rep. *ajunt*, ſemper oportet ſupremam aliquam poteſtatem eſſe, cujus ſit vel in cauſa propria ferre judicium: alioquin ea ſuprema non eſſet.

Reſp. *Pallavic. 3. 18. 14.* Verum, præterquam, quod maximi, optimique Principes etiam ab hoc ſuo jure *Goth. in l. un. C. ne quis in ſua. Buxtorff. ad A. B. c. V. Limn. J. B. 3. 9. 23.* ſponte abſtinuere, & cauſas proprias certo judici ſubmittere cenſuere: Etiam iſtud adhuc inconceſſum fuit: ſupremam Eccleſiæ poteſtatem eſſe penes Pontificem Romanum. Sed jam tum olim ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ obtinuerat, atque in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi contra novationes confirmatum fuerat; penes concilia generalia ſupremam eſſe poteſtatem. Quanquam vero cautius actum fuiſſet, ſi exploratis rebus Mantuanis, præciſe in hunc locum diſſenſum non fuiſſet, quod & Philippum conſuluiſſe apparet ex Epiſtola

p. 281. ad Camerar. Kal. Mart. 1537. *Principes deliberarunt: an ſynodus præciſè recuſanda ſit, an vero promittendum,*

nos

nos miſſuros eſſe noſtram legationem, ſed non conceſſuros judicium pontificiæ parti, verum petituros, ut Regnum & Monarcharum autoritate delecti homines idonei cognoſcerent has controverſias. Hæc fuit magna & difficilis deliberatio. Noſtra ſententia ſemper fuit, ne ſimpliciter recuſaretur Synodus, quia etiamſi Papæ non liceat eſſe Judicem, habet tamen Jus indicendæ Synodi. deinde judicium conſtitui à Synodo debet, ſed homines acutiores diſputabant has meas rationes argutas quidem eſſe & veras, ſed inutiles. Eam eſſe tyrannidem Pontificis, ut poſtquam conſenſiſſemus, nos venturos eſſe in Synodum, interpretaturi eſſent, nos etiam Pontifici tribuere iudicandi autoritatem. Vidi aliquid eſſe periculi in mea ſententia, etiamſi erat honeſtior, ſed vicit altera ſententia, re diu accerrimeque diſputata, ut hæc fatalia mihi videantur. Periculum eſſe video ingentis motus, niſi Deus ſuccurrerit. Quanquam ſæpe dixi, rectisſime eos tantum hac recuſatione uti, ſi nolint quædam moderari & concedere aliquid τῷ ἱερατικῷ τάγματι. Illud mihi acerbiſſimum eſt, videre hæſuram ad poſteros diſcordiam æternam, & hæc fortaſſis barbariem horribilem, & vaſtitatem in hac natione omnium artium & officiorum civilium afferet. Vide quam nunc delectet illa barbaries etiam quosdam, qui avertere maxime debebant. Sed magna eſt in omnem eventum conſolatio in bonitate cauſſæ. Reſponſum eſt igitur legato Cæſaris, recuſari hanc Synodum Mantuæ indictam, & peti, ut curet Cæſar indici liberam Synodum. Cæſaris orator multa contra diſputavit: Cæſarem curaturum, ut in illa Synodo rite conſtituatur judicium, ſed hæc in genere dicta non movent noſtros. Non injuſta tamen Apologia Statuum Proteſtantium, quam refert *Hortled. l. 1. c. XXIX. Goldaſtus Polit. Imperial. P. XXVII. p. 1297.*

dum non puto, ego, quod dici ſolet, τὰ διδόμενα *non aſpernor.* Sed mox ita: *Fuit hic quidam Pariſienſis Doctor, Gervaſius, homo, ut videtur, inimiciſſimus noſtræ cauſæ,* ἀλλὰ τοῦ βασιλέως τοῦ Φραγκικοῦ ἐντολὰς ἔχει περὶ τῆς χειροτονίας. *Sunt, quibus illæ Gallicæ eſſe magis, quam Franciciæ technæ. Sed nos, quod datur, accipiamus, & ſentiamus liberalius. Certe illæ minæ Campegii de Gallorum amicitia hoc tempore ſunt inanes, etſi moveor prædictionibus quibusdam, quas tibi in mentem venire neceſſe eſt, ſæpe enim de illis inter nos. Niſi Chriſtus conſulet Eccleſiæ, omnia funditus perierint. Nam illi Reges ſua agunt negotia, & nulli mortales nunc* πάνυ φιλοσοφοῦσι.

CAPUT

CAP. V.

De

INDUCIIS RELIGIOSIS ET SECESSIONE AB SEDE ROM.

SUMMARIA.

Motus Helveticus ob religionem. Comitia Germaniæ anno 1532. Intentio Pontificis & Imperatoris diverſa. Pax religionis prima. ejus ratio. Confirmata per tranſactionem Cadauenſem. Fides de concilio habendo fallit. Rex Galliæ favet libertati Eccl. Germ. Pauli III. reformatio repreſſa. Is reum ſeſe prodit. ejus attentata. Poteſtas Papæ Rom. per Germaniam abrogata. Seceſſio juſta contra M. Aᵒ. de Dominis & Gibbonem de Burgo defenſa.

§. I.

INter has conſiliorum ex utraque parte confuſiones, appropinquabat tempus tum Comitiorum, tum Concilii habendi. Interea natio Helvetica per Zvvinglium in partes ſciſſa, ad arma pervenerat, ſed interemtis ex altera parte ducibus, Zvvinglio & Oecolampadio, concordiam inter ſe ſe, conceſſa libertate mutua Religionis, fecerat. Conventum in Germania Spiræ primum, mox Ratisbonæ, quo tandem & Imperator pervenit, cum Alexandro Nun- *1532. motus Helvet. Comitia German. 1532.*

cio Pontificis, ſed diverſis ab eo conſiliis. Id quidem Pontifex intendebat, ut Imp. Edictum Wormatienſe tandem ſtrenuè exſequeretur, nullis ulterius induciis indulgendis, ſpernendisque Proteſtantium minis, de non ferendis ſuppetiis adverſus imminentem Turcam. Contra ea Imperator inducias usque ad Concilium omnino intendebat; itaque clam Nuncio Pontificio, miſſis primo Svinfurtum Menſe Aprili, poſtea Norinbergam Alberto Archiepiſc. Moguntino, & Ludovico Palatino Electoribus, tractavit cum Proteſtantibus de induciis usque ad Concilium, deque Concilio procurando. Quo comperto Pontificii miniſtri vehementer obſtitere: Induciis Proteſtantium potentiam confirmari, qua magis inſuperabiles redderentur, fraudulenter eas accipi ab his, quos conſtaret, repudiare concilium iis conditionibus, quas Pontifex & Imperator propoſuiſſent. Non eſſe partam Edicto Wormatienſi gloriam parum honeſta conceſſione contaminandam. In eandem ire ſententiam Regem Galliæ & Duces Bavariæ. At Imp. his in ſua confirmatus potius ſententia eſt: reputabat vires Proteſtantium, & vetus Pontificum Rom. inſtitutum, Germanos inter ſeſe committere, quo eos & imprimis Imperatorem ſibi imbecilliores haberent. Edictum Wormatienſe aliorum culpa non fuiſſe executioni datum. Concilium haberi debuiſſe absque tot propoſitis conditionibus. Quantumvis porro etiam ordines Imperii Catholici induciis reclamarent, poſtulantes ut Lutheranæ Confeſſionis confutatio, Auguſtæ adprobata, in lucem ederetur, omnesque cogerentur ad illius præſcriptam fidem & opera confirmare. *Pallavic. 3. 19. 9.* Nihilominus tamen fato ita dante, auctoritate Imperiali dictis mediatoribus cum Proteſtantibus trans-

Intentio Pontif.

Imp.

Pax religionis prima.

tranſactio atque induciæ aut pax de negotio Religionis reformandæ & Eccleſiarum Germanicarum libertate, usque ad proximum Concilium, *Norimbergæ* die 23. Julii 1532. fuit compoſita; *Ne quisquam alteri litem propter religionem moveret, & ut controverſiæ jam tum contra Proteſtantes Fidem concernentes,* den Glauben belangend / *usque ad proximum Concilium eſſent in ſuſpenſo: Concilium denique intra annum, juxta Receſſum Norimbergenſem de anno 1522. & 1524. eſſe procurandum.* Quæ pacificatio in Comitiis Ratisponæ ab Imp. confirmata, atque per Imp. promulgata legitur apud Hortleder. *de C. B. G. l. 1. c. 10. 11. & 12. Goldaſt. T. I. Conſt. Imp. pag. 511.* Vnde colligere eſt, utramque partem abſtraxiſſe in hoc puncto tam à Receſſu Spirenſi A. 1526. quam de A. 1529.

§. II.

Verum prudenter Imperator hanc libertatem Eccleſiis Germaniæ conceſſerit, vix ex præceptis prudentiæ civilis dubitare licet. Inficiari tamen videtur Pallavicinus *l. 3. c. 10. fi.* ideo, quod hæc indulgentia invertat religionem in quoddam chaos, in atheiſmum, in beſtiarum mores, obedientiam in contumaciam unius, & optimorum regimen, in popularium plurimorum dominatum. Verum enimverò ut ut optima conſilia ſæpe peſſime cadant, hæc tamen Caroli Pacificatio usque ad legitimum Concilium iſtum quidem effectum non habet. Quid enim? ſi concedat Rex Magnæ Britanniæ Pontificiis libertatem ſuæ religionis in Anglia, anne ideo inverteret religionem in quoddam chaos, in atheiſmum, in beſtiarum mores? Certe confeſſio Auguſtana neque religionum chaos quoddam continet, neque atheiſmum docet, neque beſtiarum mores intendit: Epiſcoporum verò

Ratio pacificationis.

1532.

juriſdictionem cum dominatu populari haut commutat, multo minus obedientiam, quam ſuperioribus debemus, in contumaciam unius pervertit. Cæterum ab eo, quod per accidens religionis mutationi contingere poteſt, argumentari in univerſum, parum fidei conficit. Atque qvum concordiam religionis per legitimum concilium Imperator optimus obtinere impediretur hactenus, prudentis erat, ſaltem civilem concordiam ad reprimendum communem Chriſtianitatis hoſtem ſtabilire. Audiamus Philippum Camerario ſcribentem Idibus Aug. 1523. *Conditiones pacis acceptæ ſunt; nunc igitur erunt aliquantiſper* ἀλκυόνεια. *Nam diuturna hæc pax ut ſit, optandum quidem, ſed quid eſt, quod fore, ſpem faciat? Propemodum ita ſuſpicor; Turcas etiam cunctari, poſtquam vident non exoriri in Germania ſeditionem, id quod ipſi ſperarunt. Audiſſe enim te puto, quam miris technis, ut id fieret, multorum animi tentati fuerint.*

§. III.

confirmata 1534.

Atque parum fefellit res Philippum, namque nihilominus in Camera Spirenſi contra aliquot ſtatus Proteſtantes procedebatur, atque ita pacto illi ſub prætextu limitationis, quæ ſint cauſæ fidem concernentes, contraveniebatur. Igitur conventum iterum & renovatum id fuit in transactione *Cadavenſi* in oppido Bohemiæ *A. 1534.* §. *2.* inter Ferdinandum R. Rom. & Jo. Fridericum Elect. Saxon. quem exhibet Hortled. *l. 3. de C. B. G. c. XIII. Goldaſt. Tom. II. Conſt. Imp. p. 177.* ſimulque libertas Eccleſiarum Germaniæ ſtabilita rurſus communi utriusque partis conſenſu. Illud hic notatu dignum, quodque ad Imperatoris pleniorem pertinet poteſtatem, quod hæc transactio, atque pacificatio religioſa valide fuerit con-

Transactio Cadavenſis.

tracta

tracta atque ſtabilita, etſi plures ſtatus catholici diſſenſerint. Denique & controverſia de electione Ferdinandi R. Rom. iſta transactione fuit ſopita, verum ſub conditione hac, ut Imp. Auream Bullam declaret, ſi Rex Rom. vivo Imp. ſit eligendus, ut ante omnia de quæſtione an cauſæ ſufficientes adſint, omnes Electores convocentur, atque audiantur. *Hortled. d. l. 3. c. 13. 3.* Sed hanc conditionem non impletam fuiſſe conqueritur Elector Saxon. *apud eundem l. 4. c. 22. 54.* Inde eſt, quod etiam poſt transactionem Cadamicam Rex Rom. ab Electore Sax. non fuerit agnitus.

§. IV.

Interea de Concilio Generali toties deſiderato, toties promiſſo ſpem fecit Imp. Statibus per Edictum *apud Hortled. de C. B. G. l. 1. c. XIII.* poſtquam Imp. atque Pontifex Bononiæ An. 1532. convenientes hac de re conſultarant. Nec minus Pontifex tam per Bullam, quam per nuncium ad Electorem Sax miſſum, *c. XV. XVI. XIX. XX.* Sed minime ſecundum ductum Receſſuum Imperii, ita ut nec in Germania, ſed in Italia, & quidem *Mantuæ* à ſolo Pontifice & Cardinalibus Italicis indiceretur tandem A. 1536. *c. XXII. Goldaſt. Polit. Imper. P. XXVII. p. 1197.* Qua in re faviſſe videtur Imperatoris Orator Pontifici Romano ad Proteſtantes Schmalcaldiæ congregatos miſſus, *c. XXV.* contra proprium factum ac promiſſum, quod urgent Status, apud Hortled. d. l. *c. XXVI.* At fuit poſtea Heldus, quod nimis vehemens fuiſſet adverſus Proteſtantes in negotiis gerendis, conſilio Granvellari ab aula Imperatoris remotus. Rex Franciſcus I. Ordinibus Imperii amicitiam atque operam ad hoc ipſum, ut intra fines Germaniæ

Fides de Concilio habendo fallit.

Rex Galliæ libert. Germ. Ec. favet.

maniæ Concilium Vniverſale haberetur, obtulit, *C. XIIX.* & quidem *Genevæ:* id quod Pontifex Clemens VII. vecordiam interpretatus *P. Suav. Lib. I. Hiſt. Conc. Trid. ad A. C. 1534.* Carolus autem Imp. ſeceſſionem exinde ad Regem Franciæ metuit. *Hortled. d. l. 1. c. XXIII.* Epiſtolam Franciſci ad Melanchthonem refert Goldaſtus *Tom. II. Conſtit. Imp. p. 560.* Proteſtantium detrectationem hujus Concilii *Polit. Imp. Part. XXVII. p. 1200.*

§. V.

Paul. III. reform. Paulus III. ex Farneſio Card. Pontifex M. vir præclaris animi dotibus conſpicuus, ſed qui ipſe diſſimulationem ante cæteras omnes diligebat, ut judicat Petr. Svavis *Hiſt. Conc. Trid.* Is viſus eſt Hadriani IV. veſtigiis hactenus inſiſtere, & reformationem ſeriò aggredi. Nec enim tantum A. C. 1536. de Civitate Romana atque curia ſua ab omnibus ſordibus atque vitiis eluenda diploma publicavit, quatuor Cardinalibus eâ provincia data: Sed qvum exprobraretur & hujus negotii & Concilii inſtituendi cunctatio, triennio poſt majori niſu rem aggreſſus, quatuor Cardinalibus quinque Epiſcopos adjungens, cum hoc mandato; ut Aulæ Romanæ morbos accurate circumſpicerent, remedia eisdem cito & facilè removendis applicarent, ut ad bonam valetudinem Eccl. poſſit redire. Reformatores negotio ſuſcepto, reformationis formulam diligenter conſcriptam Pontifici obtulerant, quam Collegio Cardinalium Pontifex ad conſultandum propoſuit; ſed, qvum diſſiderent iſti inter ſeſe, aliis reformationis impatientibus, aliis eam urgentibus, res fuit rejecta in aliud tempus, atque, ut ſilentio tegeretur, à Papa mandatum. Cardinalis tamen Capuanus, Nicolaus Schombergius, qui urſerat maximè reformationem exem-

exemplar illius ſcripti miſit in Germaniam, typis poſtea evulgatum. Exhibet H. Conringius *Ge. Wicelii via Regiæ adjectam.* Pallavic. *IV.5.* S. Freiberg. *diſcurſ. 1. P. 2. Germ. perturb. in vernaculo.* Paulus porro Concilium Vicentiæ habendum indicit, A. 1537. *Pallavic. IV.5.* ſed eodem eventu, cum & par ratio eſſet: unde Pontifex Bulla XIII. Junii emiſſa, illud iterum ſuſpendit. *Pallavic. IV.6.* Conf. *Luth. T. VI. Germ. Jen. f. 53.*

§. VI.

Satis jam cauſæ habere ſibi videbantur Status Imperii detrectandi Concilii contra jura atq; *pacta* publica indicti & ſuſpenſi; ſed majus vitium ex Curiæ Pontificiæ impetu accedere, quod, nec expectata concilii congregatione, nec cognitione, nec ſententiâ, Pontifex cum Curia Italica *præjudicium* grande deſignaret de non audiendis Statibus in Concilio Reformationi à Luthero inceptæ & propagatæ addictis, utpote foventibus doctrinam *peſtiferam & hæreticam,* adeoque in futuro concilio *condemnandam.* Exhibet hanc Bullam Hortled. *c. XXIV.* Id quod Imperatoris Legato oppoſuere ſtatus reformantes *c. XXVI. & XXVIII. 2. conf.* P. *Suav. Hiſt. Conc. Trid. p. 181.* Quibus Pallavicinus *IV. 2. 6.* nihil habet reponere, niſi per obliquam tantum enunciationem, quæ in judicio haud ſatis probet, hæreticos nominatos; qui tamen potuiſſent confidere, Pontificem vel certe Epiſcopos, alioſque illarum partium, pariter fidem catholicam impugnaturos, ubi eadem illis veritas affulſiſſet. Ipſo Suavi ſuavior! *Pontifex ſe ſe reum prodit.*

§. VII.

Certe ſatis liquere Proteſtantes rebantur, ſcopum Curiæ Pontificiæ jam non eſſe, *cauſæ* controverſæ, & in comitiis Germaniæ hactenus per tot annos ſuſpenſæ & ad *Papa attentata.*

Con-

nos miſſuros eſſe noſtram legationem, ſed non conceſſuros judicium pontificiæ parti, verum petituros, ut Regnum & Monarcharum autoritate delecti homines idonei cognoſcerent has controverſias. Hæc fuit magna & difficilis deliberatio. Noſtra ſententia ſemper fuit, ne ſimpliciter recuſaretur Synodus, quia etiamſi Papa non liceat eſſe Judicem, habet tamen Jus indicendæ Synodi. deinde judicium conſtitui à Synodo debet, ſed homines acutiores diſputabant has meas rationes argutas quidem eſſe & veras, ſed inutiles. Eam eſſe tyrannidem Pontificis, ut poſtquam conſenſiſſemus, nos venturos eſſe in Synodum, interpretaturi eſſent, nos etiam Pontifici tribuere iudicandi autoritatem. Vidi aliquid eſſe periculi in mea ſententia, etiamſi erat honeſtior, ſed vicit altera ſententia, re diu accerrimeque diſputata, ut hæc fatalia mihi videantur. Periculum eſſe video ingentis motus, niſi Deus ſuccurrerit. Quanquam ſæpe dixi, rectisſime eos tantum hac recuſatione uti, ſi nolint quædam moderari & concedere aliquid τῷ ἱερατικῷ τάγματι. Illud mihi acerbiſſimum eſt, videre hæſuram ad poſteros diſcordiam æternam, & hæc fortaſſis barbariem horribilem, & vaſtitatem in hac natione omnium artium & officiorum civilium afferet. Vide quam nunc delectet illa barbaries etiam quosdam, qui avertere maxime debebant. Sed magna eſt in omnem eventum conſolatio in bonitate cauſſæ. Reſponſum eſt igitur legato Cæſaris, recuſari hanc Synodum Mantuæ indictam, & peti, ut curet Cæſar indici liberam Synodum. Cæſaris orator multa contra diſputavit: Cæſarem curaturum, ut in illa Synodo rite conſtituatur judicium, ſed hæc in genere dicta non movent noſtros. Non injuſta tamen Apologia Statuum Proteſtantium, quam refert *Hortled. l. 1. c. XXIX. Goldaſtus Polit. Imperial. P. XXVII. p. 1297.*

§. IX.

Neque enim, quod ſemel atque iterum obſervatum, omnis ſeceſſio injuſta eſt; Etenim quicunque ſecedunt τὸ ἴσον quærunt, ſive τὸ καθ' ἀξίαν, ſive κατ' ἀριθμὸν, id quod ſcopus eſt Reip. ac ſalus, itaque τούτων ἔστι μὲν ὀρέγεσθαι δικαίως, ἔστι δὲ καὶ ἀδίκως, ait Politicorum Princeps *l. V. Polit. c. 1. 2. conf. IV. Reg. XVIII 7. XIX. 21.* Conradus Brunus lib. 5. de Sedition: c. 1. *Seditionem malum vocamus, non quia natura malum. Nam & ipſa boni alicujus particeps eſt ut poſthac dicemus. Sed quia boni alicujus privatio eſt, cui conjunctum non eſt; Id eſt autem pax & concordia.* Non temere Smalcaldiæ congregati ordines *de Poteſtate & Primatu Papæ d. A. 1537.* edito tractatu ajunt: *Diſſidere à conſenſu tot gentium, & dici Schismaticos, grave eſt. Sed autoritas divina mandat omnibus, ne ſint ſocii & propugnatores impietatis & injuſtæ ſævitiæ. Ideo ſatis excuſatæ ſunt conſcientiæ noſtræ, ſunt enim manifeſti errores regni Papæ.* Itaque & divino & Gentium jure, & Publico Imperii Germanici ad libertatem à Servitute Pontificia provocarunt Eccleſiæ ac Status Germaniæ quo ipſo Jurisdictio Papæ fuit ſuſpenſa.

Seceſſio juſta.

§. X.

Diſſentit M. A. de Dominis *lib. VII. de Rep. Eccl. c. X. §. 189. ſqq.* ait: *Sed eſto, ſit Antichriſtus ille verus, ab ipſo ſolo cavendum eſt, ne quis ei, quatenus Antichriſtus eſt, ſe ſubjiciat. Ab illis tamen Eccleſiis velle abhorrere, diſcedere, & ſe ſeparare, quæ ſub illo ſuppreſſæ gemunt, quamdiu integram fidem Chriſti ſervant, & retinent, eſt profecto ſchisma indignum & reprehenſibile.* Sed quicquid ſit de Antichri-

contra M. A. de Dom. defenſa 1537.

tichriſto, qua in re cardo non vertitur, nihilominus falſa nititur hypotheſi Antonius, in fide integra fundamentali nullam eſſe inter proteſtantes & pontificios diſſenſionem. Certe enim errores, ſuperſtitiones & abuſus ſuos pro articulis fidei Catholicæ ſub anathemate propoſuit Pontifex Rom. quod in confeſſo eſt. Certum quoque eſt, communionem, quæ ſine ſchiſmate ſit, eſſe perfectam ſive totalem & in omnibus Confeſſionis articulis: at hæc talis, ipſo fatente, fieri non poteſt; igitur neceſſe fuit, ut præter communionem generalem, in ſpecie, & quoad Formulam Fidei Tridentinam ſeceſſio ſecuta fuerit, aut ſaltem ſuſpenſio Communionis omnimodæ.

§. XI.

& Gibbonem.

Nec recte *Auguſtin Gibbon de Burgo diſp. III. de Luth. Calv. reconciliab. Q. 1. §. XXI.* argumentum formavit de appellatione à Rom Pontifice ad *Chriſtum;* Namque *ad Concilium Generale* debebat formari, tanquam caput Eccleſiæ Catholicæ *viſibile.* Et concedit porro ipſe, ab uno capite viſibili ad aliud viſibile, cui ſubordinatur, appellationem eſſe efficacem. Quod denique Concilium ſit ſupra Papam Roman. ſemper credidit Eccleſia Germanica, nec ſola, neque ſine fundamento, de quo alias. Neque rem conficiunt, quæ *ſequente Quæſtione* diſputavit de ſchiſmatis injuſtitia. Sufficit enim ab unitate & puritate doctrinæ Chriſtianæ, quam *Eccleſia anterius exiſtens* habuit, receſſiſſe Eccleſiam Rom. at noſtras ad eandem rediiſſe, etſi illa vetus Eccleſia *non amplius extiterit,* nec enim hoc neceſſe eſſe facile intelligitur, ſatis eſt, quod præextiterit: id quod etiam in Reformationibus

bus Eccleſiarum V. T. cernere eſt. Neque deeſt noſtris Eccleſiis *ſucceſſio legitima*, etſi doctrinæ per ſucceſſionem translatæ accidit *impuritas*, atque depuratio, quæ ipſam ſucceſſionem, ejusque jus non tollit. Namque *Anteceſſores* noſtrorum Presbyterorum revera fuerunt *Paſtores* Eccleſiæ, ſed quales Paulus deſcribit 1. Cor. III. 12. 19. & ita quoque Pontifex caput Eccleſiarum Germ. iſtiusmodi, *ſalvoque jure Concilii Generalis*, & Nationalis. Igitur quoad iſtam ſubintroductam impuritatem doctrinæ potuit jure ſuo uti Eccleſia Germanica, & recedere vel tota, vel in ſeceſſionem partis conſentire, præſertim poſtquam *Concilio Tridenti* illegitimè coacto corruptelæ & abuſus ſubintroducti *pro articulis fidei* ſub Anathemate ſtabiliti. Nam uti hactenus impura doctrina *fundamentum ſalutis* non in totum everterat, ſed concuſſerat tamen & labefactarat; dum contra fundamentalem inſtitutionem divinam ſacræ liturgiæ plura erant ſubintroducta: ita *hi errores* poſt admonitionem Eccleſiarum Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Daniæ &c. per contumaciam *in hæreſin* degenerabant.

Capvt VI.

De
CONCORDIA ECCLESIARVM GERMANIÆ TENTATA.

Svmmaria.

Pax religioſa renovata 1539. Redunitio tentata in conventu nationali. deliberatio Proteſtantium, an & quatenus cedendum. Liberum religionis exercitium incrementa cepit. Hermanni Elect. Colon. reformatio. Conventus Hagenoenſis. Smalcaldenſis. Wormatienſis. Ratisbonenſis. Intentio Caroli. Conventio Collocutorum: à pluribus recepta: ab Epiſcopis rejecta. veteri exemplo, modo tectiori. An Eccleſiæ Germ. absque aliis reformare poſſint? Eccleſiarum & Epiſcoporum Germ. prærogativa. Libertas Statuum Secularium circa religionem. Jus Concilii ab Imperatore vindicatum.

§. I.

Pax religioſa revocata 1539.

CÆterum quantumvis ab obedientia Papali ſeceſſionem juſtam, atque jure divino præceptam, fecerint Eccleſiæ Germanicæ ad Concilium & Libertatem Chriſtianam provocantes, tantum tamen abeſt, ut Reſpubl. inde detrimentum cœperit, ut potius & Imperator, & reliqui

liqui Status à dominatione Pontificia nondum ſeſe expedientes, iniquitatem Curiæ Rom. deteſtantes, unanimi conſenſu Pacem ac Libertatem denuo confirmarent *Francofurti* ad Mœnum die XIX. April. 1539. *Pallav, IV. 8. n.59.* Decretum hoc exhibet Goldaſtus itemque Epiſtolam Ferdinandi R Rom. ad Lutherum datam œniponte Kal. Febr. 1537. *Tom. III. Conſt. Imp p.561.* Nam & hæc altera libertatis ſpecies erat revocanda, adeo ut, etſi eccleſiæ nondum hiſcere auſæ fuiſſent, tamen Principes ac ſumma Poteſtas *Imperii jura* ex manibus Curiæ Rom. repetere & poterant, & debebant. Acceſſit hinc, ut ſpreto illegitime indicto à Pontifice Concilio, cauſa reformandæ religionis altera via, *per Conventum Nationalem*, & amicabilem collocutionem (jam tum etiam à Carolo Imp. in Comitiis Auguſtanis A. 1530. tentatam *Hortled. l. 1. c. IX. §. 6.*) paucis, tam clericis, quam laicis doctis atque prudentibus & θεοδιδάκτοις intervenientibus ſopiri laboraretur: Qua de re Melanchthon in epiſtola ad Lutherum ita judicavit: *magna res promittitur: ut video, quæ ſi ſerio ſuſcipitur, ut quidem affirmat Orator Cæſareus, de Cæſaris voluntate exemplum novum erit, & memorabile. Nam Cæſareus Orator ait, Cæſarem etiam diſſentiente Pontifice tamen comprobaturum eſſe vera judicia Germanorum ſi inter eos conveniri poterit.* Tractatum ipſum exhibet *Hortled. l. 1. c. XXXII.* ubi imprimis memoratu digna ſunt verba §. 10.

1538. Conventus nationalis.

Zum dritten / dieweil wol nicht verhoffentlich iſt / daß ein beſtändiger und endlicher Frid / Ruhe der Gewiſſen / Lieb / Freundſchafft / und rechſchaffens Vertrawen im heiligen Reich erlangt werden möge / es ſey dann Sach / daß in der Religion / als der rechten Hauptſachen / ein gut Chriſtlich und endliche Vergleichung gemacht werde:

de: So hat der vorgemeldte Käyſ. Orator bewilliget/ daß die Käyſ. Maj. einen Tag ungefehrlich auff prima Auguſti nechſt künfftig/ gen Nürnberg außſchreiben/ daſelbſt ſollen die Ständt der Römiſchen Kirchen anhängig/ und die Ständt der Augſpurgiſchen Confeſſion/ und derſelben Religion verwandt/ beyder Theils durch ſich ſelbſt/oder ob ſie wöllen/durch ihre Botſchafften erſcheinen. Doch/ daß die Geſandten von beyden Theilen fromme/richtige/verſtändig/gottsförchtige/ Fried-und Ehrliebende/nicht eigenſinnige/zänckiſche/ hartnäckiſche Leut ſeyn/ und auch Urkundt bringen/ von den Ständten/ von denen ſie geſchickt werden. Dieſelbigen Ständt oder ihre Botſchafften ſollen ſich der Anzahl der Perſonen gelehrter Theologen/ und verſtändiger Läyen/ietzt gemeldter Condition und Eigenſchafft/eines groſſen und kleinen Außſchuſſes vergleichen/und vereinigen/ und der Zwiſpalt des Glaubens durch dieſelbigen erſtlichen im groſſen/und nachmals im kleinen Ausſchuſſe fürgetragen / darvon Chriſtlich/friedlich/und gütlich geredet/und auff ein Chriſtlich löbliche Vereinigung gehandelt/ und nachmals die Handlung/allen erſcheinenden Ständen und Botſchafften angezeiget werden.

Und wiewol wir/die obgemeldten Churfürſten/ als Underhändler/der Sachen zu gut/für uns ſelber/ die Ding dahin gezogen/daß zu der Röm. Kayſ. Maj. Willen und Gefallen ſtehen ſoll/ der Päpſtlichen Heiligkeit zuverkündigen/ob ſie wölle/denſelbigen Tag beſuchen laſſen? So haben doch die von der Augſpurgiſchen Confeßion/und derſelbigen Religion Verwandte/ aus Urſachen/ daß ſie den Papſt nicht für das Häupt der

der Chriſtlichen Religion halten noch erkennen / und deßhalben ihrer vorgethaner Proteſtation zuwider nicht gehellen noch bewilligen wöllen / ihne in dieſem Vertrag zu beſtimmen. Achten auch für unnoth / ſeine Oratores bey der obgeſchriebenen Verſamlung/und Underrede/als obſtehet / zu haben.

So mögen auch beyde Käyſ. und Königl. Maj. Verordnete / von hohen ehrlichen anſehnlichen Perſonen bey allen vorangezeigten Handlungen/haben/ und ob ſich die Theil in einem oder mehr nicht vergleichen könten/daß darinnen durch dieſelben Verordneten / zu guter Chriſtlicher Vergleichung / mit beyder Theil Wiſſen und Willen/möge gehandelt werden.

Und was alſo einträchtiglich mit gutem Willen/ von den Ständen beyder Theil/ oder ihren Botſchafften / oder durch Mittel der Verordneten von Röm. Käyſ. und Kön. Maj. mit ihrer aller gutem Willen/ beyder Theil Ständt oder Botſchafften bewilligt und beſchloſſen wird/das ſoll an die abweſenden Ständt gebracht / und deren Meynung darinn gehört/ und ſo ſie daſſelbig auch alſo bewilligt / durch der Käyſ. Maj. Oratoren/wie er ſich erboten hat / in Krafft ſeines habenden Gewalts/in Nahmen Röm. Käyſ. Maj. ratificiret werden. Oder aber die Ständt von beyden Theilen / mögen (ob ſie wöllen/) die Römiſch Käyſ. Maj. unterthäniglich erſuchen / ſolche Vergleichung durch Mittel eines Reichstags / oder in andere gebührliche Wege/hierzu dienſtlich und nothdürfftig / zu ratificiren/zu publiciren/und darob zu halten.

§. II.

Hinc apud Proteſtantes deliberari cœpit in anteceſſum, de via componendi diſſidium circa dogmata inter Theologos utriusque partis, & an & quatenus Proteſtantes cedere poſſint Pontificiis. Philippus, primarius à Luthero harum deliberationum ductor, Camerario Non. Febr. 1536. ſcribit: *De Synodo, quam Argentinenſes expetiverunt, cum viderem cæteros illorum amicos vehementer eam & defugere & deprecari, meum hoc fuit conſilium, ut res differatur, donec Cæſar indixerit concilium. Nam cum id fiet, res ipſa coget nos convenire, ut deliberemus ſerio, quid ad extremum defenſuri ſimus, nec vero dubito, quin Cæſar ſit indicturus Synodum. Erit igitur libero opus colloquio inter nos omnes, quæ dogmata tanti facienda ſint, ut anteferri debeant communi concordiæ orbis terrarum, ut propter ea æternam diſſenſionem Eccleſiæ, infinitum bellum non debeamus defugere. Placuit mea ſententia Jacobo Sturmio* καὶ τῷ μακεδόνι. *Nuper etiam aliis indicavi, ſed quid eis videatur, plane ignoro: habent enim de meis conſiliis mirificas planeque inanes* ὑπολήψεις. θαυμαῖς *noſter nuper ad me, cum quidem probet meum conſilium, tamen contumelioſſimas litteras ſcripſit. Sed ego Fabianam illam diſſimulationem, quantum potero, retinebo, de qua ait poëta vetus:* Non ponebat enim rumores ante ſalutem. *Nullæ injuriæ, nullorum importunitas me ab hac moderatione abſtrahet, qua aliquot jam annos uti conatus ſum, nec privatas ullas offenſiones cum Reip. incommodo ulciſcar. Quo conſilia mea ſemper ſpectarint, quid volverim, præſertim cum tantæ ſint hominum tamque pernicioſæ inter ſeipſos diſcordiæ, ut velut Cadmei fratres ſeſe mutuo conficiant: non difficile eſt mihi exponere, & ſpero me & Deo & bonis viris voluntatem & conſi-*

Deliberat. de comp. dogmat. controv.

lia

lia mea probaturum eſſe: ſed hæc pertinent ad congreſſum noſtrum. Atque qvum anno ſequente conventus propterea Smalcaldiæ inſtitutus eſſet, rem ibi geſtam ita refert: *Cum ſcirem conventum indictum eſſe, ut Principes de Synodo deliberarent, nos de doctrina colloqueremur: Veni huc animo mirificè anxio. Nam qualia principum conſilia futura eſſent, prævidebam, & , ſi certamen acrius exiſteret inter Theologos, diſcordias videbam futuras horribiliores. Non enim ignoro, quo propendeant animi certorum, & quibus ſuam fabulam ſinguli ſaltent. Venerunt huc Lutherus, Pomeranus, Spalatinus, Oſiander, Vitus, Urbanus Regius, Amsdorfius. Nam reliquos nominare nihil attinet. Ex iis qui diſſentire à noſtris putantur, nemo affuit præter Blarerum & Bucerum. Duæ autem cauſæ fuerunt inſtituti congreſſus Theologici: Altera, ut de doctrina fieret collatio non futilis, ſed accurata, ut tollerentur diſſidia, & conſentiens doctrina & explicata in noſtris Eccleſiis extaret. Altera, ut deliberaretur, qui articuli ad extremum defendendi ſint ac retinendi, & anteponendi communi tranquillitati & omnibus rebus humanis, qui concedendi Pontifici, καὶ τῷ ἐκκλησιαστικῷ πολιτεύματι propter pacem, & ad communem Eccleſiæ concordiam reſtituendam, ſi res ad moderationem aliquam deduceretur. Honeſtiſſimum profecto conſilium fuit inſtitutæ utriusque diſputationis, & ortum de multis noſtris querelis & ſermonibus. Sed neutra proceſſit: primum de rebus concedendis, nullam prorſus volebant fieri mentionem indocti & vehementiores. Ajunt obfuturam nobis nunc in ipſa ἐπιτάσει fabulæ inconſtantiæ opinionem, non ſolum apud alios, ſed etiam apud noſtros, futurum etiam, ut cedentibus Cæſar acrius inſtet. Hæc pariunt ſuſpiciones bonis & moderatis multiplices & ſolicitudinem augent.*

Deinde ne doctrina accurate conferretur, nominatim petitum eſt, ne certamen aliquod augeret diſcordias, & diſtractionem afferret. Vidi hæc pericula impendere, priusquam huc veniremus, ac monui noſtros, ſed erant pleni bonæ ſpei. Proinde hic, ne nihil ageremus, ac plane κωφὰ πρόσωπα *eſſemus, juſſi ſumus componere aliquid de Petri ſeu Pontificis Romani primatu, de poteſtate & Jurisdictione Epiſcoporum. Hæc ſcripſi mediocriter & exhibui. Juſſi ſumus &* παρέργως *percurrere articulos Confeſſionis, & audire, ecquis diſſentiat in aliquo articulo, aut improbet aliquid. Ac principes diſerte teſtati ſunt, ſe formulam concordiæ conſervaturos eſſe: fuit breve colloquium.* περὶ τῶν μυστηρίων *dixit Bucerus plane & clare, affirmans præſentiam Chriſti, ſatisfecit noſtris omnibus, etiam iis, qui ſunt duriores. Blarerus generalia ſic ſatis, adeſſe Chriſtum. Poſtea quædam addit ambigua. Oſiander urgebat eum paulo acrius: ſed quia nolebamus excitari certamen vehementius, interpellavi diſputantem. Ita diſceſſum eſt, ut inter cæteros omnes conſenſus conſtitutus ſit, hic vero non repugnare videretur: ſcio hæc eſſe infirma, ſed aliud agi hoc tempore non potuit, præſertim abſente Luthero, qui doloribus calculi acerrimis conflictabatur. Hæc fuit* καταστροφὴ *congreſſus* τῶν μυσταγωγῶν. Adde acta Conventus Wormat. An. 1540. quæ ad eundem miſit, cum epiſtola ſequente ubi obtrectatoribus reſpondere ſatagit. Viciſſim ex parte Pontificiorum *Jo. Cochlæus* juſſu Ferdinandi Regis compendioſam explicationem anno 1540. obtulit, quid in A. C. à Pontificia Eccleſia tolerandum aut acceptandum ſit. *Exhibet Goldaſt. Polit. Imper. P. XXVII. p. 1204.*

Lib. Relig. increm.

§. III.

Hinc omnia ad concordiam in Imperio videbantur incli-

inclinare, & ad Eccleſiæ Germanicæ libertatem ac ſalutem. Nam & Joachimus Elector *Brandeburgicus*, etſi Pontificiæ parti addictus, ſubditis libertatem religionis concedebat: & Albertus Elector & Archiepiſc. Moguntinus & Magdeb. ſubditis AEpiſcopatus *Magdeburgenſis* eandem indulgebat A. C. 1539. At Hermannus AEpiſc. *Colonienſis* ab An. 1536. Eccleſiæ ſuæ reformationem cœperat, ſpreta Pontificis citatione *vid. Petr. Svav. Hiſt. Conc. Trid. p. 153.* qui tamen An. 1547. ne armis Imperatoris Provincia peteretur, ceſſit Archiepiſcopatum Adolpho Coadjutori ſuo, *ibid. p. 289. Pallavic. 7:1. Melanchth. ad Camerar. p. 384. ſeqq. 427. ſeqq. Maynburg. Hiſt. Luth. p. 258.*

§. IV.

Inſtabat *Conventus Hagenoenſis*, ut per pacificos ac doctos viros cauſa religionis amicabiliter componeretur, de quo & quibus de cauſis nihil actum, refertur latius apud Hortled. *l. 1. de C. B. G. c. 33. 34. 35.* Receſſus tamen aliquis ibi compoſitus, qui poſtea in Receſſu Spirenſi Anno 1541. ſæpe allegatur, ſed quem nondum vidi. Nec Lutherus credo viderat A. 1541. cum reſponderet ad propoſitionem Statuum, *T. Jen. Germ. VII. f. 443. ſqq.* Lamb. Hortenſius *Montfortius lib. I. de Bello Germ.* rem ita refert: *Conventum brevi eſt Hagenoam quod peſtis Spiræ non remitteret, VII. Kal. Julias. Præter Principes, & Principum ac Civitatum legatos, Theologi convenere multi. Adverſarii ab his poſtulant doctrinæ capita, quæ in controverſiam traherentur. Reſponſum à Theologis, ea Auguſtæ exhibita fuiſſe, & quidem ante annos X. Ad ea defendenda huc jam ſe adeſſe, quo hac via aliquando ad colloquium perveniretur: Exhibetur liber iis, qui medii diſceptatores eſſent. Ab his paucis poſt diebus reſpondetur, quædam reconciliata eſſe,*

Convent. Hagen. 1540.

aliqua nondum. Poſtremo poſt altercationem leviuſculam decernitur ad hunc modum: Ut dies Wormaciam, ſi Cæſari ita videretur, alius indiceretur, in quo Confeſſio Auguſtana ab undenis, adhibitis ſcribis fidis pari numero, qui fideliter & raptim non argumenta ſolum ſed verba ipſa etiam excepta chartis traderent, diſcuteretur. Interea loci utrinque ab injuria abſtineretur. Eo Septemviri Electores ſuas legationes una mitterent & cum his Magdeburgenſis, Salisburgenſis Argentoratenſisque Epiſcopi: Guilielmus item Dux Clivenſis, & Guilielmus ac Ludovicus Bavari. Approbatur à Cæſare decretum. Hæc Hortenſius. Convenerunt Proteſtantes etiam *Smalcaldiæ* anno 1540. ubi Legati Imperatoris conſuluerunt, ut peterent Proteſtantes hanc rem *privatim* agi ab Imperatore, eumque quaſi διαιτητὴν facerent harum controverſiarum privatim. Sed maluerunt Proteſtantes, ut res non privatim, ſed *in publico* conventu ageretur. Acta breviter recitat Melanchth. *ad Camerar. pag. 344.* Mox igitur eadem via illa, de qua Francofurti conventum erat, inita *Wormatiæ*, atque inter Eccium & Melanchthonem de natura peccati originis ad ſecundum A. C. articulum, multa ſubtiliter *diſputata*, ut tandem negotium ad Comitia Ratisbonenſia anni 1541. prorogatum. *Hortled. l. 1. c. XXXVI.* Melancht. *ad Camerar. p. 322. 329. 342. ſeqq.* idem & hujus colloquii protocollum anno 1542. Witebergæ edidit.

Colloq. Wormat.

§. V.

Conventus National. Ratisbon. 1541.

More igitur Majorum, reſtitutaque Imperio libertate, & priſtina in communi Imperatoris & ordinum conventu, de rebus ſacris atque Fidei Chriſtianæ cognoſcendi & tractandi poteſtate, Carolus V. Imp. anno 1541. Comi-

tia Ratisbonæ celebravit, atque imprimis controverſam religionis cauſam, deque fide & diſciplina Catholica præſente ac conſentiente Legato Pontificio, ita ventilari ac compoſitionem amicabilem iniri fecit, ut ipſe eligeret cum conſenſu ordinum, ex utraque parte certos Collocutores, Julium Pflugium, Eccium & Gropperum: itemque Philippum Melanchthonem, Martin. Bucerũ, & Jo. Piſtorium, præſidentes verò Fridericum Palatinum Rheni, & Granvellanum: ſed & præterea propoſuit *Formulam ineundæ concordiæ*, quæ Groppero concinnatori adſcribitur. *Pallavic. 4: 14. 4.* quam utraque pars collocutorum examinavit, & in quibusdam Fidei articulis, controverſis hactenus, temperatam illam doctrinæ Evangelicæ Formulam approbavit, mutatis & declaratis communi utriusque partis conſenſu his, quæ neceſſaria fuere viſa: exceptis quibusdam, quæ Proteſtantium Collocutores acceptare noluerunt, ſed ſententiam Auguſtanæ Confesſioni conformem peculiari ſcriptura deduxerunt. edidit Melanhthon hæc 1541. acta *V. Goldaſt. Tom. II. Conſt. Imp. p. 182. ſqq.*

§. VI.

Quo facto, acta & conventa Imperatori fuerunt oblata, ut ante omnia ſtatus Imperii de iis conſultarent, & concluſum Collocutorum tandem acceptarent, deq; cæteris articulis eadem viâ porrò incederetur, atque ſic totum circa Fidem Catholicam disſidium componeretur. Quam *viam veram atque unicam* controverſias Fidei decidendi Imp. atque Ordines judicárunt, ac confirmavit collocutor Bucerus *in Actis de hoc Colloquio editis apud Hortled. l. 1. d. C. B. G. c. 37. n. 290.* Sed hic aſſerit præterea etiam pluribus, *n. 462. & 633. ſqq.* articulos illos, de quibus Proteſtantes cum Pontificiis *non convenire* poterant, *non*

Intentio Imp. & conventio Collocut.

eſſe

eſſe neceſſarios ad ſalutem: nempe de auctoritate Conciliorum; de Tranſubſtantiatione: de enumeratione peccatorum in confesſione auriculari, de ſatisfactione, de ſacramento Confirmationis & extremæ unctionis, de miſſa, de Regimine Eccleſiaſtico, de precibus pro defunctis, de invocatione Sanctorum, deque Conjugio Sacerdotum, quæ tamen cum grano ſalis accipienda, ut & ipſe pluribus ibi explicat, lectu non indignis.

§. VII.

Juvat autem & Philippi ſecreta hoc de negotio judicia audire, quæ in ſinum ſui Camerarii effundebat tunc: Atq; ſub initio Comitiorum, die XIX. April. hæc ſcribit: *Hiſtoria Conventus adhuc perbrevis eſt. Sed petimur inſidiis aliquando aſtutius, quam in Vangionibus. Deligentur iterum quidam, qui de dogmatibus deliberent. Id impedire conantur Pontificii. Atque utinam hæc incepta conſilia Deus diſſipet.* Mox XXIII. ejusd. menſis: *De conventu piget ſcribere. Nam & has conciliationes fallaces, plenas turpitudinis & periculi, inſtitui nollem, & levitatem Alcibiadis noſtri, quem ego tantopere dilexi, execror. Is nunc* ἀμφοτερίζων hic καὶ τοῖς τε λακεδαιμονίοις καὶ τῷ βασιλεῖ καλῶς φέρεται, καὶ θεραπεύεται, *gubernat hæc conſilia conciliationum. Delecti ſunt ſex, Julius, Eccius, Gropperus, Bucerus, Piſtorius & ego. Heri nos Imperator allocutus eſt, & ſatis comiter hortatus, ut amanter colloquamur de dogmatibus. Nunquam res inſtructa eſt inſidioſius. Nec video nos humano conſilio ex his laqueis evadere poſſe. Quare adjuvet nos precibus ſuis Eccleſia tua domeſtica, quam ut Deus ſervet, ex animo opto. Si Eccius aget ſuo more violentius, minus erit periculi. Et ſpero ſui ſimilem fore. Nam quia habent jam irretitum Alcibiadem, putabit nos in metu eſſe,*

&

& aget omnia θρασύτερον. Magis metuo Aenidæ moderationem, quam hujus θορύβους. Poſt cœptum vero colloquium, die X. Maji hæc refert: *Hic poſtquam conciliationes inſtitutæ ſunt, principia mediocria fuerunt.* περὶ τῆς δικαιοσύνης τῆς ἐκ πίστεως *convenit. Adſentiuntur delecti, juſtificari homines fide, & quidem in eam ſententiam, ut nos docemus. Formula compoſita eſt, quæ etſi brevior eſt, quam cauſſæ magnitudo poſtulat, tamen mediocris eſt. Poſtea fuerunt altercationes de autoritate Synodorum. Contendebant non poſſe errare legitime convocatam Synodum. Cumque non aſſentiremur, rejecta eſt diſputatio in aliud tempus, ſecutum majus certamen* περὶ δείπνου κυριακοῦ. *Volunt mutari panem & repoſitum adorari. Nolui aſſentiri, fuique durior, quam meus* ἀνδρασάτης, *qui olim maxime oppugnavit illam adorationem. Nec ſervit hac mollicie* τῷ μακεδόνι, *qui nunc aliquanto minus ſpei habet de his futilibus compoſitionibus, quam videbatur initio habere,* καὶ ἀσεβῶς καὶ ἀνδρείως *dicit ſententias. Nunc quia in eo articulo non convenit, juſtitium eſt. Hodie expectamus novos congreſſus, quos Deus gubernet.* Denique die 21. Junii ſcribit: *De libro, quem Imperator delectis ſex viris excutiendum dedit, nondum dictæ ſunt ſententiæ. Fuerat enim à Marchione ad Lutherum miſſa legatio, quem ſperarunt fore tractabiliorem, quam ego videor. Illius Achilleum ſtomachum ſi recte novi, ubi librum viderit, mihi etiam ſuccenſebit, quod tam multa præterii. Ac rediit legatio, hanc intelligo ei non oſtendiſſe librum: Tantum de iis articulis, qui non ſunt conciliati, rogaſſe ipſius ſententias. Reſpondit ſe probare ea, quæ nos appoſuimus. Nos enim miſeramus. Ceterum & in formula* περὶ τῆς δικαιοσύνης *idem reprehendit, quod tibi diſplicet: de partiali agente. Ego etſi ſciebam non illi, ſed noſtris in-* p. 364.

ſuave fore, tamen non volui rejicere, cum ſit verum. Porro Lutheri ſententiam hac de re tum epiſtola ejus *Tom. VII. Jen. Germ. fol. 441*, tum Judicium de libro illo concordiæ Electori Sax. transmiſſum, *fol. 447.* indicat.

§. VIII.

à plurib. receptæ. Læta interim hæc concordiæ initia videbantur. *Electorale* Collegium juxta deſiderium Imperatoris acceptaverat tandem Articulos, de quibus convenerant Collocutores, de reliquis reſervantes cognitionem Concilio Oecumenico, aut Nationalibus: Etſi enim, ut Melanchthon *1541.* Camerario die XV. Julii refert, diſſenſerit Moguntinus, qui toties antea probaſſet articulos, itemque Trevir: Reſponſum tamen eorum unanime ad Imp. exhibet Hortled. *d. l. 1. c. 37. 505.* breviter Pallavic. *4. 15. 6.* Idem fecerant *Principes* Proteſtantes, apud Hortl. *n. 573.* & *civitates* Imperiales *n. 645* At recuſarunt *Epiſcopi*, & Principes Pontifici addicti, *n. 600.* urgente ſcilicet Nuncio Pontificis, *Contareno*, ut omnia manerent in integro usque ad Concilium univerſale, & conventio ſuper articulis in ſuſpenſo: *ab Epiſcopis rejecta.* immaturum quoque & præceps Pauli III. præjudicium, mollioribus licet verbis, repetiit ille. *Vid. n. 478. 498. 502. & Pallavic. d. c. XV. l. 4.* Quamobrem Jmp. piiſſimus, ne majores excitarentur turbæ in Imperio, ceſſit Epiſcopis, & hanc de religione conventionem in pendenti eſſe juſſit usque ad Concilium in Germania habendum, vel Comitia: Injuncta interim Epiſcopis reformatione Cleri Pontificii, Proteſtantibus verò, ne articulis conventis contravenirent. Vide Receſſ. Imp. *de A. 1541. §. 21. ſqq.* itemque declarationem Imperatoris ſuper Receſſu Proteſtantibus datam,

datam, *apud Hortl. d. c.37. 713. Conſ. acta apud Goldaſt. Tom. II. Conſt. Imp.*

§. IX.

Lætis initiis quod eventus non reſponderit in aprico eſt, non à Proteſtantium Theologis, ne in ſibi patrocinantium Principum indignationem incurrerent, ut Pallavicino viſum, *lib. 4 : 14 : 11. ſqq.* fuiſſe impeditum, nec impediri ab ipſo Pontifice potuiſſe, niſi *Epiſcopi Germaniæ*, quorum munus tamen erat, de religione reformanda eſſe ſollicitos, huic officio ſuo voluiſſent deeſſe. Enimvero jam tum ſupra obſervavimus, qvum *Ludovicus Pius Imp.* reformationem Eccleſiarum, nec dum adeo, ut in præſenti erant, corruptarum, ſuſciperet, ipſi neminem magis obſtitiſſe quam ipſos Epiſcopos. Eadem intentio continuata poſteris videbatur huc usque. *veteri exemplo.*

§. X.

Sed ut tum initia fuerunt dolorum, ita Caroli noſtri tempora in eo feliciora, quod finem iſtorum ſenſerint. Nec enim amplius auſi ſunt Imperatoris Chriſtianiſſimæ intentioni directo contradicere, multo minus iſtorum, qui Ludovicum Pium reformantem, exaugurare præſumſerant, Epiſcoporum exemplum ſequi: At per indirectum tamen ſufflaminarunt Concordiæ Chriſtianæ progreſſus. Imperator id agebat prudentiſſime, ut ea, de quibus Collocutores inter ſeſe, usque ad Imperii & Eccleſiarum Germanicarum ratihabitionem convenerant, *ante omnia à Statibus ipſis* ponderarentur, & deliberato conſilio rata haberentur, poſtea demum cum Legato Pontificis ſe ſe de negotio communicaturum. *V. Hortled. cap. 37. n. 288.* *mod occultiori.*

& 455. Qua in re *cardo* tum vertebatur *Libertatis Eccleſiarum* Germanicarum, earumque unionis. Cujus qui adjutores debebant eſſe, ſuppreſſores ſe ſe deſignarunt. Id enim contra moliti, ut contra Imperatoris mentem ante omnia communicatio fieret *Nuncio Pontificis* eorum quæ inter Collocutores geſta conventa, quod primo paucorum, & inprimis Eccii inſtigatione, actum, *Hortled. d. c. 37. n. 291.* mox ordinum conſenſu publice propoſitum *n. 294.* eoque ipſo id obtentum, ut, quod ipſi non auderent per ſe, Pontificis Legatus contenderet, ne videlicet jam tum à potiori ordinum parte deſiderata unio religionis iniretur, ſed Concilio Pontificis res committeretur: cui poſtea eo tutius & majori cum effectu Epiſcopi adhæſerunt. Pallav. tamen *hiſt. C. Tr. 4. 14. 13, ſq.* aſſerit, id temporis Germaniæ Antiſtites adeo negligenter ſe geſſiſſe, ut hinc tanta religionis clades in Germania ortum ac vires traxerit, conſiliumque Romæ agitatum, uti ibi Germanicum Collegium fundaretur, quaſi tyrocinium præcellentium Paſtorum, quorum cuſtodia à Chriſti grege luporum impetus arceretur.

§. XI.

An Germ. Eccl. abſq; aliis reformare poſſint? Eccleſ. Germ. prærogativa. ex Jure Imperii.

Sed imò jus ſuarum Eccleſiarum, jus ſtatuum, ac κύρειον Germaniæ, in dubium vocare viſi ſunt; *Nefas* eſſe, aſſerentes, *Nationem Germanicam ſine conſenſu cæterarum Nationum Chriſtianarum reformationem religionis ſuſcipere.* Cui exceptioni ſatisfacit Bucerus *apud Hordled. d. cap. 37. n. 395. Goldaſt. Tom. II. Conſt. Imp. p. 230.* Eam profecto præeminentiam Eccleſiis Germanicis tribuit Imperium, Regno Germanorum tot ſeculis quæſitum, ut ea non à cæteris, ſed cæteræ ab noſtris dependerent, & exemplum

inde

inde accipere deberent. Cum olim controverſiam Iconomachi CPolitani moverent, & adverſa pars Adorationem imaginum urgerent; Elipandus vero Hiſpaniæ Epiſcopus dicam Filio DEI ſcriberet Salvatori noſtro O. M. tum certe Carolus M. Imper. nec juſſum Pontificis expectabat, nec conſenſum Eccleſiæ Orientalis aut Nationis Hiſpanicæ, ſed jure ſuo in Germania, ac *Francofurti* conventum Generalem convocabat in quo Eccleſiæ Germanicæ primas obtinebant partes, & decretum, invito etiam Pontifice Rom. adorationem imaginum aſſerente, per omnes Imperii Romani partes publicabatur, nec quisquam contradicere auſus, aut detrectare obſequium. Vigebat quippe tunc *ſumma Imperatoris Romanorum circa ſacra Poteſtas*, radicata in regno Francorum; quo poſtea diviſo, Germaniæ Regno usque ad hunc diem per ſingularem DEI gratiam inhæſit: Et quamvis ejus exercitium per artes Hildebrandinas aliquandiu ereptum Imperatori & Imperio, revelata tamen Evangelica veritate, vindicari feliciter cœpit, ac felicius deinceps vindicabitur.

§. XII.

Porro & hoc ad Germanicarum Eccleſiarum prærogativam facit, quod rectè inde Epiſcopi Germaniæ, eorumque Eccleſiæ, id ſibi deberi aſſerunt, ut non Epiſcopos modo, ſed & Archiepiſcopos aliarum nationum præcedant, qvum ipſi ſint Principes Imperii & ipſorum Eccleſiaſtica Territoria Principatus: unde fit, ut & alii Epiſcopi, qui non ſunt Principes Imperii, non niſi capite aperto illos affari ſoleant. *P. Svav. Hiſt. Conc. Trid. p 129.* Sed & præter hunc Nationis Germanicæ characterem, & hanc

Epiſcoporũ Germ. prærog.

Eccleſiar. libertas communis

præ cæteris Nationibus Chriſtianis eminentiam antiquiſſimam, accedit *Libertas Eccleſiarum Chriſtiana generatim*, qua ipſa etiam Gallicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, aliæque Eccleſiæ gaudent, ut controverſias Fidei in ſinu ſuo excitatas ſecundum SS. Scripturarum normam, & fidei divinitus revelatæ ànalogiam examinare ac decidere, etiam ſine reliquarum conſenſu, valeant. Etenim quod ſingulis Chriſtianis θεοδιδάκτοις & intelligentibus conceſſit Spiritus Sanctus, quî totis Eccleſiis idem denegabitur? *qua de re lib. 1. cap. 2. §. 18. ſqq.* diſputatum.

§. XIII.

Libertas Statuum Secul. Quinimò & ſeculares *Status* noſtri Imperii gaudent ab antiquo reformandi poteſtate, quam anteriori ſeculo exſeri cœpiſſe, antea animadverſum. Objici his quidem poſſe videtur, eos occupaſſe jus circa ſacra, quod *Epiſcopale* vocant, nullo jure, quoniam id antea nulla unquam lege, vel titulo legitimo acquiſiviſſent, aut exercuiſſent, ſed ab origine Imperii Germanici Jus circa ſacra pertinuiſſe ad Imperatorem & poſtea ad Pontificem Rom. & ab hoc dependentes *Epiſcopos* Germaniæ. *Defenſa 1.* Sed ad hæc repono. Primò quod in univerſum verum non ſit, *Principes Imperii* nullos unquam habuiſſe jus circa Sacra, & Epiſcopos conſtituendi, id enim *Duces Bavariæ* ab Henrico I. Imp. impetraſſe docet *Luitprandus*, Epiſcopus, quod ſuo loco attigimus. Alii Status idem potuerunt acquirere, ac *vi Superioritatis* h. e. Majeſtatis analogæ, cujus pars eſt jus circa ſacra, acquiſiviſſe, ratio facit, etſi per tempora quædam hierarchica unus atque alter minus exercuerint: Exercendi tamen non *poteſtatem* tantum

habuiſ-

habuiſſe, ſed etiam officio ad id *obligatos* fuiſſe, jam tum *Marſilius Patavinus* graviſſime docuit *P. 2. Defenſ. Pacis C. XXV. ad fi. & P. 3. Concl. XL.*

§. XIV.

Deinde poſito, necdum conceſſo, Status *ſingulos* non habuiſſe antea jus circa ſacra & inde dependentem ſacra ordinandi reformandive poteſtatem; pertinuit tamen jure optimo maximo ab origine usque ad Imperatorem atque *Imperium* ſive Status *univerſos*; atque ab his demum per Transactiones aliquas ad Pontificem Rom. translata fuit. Cum igitur à magna univerſitatis Germaniæ parte, ſuperiori præſertim ſeculo, oſtenderetur, acquiſitionem iſtam Pontificis injuſtam eſſe & invalidam, tunc *Imperator*, potuit, uti cæpit, ſummum jus vindicare, & Ordines jure Superioritatis quoque jus ſubalternum ſibi & ut *univerſis & ut ſingulis debitum*, jure ſuo occupare. 2.

§. XV.

Quemadmodum etiam tertio utique de hoc acceſſit communis & *Imperatoris & Statuum omnium conſenſus* per ſanctiones publicas & receſſus Imperii ac Pacificationes Religioſas, ut antea vidimus, expreſſus, quo ſingulis Statibus ac eorum Eccleſiis Provincialibus libertas reformandi juxta S. Scripturam & analogiam Fidei Chriſtianæ fuit reſtituta, atque conceſſa. Cujus fundamentum fuit jactum ſtatim unanimiter & præſente Nuncio Pontificio in Comitiis Noricis An. C. 1524. Idem confirmatum in Pacificatione religioſa, ejusque 3.

cre-

crebra prorogatione, quæ etiam in his Comitiis An. 1541. facta, & tam *Jus Reformandi*, & Sacra ordinandi ſtatibus roboratum, quàm *Jus Concilii*, ejusque effectus, circa ſopiendas Fidei Chriſtianæ controverſias, *Comitiis* Imperii Germanici, ad inſtar veteris formæ, in caſu detrectationis Pontificiæ poſtliminio vindicatum. Itaque Anno C. 1526. die VI. Octobr. Carolus ad Senatum Cardinalium literas dederat, quibus obſecrâvit eos, ut ad Concilium convocandum Pontificem impellerent, aut eo renuente ipſi indicerent. *Pet. Suav. hiſt. Trid. l. 1. p. 43. Pallav. 2. 13. 13.* Poſtea pace cum Gallo confecta, id egit Imperator, ut Concilii indicti ipſe appareret auctor & architectus, Papa adjutor, *vid. Petr. Suav. hiſt. Concil. Trid. l. 2. pr. Pallavic. 5. 7. 9. & 11.* Sed & nihilominus in *Comitiis* de eadem religionis cauſa egit, fremente licet clero Romano. *ibidem. p. 125. 132. 135.*

Jus Concilii Imp. vindicat.

Caput

CAP. VII.

De

CONCILIO TRIDENTINO.

SUMMARIA.

Pontifex ocyus concilium Tridenti indicit: & ſtatim ſuſpendit. Cauſa Julii Pflugii & Nic. Ambsdorffii. Brunſvicenſis. In Comitiis Spirenſibus 1544. jus circa ſacra Imperatori & Statibus aſſertum. Poſſeſſio bonor. Eccleſ. approbata. juramenti formula emendata. Plenitudo poteſtatis circa ſacra agnita ab Epiſcopis. Modus procedendi in Concilio futuro hic præſcriptus. ingratiis Papæ, qui denuo concilium indicit. quod cœptum, quum in Germania nihilominus Ratisbonæ compoſitio religionis tractaretur 1544. exitus Colloquii, & cauſæ. Recuſatio Concilii Tridentini. Tridentum aliquando propria Sedis Rom. Bellum Germanicum ſive Smalcaldicum: exitus belli, libertas religionis.

§. I.

QVanto majori prudentia ac fortitudine Libertas Eccleſiarum Germaniæ ab Imp. Carolo, & Statibus Imp. defendi cœpta, tanto operoſius, callidiusque Curia Romana ſacram Monarchiam tueri, Reformationis pro- *Concil. Trid.*

 greſſus

eſſe neceſſarios ad ſalutem: nempe de auctoritate Conciliorum; de Tranſubſtantiatione: de enumeratione peccatorum in confesſione auriculari, de ſatisfactione, de ſacramento Confirmationis & extremæ unctionis, de miſſa, de Regimine Eccleſiaſtico, de precibus pro defunctis, de invocatione Sanctorum, deque Conjugio Sacerdotum, quæ tamen cum grano ſalis accipienda, ut & ipſe pluribus ibi explicat, lectu non indignis.

§. VII.

Juvat autem & Philippi ſecreta hoc de negotio judicia audire, quæ in ſinum ſui Camerarii effundebat tunc: Atq; ſub initio Comitiorum, die XIX. April. hæc ſcribit: *Hiſtoria Conventus adhuc perbrevis eſt. Sed petimur inſidiis aliquando aſtutius, quam in Vangionibus. Deligentur iterum quidam, qui de dogmatibus deliberent. Id impedire conantur Pontificii. Atque utinam hæc incepta conſilia Deus diſſipet.* Mox XXIII. ejusd. menſis: *De conventu piget ſcribere. Nam & has conciliationes fallaces, plenas turpitudinis & periculi, inſtitui nollem, & levitatem Alcibiadis noſtri, quem ego tantopere dilexi, execror. Is nunc* ἀμφοτερίζων *hic* καὶ παρὰ λακεδαιμονίοις καὶ τῷ βασιλεῖ καλῶς φέρεται, καὶ θεραπεύεται, *gubernat hæc conſilia conciliationum. Delecti ſunt ſex, Julius, Eccius, Gropperus, Bucerus, Piſtorius & ego. Heri nos Imperator allocutus eſt, & ſatis comiter hortatus, ut amanter colloquamur de dogmatibus, Nunquam res inſtructa eſt inſidioſius. Nec video nos humano conſilio ex his laqueis evadere poſſe. Quare adjuvet nos precibus ſuis Eccleſia tua domeſtica, quam ut Deus ſervet, ex animo opto. Si Eccius aget ſuo more violentius, minus erit periculi. Et ſpero ſui ſimilem fore. Nam quia habent jam irretitum Alcibiadem, putabit nos in metu eſſe,*

&

& aget omnia θρασύτερον. *Magis metuo Aenidæ moderationem, quam hujus* θορύβους. Poſt cœptum vero colloquium, die X. Maji hæc refert: *Hic poſtquam conciliationes inſtitutæ ſunt, principia mediocria fuerunt.* περὶ τῆς δικαιοσύνης τῆς ἐκ πίστεως *convenit. Adſentiuntur delecti, juſtificari homines fide, & quidem in eam ſententiam, ut nos docemus. Formula compoſita eſt, quæ etſi brevior eſt, quam cauſſæ magnitudo poſtulat, tamen mediocris eſt. Poſtea fuerunt altercationes de autoritate Synodorum. Contendebant non poſſe errare legitime convocatam Synodum. Cumque non aſſentiremur, rejecta eſt diſputatio in aliud tempus, ſecutum majus certamen* περὶ δείπνου κυριακοῦ. *Volunt mutari panem & repoſitum adorari. Nolui aſſentiri, fuique durior, quam meus* παραστάτης, *qui olim maxime oppugnavit illam adorationem. Nec ſervit hac mollicie* τῷ Μακεδόνι, *qui nunc aliquanto minus ſpei habet de his futilibus compoſitionibus, quam videbatur initio habere,* καὶ ἀσεβεῖς καὶ αἰθερίας *dicit ſententias. Nunc quia in eo articulo non convenit, juſtitium eſt. Hodie expectamus novos congreſſus, quos Deus gubernet.* Denique die 21. Junii ſcribit: *De* p. 364.
libro, quem Imperator delectis ſex viris excutiendum dedit, nondum dictæ ſunt ſententiæ. Fuerat enim à Marchione ad Lutherum miſſa legatio, quem ſperarunt fore tractabiliorem, quam ego videor. Illius Achilleum ſtomachum ſi recte novi, ubi librum viderit, mihi etiam ſuccenſebit, quod tam multa præterii. Ac rediit legatio, hanc intelligo ei non oſtendiſſe librum: Tantum de iis articulis, qui non ſunt conciliati, rogaſſe ipſius ſententias. Reſpondit ſe probare ea, quæ nos appoſuimus. Nos enim miſeramus. Ceterum & in formula περὶ τῆς δικαιοσύνης *idem reprehendit, quod tibi diſplicet: de partiali agente. Ego etſi ſciebam non illi, ſed noſtris in-*

ſuave fore, tamen non volui rejicere, cum ſit verum. Porro Lutheri ſententiam hac de re tum epiſtola ejus *Tom. VII. Jen. Germ. fol. 441,* tum Judicium de libro illo concordiæ Electori Sax. transmiſſum, *fol. 447.* indicat.

§. VIII.

à plurib. recepta. Læta interim hæc concordiæ initia videbantur. *Electorale* Collegium juxta deſiderium Imperatoris acceptaverat tandem Articulos, de quibus convenerant Collocutores, de reliquis reſervantes cognitionem Concilio Oecumenico, aut Nationalibus: Etſi enim, ut Melanchthon
1541. Camerario die XV. Julii refert, diſſenſerit Moguntinus, qui toties antea probaſſet articulos, itemque Trevir.: Reſponſum tamen eorum unanime ad Imp. exhibet Hortled. *d. l. 1. c. 37. 505.* breviter Pallavic. *4: 15. 6.* Idem fecerant *Principes* Proteſtantes, apud Hortl. *n. 573.* & *civitates* Imperiales *n. 645.* At recuſarunt *Epiſcopi*, & Principes Pontifici addicti, *n. 600.* urgente ſcilicet Nuncio Pontificis, *Contareno,* ut omnia manerent in integro usque ad Concilium univerſale, & conventio ſuper articulis in ſuſpenſo: immaturum quoque & præceps Pauli III. præjudicium, mollioribus licet verbis, repetiit ille. *Vid. n. 478. 498. 502. & Pallavic. d. c. XV. l. 4.* Quamobrem Jmp. piiſſimus, ne majores excitarentur turbæ in Imperio, ceſſit Epiſcopis, & hanc de religione conventionem in pendenti eſſe juſſit usque ad Concilium in Germania habendum, vel Comitia: Injuncta interim Epiſcopis reformatione Cleri Pontificii, Proteſtantibus verò, ne articulis conventis contravenirent. Vide Receſſ. Imp. *de A. 1541. §. 21 ſqq.* itemque declarationem Imperatoris ſuper Receſſu Proteſtantibus

ab Epiſcopis rejecta.

datam,

datam, *apud Hortl. d. c.37. 713. Conf. acta apud Goldaſt. Tom. II. Conſt. Imp.*

§. IX.

Lætis initiis quod eventus non reſponderit in aprico *veteri exemplo.* eſt, non à Proteſtantium Theologis, ne in ſibi patrocinantium Principum indignationem incurrerent, ut Pallavicino viſum, *lib. 4: 14: 11. ſqq.* fuiſſe impeditum, nec impediri ab ipſo Pontifice potuiſſe, niſi *Epiſcopi Germaniæ,* quorum munus tamen erat, de religione reformanda eſſe ſollicitos, huic officio ſuo voluiſſent deeſſe. Enimvero jam tum ſupra obſervavimus, qvum *Ludovicus Pius Imp.* reformationem Eccleſiarum, nec dum adeo, ut in præſenti erant, corruptarum, ſuſciperet, ipſi neminem magis obſtitiſſe quam ipſos Epiſcopos. Eadem intentio continuata poſteris videbatur huc usque.

§. X.

Sed ut tum initia fuerunt dolorum, ita Caroli noſtri *mod occultiori.* tempora in eo feliciora, quod finem iſtorum ſenſerint. Nec enim amplius auſi ſunt Imperatoris Chriſtianiſſimæ intentioni directo contradicere, multo minus iſtorum, qui Ludovicum Pium reformantem, exaugurare præſumſerant, Epiſcoporum exemplum ſequi: At per indirectum tamen ſufflaminarunt Concordiæ Chriſtianæ progreſſus. Imperator id agebat prudentiſſime, ut ea, de quibus Collocutores inter ſeſe, usque ád Imperii & Eccleſiarum Germanicarum ratihabitionem convenerant, *ante omnia à Statibus ipſis* ponderarentur, & deliberato conſilio rata haberentur, poſtea demum cum Legato Pontificis ſe ſe de negotio communicaturum. *V. Hortled. cap. 37. n. 288.*

& 455. Qua in re *cardo* tum vertebatur *Libertatis Eccleſiarum* Germanicarum, earumque unionis. Cujus qui adjutores debebant eſſe, ſuppreſſores ſe ſe deſignarunt. Id enim contra moliti, ut contra Imperatoris mentem ante omnia communicatio fieret *Nuncio Pontificis* eorum quæ inter Collocutores geſta conventa, quod primo paucorum, & inprimis Eccii inſtigatione, actum, *Hortled. d. c. 37. n. 291.* mox ordinum conſenſu publice propoſitum *n. 294.* eoque ipſo id obtentum, ut, quod ipſi non auderent per ſe, Pontificis Legatus contenderet, ne videlicet jam tum à potiori ordinum parte deſiderata unio religionis iniretur, ſed Concilio Pontificis res committeretur: cui poſtea eo tutius & majori cum effectu Epiſcopi adhæſerunt. Pallav. tamen *hiſt. C. Tr. 4. 14. 13, ſq.* aſſerit, id temporis Germaniæ Antiſtites adeo negligenter ſe geſſiſſe, ut hinc tanta religionis clades in Germania ortum ac vires traxerit, conſiliumque Romæ agitatum, uti ibi Germanicum Collegium fundaretur, quaſi tyrocinium præcellentium Paſtorum, quorum cuſtodia à Chriſti grege luporum impetus arceretur.

§. XI.

An Germ. Eccl. absq; aliis reformare poſſint? Eccleſ. Germ. prærogativa ex Jure Imperii.

Sed imò jus ſuarum Eccleſiarum, jus ſtatuum, ac τὸ κῦρος Germaniæ, in dubium vocare viſi ſunt; *Nefas* eſſe, aſſerentes, *Nationem Germanicam ſine conſenſu cæterarum Nationum Chriſtianarum reformationem religionis ſuſcipere.* Cui exceptioni ſatisfacit Bucerus *apud Hordled. d. cap. 37. n. 395. Goldaſt. Tom. II. Conſt. Imp. p. 230.* Eam profecto præeminentiam Eccleſiis Germanicis tribuit Imperium, Regno Germanorum tot ſeculis quæſitum, ut ea non à cæteris, ſed cæteræ ab noſtris dependerent, & exemplum

inde accipere deberent. Cum olim controverſiam Iconomachi CPolitani moverent, & adverſa pars Adorationem imaginum urgerent; Elipandus vero Hiſpaniæ Epiſcopus dicam Filio DEI ſcriberet Salvatori noſtro O. M. tum certe Carolus M. Imper. nec juſſum Pontificis expectabat, nec conſenſum Eccleſiæ Orientalis aut Nationis Hiſpanicæ, ſed jure ſuo in Germania, ac *Francofurti* conventum Generalem convocabat in quo Eccleſiæ Germanicæ primas obtinebant partes, & decretum, invito etiam Pontifice Rom. adorationem imaginum aſſerente, per omnes Imperii Romani partes publicabatur, nec quiſquam contradicere auſus, aut detrectare obſequium. Vigebat quippe tunc *ſumma Imperatoris Romanorum circa ſacra Poteſtas*, radicata in regno Francorum; quo poſtea diviſo, Germaniæ Regno usque ad hunc diem per ſingularem DEI gratiam inhæſit: Et quamvis ejus exercitium per artes Hildebrandinas aliquandiu ereptum Imperatori & Imperio, revelata tamen Evangelica veritate, vindicari feliciter cœpit, ac felicius deinceps vindicabitur.

§. XII.

Porro & hoc ad Germanicarum Eccleſiarum prærogativam facit, quod rectè inde Epiſcopi Germaniæ, eorumque Eccleſiæ, id ſibi deberi aſſerunt, ut non Epiſcopos modo, ſed & Archiepiſcopos aliarum nationum præcedant, qvum ipſi ſint Principes Imperii & ipſorum Eccleſiaſtica Territoria Principatus: unde fit, ut & alii Epiſcopi, qui non ſunt Principes Imperii, non niſi capite aperto illos affari ſoleant. *P. Svav. Hiſt. Conc. Trid. p. 129.* Sed & præter hunc Nationis Germanicæ characterem, & hanc

Epiſcoporũ Germ. prærog.

Eccleſiar. libertas communis.

præ cæteris Nationibus Chriſtianis eminentiam antiquiſſimam, accedit *Libertas Eccleſiarum Chriſtiana generatim*, qua ipſa etiam Gallicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, aliæque Eccleſiæ gaudent, ut controverſias Fidei in ſinu ſuo excitatas ſecundum SS. Scripturarum normam, & fidei divinitus revelatæ ànalogiam examinare ac decidere, etiam ſine reliquarum conſenſu, valeant. Etenim quod ſingulis Chriſtianis θεοδιδάκτοις & intelligentibus conceſſit Spiritus Sanctus, quî totis Eccleſiis idem denegabitur? *qua de re lib. 1. cap. 2.* §. *18. ſqq.* diſputatum.

§. XIII.

Libertas Statuum Secul. Quinimò & ſeculares *Status* noſtri Imperii gaudent ab antiquo reformandi poteſtate, quam anteriori ſeculo exſeri cœpiſſe, antea animadverſum. Objici his quidem poſſe videtur, eos occupaſſe jus circa ſacra, quod *Epiſcopale* vocant, nullo jure, quoniam id antea nulla unquam lege, vel titulo legitimo acquiſiviſſent, aut exercuiſſent, ſed ab origine Imperii Germanici Jus circa ſacra pertinuiſſe ad Imperatorem & poſtea ad Pontificem Rom. & ab hoc dependentes *Epiſcopos* Germaniæ. Sed ad hæc repono. *Defenſa 1.* Primò quod in univerſum verum non ſit, *Principes Imperii* nullos unquam habuiſſe jus circa Sacra, & Epiſcopos conſtituendi, id enim *Duces Bavariæ* ab Henrico I. Imp. impetraſſe docet *Luitprandus*, Epiſcopus, quod ſuo loco attigimus. Alii Status idem potuerunt acquirere, ac *vi Superioritatis* h. e. Majeſtatis analogæ, cujus pars eſt jus circa ſacra, acquiſiviſſe, ratio facit, etſi per tempora quædam hierarchica unus atque alter minus exercuerint: Exercendi tamen non *poteſtatem* tantum

habuiſ-

habuiſſe, ſed etiam officio ad id *obligatos* fuiſſe, jam tum *Marſilius Patavinus* graviſſime docuit *P. 2. Defenſ. Pacis C. XXV. ad fi. & P. 3. Concl. XL.*

§. XIV.

Deinde poſito, necdum conceſſo, Status *ſingulos* non habuiſſe antea jus circa ſacra & inde dependentem ſacra ordinandi reformandive poteſtatem; pertinuit tamen jure optimo maximo ab origine usque ad Imperatorem atque *Imperium* ſive Status *univerſos*; atque ab his demum per Transactiones aliquas ad Pontificem Rom. translata fuit. Cum igitur à magna univerſitatis Germaniæ parte, ſuperiori præſertim ſeculo, oſtenderetur, acquiſitionem iſtam Pontificis injuſtam eſſe & invalidam, tunc *Imperator*, potuit, uti cæpit, ſummum jus vindicare, & Ordines jure Superioritatis quoque jus ſubalternum ſibi & ut *univerſis & ut ſingulis debitum*, jure ſuo occupare. 2.

§. XV.

Quemadmodum etiam tertio utique de hoc acceſſit communis & *Imperatoris & Statuum omnium conſenſus* per ſanctiones publicas & receſſus Imperii ac Pacificationes Religioſas, ut antea vidimus, expreſſus, quo ſingulis Statibus ac eorum Eccleſiis Provincialibus libertas reformandi juxta S. Scripturam & analogiam Fidei Chriſtianæ fuit reſtituta, atque conceſſa. Cujus fundamentum fuit jactum ſtatim unanimiter & præſente Nuncio Pontificio in Comitiis Noricis An. C. 1524. Idem confirmatum in Pacificatione religioſa, ejusque 3.

cre-

CAP. VII.

De

CONCILIO TRIDENTINO.

SVMMARIA.

Pontifex ocyus concilium Tridenti indicit: & ſtatim ſuſpendit. Cauſa Julii Pflugii & Nic. Ambsdorffii. Brunſvicenſis. In Comitiis Spirenſibus 1544. jus circa ſacra Imperatori & Statibus aſſertum. Poſſeſſio bonor. Eccleſ. approbata. juramenti formula emendata. Plenitudo poteſtatis circa ſacra agnita ab Epiſcopis. Modus procedendi in Concilio futuro hîc præſcriptus. ingratiis Papæ, qui denuo concilium indicit. quod cœptum, quum in Germania nihilominus Ratisbonæ compoſitio religionis tractaretur 1544. exitus Colloquii, & cauſa. Recuſatio Concilii Tridentini. Tridentum aliquando propria Sedis Rom. Bellum Germanicum ſive Smalcaldicum: exitus belli, libertas religionis.

§. I.

QVanto majori prudentia ac fortitudine Libertas Eccleſiarum Germaniæ ab Imp. Carolo, & Statibus Imp. defendi cœpta, tanto operoſius, callidiusque Curia Romana ſacram Monarchiam tueri, Reformationis pro- *Concil. Trid.*

 greſſus

greſſus ſufflaminare, atque vere ac non ſimulate Catholicam Religionis Vnionem impedire ſategit. Igitur qvum in proxime ſuperioribus Comitiis tractata illa unio & ex parte confecta, ſuſpenſa iterum atque ad Concilium remiſſa fuiſſet, Pontifex cudendum ſibi ferrum, dum canderet, ratus, ſtatim anno ſequente A. 1542. in *Comitiis Spirenſibus* promtitudinem ſuam conteſtatus *Tridenti* urbe Germaniæ contermina & Ferdinando beneficiaria, *Pallavic. l. 4. fi.* vel *Cameraci* Concilium ſeſe indicturum, promiſit: cui contradixere ſtatus A. C. addicti, ſed Ferdinandus Rex Rom. & Status reliqui *Tridentum* acceptarunt, Pacificatione Religioſa ad quinquennium prorogata. *V. Rec. Imp. Spir. 1542. §. 128. ſqq.* Pontifex igitur ad Kal. Novembr. indixit Concilium Tridenti habendum, Bullam exhibet Hortled. *l. 1. C. 38.* Sed & Imperator etſi diſtentus Bello Gallico, maluiſſet Germaniæ aliter conſulere, uti Pontifici ſignificabat per epiſtolam *ap. eund. c. 39. adde. R. J. Spir. 1544. §. 79.* Tamen & ipſe Oratores Tridentum mittebat, *Pallavic. 5: 4: 5.* at iis mox recedentibus & Epiſcopis qui advenerant etiam diffluentibus, Pontifex communicato cum Imperatore conſilio, concilium ſuſpendit.

§. II.

Julius Epiſcop. 1542.

Interea Libertatis Germanicæ defenſores ſummi offenſam Imp. haud evitarunt. Julius Pflugius à Capitulo Numburgenſi electus Epiſcopus, ab Electore Saxoniæ non fuit admiſſus, Nicolao Amsdorffo conſtituto Epiſcopo: Imperatore & Mauritio Duce Sax. cauſam Julii approbantibus. Eodem anno Henricus Dux Brunovicenſis, infeſtans civitatem Brunsvigam & Goslariam ab eodem Electore & Haſſo victus: Guelpherbytum captum

Henric. Brunſvic.

& ſa-

& ſacra per Ducatum ad A. C. formulam formata. *Vid. Hortled. l. IV. de C. B. G.* Illorum verò uterque patientiam aliquandiu adhibere & Imperatoris in Germaniam reditum expectare juſſus. *R. J. de A. 1543. §. 37.*

§. III.

Anno 1544. Carolus Imp. Comitia Spiræ celebravit, atque de reducnda Eccleſiarum Germanicarum unione valde ſollicitum ſeſe denuò geſſit, optime perpendens, diſſidium Religionis & pacis tuendæ & juſtitiæ recte adminiſtrandæ maximum eſſe impedimentum. *R. J. h. ann. §. 77.* Quamobrem ad illud removendum conſultiſſimum arbitratus eſt, non præſtolari Concilium Pontificis R., ſed præſentius remedium eſſe, ut tractatus de religione priores ſtatim in *Comitiis* ad finem ejusdem anni habendis reaſſumerentur; concesſa etiam Statibus utriusque partis *libertate*, formulam reformandæ fidei ad conſultandum proponendi, eine Chriſtliche reformation durch die ihren verfaſſen zulaſſen/ *vid. dict. R. J. §. 80.* omiſſo cæteroquin penitus Pontificis Romani conſenſu.

Comitia Spirenſ. 1544.
Jus circa Sacra Imp.
Statuum.

§. IV.

Deinde etiam hoc ex Republica eſſe exiſtimavit, ut pax *religionis* prorogaretur, & utriusque religionis poſſeſſores *Bonorum Eccleſiaſticorum* Interdicto uti poſſidetis, ſecuri forent interim, atque ut *juſtitia* in *Camera* Imperiali ἀπροσωποληπτως adminiſtraretur, ipſumque judicium ſine diſcrimine Religionis idoneis perſonis conſtitueretur, data etiam libertate rejiciendi veterem *Jurisjurandi* formulam per *Sanctos*, ipſisque ſubſtituendi *S. Evangelium.* Etſi verò Status Pontifici adhuc adſveti noluerint hos tres articulos ſponte acceptare ac jure liberi ſuffragii:

Poſſeſſio Bon. Eccl. approbata
jurам. formula emend.

 non

non diffiteri tamen potuerunt Imperatorem cum reliquorum ſtatuum conſenſu id poſſe, *ex plenitudine poteſtatis* conſtituere, nec ſe contradicturos, *d. R. J.* §. *82.* Als wir aber in der Handlung befinden/daß zwiſchen ihnen ietzo allhie die Vergleichung ſolcher Articul / aus vielen fürgewendten Urſachen und Verhinderungen/ nicht endlich zuerlangen / und aber die Stände der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandt / uns dieſelbige drey Articul heimgeſtellt/die andern aber aus vielfältigen angezeigten Urſachen ſolches nicht thun köndten / und gleichwol ſich gegen uns / damit Friede / Ruhe und Einigkeit im Heil. Reich Teutſcher Nation möchte erhalten werden / in Unterthänigkeit vernehmen haben laſſen / da wir für uns ſelbſt / und aus unſerer Keyſerl. Macht/ und Vollkommenheit / Ordnung darinnen fürnehmen und geben würden/daß ſie ſolches geſchehen laſſen und dulden müſten / und in demſelbigen uns / als Römiſchen Keyſer / keine Form oder Maß zu ſetzen wüſten/und dann uns als Römiſchem Keyſer / unſers obliegenden Keyſerl. Ambts halben/hierin nothdürfftige Fürſehung zu thun gebühret / auch nicht gelegen oder gemeynet iſt / dieſelben Articul ohne alle ſonderbahre Erledigung und Verabſcheidung bleiben zu laſſen/ und allerhand Unfreundſchafft und Weiterung / die ſonſt zwiſchen den Ständen des Heil. Reichs leichtſam daraus erfolgen möchte / zufürkommen / hierüm und damit dannoch hiezwiſchen und ſolchem Reichstag / und im Fall ſo die Vergleichung auff demſelben nicht getroffen werden möchte / biß zu vollkommener Vergleichung in einem gemeinen Chriſtlichen Concilio, National-Verſamlung oder Reichstag zu machen / Friede

Plenitudo Poteſt. Imp. circa Sacra.

und

und Einigkeit der Religion halben / deſto baß gehalten / und das ſchädliche Mißtrauen zwiſchen den Ständen geringert werde: So haben wir ſolcher und anderer mehr redlicher Urſachen halben / unſer Keyſerlich Gemüth darzu billich bewegend / auff die Puncten und Articul / Friede und Recht belangend / wie es hiezwiſchen und vollkommener Vergleichung damit gehalten werden ſoll/von Obrigkeit wegen / und aus unſer Keyſerlicher Macht / und Vollkommenheit / uns nachfolgender Meynung entſchloſſen / geſetzet und geordnet: Entſchlieſſen/meynen/ſetzen und ordnen auch darauff/als Römiſcher Keyſer/ von obberührter unſer Keyſerlichen Macht und Vollkommenheit / hiemit ernſtlich gebietend/und wollen/daß unſer hiebevor auffgerichter und verkündeter Landfried/ Friedſtand und Abſchied/mit dermaſſen Beſcheidenheit/wie dieſelbe zuvor den Ständen allenthalben gegeben/und von ihnen angenomen worden ſind / in allen ihren Puncten und Articuln/von allen Theilen feſtiglich und unverbrüchlich gehalten und vollnzogen werden ſollen/ bey Vermeydung der Pœn und Straffe darin begriffen / wie dann auch wir/ſamt unſerm freundlichen lieben Bruder / dem Römiſchen König / dieſelbige und ietzige hie auffgerichte Friedſtände gnädiglich und beſtändiglich zu halten/hiemit verſprechen / und daß hinfüro in der Religion und Glaubens Sachen auch keiner andern Urſachen halben / in was Schein das geſchehe / niemands / hohes oder nieder Standes den andern befehden/bekriegen/berauben/fahen / überziehen / belägern/ auch darzu für ſich ſelbſt / oder iemands anders von ſeinetwegen nicht dienen / noch einig Schloß / Städt/

Märckt/Beveſtigung/Dörffer/Höff/ oder Weyler abſteigen/ oder ohne deß andern Willen mit gewaltiger That/ freventlich einnehmen / oder gefährlich mit Brand/oder in andere Weg beſchädigen / noch jemand ſolchen Thätern Rath/Hülff/und in keine andere Weiß Beyſtandt oder Fürſchub thun / auch ſie wiſſentlich und gefährlich/ nicht herbergen/ behauſen/ etzen/ träncken/enthalten/oder gedulten/ſondern ein jeder den andern mit rechter Freundſchafft und Chriſtlicher Liebe meynen/ zu deme kein Standt noch Glied des Reichs dem andern / ſo an gebührenden Orten Recht leiden mag / den freyen Zugang der Proviant/ Nahrung/ Gewerb/ Renth/ Gült/ und Einkommen/ abſtricken/ noch auffhalten ſoll / und daß dieſe Zwyſpalt der Religion anders nicht / dann durch Chriſtliche und freundliche Vergleichung eines gemeinen freyen Chriſtlichen Concilii / National-Verſamlung oder Reichstag / vermög voriger Reichs-Abſchied und Friedshandlung hingelegt werden ſoll/darzu wir allen gnädigen und vätterlichen Fleiß/ fürwenden / und an uns nichts laſſen wollen. Quamobrem Imp. Piiſſimꝰ tam circa Religionem, quam reliquos articulos Sanctionem hanc Pragmaticam conſtituit & Receſſui inſeruit *d.§.82.ſq.* ubi imprimis obſervatu dignum, quod ait, non aliter in

1544. Concilio Generali libero diſſidium religionis eſſe decidendum, quam per Chriſtianam & amicabilem compoſi-

modꝰ procedendi in Concil. tionem, anders nicht denn durch Chriſtliche und freundliche Vergleichung / id quod intentioni & bullis Pontificiis è diametro adverſum, Libertatem Sacram noſtrarum Eccleſiarum inſigniter confirmavit. Philip. Melanchthon die 7. Junii Camerario hæc ſcripſit: *Decreti*

de

de pace Spiræ jam edendi præcipuus eſt articulus quem miraberis, quo Edictum Auguſtanum ſuſpenſione, ut vulgo vocant, usque ad Synodum mitigatur. Et die Jo. Baptiſtæ: *λώφησιν Edicti Auguſtani factam eſſe intelligo. Et narrant orationem Veningeri fuiſſe dignam viro forti, qui pro hac Caroli mitigatione, dixit adverſus Moguntini Oratorem.*

§. V.

At Pontifex Rom. hanc libertatem Eccleſiis Germa- *ingratitu*
niæ ab Imperatore cum ſui præteritione datam & con- *Papæ.*
ceſſam omnium ægerrime tulit, acerrimis exprobratoriis ad illum ſcriptis, quas exhibet Pallavic. *lib. 5, 6.* una cum reſponſo perbrevi, *Cap. ſeq.* quo Imp. non obſcure retorquet *omnia illa incommoda, in quibus tunc reſp. Chriſtiana verſabatur, non à ſe, ſed à Papis proveniſſe, quippe qui haud idem ſtudium ut incommodis illis occurreretur pro ſuo ſtatu, gradu, & conditione perfeciſſent.* Tantum abeſt, ut ipſe ante literas illas oblatas jam tum ex ſe condemnaſſet, quæ Germanis in Comitiis ſuperioribus indulſerat. Quare etſi Pontifex 19. Nov. indiceret Concilium Tridenti 15. Maji 1545 inchoandum: nihilominus tamen perſtitit Imperator in propoſito, ut diſſidia religionis in conventu nationali componerentur.

§. VI.

Anno inſequente conventum quidem Wormatiæ, ſed prorogatio Comitiorum facta, & Colloquium denuo ad finem anni decretum Ratisbonæ habendum, præſcripta etiam optima normâ, quam ſuperius exhibuimus. Confirmata enim in hoc etiam Receſſu fuerunt ea omnia, *1545.*
quæ in Comitiis Spirenſibus aliisque anterioribus Eccleſiis Proteſtantium fuerant conceſſa, *per* §. *10. d. Rec. de An. 1545.* contra ac *Pallavic. l. V. c. XV.* §. *1.* retulit. Contra

ea

augendo, Notarios non niſi à Præſidibus conſtituendos, utque Præſides pariter ac reliqui, qui colloquio intereſſent, jurejurando obligarentur, de non propalandis his, quæ acta geſta, priusquam ad Imp. & Status relatum. Denique ut non omnia, quæ hinc inde diſputarentur, ad protocollum dictarentur, ſed ut de quibus articulis conventum fuerit, iis utrinque ſubſcriberetur, de quibus ſecus, utrinque rationes breviter ac nervosè ad acta exhiberentur. At *Collocutores* Proteſtantium ſcripto teſtati, quare non poſſint iſthoc modo Colloquium continuare, qvumque Præſides aliter nollent procedi, usque dum retuliſſent ad Imp. Proteſtantium Colloqvutores à Principalibus ſuis domum redire & proteſtationem ſolennem interponere juſſu ad diem XX. Martii obſecuti ſunt. Proteſtationis Formulam leges apud Hortled. *d. c. XL. §. 59. ſqq.* Philippus ad Camerarium tunc hæc queſtus: *In ripa Danubii nunc antequam noſtræ diſputationis pagellas viderunt, jusjurandum à noſtris exigunt, ne Principibus, aut ullis aliis impertiant acta, aut aliquid de actis ſignificent. Marrhanis ſuis iſta imperent, non iis quibus à Germanitate nomen eſt, quales, quales ſumus, certè te hominem γνησίως φρόνιμον ϗ ἐλεύθερον hoc juraturum non eſſe puto.*

§. IIX.

Cauſam abrupti Colloquii ad Hiſpanos & Præſidem Epiſcopum Eichſtetenſem, refert *Petrus Svavis Hiſt. Conc. Trid. p. 162.* Nec enim perſpexiſſe Pontificios, ſi conciliatio quædam dogmatum in Colloquio facta fuiſſet, quomodo poſtmodum eam in Concilio repudiarent: ſin verò eam admiſiſſent tum metuiſſe, ne concilium aliunde leges accipere crederetur. Tam diu igitur irritatos vexatosve Germanos donec abirent, ut his potius abruptionis *Cauſa abruptionis.*

mnia erant facienda, ad horum monitum aliud diploma ipſis datum, & abſoluta iis conceſſa poteſtas fuit, oppreſſa Concilii libertate. *P. Svav. Hiſt.Concil.Trid.l.2.p.122.*

§. X.

Colloquio Ratisbonæ diſſoluto ſtatim Imp. ad Comitia ibi apparuit, à Paſchate usque ad finem Menſis Junii ibi præſtolatus. Sed plerique ordines emanſerunt: Proteſtantium Legati plerique omnes, ut Receſſus habet, inſcio Imp. ac ſine venia diſceſſerunt: itaque comitia prorogata in annum ſequentem. Interea utrinque paratum fuit ad bellum. Formulam Fœderis inter Imp. & Pontificem exhibet Goldaſtus *P.XVI.* Reichshandl. *Tit.3. p.592.* & *Hortled. l.3. d. B.G.c.3.* literas Pontificis ad Imp. Stomachi plenas Lamb. Hortenſius *lib.1. de B.G.p.31.* & formulam fœderis *l.2.p.53.* conf. *P. Svav. Hiſt.Conc.Trid. l.2.p.207.221. Pallavic. 8.1.* Imperator tamen arma haud contra religionem ſe ſumturum publice & privatim teſtatus, ſed contra Principes quosdam inobedientes, *Hortled. d.l.3.c.1.§.8.9.* & *c.2.* qua de re ad Imp. conqueſti per literas die 15. Julii 1546. Elector Sax. & Haſſus, quas habet Hortled. *c. XI. Hortenſ.l.2.p.57.* Sed 20. Julii ejusd. anni Ratisb. Imp. utrumque in bannum Imperii publice declaravit, *c. XVI. Hortenſ. lib.2.c.64.* cujus cauſas declinarunt per ſcriptum publicum iidem, *cap. XIX.* inde bellum Imperatori infeliciter indictum, *c. XXIV. & XXVIII. Hortenſ.l.2.p.70.* Atque apologia edita, *c.XXIX. & XXX. Hortenſ.l.2.* Melanchthon ad Camerarium XIII. Cal. Oct. *Etſi magno in dolore & fui initio belli & nunc ſum, cum pericula creſcunt, tamen majorem inde usque ab annis quindecim mœſtitiam circumtuli propter multiplices doctrinæ corruptelas, quibus qui debebant, & poterant mederi no-* Bellum German. 1546.

 luerunt

luerunt, & utrinque vidi φιλαρχίας καὶ θεοστυγῆς αὐθαδείας impedire bona conſilia. Ex illis fontibus hos oriri motus, nihil miror. Add. Ep. ſequentem *p. 560. & 568.*

§. XI.

Exitꝰ belli, libertas relig.

Infauſto hoc bello ocyus confecto, de quo Hortled. *l. 3. c. XXXV. ſq. c. LXXII. & LXXVIII.* Hortenſius *per ſex libros,* Thuan. *lib. 2. & lib. 4. ubi etiam utriusque partis παροράματα notare ſtudet.* Camerarius *de bello Smalcaldico.* libertas Eccleſiarum noſtrarum nihil imminuta fuit. Capta enim ab Imp. Donavverdâ, & relictâ â Proteſtantibus Sueviâ, cum nonnullis *Principibus,* & civitatibus confœderatis plerisque, â Saxone & Haſſo *diviſis* reconciliatus, ita ut etiam *de religione non mutanda* ipſis *caveret,* ſed *verbo* tantum. Noluit enim cautionem eam *ſcripto* reconciliationis inſeri: ne bellum eâ de cauſa ſusceptum appareret. Id enim & Proteſtantes, qui illius caſtra ſequebantur, graviter offendiſſet, & reliquos à deditione alieniores reddidiſſet, & Eccleſiaſticos per Germaniam, qui jam nunc Romanos ritus ubique reſtitutum iri ſperabant, ſiniſtris ſuſpicionibus impleſſet. Miniſtri certè Cæſaris, ipſius nomine perſuaſum volebant omnibus, nullam ipſos in religionis exercitio moleſtiam paſſuros, excuſantes illum, quod multis nominibꝰ conditionem eam, pacificationis articulis diſertè non complexus eſſet; & verò ipſe Cæſar actionibus ſuis ſatis manifeſtarat, eſſe ſibi propoſitum in re religionis conniventia ipſis ſatisfacere, ait P. Suav. *Hiſt. Trid. Conc. l. 2. p. 245. Conf. Hortled. l. 3. c. 56. & 61.* Quemadmodum etiam in Regno Neapolitano mentionem *Inquiſitionis Hiſpanicæ* fieri vetabat. *Id. l. 3. pr.* Hinc offenſus Pontifex fœdus cum Imp. haud continuavit. *Pallavic. 9. 3.*

CAPUT IIX.

De

CONSTITUTIONE INTERIMISTICA.

SUMMARIA.

In Comitiis Anno 1548. Concilium Tridentinum ab Imp. acceptum: ſed modus tractandi definitus alius & melior. Defectus Conciliorum. Epiſcopi ad libertatem adſpirant. Imperator edit INTERIM. De quo ſententia Curiæ Rom. & Bulla indulgentialis in ejus præjudicium, ſed ſine effectu. Executio interimiſticæ conſtitutionis ex parte Epiſcoporum. Notabilis reformatio Moguntina. obſervationes hinc deductæ. L. Meimburgius. Statuum reformatorum ſententiæ de eadem. Philippi Melanchth. Flacii. Cochlæus. Interim repudiatum ſalvâ libertate Eccl. Germ. & jure Imperatoris circa ſacra, qui conſtitutionis executionem ſuſpendit in Comitiis 1551. & libertatem ordinum firmat.

§. I.

IMperator Comitia ſuperiori anno prorogata ad Kal. Sept. 1548. Auguſtæ indixit, ac circa religionem inſigne exemplum poteſtatis ſacræ edidit, Pontifice Rom. neſcio invito magis, an, non contradicente? Approbaverat quidem *Receſſ. Aug. A. 1548.*

dem Imperator cum Statibus, ut *Concilium Tridenti* de novo conveniret, *Rec. Imp. Aug. 1548. §. 45.* eamque in rem Epiſcopi Germaniæ literas, quæ minas continebant precibus admixtas ad Papam miſerunt, quas refert P. Suavis *Hiſt. Concil. Trident. l. 3. p. 307.* atque Imperator Epiſcopum Tridentinum ad Pontificem, ut idem urgeret, miſerat, & Mendozam Bononiam, publice contrà proteſtatum & ibi & mox Romæ in Conſiſtorio Cardinalium *Ibid. p. 315.* Sed Imperator in allegato Receſſu Imperii modum ac normam tractandi cauſam controverſam præſcripſit aliam longè, quam anteà Pontifex intenderat, & Patres inceptaverant, data quoque & conceſſa Statibus A. C. eorumque Legatis pleniſſima libertate ac ſecuritate, auch daß ſie nothdürfftiglich gehört / und die gantze Tractation und Beſchluß gottſeeliglich und Chriſtlich/ alle affect hindangeſetzt / nach Göttlichen und der alten Vätter Heiliger Schrifft und Lehr fürgenommen / gehandelt und beſchloſſen/ und auch eine Chriſtliche nützliche Reformation der Geiſtl. und Weltl. aufgerichtet/ und alle unrechte Lehr und Mißbräuche der Gebühr nach abgeſtellet werden ſolten. *d. Receſſ. §. 6.*

§. II.

defectus Concilior. Imperator & Status rejecerunt non obſcurè eo ipſo tanquam non ritè geſta acta & decreta, quæ antea Tridenti Epiſcopi, Pontificis cauſæ addicti, egerant & concluſerant. Animadverſum tunc videbatur, quaſi plerorumque poſt Hildebrandina tempora coactorum conciliorum defectus quidam fuerit, omiſsâ indagatione in orthodoxiam veram & non ſimulatam, nec verâ Fidei analogiâ & norma credendorum *SS. Scripturâ* adhibitâ, ſolius *Eccleſiæ Romanæ recentiora dogmata* & placita ſequi: ita

hoc

hoc vel maximè Patres Tridentinos ſategiſſe, ſervitutem Eccleſiis Germanicis pejorem reducere magis, quàm unionem veræ Fidei conciliare. Enimverò *Epiſcopis* quidem ibi omnibus propoſitum, atque imprimis *Hiſpanis*, auctoritatem Epiſcopalem recuperare, quam olim in propria dioeceſi Epiſcoporum quisque exercuiſſet, reſervationibus beneficiorum, caſuum aut abſolutionum Pontificiis, item diſpenſationibus, aliisque id genus nondum orbi cognitis: cui rei obtinendæ gratia urgebant articulum *de reſidentia* definiri, *eam eſſe juris divini*. Sed id Cardinalis Montanus ſubdola oratione primum, deinde expreſſa prohibitione amolitus eſt, *Petrus Svavis Hiſt. Concil. Trid. p. 256.* donec mox plane *Bononiam* Concilium transferri inſtitueretur, contradicente tamen Imp. & Epiſcopis Germaniæ, aliisque. *Pallavic. 9. 13. ſqq.*

Epiſcopi ad libert. adſpirant.

§. III.

Igitur officii ſui partem ratus præcipuam Imp. ut viam inveniret, quâ *interea* temporis, usque dum in Concilio Tridentum reducto de religione ac reformatione abuſuum, eo modo ut Imper. & Eccleſiæ noſtræ deſiderabant, conveniretur: *Hac de re,* refert *P. Suav. Hiſtor Conc. Trid. p. 323. in conventu ordinum propoſitum, delectique nonnulli, qui pio huic operi incumberent, ſed cum inter delectos minimè conveniret, Cæſari tandem cauſa tota permittitur, ab illo negotium datum Julio Pflugio, Michaëli Sidonio, & Joanni Islebio. Hi longâ habitâ conſultatione, Formulam religionis compoſuere,* quæ ſæpius & à plurimis utrique religioni addictis examinata, immutata, aucta & reciſa, tandem coaluit in eam, quæ hodie conſpicitur. *Fidei* Formulam & *reformationis* cleri atque utramque in Comitiis ad deliberandum Ordinibus Imp. propoſuit & commendavit.

Interimiſtica Conſtitutio.

davit. Quas etiam Status nondum reformati approbaſſe feruntur in rubrica hujus conſtitutionis: der Röm. Keyſerl. Majeſt. Erklärung/wie es der Religion halben im Heil. Röm. Reich/biß zu Austrag des gemeinen Concilii gehalten werden ſoll/auff dem Reichstag zu Augſpurg den 15. Maji im Jahr 1548. publicirt und eröffnet/und von gemeinen Ständen angenommen. Quanquam & Pontificem & Antiſtites, etiam Germaniæ, hic callide diſſimulaſſe diſſenſum, atque id egiſſe, ut invidiam & offenſam Imperatoris aperto diſſenſu in ſtatus A. C. conjicerent, pluribus contendit P. Suavis *Hiſt. Concil. Trid. p. 325.*

§. IV.

Sententia Curiæ Rom.

Videbatur tum temporis omnium opportuniſſima occaſio Imperatori oblata ſplendorem veterem Majeſtatis Imperialis reducendi, & ſedem Rom. in ordinem redigendi. Fundamentum hic jeciſſe viſus. Una & communis vox erat Cardinalium omnium de Formula Interim *agi nunc de ſumma rerum, jam convulſa eſſe Eccleſiæ* (Rom.) *fundamenta; hic vires omnes colligendas, Principes omnes exuſcitandos, ad omnium nationum Epiſcopos, nuncios quaqua verſum mittendos, ut principiis huic obſtent, unde ſine dubio ſecutura eſſet Eccleſiæ Romanæ ſi non everſio,* (quæ ipſis videbatur impoſſibilis) *ſaltem maxima quàm fuerit unquam & fœdiſſima deformatio. P. Suav. l. 3. Hiſt. Conc. Trid. p. 325.* Pallavic. *11: 1, 1.* Accedebat, quod *Papa* non auderet apertè adverſari, ſed callidè duntaxat, ac per ipſos adverſarios ſuos. Id quod Pallavicinus *lib. X. 18, 2.* primo intuitu ſimile vero apparere fatetur, verum tamen non eſſe, probabiliter inde diſputat, & *lib. XI. 1, 8.* refert, quod Papa ad Legatum Imperatoris Mendozam ea de

de re conqueſtus fuerit. Quicquid ſit, ſi ſaltem his, qui A. C. addicti, pariter diſſimulandi arte uti, neque ſe ſtatim ſcriptis & reipſâ opponere Imperatori placuiſſet, coactus fuiſſet Pontifex colliſionem cum Imperatore audere, inſtigantibus jam tum Cardinalibus. Quo ſecuto, Principes Proteſtantes adjutaſſent Imperatorem in exequenda cumprimis *reformatione* Cleri. Nam quantum ad *dogmaticam* Formulæ partem, Romanenſes judicabant: *De induſtria verba generalia eam conſectari, quo Lutheranis detur effugium ad interpretationem iis ex ſuo ſenſu faciendam; in multis autem cum Lutheranis expreſſè loqui, & id agere, ut Hierarchiam* (Imperium Pontificis) *everteret, & Lutheranorum ſententiam adſtrueret.* Quanquam alii arbitrati, non in horum favorem generaliora placuiſſe, ſed quod concinnatoribus illius Formulæ iſta ad Fidem conſtituendam ſufficere viſa; cæteras ſpecialiores quæſtiones ad Theoriam & perfectionem Theologiæ magis pertinere, quàm ad Fidem ſalvificam. Pallavicinus *lib. X. 17, 1.* judicat, licere utrique partium pro re ſua Formulam interpretari.

§. V.

Utut ſit, Pontifex certè utriusque Formulæ hujus executionem per indirectum impedire conabatur, *Bullâ* pro reſipiſcentibus hæreticis in gremium Eccleſiæ colligendis per Nuncios in Germaniam miſsâ, quamque inſtar *temperamenti* Papa volebat eſſe, ad ſupprimendam Imperatoris Formulam, uti Svavis refert; quanquam Pallav. *lib. XI. 2: 7.* tradit, iteratis Imperatoris precibus, & per XIII. capita poſtulata, fuiſſe emiſſam, exceptis duobus capitibus de conjugio Sacerdotum & de Bonis Eccleſiaſticis. At Nuncii iſti ubique deſpiciebantur, *Pallavic. XI. 2, 16.* & tandem

Bulla indulgentialis ſine effectu.

dem ab Imperatore eò redigebantur, ut ſubſtituerent Epiſcopos per Germaniam, qui Bullam Pontificis indulgentialem exſequerentur, quæ tamen res nullum obtinuit effectum, interveniente etiam mox Pauli III. Pontificis morte, X. Novembis 1549.

§. VI.

Executio Interimiſtica ex parte Epiſcopor.

Contrà verò in *Comitiis* præceperat *Imperator*, ut ad diem S. Martini Synodi diœceſanæ, & ante Quadrageſimam provinciales agerentur, & *executioni* daretur utraque ejus Formula. Itaque ſtatuto tempore *Synodi diœceſanæ* habitæ, & altera illa *Reformationis cleri* formula recepta eo modo, qui cuique diœceſi maximè convenire videretur: *dogmaticæ* nulla ratio habita ab Epiſcopis. Quod ipſum cur non & Eccleſiis etiam reformatis licuerit? Porrò & *Provincialis* Synodus à *Colonienſi* Archiepiſcopo habita, & decreta: de ſcholis inſtaurandis, de ordinandorum examine, de officio cujusque ordinis, de Viſitationibus, de Synodis, de reſtitutione jurisdictionis Eccleſiaſticæ, & antiquarum ceremoniarum & rituum Eccleſiaſticorum. Quæ ipſa etiam *Imperator* per Conſiliarios & Theologos examinari, & confirmata in *Belgii* ſui provinciis obtinere juſſit. Archiepiſcopus verò *Moguntinus* in Synodo Provinciali, etiam de *Fide* dogmata evulgavit, inter quæ memoratu digna: de *cultu imaginum* ſecundùm decreta *Concilij Francofurtani* à Carolo M. habiti ſtatuiſſe; eas non ad adorationem, aut ad cultum eis deferendum in templis proponi, ſed ad ea tantum in memoriam revocanda, quæ adorari oportet; quod ſi ad imaginem aliquam populus confluat, cui homines opinionem quandam divinitatis tribuunt, illam imaginem hoc caſu inde auferendam, aut aliam diverſæ magnitudinis in ejus locum

cum reponendam, ne populus in animum inducat credere, DEVM & Sanctos ſupplicum votis annuere per imaginis illius ſolummodo interceſſionem. Itemque de *cultu Sanctorum* fuit decretum, Eos eſſe honorandos, Sed *civili* & dilectionis cultu, ut viros ſanctos in hac vita. Denique & *Trevirenſis aliiq́ Metropolitani* Formulam Imperatoris utramque in Synodis ſuis Provincialibus promulgarunt.

§. VII.

Ex his primò obſervandum, quantopere poſſeſſionem *juris circa ſacra* vindicaverit Imperator, ejusque partem quam *Jus Epiſcopale* vocant, Epiſcopi Germaniæ, ad juſſum non Pontificis Romani, ſed Imperatoris. Deinde & hoc obſervatu dignum, Eccleſias illas & Metropoles Germaniæ eo ipſo haud fuiſſe ſejunctas ab Eccleſia Romana, aut pro *ſchiſmaticis* declaratas. Vnde tertiò exemplo hæc ſunt, poſſe utique à Germanis ſicuti Synodos Metropolitanas & Provinciales, ita etiam *Conventus Nationales*, ſive in Conciliis ſive in Comitiis, aut utrinque *mixtis*, ad priſcum morem, *congreſſibus* non absque fructu & ſucceſſu haberi, invitâ licet Romanâ Curiâ. Denique in his conventibus, etiam Provincialibus, ſtatui poſſe, & ſtatutum fuiſſe *contra dictatus Romanos*, & decreta *Tridentina*, veluti de imaginum & ſanctorum cultu à Moguntino. Diſputat contra hæc Pallavicinus *lib. XI. c. IV. 5.* conciliare ſatagens antea laudata *Moguntinæ* Synodi decreta cum *Tridentinis*. Sed iſtis jam non immorabimur.

Obſerv. 1. 2. 3. 4.

Pallavic.

§. IIX.

Inter noviſſimos ſcriptores Lud. Maymburgius, *lib. V. Hiſt. Luth. p. 409. ſqq.* poſtquam retulit, quæ con-

Maymb. de Inter.

tra hanc Caroli Conſtitutionem prolata, non omittit ea quoque referre, quæ ad ejus defenſionem allegata: Videlicet, non imminuere autoritatem Eccleſiæ, neque enim *obligare* Pontificios, niſi ut perſiſterent in antiqua Religione, ſed *Proteſtantes tantum.* Atque ſcripto aſſeruiſſe duos Epiſcopos doctiſſimos & orthodoxos maximè, iſtam nihil continere, niſi quod conforme ſit doctrinæ Eccleſiæ, exceptis duobus articulis *de conjugio Sacerdotum, & Communione ſub utraque*, de quibus tamen judicaſſent, debere eos tolerari ad tempus propter bonum pacis. In effectu, non poſſe negari, quod maxima pars horum articulorum non conveniat cum iis, quæ Concilium jam tum deciderat, neque cum illis, quæ poſtea definivit. Præterea dici porrò à defenſoribus, certum eſſe, Jmperatorem feciſſe actionem laude immortali dignam, quod *obligaverit Lutheranos* omnes ad articulos illos recipiendos, & conſequenter ad renunciandum omnibus erroribus, qui ipſis objecti, & quos etiam nunc obſtinatè defenderent. Reliquos articulos, quos Eccleſia neque approbet, neque permittat, neque ab Jnterim approbari neque permitti, ſed tantum *ad tempus tolerari.* Non eſſe dubitandum, qui minus poſſit, eum & majus. Atqui totum Lutheraniſmum hactenus usque ad Concilium fuiſſe toleratum, igitur etiam duos vel tres articulos potuiſſe tolerari eò usque, præſertim, qvum reliquis erroribus omnibus per Jnterim renunciare debuiſſent, & cum Eccleſia ſe iterum conformare. Denique nihil quicquam commune eſſe Conſtitutioni Jnterimiſticæ cum quorundam Jmp. orientalium *Ecthesi, Typo, & Henotico*, qvum ſit evidens, quod Jmpp. *heretici* voluerint per hæc edicta, aut omninò palàm, aut ſaltem per artificium in univerſum omnes ſuos ſubdi-

ſubditos erroribus ſuis illaqueare. His recenſitis, permittit *Maymburgius* lectori judicium ferre de hoc Caroli inſtituto; ipſe negat ſe eſſe obligatum ſententiam ſuam exponere de omnibus iis, quæ referret. At enim eô ipſo quod Conſtitutionem hanc, non ut plerique Pontificii damnat, ſed ſententiam dicere detrectat, facilè apparet, inſtitutum Caroli *non penitus improbari.* Sed & porrò ſubjicit *ex Pallavic. 11,1. de Zelotis Pontificiis* quod temerè ſuaſerint, ad Jmperatorem eſſe mittendum, ut corrigeret Interim: itemque quod qui fortiſſimè illud impugnarint, ſint *Proteſtantes,* quibus *Cochlæus* reſponderit. Atque nullum Pontificium in Germania usque ad hoc tempus contra illud ſcripſiſſe, niſi *P. Nicol. Bobudillam*, ſocium Jgnatii Lojolæ, Hiſpanum, qui tamen propterea ex Jmperatoris aula in Jtaliam remiſſus, ab ipſo Jgnatio & à Pontifice malè acceptus fuerit; ex quo & hanc doctrinam colligit, *Erga Curiam Romanam neque adulatione, neque indiſcreto zelo utendum.*

§. IX.

Atque hæc de Epiſcopis, & Doctoribus Eccleſiæ Romanæ. Quantum ad *Eccleſias repurgatas* attinet, *Mauritius Elector Saxoniæ,* cum *Joachimo Brandeburgico Electore* non detrectaverat ab initio Eccleſiis ſuis offerre hanc Formulam Fidei atque reunionis, unde etiam ut antea vidimus, inſcriptio illius Conſtitutionis in Corpus Receſſuum Jmperialium relatæ enata. Atque convenerunt Principes illi hac de re *Juterbocci* & die VII. Decembris Anno 1548. adhibitis Philippo Melanchthone, Joachimo Camerario, Jo. Jslebio, conventionem pacti ſunt de hac Fidei Formula recipienda ſecundum verum Chriſtianum intellectum & cum conſenſu ſubditorum: Daß wir uns

Statuum reformat. ſententia de Inter.

darauff/nach vorgehaltenem Rath unſerer fürnehmſten Theologen/miteinander freundlich unterredet/und nachgeſchriebener Artickel verglichen und vereiniget/ und auch alſo verabſchiedet haben/ daß wir uns beyde befleißigen wollen/dieſelbe Artickel in rechtem Chriſtlichen Verſtande/ bey unſern Unterthanen/ mit ihrer Bewilligung ins Werck zu bringen. Exhibet hoc pactum & articulos, de quibus convenit, præter articulum de *Canone Miſſæ*, de quo ulterior tractatio amicabilis promiſſa utrinque, Fr. Hortlederus *lib. 3. de Bell. Germ. c. 85.* Qui etiam autorem illius ſcripti arbitratur eſſe *Flacium* Jllyricum, ſcilicet quod ediderit hoc pactum, & animadverſiones ad articulos adjecerit, rigidus Melanchthonis antagoniſta.

§. X.

Phil. Mel. de adiaphoris. Atque quod *Melanchthonem* attinet, vidimus ſupra qvum in Conventu Smalcaldenſi Anno 1540. de concordia Eccleſiarum moderatis rationibus ſarcienda deliberaretur, conſenſum fuiſſe inter Proteſtantes: *Non poſſe abjici eos articulos, quos in Confeſſione & Apologia profitemur, conſtituto doctrinæ conſenſu; de Adiaphoris non odioſè pugnandum eſſe,* uti refert Philippus ipſe ad Camerarium. *p. 345.* Hic verò Philippo mox exprobravit facilitatem in concedendis *Adiaphoris*, ſcilicet; *totam rem tempore jam aliam factam eſſe, neque adiaphora nunc ulla perhibenda, de quibus digladientur adverſarii, & quæ ipſi tueantur ac retineant.* Reſpondit Melanchthon; Et ſibi hoc in mentem veniſſe, ſed falsò dici, *conceſſionem aliqvam eorum, quæ non lædunt veritatem doctrinæ, in tractatibus de Religione vitiare rem totam:* Cum rectè interdum fieri poſſit, ut aliqua etiam admittantur jam contraria puriori doctrinæ,

ctrinæ, ſicut Apoſtolus Paulus & Timotheum circumcidi paſſus & ipſe ritus Judaicos, quaſi voto obligatus, uſurpârit. Sed de ſimpliciter indifferentibus, aut ne pertinentibus quidem ad negotium Religionis, contendere & litigare, neque præceptum habere neque exemplum. Talia eſſe multa in ritibus Eccleſiaſticis; quæ etſi prodeſſet & ipſa emendari, tolerari tamen poſſe piâ patientiâ, donec occaſio offeratur tempeſtivæ mutationis. Et pertinaciam huic adverſandi pernicioſas herbas dare ſolere.

§. XI.

Hæc ſententia Philippi tunc fuit circa ritus *& adiaphora:* quoad *fidei* vero *dogmata*, alia mens fuit. Ita *De dogm. fidei* enim Camerario idem Anno 1541. die XIII Januarii ſcribit: *Siquis alius, ego certè & pacem expeto, & publicæ tranquillitatis causâ multa diſſimulanda eſſe, ſemper ſenſi. Sed tamen expoſui, quid mihi videretur agi, propoſito illo anguſtiore colloquio; videlicet, ut fucoſæ moderationes componerentur.* Non abſimilia in Epiſtola ſequenti habet. Tandem promulgatâ Conſtitutione hâc Caroſi religioſâ, *in Interim.* hæc de ea judicavit in literis ad eundem die verni æquinoctii Anno 1548. datis: *Multis conjecturis ratiocinor hoc conſilium inſtituendi fucoſas & futiles compoſitiones dogmatum* ἐν τῷ μεταξύ *non ortum eſſe à Carolo Imp. Sed poëtas eſſe eos, quos obſcurè & apertè ſæpe indico, qui putant, inveniri poſſe ſimiles* διαθήκας, *ut ſunt illæ Ariſtophanicæ,* μήτι δάκνειν, μήτι δάκνεσθαι. *Optarim & ego vera autoritate conſuli Eccleſiæ, nec judico omnibus de rebus pugnandum eſſe, quæ in hac confuſione diſputationum motæ ſunt. Sed tamen retineri, ut Paulus nominat* τὸ θεμέλιον διδασκαλίας περὶ θεοῦ, καὶ διερμηνειῶν ἰδίων τῆς ἐκκλησίας. Et mox in aliis die

die Natali Camerarii ſcriptis: *Liber, de quo Ratisbonæ diſputavimus, nunc rurſus in theatrum Auguſtæ profertur, & ornatus eſt fucoſius. Si recipitur magnæ erunt Eccleſiarum in his regionibus diſtractiones, pellentur multi docti & pii Sacerdotes ex ſuis Eccleſiis, ut Arianis temporibus.* Cum eodem tempore *Fribergæ* proceres Electorales conveniſ-
p. 581. ſent & hac de re deliberaſſent, hæc perſcribit ad eundem: *Oſtenditur ingens utilitas harum conciliationum, quæ & pacem Germaniæ reddituræ eſſe dicuntur, & viam patefacturæ propagationi veræ doctrinæ, & aureo ſeculo Eccleſiæ. His ſermonibus moveor equidem, & ſimul cogito, cum diſſipatio ſit Eccleſiarum multiplex, Imperatorem habere cauſam neceſſariam conſtituendi aliquem ſtatum. Sed mihi contra hanc formam, hæc in mentem veniunt: Corrumpi veritatem in quibusdam præcipuis materiis, & ſtabiliri* εἰδωλομανίας, *nec paci profutura eſſe hæc conſilia, ſed noſtras Eccleſias turbatura, mutato doctrinæ genere, & pellendis bonis paſtoribus. Me igitur graves cauſæ impediunt, quo minus adjuvare hanc* νομοθεσίαν *velim. Gentis Saxonicæ voluntates ad hæc inflectere, difficile erit, magis etiam Helvetii reclamabunt. Accendentur ergo diſcordiæ, & diſcedet poëta ex theatro, priusquam fabula peracta ſit. Non poterunt ſanari publica mala fucoſis conſiliis. In illo ipſo capite τῆς δικαιοσύνης manifeſta impoſtura eſt. Si mihi privatim meo periculo, & meo loco dicenda eſſet ſententia, etiamſi video mihi valdè iraſci τὸν Αὐτοκράτορα, tamen ſimpliciter & Socratico more reſponderem, me non aſſentiri his Sophiſmatibus. Et non aſſentiar, nec tamen impediam, quo [illegible] arbitrio Potentes conſtituant Rempublicam, ſi noſtræ admonitiones non valebunt. Faciam donec vivam, quod feci hactenus, dicam eadem, ubicunque ero, & eandem DEI invo-*

catio-

cationem in mente circumferam ubique, & dicam uſitatâ modeſtia ἀνδῶ φύσεων. Tandem IV. Cal. Decembr. eodem anno 1548. adeoque paulò ante confectam antea allegatam conventionem Juterboccianam, Camerario ſcripſit: *Controverſiæ cæteræ, DEI beneficio, ita dijudicatæ ſunt, ut ἐνάργεια καὶ πληροφορία* (evidentia & plena cognitio) *in hominibus ſanis ſit ſine ulla dubitatione. Una quæſtio hæret & hærebit περὶ λειτουργίας* de canone ſcilicet Miſſæ.

§. XII.

Ex his intelligitur, quid revera ſenſerit Melanchthon de Carolina conſtitutione, & quod Fidei dogmata à ritibus & adiaphoris diſtingvi debere ſenſerit. Id quod graviſſimè reprehendit *Matth. Flacius*, unde prognatum iſtud *bellum* Theologicum, quod *Adiaphoriſticum* appellatum. Cæterum iniquior etiam in Philippum eſt *Jo. Cochlæus in appendic. ſecundo ad libros VI. Conr. Bruni de ſeditionibus*, ad Matthæum Heldum Conſiliarium Cæſar. perſcribens, judicium ſuum interponit, tum de Flacii aliorumque rigoroſorum Dd. ſcriptis contra Carolinam ſanctionem, tum de moderato Melanchthonis conſilio ad Electorem Mauritium, & quanquam iniquitatem Flacii contra Melanchthonem accuſat, de Melanchthone tamen ait; *eum ita cautè & aſtutè impugnaſſe pacificam Cæſaris ordinationem, ut non ſolum doctrinam Lutheri ſtrenuè defenderit, ſed etiam conſuluerit Electori, propter fraudulentum Adiaphororum commentum, fucum facere Cæſari, quaſi obediens ſit ejus ordinationi, cum tamen revera in præcipuis de Fide & religione punctis per omnia ſervaret errores Lutheri in omnibus ſuæ ditionis Eccleſiis. Hoc Philippi conſilium multò magis nocere Cæſaris intentioni, quàm omnes alios libellos: neque hanc technam aſtutiſſimi hominis Lutheranos,*

Flac. Ill. & Cochlæ. contra Melãchth.

neque Catholicos maturè conſiderare, dum illi ſua dogmata vi & ſeditione apertè aſſerere deſiderarent, ut nihil prorſus mutetur de novis contra Eccleſiam antiquam inſtitutis: Cæſarem autem in Interim antiqua Eccleſiæ dogmata & inſtituta velle in templis reſtitui: at Philippum proponere medium, ut ad complacendum Cæſari quædam externæ cerimoniæ reſtituantur: quod ipſum verò conſilium infelix eſſet ipſi quoque conſultori.

§. XIII.

Interim repudiatum. ſalvâ lib. E.G.

Quicquid tamen ejus fuerit, qvum poſt conventionem Juterboccianam res ad Comitia Provincialia & Synodos Eccleſiarum Proteſtantium referretur ab Electoribꝰ, non attentâ iſtâ conventione, Formula Fidei Interimiſtica recepta haud fuit, nequidem quoad temperamentum illud Philippéum, quoad Adiaphora. *Hortl. de B. G. l. IV. c. 19, 169. 265.* Quo ipſo libertas Eccleſiarum proteſtantium magis firmata fuit, nec invito tandem Imperatore, quippe qui hîc connivere maluit, quàm motus excitare, præſertim qvum Poteſtas circa Sacra Imperatori à Statibus fuisſet ſatis vindicata.

& Jure Cæſ. circa ſacra.

Conſtat enim ex Receſſu Imp. *hujus anni 1548. §. 14.* quod communibus Statuum ſuffragiis, Imperatori jus addictum fuit, ſacra interim ordinandi per Eccleſias Germaniæ, usque dum in Concilio Univerſali cum Pontifice eſſet conventum: Welcher geſtalt ſie uns dieſe Sachen / wie mitlerweil biß zu Endigung des allgemeinen Concilii, die Stände Chriſtlich / gottſeliglich / auch in gutem friedlichen Weſen beyeinander leben u. wohnen / und der Erörterung erwarten möchten / auch niemands wieder Recht und Billigkeit beſchweret werde, unterthäniglichen heimgeſtellt. Hoc jure & ex hoc fundamento reſervavit ſibi Imperator optimus

mus in eodem Receſſu §. *XIII.* jus *emendandi* quoque articulos de Fide hactenus in Eccleſia Romana receptos, imprimis quoad Ceremonias & abuſus ſuperſtitioſos: Nachdem auch in berührtem Rathſchlage (ex quo Interim conflatum) unter der Rubric von den Ceremonien/unter andern vermeldet wird/ wo etwas in denſelben/ ſo zu Aberglauben Urſach geben möchte/ eingeſchlichen were/ daß ſolches gebeſſert werden ſolle: So wollen wir uns hiermit vorbehalten haben/ in dem u. andern Artickeln/ wo und ſo viel von nöthen/ ietzo und hernach/ allezeit gebührliche Maß und Ordnung zu geben. Lud. Maimburgius *in Hiſt. Lutherana* arbitratur Carolum hæc talia jure ſuo feciſſe, ut *Protectorem Canonum* in ſuo Imperio, ad exemplum Imperatorum Francorum, quorum extent Capitularia & leges de rebus ſacris ſecundum ſanctos Canones. Sed de his ſupra. *p. 416.*

§. XIV.

Præter jus Imperatoris circa ſacra, etiam Eccleſiis Provincialibus Germaniæ libertas quaſi poſtliminio reſtituta hic, in eo maximè cernitur, quod vel iſthæc *Fidei formula* temporaria non ex juſſu nec ad auſum Pontificis Romani, nec ex mero Imperatoris mandato, ſed *conſenſu Statuum* ab Imperatore propoſita & conſtituta fuit, uti ex Receſſu ſatis apparet. Deinde etſi Principes ipſi ab initio ratam habuerint hanc Formulam, puta ſub tacitâ illâ conditione, quæ & Jure Divino & humano ſubintelligitur, ne laqueus conſcientiis injiciatur, ſi ſcilicet & *Eccleſiæ* illorum ipſæ ratam eam habituræ eſſent; Eo tamen non ſecuto, cogere eas ad conſentiendum libertas ſacra obſtabat qvum & Imperator & Principes nolle ſe conſcientiis dominari profiterentur. Quare & Imperator ſequentibus *Lib. Eccl. Germ.*

in Comitiis menſe Februario An. 1551. finitis, *exſecutionem* illius Interimiſticæ Reſolutionis *ſuſpendit*, poſtquam ſtatus A.C. impedimenta & gravamina contra allegaſſent, atque in hæc ſe inquirere prius ac pro re nata ea removere velle promiſit. *Receſſ. Imp. 1551. §. 9. ſq* Inſuper & iisdem Statibus pollicitus tum fuit Imperator, fore, ut in *futura Concilio* facultate ac *libertate* ipſi gauderent, liberè ac ſecurè omnia ea proferendi, quæ ad tranquillitatem & *ſecuritatem conſcientiarum* facere judicaverint, §. *VI.* ac *modum* denique *tractandi* ac cognoſcendi de religione antea præſcriptum, denuo repetiit, §. *VIII.* Unde factum poſtea in Synodo *Tridentina*, ut in Congregatione generali eodem anno 1551. die XI. Septembris habitâ, *Theologis* diſputaturis *forma præſcripta* fuerit, quâ quæſtiones propoſitas tractarēt, ut videlicet opiniones ſuas non ſcholaſticorum argutiis, ſed *S. Scripturæ verbis*, Apoſtorum traditionibus, probatorum Conciliorum decretis & SS. Patrum auctoritate firmarent. Et quanquam *Theologi Itali* hunc tractandi modum novitatis arguerent nec probare vellent, *Theologiæ Scholaſticæ* rationem præferentes; fruſtra tamen id contenderunt, Patribus ferè omnibus cupientioribus ea, quæ intelligerent, audire, quàm ſpinoſas verbis abſtruſis quæſtiones, ſicuti in dogmate de Juſtificatione & aliis antea agitatis factum fuiſſet.

P. Suav. Hiſt. Conc. Trid.

Caput

CAPUT IX.

De

CONCILIO TRIDENTINO PER PACEM RELIGIOSAM DISTURBATO.

SUMMARIA.

Concilium Tridenti renovatum 1551. Bulla Rom cum Receſſu Imperii collata. Salvus conductus Concilii Baſileenſis. Legati Proteſtantium ad Concilium veniunt, emanentibus Gallis & Helvetiis. itemque Theologi nonnulli. Gibbon de Burgo notatus. Belli Mauritiani contra Carolum cauſa, fides, libertas, ſucceſſio hereditariæ. indictio. liberatio Jo. Friderici Elect. Jus Saxonicum lib. 3. art. 34. Transactio Paſſavienſis 1552. decreta Concilii Trid. ipſo facto rejecta. Receſſus Imperii: index expurgatorius. Pax Religioſa 1555. Receſſ. Imp. 1557. notabilis. Colloquium Wormatienſe, 1558. Reſignatio Caroli V. Jus Electorum. Coronatio Imperatorum Romana omiſſa.

§. I.

REdditam libertatem Eccleſiarum Germaniæ ægrè ferre videbatur Romana Curia & Tridentinum Concilium, quod Paulus III. anno 1547. per legatos ſuos ſub *Concil. Trid. renovat.*

prætextu peſtis ingruentis, Bononiam transferre voluerat, invito Imperatore & Epiſcopis libertatis cupidis, quos translationi contradicentes Imperator juſſit Tridenti ſubſiſtere neque pedem inde commovere: qui etiam paruerunt omnes, fruſtra obteſtantibus his, qui Bononiam migrârunt. *V. Petr. Suav. lib. III. pr. Pallavic. l. X. c. 3. §. 2. c. 6. c. 12. & lib. XI. 5.* Poſtea verò renovavit illud Julius III. Anno 1551. communicato prius diplomate indictionis Imperatori, urgenti, ut mitigaretur, & clauſula de præſidendo & dirigendo omitteretur, ne Proteſtantes offenderentur: Meminiſſe debere, flammam hanc Leonis X. & Cajetani aſperioribus verbis fuiſſe accenſam, quam verborum lenitate facile tum fuiſſet extinguere; id Clementem & Paulum Principes prudentes ſæpius indoluiſſe. *P. Suavis. V. tamen Pallav. XI: 11, 4.* Etſi verò Pontifex ne unum quidem apicem immutaret, & ita promulgatâ in Comitiis Auguſtanis Anno 1551. bulla, & Proteſtantes & Catholicos offenderet, Imperator tamen arte utroſque pacavit: Concilium Oecumenicum ex omnibus Orbis Chriſtiani Nationibus inſtitui, cæteris omnibus obſequium Pontifici deferentibus, indictionem hanc pro illorum ingenio formatam. Quod ad Germaniam attinet, ejus univerſæ curam ſibi relinquendam, rerum cum Germanis tractandarum gnaro, alias nationes convenire ſinant, ſe deinde Tridentum, aut ſaltem in locum aliquem propinqvum iturum, neque verbis, ſed factis, ut omnia debito ordine procedant, operaturum. Nec quid Pontifex loquatur, reſpiciant, ſed quid ipſe fide Cæſarea & Regia ſpondeat, id unum attendant. *P. Suav. l. 3. fi.* Itaque Comitia finita, & Receſſus publicatus d. 14. Febr. 1551. qui meretur cum Bulla Pontificis Jndictoria Concilii com-

comparari. Cum enim Pontifex Conciliorum dirigendorum poteſtatem ſibi uni vindicet, contra Imperator ſibi Concilii manutenentiam, atque officium, ut illud ritè atque ordine peragatur: Normam etiam definiens, atque modum, ut omnia pie, Chriſtiane, remotis affectibus, ſecundum S. Scripturam & SS. Patrum doctrinam, (non ex nutu aut arbitrio Sedis Romanæ) omnia tractentur & decidantur. Pontifex antea in Concilio decreta à paucioribus firma vult manere: Imperator, ut Status Proteſtantes de omnibus liberè ſententiam dicant, prout religio & conſcientia dictitet. Sed & omnibus Proteſtantibus Statibus, tam pro ipſis, quàm pro legatis ipſorum & Theologis, ad Synodum ituris, Salvum Conductum formâ uberiori conſcriptum transmiſit. Quâ tamen Mauritius Elector Sax. non contentus, exemplo Conſtantienſis Concilii edoctus, ad formam Concilii Baſileenſis ab ipſo Concilio quoque Salvum Conductum deſideravit apud Imp. qui & illum procuravit: ſed cum in eo clauſula deprehenderetur, QVANTVM AD IPSAM SYNODVM SPECTAT. ſuſpectus & captioſus viſus fuit, quaſi Pontifici libertas contraveniendi relicta eſſet. *P. Suav. p. 384. conf. tamen Pallav. 12: 8, 5.*

§. II.

Cæterum dictâ die cœpta Synodus: ſed, cum interea temporis ex cauſa Parmenſi diſſidium inter Pontificem & *Regem Galliæ* ortum eſſet, Rex *Concilium Nationale* indixit, & Epiſcopis Galliæ Tridentum venire prohibuit, atque tum Romæ tum Tridenti per Legatum contra Concilium Tridentinum, propter ſuorum abſentiam, proteſtationem ſolennem interpoſuit, decreto Parlamenti Pariſienſis roboratam. *P. Suav. p. 365.* Mauritius verò *Elector* *Legati Proteſt. ad concil. veniunt.*

Sax.

Sax. ut & *Wurtenbergicus*, præparabant ſe ac ſuos ad Concilium; ille mandans Phil. Melanchthoni aliisque doctrinæ capita in Concilio publicè poſt exhibenda conſcribere, omnes Doctores Theologiæ, & Eccleſiæ miniſtros intra ditionem ſuam, ad ea examinanda Lipſiæ congregare. Hi alium ejusdem generis libellum à ſuis curabat confici. Brandenburgicus quoque Elector Legatos ad concilium transmittebat. *Pallav. 12. 9, 3.* Contra ea Regis Galliæ Legatus adminiculante Vergerio perſvaſit *Helvetiis*, ne quem è ſuis ad Concilium mitterent, id quod etiam tam à Catholicis quàm Evangelicis decretum, & Epiſcopus Curienſis, qui Concilio jam interfuerat, revocatus. Wurtenbergici verò Legati Tridentum venientes, Confeſſionemque exhibituri publicè in Concilio, detrectabant Legatum Pontificis convenire; unum enim eſſe è capitibus, quæ Germani requirant, ut in Concilio Papa non præſideat. Præterea urgebant ſalvum Conductum, qualem Concilium Baſileenſe Boëmis dediſſet. At Pontifex Legato ſuo reſcripſit: *Pontificis eſſe, non ſolum convocare, ſed & regere concilia, & in iis per adminiſtros ſuos præſidere, forum aliud in horum præjudicium inſtitui non ſinat: media autem conſilia ac temperamenta rerum tanquam peſtem fugiat: dogmatum ſegetem, quantum poſſit copioſam, proponat in publicum; ſic enim fore, ut Lutherani de ſpe conciliationis animum deſpondeant, niſi ſe Concilii decretis planè ſubjiciendo; ut Præſules contra eos magis excitentur; ut iſtis in doctrinæ negotio adeò occupatis, otium non ſit Reformationem ſolicitandi.* Legatus igitur detrectabat & ſalvum Conductum alium, & receptionem Confeſſionis. Accedebant Argentinenſes & aliarum *Civitatum* Legati: tandem etiam Mauritii *Electoris*

ris Saxon. Wolffgang. Colerus, & Leonhard. Badebornius, *Pallav. 12, 15.* impretrantes quidem, ut ſalvus Conductus declararetur, nec tamen ad exemplar Baſileenſe, quod Monfortius Comes ſenſerat, de quo illi ad Principes ſuos referrebant: præterea & confeſſionum libelli recepti, ſed hæc omnia in Congregatione generali in Legati Pontificii ædibus.

§. III.

Interea volebant Pontificii progredi in actionibus concilii, nec exſpectare *Theologos* Proteſtantium, multo minus antea decreta in examen revocare. Qua de re qvum Proteſtantium Legati quererentur, Imperator quà minis, quà blanditiis impetrabat à Synodo, ut ad tempus ſuperſederent, *Pallav. 12, 15.* id quod tamen ægrè tulit Pontifex mandans ſuis, ut iſtam ſuſpenſionem quàm poſſent pauciſſimis diebus continuarent, atque ad tuendam Synodi autoritatem actiones intermiſſas reſpectu omni ſepoſito repeterent. Accedebant tandem Theologi *Würtenbergici* & *Argentinenſes* Tridentum, petentes, velit Synodus ad ipſorum poſtulata reſpondere, & actionem inchoare. Propoſita fuerat Confeſſio Wurtenbergica & poſtea An. 1561. edita ſub titulo, *Confeſſio piæ doctrinæ, quæ nomine illuſtriſſimi Principis ac Domini Dn. Chriſtophori Ducis Wirtenbergenſis ac Comitis Montisbeligardi, per Legatos ejus die 24. menſis Januarii, anno 1552. congregatione Tridentini Concilii propoſita eſt.* In cujus præfatione ait Princeps: *Voluimus igitur, ut hoc ſcriptum concionatorum noſtrorum publicè proponeretur, & ſperamus futurum, ut univerſa Eccleſia piorum reipſa videat, nihil à noſtris Eccleſiis alienius eſſe, quàm ut in iis quicquam, quod ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, ac conſenſu verè Catholicæ*

itemque Theologi quidam

Eccleſiæ pugnet, vel in doctrina prædicandum, vel in ritibus ſacrorum adminiſtrandum, ſuſceptum fuerit. Huic confeſſioni Petrus à Soto, Dominicanus, oppoſuit *Aſſertionem Catholicæ Fidei:* quam *Apologiâ confeſſionis* retudit Jo. Brentius. Atque cum Petrus *defenſionem Catholicæ confeſſionis* ederet, Theologi Wurtenbergenſes ſinguli per partes eam prolixè refutarunt. *Edita ſunt hæc in duobus Voluminibus Francofurti 1561.* Quamvis autem Oratores Imperatoris nihil omitterent, quod ad tractationem cum Theologis faceret inchoandam, ac præterea ad eam facilitandam, à Proteſtantibus impetrarent, ut deſiſterent petitione de reſpondendo poſtulatis ſuis, deq; examinando libello ſuæ Confeſſionis antea oblato; Tamen à Pontificiis Legatis ſubinde novæ difficultates motæ vel ſuper modo tractandi vel ſuper materia unde inchoandum; imò qvum Proteſtantes parati tandem eſſent, unde iſti vellent diſputationem ordiri, Epiſcopi quoque qui Imperatoris erant partium, Hiſpani, Neapolitani & Siculi, actionem procedere cuperent; tractationis tamen nihilo magis factum fuit initium, quod Præſides Pontificis crederent, tractationem iſtam in emendationem Curiæ Romanæ mox abituram: res itaque protracta à Legatis Pontificiis, usque dum bello Mauritiano adverſus Imperatorem Patres Tridentini territi, de Pontificis ſententia Synodum ſuſpenderunt, quod factum Seſſ. XVI. die antep. April. 1552. *Pallav. 13,3.*

§. IV.

Gibbon de Burgo. Ex his facilè judicari poterit de iis, quæ contra ſeceſſionem Eccleſiar. proteſtantium à S. Rom. Gib. de Burgò *Diſſ. III. Qv. 2. §. 5.* arguit: *Etſi Lutherus & Calvinus ſanctè judicaſſent adhuc debitè invocato Spiritu S. eccleſiam Romano*

Catho-

Catholicam erraſſe in articulis neceſſariis: vel ſaltem in eorum ſenſu, nihilominus non poterant juſtè ſeſe ſegregare ab ejus communione, donec examinatâ causâ legitimè ſit damnata, aut de prætenſo errore convicta. adde: aut donec ipſa Eccleſia Romana vel potius Pontifex examinationem cauſæ legitimam detrectaret. Id quod contigiſſe vidimus invitis plurimis Eccleſiis Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ aliisque. Neque judices iſtos, quos urget Gibbon, à Leone X. datos, Hieronymum Epiſcopum Aſculanum, Sylveſtrum Prieriatis, aut Cardinalem Cajetanum, agnoſcere potuit Germania, ſed Concilium Generale legitimum. Propriam verò cauſam bullis præjudicialibus, ante cauſæ examinationem legitimam, cum partis alterius condemnatione judicaverat Pontifex, ut antea relatum.

§. V.

Diximus bello Mauritiano Patres Tridentinos diſſipatos. Quod egregiis ducibus rebus ſecundis & victoriâ ſolet contingere, id jam etiam Carolo imputari cœperat. Maximum Principis peccatum cenſetur, exteros conſiliarios indigenis præferre; inde enim turbæ, ac fides manca. *J. Lipſ. 3. Pol. 4, 5. Lehman. Chron. l. V. c. 27. p. 425. Meteran. lib. 3. ann. 1614. p. 25.* Hoc à Carolo Imp. admiſſo, *ut eſt apud Thuanum lib. IX. pr. Hortled. lib. V. de C. B. G. c. III. & XIII. 2.* fides cœpit labaſcere, fundamentum illud Reip. cujus Germani æquè ac libertatis tenaces. Expertus id fuerat *Philippus* Haſſiæ Landgravius, *qua de re Hortled. c. IX. & paſſim.* Acceſſerunt & aliæ querelæ Statuum de ſuppreſſa libertate civili, à Pontifice etiam jam tum attentatâ, quas exhibet idem cap. XIII. Inter quos non poſtrema ſuſpicio orta Statibus de *Succeſſione*

Belli Mauritiani contra Imp. cauſa

fides & libertas

ſucceſſio hered.

Imperii hereditaria filio Philippo acquirenda. Qua de re ſingularia refert Paulus Sarpius *lib. V. pr. H. C. Tr.* eamque unicam facit cauſam, cur ſecundò convocari Conciliũ Imperat. tam anxiè feciſſet. *Altera*, inquit, *Concilii convocatio aliam habuit cauſam, vehemens ſcil. Caroli Imperatoris ſtudium Germaniam religionis colore ſub jugum mittendi, & in filium imperii ſucceſſionem tanquam hæreditariam transferendi, ut ita in orbe Chriſtiano Monarchiam poſt Romanorum imperium potentisſimam, quæque Caroli M. potentiam ſuperet, ſibi fabricaret. Ad quam ſtabiliendam cum ſola ea, quam de Proteſtantibus reportaret victoria non ſufficeret, neque ſolis legionum armatarum ſupplementis ſatis confideret; ſi populum religione, & Principes officiis & artibus ſibi poſſet ſubjicere, tum viam à ſe ſtratam ad parandam nominis immortalitatem certò ſibi perſuadebat. Hoc aſpectu à Julio Pontifice ut Concilium ſecundò convocaretur, tam enixè contendit, & non validis modo, ſed violentis propè ſuaſionibus egit cum tribus Electoribus Eccleſiaſticis: ut eò proficiſcerentur, ac denique cum Proteſtantibus iis, apud quos plurimum authoritate valebat, ut Theologos ſuos eo mitterent. Sed interea dum Concilium celebratur, Carolus Cæſar hoc incœpto concitatis in æmulationem ſui Principibus omnibus Chriſtianis, in ſua familia reperit primos, qui pro jure ſuo intercederent, & Conſilium ejus morarentur. Ferdinandus enim, qui alias in id conſenſiſſe videbatur, ut imperium utrique eſſet commune (ſicut olim inter Marcum & Lucium pari authoritate, quod exemplum imitatus cum pleriſque aliis Diocletianus) qui que olim dabat operam, uti in Regem Romanorum eligeretur Philippus utrique ſucceſſurus, Maria Pannoniæ Regina ſorore, ut id ipſum ad Auſtriacæ domus amplitudinem, Ferdinando Fratri perſuaderet,*

deret, omnes ingenii nervos intendente; cum Maximiliano certè filio poſt in medium conſulens, cœpit ratione benè ſubducta longè aliter exiſtimare. Quamvis enim ei negotio maturando à patre Philippus in Germaniam fuiſſet accerſitus, ut in ordinum imperii conventu Auguſtano an. M. D. LI. Septemviris innoteſceret, Ferdinando interea ſecedente; & Regina jam dicta concordiæ inter fratres reſarciendæ Auguſtam ſub id tempus petiiſſet; Maximilianus tamen veritus, ne Patris bonitas & manſuetudo ſuccumberet, relicta uxori Cæſaris filiæ regnorum Hiſpaniæ adminiſtratione, quibus ipſum Cæſar præfecerat, in Germaniam de ſubito reverſus. Patris Ferdinandi & ſeptemvirorum animos verbis officioſis ita flexit in ſuam ſententiam, ut & ille in diſſentiendo à Cæſare firmiter permanſerit, & ab his Cæſar præter blandos & benignos ſermones nihil reportarit. Atque hac ſuorum interceſſione perculſo Cæſaris animo, quod de obtinendo Maximiliani aſſenſu plane deſperaret, filium in Hiſpaniam remiſit.

§. VI.

Hinc juſta armorum cauſa Statibus reputata, & anno 1552. primo ſtatim vere publicata ab Electore Mauritio Sax. & Brandenburgico ac reliquis libertatis patriæ vindicibus. *Hortled. cap. IV. lib. V.* Thuanus: *Cæſar verò, ubi de improviſo eorum adventum cognovit, quamvis adverſa valetudine, ac pluvioſo cœlo, per noctem lectica vectus, ad tædarum lumen cum Ferdinando fratre, qui nuper Lincio venerat, & omnibus qui aderant principum legatis, cæteroque aulico comitatu magna trepidatione Oenipante diſcedit, relictis impedimentis, & per Alpeis, quibus Tridentum itur, itinere primum facto, mox ad lævam flexit ac Villacum, quod eſt oppidum ad Dravum in Fori Julii & Norici finibus, ſumma*

Belli indictio.

ma celeritate contendit; utique miſerabili ſpectaculo; nam inter eundum videre erat, nobilitatem illam victricem per vias lubricas, & propter imbres continuos luto corruptas, equorum penuria ſumma cum difficultate pedibus incedere, lapſantibus ubique fere veſtigiis; & permiſtos heris ad ludibrium lixas mutua opera ſe erigere, æquata omnium per fortunam conditione. Hic Cæſaris ex Germania diſceſſus ſuperbo de Germania ante quinquennium quaſi ſub jugum miſſa triumpho tam abſimilis, ſatis arguit, quam imprudenter à Cæſare factum ſit, quod Albani potiusquam Caſtaldi ſententiam ſecutus omnem victoriæ fructum in ſeveritate poſuerit, neque Mauritii offenſionem veritus tam diu & tam indigne Heſſum Socerum captivum detinuerit. Errorem ſero ſenſit ille, dum Albani & Atrebatenſis conſiliis plus juſto tribuit, & antequam Oeniponte profugeret, Joan. Fridericum Saxonem liberavit, præcepta hac hoſti gloria, quod exiſtimationis ſuæ intereſſe arbitraretur, ne coactus potius, quam ſponte captivum dimiſiſſe videretur. Contra Saxo, qui Sociis, quam Cæſari, beneficium acceptum ferre mallet, gratiam recuſabat, & quamvis liber factus Cæſarem, quacunque ibat, ut antea, comitabatur. Quod Saxonem gratiam recuſaſſe dicit, viſum ita tunc fuit his, qui interiorem rei geſtæ notitiam non penitrarunt. Rectius rem refert miniſter Electoris *apud Hortl. de B.G.p. 429.* etſi enim cuſtodia remota & proſcriptio ſublata fuerat, juſſus tamen erat ſequi Cæſarem. Atque eſt juris Teutonici, ut proſcriptus etiam abſolutus ſequatur comitatum Regis, *J. Sax. 3:34.* Wer in des Königes Acht gethan wird / zeucht er ſich aus / er ſol folgen dem Hof ſechs Wochen / und ſol damit ledig ſeyn. Scilicet Imperator prudentiſſimus quod admiſſum fuerat, ſtatim correxit, Landgravium dimiſit, ac liberta-

bertatem civilem pariter & ſacram Germanis reſtituit, neque hanc in diem, uti hactenus, ſed in perpetuum, *Hortled. c. XI. & XIV.* donec de religione amicè conventum fuerit, abolita conſtitutione Interimiſticâ, & diſſoluto Concilio Tridentino, fruſtra reclamantibus XII. patribus Hiſpanis, ut Caranza ad Seſſ. XIV. refert.

§. VII.

Tranſact. Paſſav. Armis itaque utrinque poſitis, & *tranſactione Paſſavii* inter Imperatorem Archiepiſcopos, Electores, Epiſcopos Salzburgenſem, Eichſtatenſem, Paſſavienſem, Würzburgenſem, & Ordines Germaniæ ad libertatem provocantes compoſitâ, quod A. C. 1552. pr. Kal. Aug. factum fuit; ne Romana Curia de vi aut metu aut ſimili quopiam validè haberet excipere, pactum conventumque fuit, ut Imperator poſt ſemeſtre ſpatium Comitia celebraret, atque conſultaret cum Statibus denuo, quibus modis, Concilione, an Colloquio aut Comitiis diſſidium religionis componendũ, ut que deputarentur certæ perſonæ utriusq; religionis eodem numero, qui de modo hoc deliberarent, conceſsâ interim libertate conſcientiarum in cauſa religionis *Hortled. l. V. de B. G. c. XIV.* §. 5. *Pallav.* 13 : 5. & 13. ſq.

§. VIII.

Decreta Cõc. Trid. ipſo facto rejecta. Quo ipſo manifeſtiſſimum eſt, conſenſu unanimi Imperatoris, Electorum ac Statuum Germaniæ ea, quæ hactenus Tridenti fuerant decreta, pro validis non fuiſſe agnita, nec modum iſtum procedendi approbatum, ſed de alio, atque legitimo adhuc eſſe conſultandum, & quidem in Comitiis Germanorum inter Germanos Nec mirum, decreta Tridentina ab his ab illis fuiſſe neglecta, qvum ipſe Pontifex Paulus IV. auctoritatem iſtius Concilii elevarit, ut refertur à P. Suavi *in Hiſtor. Conc. Trid. l. V.*

pag.

pag. 448. ſe nunquam aſſenſiſſe, ut Concilium haberetur Tridenti, h.e. in medio Lutheranorum. Concilium ſolis Epiſcopis conſtare. Et quanquam ad conſultationes alii quoq; quandoq; admitterentur, nulli niſi homini Catholico jure deberi locum: alioquin Turcas admittendos. Magnæ itaque fuiſſe vecordiæ LX. Epiſcopos, neque eos maximi nominis, & XL. Doctores, non omnes de meliore nota ad montes ablegaſſe, ſicuti jam bis factum eſſet: ſimul credere, ab his Eccleſiæ doctrinam & diſciplinam rectius ad rationis normam deſignari poſſe &c.

§. IX.

Receſſ. Imper. index expurg.

Hic Pontifex quidem aliquot *Receſſus Imperii* indici librorum *prohibitorum* inſeri voluit, ſed quid de hac re Maximil. *II.* Imp. Concilio Tridentino propoſuerit, teſtis eſt idem *in Hiſtoria illius Concilii p. 842. Per hos dies Oratoribus Cæſareis à Principe ſuo mandatum, agerent cum Legatis (quod eſt factum) ut in recenſione indicis librorum prohibitorum, nulla mentio fieret Receſſuum in Dietis Germaniæ qui à Paulo IV. prohibiti jam fuerant. Et habebat id Imperatoris mandatum nonnihil acrimoniæ, quaſi Patres, quibus res Eccleſiaſticæ tractandæ erant, formam dare vellent politiæ Germaniæ & occaſionem dare populis, qui illis legibus uterentur, etiamſi nolint, ſe ab Eccleſia Romana alienandi. Hiſce ab Oratoribus expoſitis, reſponſum eſt, ipſum Epiſcopum Pragenſem, unum ex iis, & illius Congregationis caput, ſcire poſſe, an eâ de re verba facta eſſent. Quod ſi non eſſent, imperatoriæ Majeſtati de ſuo ſibi Oratore confidendum: cui etiam in omnibus ad utilitates Majeſtatis ejus ſpectantibus, & ſe, & Pontificem eſſe fautores.*

§. X.

Pax Religioſa 1555.

Anno ſequente 1553. *Ulmam* quidem indicta fuerant

Comitia, ſed motibus tum ſuperioris, tum inferioris Germaniæ ea impedientibus, prorogata atque *Auguſtam* translata, tandemque XXV. Sept. 1555. finita fuere, moriente interim Julio III. & Marcello II. In illis etſi imprimis de diſſidio religionis componendo agendum eſſet, qvum tamen deprehenderent Imp. ac ordines, *inducias* religioſas earumque prorogationes hactenus ſolitas non ſufficere ad pacem inter cives retinendam & amicitiam fiduciamque inter ipſos reducendam, absque hac porrò non poſſe de ſopiendo religionis diſſidio firmiter aliquid tractari, multo minus concludi; idcircò prudenti unanimique conſilio, ante omnia univerſalem firmam atque perpetuò duraturam *pacem religioſam* pariter ac civilem, inter Imper. & ordines utriusque religionis confecerunt, conceſſa per omnia libertate Eccleſiis Germaniæ A. C. addictis, ut ſecundum conſcientiam ſuam ſacra diſponerent, tam quoad res, quàm perſonas. *Receſſ. Imper. de ann. 1555. §. ſqq. & 25.* ſuſpensâ manente ut hactenus jam inde à Receſſu Norimbergenſi *de A. 1524. §. 29.* usque ad hoc tempus Jurisdictione Epiſcoporum Pontificiorum in territoriis Ordinum C. A. & jure diœceſano, §. *XX.* Cæterum cognitionem & deciſionem controverſæ religionis non ad *Concilium Tridentinum* amplius, ſed ad proximè futura *Comitia* remiſerunt, ita, ut modus decidendi, non alius eſſe deberet, quàm amicabilis, §. XV. Und ſoll die ſtreitige Religion nicht anders/ dann durch Chriſtliche/ freundliche/ friedliche Mittel und Wege zu einhelligem Chriſtlichen Verſtande und Vergleichung gebracht werden / alles bey Keyſerl. und Königl. Würden / Fürſtl. Ehren / wahren Worten und Peen des Land-Friedens. Et §. CXL. So haben ſich der Churfürſten ꝛc.

§. XI.

Comitia 1557.

Comitiis ſequentibus Ratisbonæ A. 1557. de modis componendi religionis diſſidii tractatum fuit, & inter quatuor modos, aut in Concilio *Univerſali*, vel *Nationali*, aut in *Comitiis*, aut in *Colloquio* hanc controverſiam tractandi, ultimum elegerunt Ferdinandus Rex & Ordines Imperii, qvum Concilium Univerſale (quale Tridentinum non eſſe eo ipſo confeſſi,) pro rerum ſtatu nōn poſſit inſtitui, multo minus eo, quo deberet, modo finiri, *Rec. Imp. Ratisb. 1557.* §. *9.* Concilium Nationale impediebant Epiſcopi Pontifici addicti, in Comitiis autem hac de re tractare, ſchiſmatis ſpecies aut initium, ut quibusdam viſum, *Pallav. 14. 6: 1.* hactenus Germanis haud habitum, quæ enim in Colloquiis tractabantur, in Comitiis communi conſenſu rata habebantur, aut maturiori deliberationi ſervabantur. *Colloquia* enim *à Comitiis* dependebant.

§. XII.

Notabile eſt, quod in illâ Comitiorum ſanctione A. 1557 nulla mentio conſenſus Pontificii facta, idque non improbantibus *Statibus Eccleſiaſticis*, eò ſcilicet provecta jam tum Eccleſiarum Germanicar. libertas fuit. Et qvum Nuncio Pontificio de iis propterea conqueſtus eſſet, quod conſenſiſſent: reſponſum tulit; Ratos ſe, Pontificem haud diſſentire, quippe qui permiſiſſet, ut Româ eò accederet Pet. Caniſius, è S. J. unus ex electis pro parte Catholica. Quod permiſſum à Pontifice fuerat, *addit Pallav. 14: 6, 2. non quia hujusmodi congreſſiones generatim non improbaret; ſed quia, poſito jam inevitabili malo illius profani congres-*

greſſus, placeret Paulo, ut partem catholicam docti fidelesq; propugnatores tuerentur. Quia idem eò miſit Româ doctorem, qui privatim ibi degens, ſcientiam ſolertiamq; impenderet ad Religionem immunem ab ictu ſervandam; injunctumque etiam illi fuiſſe, ut earum rerum tractationem interdictam denuntiaret, utpote illicitam in negotio Fidei, niſi anteceſſerit voluntas Pontificis: Et ſanè rem feliciter proceſſiſſe: cum enim deſtinatus à Rege congreſſui præſideret Julius Pflugius Numb. Antiſtes, & integerrimus Fidei orthodoxæ cultor, primo loco propoſitum à Catholico fuiſſe, ejus fortaſſe conſilio, ut cum tot Cæſaris Comitiorum Edictis omnes ſectæ proſcriptæ fuiſſent, præter eas, quæ veterem religionem & C. A. profiterentur, ante omnia unanimes convenirent in reliquis improbandis: cui rei quinque ex ſelectis ab hæreticis conſenſiſſe, ſeptem repugnaſſe, affirmantes, inauditas partes damnandas non eſſe. Ex quibus liquido apparet, primò libertati & unitati Eccleſiarum adverſam intentionem Pontificem Rom. geſſiſſe, & contrariam Imperatorum atque ſtatuum. Deinde hanc à nemine niſi ab ipſo Pontifice hactenus fuiſſe ſufflaminatam, arte quidem, quam Pallavicinus laudabilem vocat, non ſacrilegam, impediit tamen revera redunitionem Eccleſiæ & ſchiſma auxit. *Conf. Thuan. l. 19.*

§. XIII.

Modum itaque & leges, quibus Colloquium Wormatiæ habendum eſſet, deſcripſerant; in Comitiis Ratisbon. 1557. ut *ibidem* prolixè habetur: qui etſi longè æqualior, quàm qui in prioribus colloquiis obſervatus, arte tamen Romanâ, & diſcordiâ domeſticâ non fuit iſtius Colloquii is eventus effectusque, quem intenderat Imperium. *Colloq. Worm. 1557.*

 rium.

rium. Quare relatione hac de re facta in Comitiis Auguſtanis An. 1559. communi Ordinum conſenſu tractatio controverſæ religionis usque ad aliam & commodiorem occaſionem fuit intermiſſa, atque Pax Religioſa denuo in perpetuum confirmata fuit. *Rec. Imper. d.a. 1559.* §.5. graviter ob id commoto Pontifice Rom. De Colloquio hoc Wormatienſi exhibet quædam Goldaſtus Reichs-Handl. *P. XVIII. c. 2. 3.* P. Sarp. *Hiſt. Conc. Trid. lib. V. pag. 457.* Pallavic. *14: 6. infra cap. ſequente* §.2.

§. XIV.

Reſign. Carol. V. Sic reſtituerat optimus Imper. Carolus V. ſummam *circa ſacra* poteſtatem Imperio Germanico, & ſimul libertatem Eccleſiis noſtris, memorando poſteris exemplo pariter ac imitando complendóve. Nec minus inſigni *circa civilia* quoque Pontificis attentata infregit, *reſignans* Imperium Romano Germanicum in manus Electorum, inſcio ac invito Romano Pontifice *V. Goldaſt. T. 1. Conſt. Imp. 1556.* Qua de re fruſtra fremuit Paulus IV. prætendens in caſu *reſignationis* ſeptemviris jus eligendi non eſſe: *Pallav. 14. 6, 14. Thuan. l. 21.* ægrè admittens Legatum Ferdinandi Cæſaris, admittens tamen, ſed privatim, nec ut Legatum Imperatoris, quare Legatus, ſecundum mandatum Ferdinandi, proteſtatione interpoſitâ, diſceſſit Româ *P. Suav. Hiſt. Conc. Trid. p. 460. Pallav. 14: 6, 5. ſqq.* Mox ſucceſſor, ſponte agnoſcens Ferdinandum Imperatorem, *Onuphrio Panvinio teſte, itemque P. Suav. Hiſt. Conc. Trid. & Pallavic. 14: 11, & 12.* facto ipſo non minus ac jure remiſit. Vide de hac re *Limnæi lib. 2. de J. P. c. XI. 16. & in Addit. ibid. itemque ad Capitul. Ferd. 1. pag. 454.*

§. XV.

§. XV.

Atque ut ne occaſio daretur Pontifici, mori Majorum inſiſtendi, & actum *coronationis Romanæ* pro jure aliquo conferendi Imperatoriam Poteſtatem interpretandi, Ferdinandus Imp. & poſteri usque ad hanc ætatem prudentiſſimo conſilio actum iſtum planè omiſerunt; qvum ſatis ſuperque conſtet, ex Inauguratione ſeu Coronatione Romanâ veteres Impp. nihil poteſtatis, ſed merum inauguratorum h. e. *Auguſtorum* nomen retuliſſe, ut optimè obſervavit Onuphrius Panvinius *de Comitiis Imp. c. V. Prima,* inquit, *Germaniæ Principum electio eſt, quæ Imperatorem reipſa facit; Pontificis verò Inauguratio; quæ eum Imperatorem ritè renunciatum fuiſſe, Imperioq́ dignum declarat, atque ei ſpecioſa* IMPERATORIS & AVGVSTI *nomina indidit.* Id quod etiam dudum antea *Lupoldus de Bebenburg*, poſtea Epiſcopus Bambergenſis, libro *de Juribus Regni & Imperii Romanorum*, & poſtea *Hieronym. Balbus*, Epiſcopus Gurcenſis *de Coronatione*, ad Carolum V. ſcripto libello demonſtrarunt.

Coronatio Rom. omiſſa.

Cap. X.

De

CONCILII TRIDENTINI EXITV ET AVCTORITATE.

S v m m a r i a.

Concilium Trid. renovatum, & recuſatum à Proteſtantibus Ex cauſis juſtis. Ordo reformandi ab Imp. & Eccleſiis in concilio deſideratus, neglectus. Concilium à Papa finitum, invito aut connivente Imp. Ferdinando, qui libertatem communicandi ſub utraque ſuis concedit. Ge. Vicelii Via Regia & Elenchus Abuſuum. Concilii Trid. decretorum publicatio & auctoritas: in Italia. Gallia. Hiſpania. Germania. Maximiliani II. Imp. conſultatio in Comitiis 1556. de alia, quam Tridentina, & legitima via ineundæ concordiæ religionis, huc usque prorogata. Idem Imp. recuſavit Papæ jusj. & obedientiæ promiſſionem. Obedientiæ ab Obſequio differentia.

§. I.

Concil. Tr. reject. denuo. FERDINANDVS Imp. quemadmodum ante adeptum Imperium repurgatæ religionis libertatem in Provinciis hæreditariis *Auſtriæ* non prorſus prohibuerat, *Palla-*

Pallavic. 14: 6,4. ita etiam qvum illud ſuſciperet, in Comitiis Auguſtanis Anno 1559. ſummus ejusdem ſtator ac Tutanus poſt DEVM O. M. fuit, ut ſuperiori capite vidimus. Is cum anno ſequente à Pio IV. Pontifice, omiſsâ prætenſione ſedis, Imperator agnitus, & Legati ejus Romæ recepti eſſent honorificè, primò plures difficultates Tridenti concilii habendi Pontifici proponi fecit, quas recenſet Pallavic. *14: 13,9. ſqq. & c. 14.* ubi quæ Pontifex de iis d liberaverit atque reſponderit, refert. ſubſequente anno 1561. qvum *conventus Numburgi* à Statibus A. C. celebraretur, ac de Concilii Tridentini continuatione à Pio IV. per nuncium ibi ſollicitatâ, *V. Pallav. 15: 2. ſqq.* conſultaretur; Legatos eodem miſit, atque *recuſati* concilii ejusmodi *cauſas* clementiſſimè recepit.

§. II.

Eas refert Goldaſtus Reichshand. *P. XVIII. c. IV.* *Cauſa*
Conf & P. Suav. *Hiſt. Conc. Trid. lib V. p. 493. ſqq.* ſed plenius Hortled. *de C. B. G. lib. 1. c. XLVI. & ſq.* lectu digniſſimas, quibus etiam reſponſum eſt præmiſſum, quod Nuncio Pontificis Rom. Status dederunt, atque denuo demonſtrarunt, & divino & humano Jure ſe coactos, Eccleſiarum ſuarum libertatem à tyrannide Pontificum Rom. tandem aliquando conſtanter vindicare. Eandem deductionem repetierunt Anno 1562 Francofurti, qvum Maximilianus Rex Rom. eligeretur. *P. Suav Hiſt. Concil. Trid. l. 7. p. 720.* conf M. A. de Dom. *lib. VII. de Rep. Eccl. c. III. §. LXXXVI. ſqq.* ubi de conditionibus ad bonum & proficuum Concilium celebrandum neceſſariis contra Bellarminum *lib. I. de Concil. c. 21.* ſolidè diſſerit. Paulus

Sar-

Sarpius *lib. V. Hiſt. C. Tr. pr.* cauſas diverſas convocati diverſis temporibus Concilii referens, de prima ait: *Enimvero Concilio ad ſollicitas & aſſiduas Germaniæ preces primitus indicto, ex ejus convocatione omnibus per orbem Chriſtianum Eccleſiæ morbis medicinam Germani ſpe conceperant; ſed effectus, qui Paulo III. Pontifice poſt ſecuti, & ſpem eam irritam fecerunt, & Germanis oſtenderunt, quale illi flagitabant Concilium, neque unquam haberi poſſe, & fruſtra expectari.*

§. III.

ordo reformandi à morib.

Quo eodem anno Imperator Ferdinandus per Legatos Pontificiis Nunciis Tridenti obtulit *capita* certa inſtituendæ reformationis, & quidem non iſto antea infeliciter incepto ordine, verum ut reformatio *morum* diſputationi de *controverſiis* Fidei præmitteretur, ante omnia ipſius Pontificis & Romanæ Curiæ, & deinde totius cleri: poſtea circa dogmatum controverſias, relaxandum eſſe aliquid de jure poſitivo, & circa communicationem ſub utraque ſpecie conſulendum deſiderio exterarum nationum. De eſca carnis & jejuniis aliquid de priſtino rigore eſſe remittendum. Conjugium item Clericorum aliquibus rationibus eſſe permittendum: ſimiliter Novam faciendam Agendam per peritos Theologos: Quæſtiones ſcandaloſas in Concilio eſſe cohibendas, & plura alia teſte *Thuano lib. XXXII.* & *Petro Suavi lib. VI. & VII. Pallav. l. 22. ſqq.* & *H. Conring. ad Ge. Wicelii Viam Reg.* ubi inſuper etiam ſingulares Ferdinandi literas exhibet ad Pium IV. *die 3. Martii 1563.* quibus libertatem antiquam Conciliorum graviter tuetur. Tale quid jam dudum ab initio Concilii iſtius urſerant Epiſcopi, qui ad Imperato-

rem

rem inclinabant, *Hiſt. Conc. Trid. p. 155. 157. 209.* itemque Oratores, *p. 222. p. 641. p. 656. 722. 730.* & Epiſcopi ex magna parte ipſi, *p. 660. ſq.* & tandem ipſi Pontificis Legati, *p. 667. 997. 758.* ſed Papa quoque ipſe Pius IV. *p. 737.* Denique idem Ferdinandus *Anno 1563. 23. Aug.* literas ad Oratores ſuos dedit, quibus varia capitula decretorum Tridentinorum improbavit, & partim ut intolerabilia, quæ recenſet *Pallavic. 22: 5, 12. ſqq.*

§. IV.

Etſi verò nihil tum in ipſo obtinuit Concilio Imperator, fruſtra etiam & Rege Galliæ, & Principibus Germaniæ utriusque religionis intervenientibus, de Bavaro *P. Suav. H. C. Trid. p. 592.* unde & nulla ejus concilii apud pleroſque auctoritas, quippe quod cum eo anno 1563. invito Imp. aut cum nullum ex eo fructum exſpectaret, ſaltem connivente, *V. P. Suav. Hiſt. Conc. Trid. l. VII. fi.* & quod putaret, religionis negotium in Germania multo rectius proceſſurum, *l. 8. p. 889. conf. Pallav. 23: 4. 5.* ſive finivit ſive diſſolvit, Pontifex ſuâ ſibi Monarchiâ per ſuos ſic ſatis confirmatâ: Tamen poſtea Bullam Papalem, de communione ſub utraque, extorſit Imperator, quanquam certis conditionibus. Exhibemus Bullæ exemplum ex autographo deſcriptum, quod in illuſtris PFLVGII Noſtri Bibliotheca extat. *Finis Concilii.*

PIVS. PP. IIII.

Venerabilis frater, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum ſacroſancta Tridentina Synodus in ſeſſione de ſacrificio miſſæ habita, referendum ad nos eſſe decreverit negotium aliàs in eadem Synodo propoſitum de uſu Sacri calicis, alicujus nationis, vel regni populis concedendo: ut id nos conſi-

lium caperemus; quod animabus ipſum calicem petentium ſalutare futurum eſſe judicaremus: peracto concilio, chariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus Romanorum Imperator electus, inſigni, & perpetuo ſuo pietatis zelo adductus, re prius, ſicut ad nos ſcripſit, communicata cum nonnullis præcipuis S. Romani Imperii Prælatis, ac Principibus Eccleſiaſticis, & dilecto filio nobili viro, Alberto Bavariæ Duce, genero ſuo, per literas, & per Oratorem ſuum diligentiſſime nobis expoſuit ingens, evidensque periculum, quod in provinciis inclytæ nationis Germanicæ, & aliis regnis, ac dominiis ſuis, imminet religioni catholicæ: ne ibi penitus extinguatur: propterea, quod illæ Catholicorum reliquiæ tanto deſiderio communicandi ſub utraque ſpecie teneantur: ut non pauci jam ad hæreticos ſeſe ob eam ipſam cauſam contulerint: à quibus catholicæ fidei veritatem abjurare coacti ſunt: & de cæteris, niſi calicis uſus ipſis concedatur; magnopere ne idem faciant; atque ita omnes ab Eccleſia recedant, verendum ſit. Itaque vehementer nos oravit, obſecravit, & inſtitit, ſuo, & ipſius Ducis Bavariæ nomine: ut tot Germanicæ nationis, & regnorum, ac provinciarum ſuarum populis opitulari, pro conceſſa nobis à Domino poteſtate, vellemus. Quæ eadem de re idem Bavariæ Dux, Princeps non genere magis, quam pietate inſignis, ac nobilis per Oratorem ipſe quoque, & per literas diligentiſſime nobiſcum egit: multique præterea doctrina, religione, prudentiaque præſtantes Viri nos hortati ſunt. Commota fuerunt, perinde ac debuerunt: & penitus concuſſa, viſcera noſtra dolore quodam intimo: poſtquam de tot animarum jactura, pro quibus Chriſtus Dominus noſter pretioſiſſimum ſuum ſanguinem in ara Crucis effudit: & de tanto, ac tam manifeſto diſcrimine, quod Catholicorum reliquiis in illa nobiliſſima

natione, & dictis regnis, ac Dominiis impendet: ex tam piorum Principum, & aliorum gravium virorum teſtimonio cognovimus. Huic igitur periculo, quod proponitur, pro paſtorali officio, cupientes obviam ire: & multorum infirmitati paternæ charitatis viſceribus ſubvenire: ne unquam de nobis dici poſſit: tot pereuntes animas à nobis neglectas fuiſſe: & non feciſſe nos, quicquid potuerimus: ut nutantes confirmaremus: lapſos erigeremus: errantes in ſalutis viam reduceremus: de Fraternitatis tuæ Zelo, diligentia, & circumſpectione confiſi: ſi ita eſſe: & ſaluti animarum expedire cognoveris: in quo conſcientiam tuam oneramus: tibi, & iis, qui maturo, rectoque judicio ſubdelegabuntur à te, tenore præſentium de poteſtatis apoſtolicæ plenitudine facultatem damus, atque concedimus eligendi, & deputandi catholicos ſacerdotes: qui in provincia tua utranque ſpeciem decenti ordine ſervato, & omni offenſione vitata, quæ oriri poſſet inter communicantes ſub utraque, & ſub una tantum ſpecie miniſtrare posſint, illam ex devotionis fervore petentibus: dummodo ii, qui illam petierint: cum Sancta Romana Eccleſia communionem habeant: & cum cæteris in rebus fidem ejus, doctrinamque ſequantur: tum hoc quoque confiteantur, profiteantur, & credant: in ſanctisſimo eucharistiæ ſacramento, tam ſub unâ, quàm ſub utraq; ſpecie verum, & integrum Chriſti corpus eſſe: nec Rom. Eccl. errasſe, aut errare: quæ exceptis duntaxat ſacerdotibus celebrantibus, cæteros tam clericos, quam laicos ſub ſpecie tantum panis communicat. Et præterea contriti, ac confesſi, munere ſacramentalis abſolutionis accepto, ad ipſam ſub utraque ſpecie communionem ſumendam accedant. Vt vero etiam lapſis ſi ad gremium matris Eccleſiæ redire voluerint, remiſſo rigore Canonum conſulamus, permittimus, ut ſi vere &

ex animo reſipiſcant: erroreſque, & hæreſes, in quibus fuerint: apud te, vel ſubdelegatos abs te deteſtentur: abjuratio eis decreta ſufficiat, injuncta tamen eis pœnitentia ſalutari; niſi magis eam abjurationem publice fieri expedire, tibi, ipſiſve ſubdelegatis viſum fuerit: quod arbitrio veſtro relinquimus: atque ita ab omnibus pœnis, cenſuris, & ſententiis, in quas propter hæreſis crimen incurrerint, abſoluti, & fidelium unitati, ac Sacramentis Eccleſiæ reſtituti, ipſi quoque ad communionem ſub utraque ſpecie admitti poſſint. Illud fraternitatem tuam monemus, & diligenter curare volumus, ac mandamus; ut confeſſores, & ſacerdotes abs te, illiſve, quibus tu hanc poteſtatem ſubdelegabis, eligendi, & deputandi, in concionibus, & hortationibus ſuis ſedulo populum ſub utraque ſpecie communicaturum doceant, adhortentur, ac moneant: ut integrum Chriſtum, ſicut diximus, tam ſub una, quam ſub utraque ſpecie contineri fideliter credat, confiteatur, & teneat. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVI. Aprilis. M. D. LXIIII. Pont. Noſtri Anno quinto.

Venerabili fratri Julio Epiſcopo Naumburgenſi.

At Imp. omiſſis conditionibus libertatem communicandi *ſub utraque* ſimpliciter ſuis conceſſit, Edicto publicè Viennæ propoſito, die XXIX. Julii A. 1546. *quod idem H. Conringius d. l. aſſervavit.* qvum paulo ante Georgium Wicelium juſſiſſet Summarium quoddam doctrinæ Catholicæ compilare, in quo concordantiam & differentiam utriusque religionis explicaret, ita ut tale Summarium eſſet quaſi Methodus quædam, ad quam parochi & concionatores in regnis atq; Provinciis Auſtriacis, doctrinam ſuam tanquam ad regulam dirigerent: quem librum eodem

eodem anno filio Maximiliano II. Imp. obtulit ſub titulo *Via Regia;* itemque decennio poſt Elenchum Abuſuum; *judices* hujus diſſidii componendi SS. *Patres* Eccleſiæ Veteris proponens: contra quem conciliandi modum jam tum diſputaverat Lutherus *libello de Conciliis d. 1539. T. Jen. G. VII. f. 221. ſqq.*

§. V.

Contra Pontifex Rom. Pius IV. M. Februario 1564. oratione ſpecioſâ decreta Concilii confirmavit & reformationem juxta ea promiſit, extat ea apud Goldaſt. *Pol. Imp. P. XXVII. T. XI.* ad finem anni ejusdem 1564. Epiſcopis & omni clero præſcriptam *Fidei Tridentinæ Formulam* promulgavit, & *jurejurando* profeſſionem juxta illam fieri mandavit. Extat Bulla *in VII. Decretal. cap. IV. de S. Trinit.* Quod etiam ad cujuscunque facultatis Doctores & Profeſſores extenſum, *cap. 2. de Magiſtris & Doct. eodem VII.* Sed qvum ſuperiori capite obſervatum ſit, Concilium Tridentinum quod *ſemicæcum* vocat Ge. Wicelius *in Elencho Abuſuum. communi Imp. & Statuum conſenſu* pro legitimo nunquam fuiſſe agnitum, ſalva libertate Germanicâ, ſalvâque conſcientiâ, nec ab Imp. nec â Statibus alterutrius religionis acceptari potuit iſta Fidei Tridentinæ Formula.

Concilii Tr. publ. & autor.

§. VI.

Quare rectè atque ordine fecerunt *Franciæ* Reges, attentatam â Clero Gallico illius publicationem prohibentes. Conſtitutionem Ludovici XIII. die VI. Maji 1616. *habet Meteranus p. 193.* Magiſtratus etiam Regii aſſerunt, ad libertates Regni pertinere, ut Concilium Tridentinum nullo caſu vel tempore in regno publicetur. Contra quos Petrus de Marca in libris de Sacerd. & Imp. concor-

dia ſtabilire conatus: Concilium Tridentinum Conſtitutionibus Regiis receptum eſſe in iis quæ ad fidem pertinent,& in plerisque etiam diſciplinæ capitibus; in cæteris verò articulis recipi poſſe imò verò & publicari, quandocunque Regibus conſtabit nullam eſſe ſuſpicionem motuum ex eo in regno excitandorum. Cardinalis Lotharingius Gallorum nomine in Concilio proteſtatione hac uſus eſt, ſe Reformationem accipere, eà conditione, ne quid præjudicii afferat juribus Galliæ, neque ut perfectam Reformationem,ſed ut præparatoriam *&c. p. 875. & vide cenſuram Parlamenti p. 919.* Lunenſis, *Hiſpanus* non niſi reſervato Regis Cath. aſſenſu, ſubſcripſit. *Pallav. 24:8.* de Gallia *ib. 11.* Atque ſi, ut Antonius Diana, *Tom. XI. Tr. 2. Miſc. Reſol. 69.* non diffitetur, *Leges Tridentinæ promulgatæ cenſentur ſub tacitâ conditione, ſi à populo acceptentur;* certè majorem autoritatem à Summa LLatoria cujusque Reip. poteſtate præſtolabuntur.

§. VII.

Eandem itaque poteſtatem idemque jus etiam Imperatori noſtro atq; *Statibus Imperii Carolus* jam tum vindicaverat: quam & *Maximilia.* II. Imp. in Comitiis Auguſtanis A. 1566 ſtrenuè aſſeruit,dum haudquaquam attentâ iſta Tridentinâ Formulâ,de aliâ atque legitima viâ ineundæ concordiæ Religionis fuit conſultatio ſuſcepta,atque ad hunc usque diem prorogata. *Receſſ. Imp. 1566. §. 2. ſqq.* cui ipſi negotio deſtinata tum fuiſſe videtur prædicta Vicelii *Via Regia & Elenchus abuſuum.* Thuan. *Epiſt. ad Henr. IV.*

§. IIX.

Max. II. recuſat Notabile eſt de Maximiliano II. Rege Rom. quod is electionem ſuam Pontifici R. Pio IV. referens, & confirmatio-

mationem petere recuſavit, & Papæ *de obedientia jusjur.* *Papæ jusj.*
præſtare; rem ita prodidit *Paul. Sarpius, lib. VIII. Hiſt.* *& obed.*
Concil. Trid. ſcribens: *Per id tempus Pontificem aliud negotium non minoris operæ ſolicitum habuit, nam cum ab Rege Romanorum mittendi eſſent oratores, qui de ſua electione Pontifici ſignificarent, non putavit ad exemplum aliorum Imperatorum & Regum, quos nulla premebat difficultas, ſibi ad voluntatem Papæ quidvis promittendum ac jurandum, ſed ratione habita Principum & cæterorum Germaniæ Proteſtantum, ne ipſos ultro offenderet, voluit ſibi prius declarari, quibus verbis utendum eſſet. Eâ re in Cardinalium conſultatione poſita, decreverunt illi, poſtulandum ei Electionis confirmationem, & in obedientiam Sedis Apoſtolicæ ad exemplum omnium aliorum Imperatorum jurandum. Quibus reſpondit: falſos illos fuiſſe, ſe verò nunquam in aliquid conſenſurum, quod fraudi futurum ſit ſucceſſoribus ſuis, ſicut nunc deceſſorum ſuorum actiones ad ſuum præjudicium trahantur: cum id non aliud ſit, quam ſe vaſallum profiteri. Mandat itaque, ut Orator ſuus his verbis utatur: Majeſtatem ejus omnem reverentiam, devotionem & obſequium Sanctitati ejus & Sedi Apoſtolicæ præſtituram: at promittere ſe Sanctam fidem Catholicam non ſolum ſalvam conſervaturam, verum etiam, quantum poterit, amplificaturam. Cum inter eos non conveniret, hujus negotii tractatione jam annum continuatâ; exiſtimant tandem Romæ, commodum ſe temperamentum inveniſſe hoc propoſito, ut de obedientia fidem daret, non quà Imperator ſed qua Rex Hungariæ & Bohemiæ, negari enim non poſſe ajebant, Regem Stephanum anno Salutis humano milleſimo Regnum apoſtolicæ ſedi donasſe, illudq́ una cum titulo regio poſtea eidem acceptum tuliſſe, & ſe ei in clientelam dicaſſe, & Vladislaum Ducem*

Bohe-

Bohemiæ accepta ab Alexandro II. facultate mitram geſtandi, ad ſolutionem centum argenti marcarum in annos ſingulos ſe obligaſſe. Quæ ab Germanis in conſultationem adducta, quod non aliis niterentur firmamentis quàm Papæ Gregorii VII. affirmatione, in ridiculis habita: iisq́ reſponſum, opus eſſe documentis recentioribus & certioribus, ac titulo juris minus ambigui. Multi ultro citroque nuncii commeabant, cum variis propoſitionibus, reſponſis & replicationibus, quibus omnibus omiſſis, mihi conſilium eſt, negotii modò exitum referre, qui ejusmodi fuit: Poſt menſem vicesimum, venit Romam Comes Elfeſtenius Orator illius Regis, qui cum renovatæ eædem de poſtulanda confirmatione & obedientia jurisjurando promittenda tractationes. Sed illo dicente, ſe habere in ſcriptis orationem, quam totidem verbis recitare debeat, imperatumq́, ne unum ejus apicem commutaret, Papa facta congregatione generali rem Cardinalibus propoſuit. Illi poſt longam conſultationem denique ſtatuunt, quamvis nec confirmatio petatur, nec promittatur obedientia, tamen in reſponſione ad Oratorem dicendum, ſanctitatem ejus Electionem Regis confirmare, omnes defectus, qui in illâ de facto & de jure intervenerunt, ſupplendo & obedientiam Regis accipere, nulla interim, utrum poſtulata fuerit, an non poſtulata, promiſſa an ſecus, mentione adjecta. Atque hæc ceremonia parum ex ſententia animi Pontificis, minus etiam ad mentem Collegii Cardinalium eſt peracta.

§. IX.

Pallavicinus *lib. XXII. Cap. 6. §. fi.* invehitur in Suavem, quòd Pontificem derideat; *aut quaſi antea poſtularit obſequia, quæ ipſi minimè deberentur; aut quaſi poſtea exer-*

cuerit juriſdictionis ac prærogativæ actus, qui poſtulatis minimè conſonarent. Verum enim verò non diffitetur, Maximilianum *recuſaſſe confirmationem electionis petere à Pontifice, niſi ea oſtenderetur petita à deceſſoribus.* Cui hoc tantum repoſitum: *Quanquam ſive ob recentem Romæ direptionem, ſive ob ſocordiam in tabulis cuſtodiendis non reperirentur juramenta, & obedientia, à Maximiliano I. & à Carolo V. præſtita; tamen id actum eſſe credendum.* Fatetur, *jurijurando quæſito à Pontifice, oppoſitum à Maximiliano II. uſurpatum illud non eſſe. idcirco Cæſaris Oratorem de ſe aliud protuliſſe, quod uſurpetur cum Cæſar à Pontifice coronam accipiat, in quo ſe obſtringat ad Fidem Catholicam tuendam.* At Pontificem deſideraſſe declarationem *Fidei Catholicæ,* de ea, *quam Romani Pontifices profiterentur.* Cæteroquin *formulam haberi in canone Tibi Domino Diſt. 93. eam poſtea variatam, ſed ſemper uſitatam à Cæſaribus electis, per amplisſima verba, prout eam Pontifices poſtulaſſent.* Nec minus fatetur, *obedientiæ* exhibendæ Maximilianum repugnaſſe, id enim *à patruo ſuo Carolo V. & ab avo Maximiliano peractum non liquere: & quanquam Patris Orator in eo conſenſiſſet, actum id ab illo extra mandati limites; & quia Tridentinus & Moranus Cardinalis ad hoc illum impuliſſent, polliciti ſe asſenſuros, idem à memoratis Cæſaribus uſurpatum fuiſſe. quod legitimè non probaretur, quapropter niſi tunc rem excuſaſſet apud Cæſarem recta Oratoris mens, hunc pœnam exſoluturum fuiſſe.* Quibus ex parte Pontificis reſponſum: *Præſumi exhibitam obedientiam fuiſſe à præteritis Impp. ex cunctorum Regum Principumque Chriſtianorum exemplo. præterea ſcriptum reperiri, Carolum V. eam fuiſſe pollicitum diſertis verbis. De Maximiliano I. referri ab*

ri ab antiquo Cerimoniarum libro: ab eo fuiſſe præſtitam obedientiam. Sed nihil his motum Ferdinandum Imp. & Maximilianum Cæſarem: *Vetera juramentorum exempla, quæ adducebantur, varia eſſe & abolita, & fortaſſe accommodata illius temporis Cæſaribus, à quibus par fuerat, ut Apoſtolica Sedes exigeret hujusmodi cautiones.* Jusjurandum illud Canonis, *Tibi Domino*, fuiſſe in uſu, *cum Cæſar coronam ſuſcepturus Romanum territorium ingrederetur, adeoq́; præſentibus conditionibus haud aptari. Et fortaſſe illi jurij. aliud conſuetudine ſucceſſiſſe, quod Reges Romanorum haberent in prima Corona accipienda, & quod reipſa protuliſſet Maximilianus Francofurti ſolenniter. Memoriam non extare hujusmodi recentis juramenti, antequam Reges Rom. ſecundum Auream Bullam eligerentur. Illud verò longè majoris æſtimationis eſſe, quippe habitum in tam celebri Germaniæ concurſu, quàm quidquid ageretur in Vaticano Senatu.* Recentius *Caroli IV.* exemplum, quod afferebatur, *non videri plurimi faciendum: cum enim ille Princeps electus fuiſſet eo tempore, quo Ludovicus Bavarus regnabat, mirum non eſſe, inductum illum fuiſſe ad quamcunque legem à Romano Pontifice accipiendam, ut ab eo fieri ſoleret, qui non niſi nomine Principatum obtinet, & alienâ indiget ope ad reipſa poſſidendum. Non eſſe credibilem tabularum illarum jacturam in Urbis direptione, ut quæ conſervari ſoleant in arce Aelia, quò Clemens VII. & ſe & pretioſiſſima quæque receperat. Et ſanè poſt direptionem & memoratas jacturas, accidiſſe electionem Regis Rom. in Ferdinando, nec apparere, hujusmodi jusjur. ab illo editum.* Eandem rationem eſſe *obedientiæ.* Neque rem ſatis oſtendi *ex veteri Ceremoniarum libro,*

quip-

quippe qui diſerta verba à Maximiliano vel Oratore dicta non ponebat, ſed ſententiam; adeoq; dubitari poſſe, expoſitam fuiſſe tanquam obedientiam, ſignificationem illam obſequii, quæ certum hoc vocabulum non contineret. Tandem Pius Papa in literis Borromæi ad Nuntium die 28. Septembr. Anno 1563. ſuâ appoſuit manu, quòd ipſe Ferdinandus Imp. *arbiter* hujusce rei eſſet: quo porrò factum, ut literis à Maximiliano ad Pontificem nonis Febr. Anno 1564. datis quarum ſententiam Pallavicinus refert, Orator Maximiliani tanquam *Regis Romanorum* in Senatu exceptus, conſuetam orationem fecerit, pollicitus in ea *amorem, reverentiam, obſervantiam* & *obſequium.* quæ poſtrema vox, *inquit Cardinalis*, latinè ſonare poteſt *obedientiam:* ſed hâc voce uſus non eſt.

§. X.

Idque ſumma cum cautione. Etſi enim verum eſt, *obſequii* & *obedientiæ* vocabula promiſcuè ſumi, de eo, qui morem gerit alienæ voluntati. Ita de *pœna inobſequioſi* filii Jus Romanum ſtatuit, ut pro modo delicti ad publicam pietatem pertinentis dictetur, *l. 1. de obſeq. par. & patr.* Atque velle non creditur, qui *obſequitur* imperio patris vel domini. *l. 4. de reg. jur.* Imperia quoque *obſequii gloriâ* mitigari, obſervatum à Prudentibus. Verum qvum morem alienæ voluntati ex duplici fonte geramus, aut ex *debito* naturali vel civili, aut *ſponte* atque ex reverentia & veneratione, ambiguitas oritur vocabulorum, niſi res diverſiſſimas propriis nominibus inſigniamus: prior itaque ſpecies *Obedientia & obſeq. diff.*

Obedientiæ vocabulo venit, poſterior *obſequii* nomine preſſius ſumto, quomodo & pares & ſuperiores quoque obſequium præſtare dicuntur inferioribus aut paribus, ut ſexus maſculinus muliebri: Princeps conſiliariis: amicus amico. Quare longè aliud intendebatur ſub promiſſione *Obedientiæ*, quàm *Obſequii*, ſcilicet ſubjectio. Vide quæ ſupra advertimus *lib. II. cap. IV.* §. *3.* Et quæ de *juramento obedientiæ* ſive homagio, quod Epiſcopi præſtant Pontifici Rom. lib. eodem cap. VI. §. 9. & paſſim, diximus. de quo etiam D. Zigler. *ad Lanzell. 1: 10. ff.* Eadem arte *Beneficii* vocabulo uſam antea fuiſſe Sedem Romanam, antea quoque fuit obſervatum.

Caput

CAPUT XI.

De

IMPEDIMENTIS REFORMATIONIS ULTERIORIS.

SUMMARIA.

Epiſcopi obſequioſi Sedi R. & hæc viciſſim. Geiſtliche Vorbehalt. Seceſſio Zwinglii & Calvini. Colloquium Wormatienſe 1557. ſine effectu, & quare. Diſſidia domeſtica Eccleſiarum Proteſtantium. Hinc Colloquium Altenburgenſe, ſed ſine fructu. Conſenſus Theologorum Witebergenſium in conventu Dresdenſi. Conventus Torgenſis. Rei deſperatæ Auguſtus Elect. Sax. aliâ viâ remedium quærit. ejus inſignis epiſtola. Conventus Lichtenbergicus. Formulæ Concordiæ natales: publicatio: apologia. effectus.

§. I.

QVod, ut capite ſuperiori dictum, *Epiſcopi* & Principes Eccleſiaſt. communem Eccl. Patriæ libertatem minus propugnarint, arcana vis Concilii Tridentini perfeciſſe videtur, quo id actum, ut Pontifex & Epiſcopi alter alterius poteſtatem ornaret, augeret; obſervare enim paſſim ibi licet, permiſiſſe Pontificem, ut Epiſcoporum poteſtas

augeretur, ut in quibusdam plus poſſit Epiſcopus, quàm ipſe Pontifex, quod & obſervavit *Hamelius*, Gallus, in cauſa Indultariorum & Seminariorum actâ in Audientia Judicii Supremi Pariſiis d. 10. Sept. 1665. oſtendens, Epiſcopos plus poſſe in uniendo Beneficia ſimplicia Seminariis, quàm Pontificem in Collationibus, quoniam ſecundum Concilium Tridentinum validè unire poſſint Beneficium ſimplex hominis vivi, non habitâ ratione reſiſtentiæ ipſius aut contradictionis, quod Pontifex facere planè non poſſit.

§. II.

Geiſtl. Vorbehalt.

Ex eodem fonte fluxit, quod Epiſcopis non invitis *conſtitutio* imperialis facta fuerit, qua prohibitum, *ne Eccleſiæ Pontifici adhærentes adhuc, amplecterentur Auguſtanam Confeſſionem, ſecus, exciderent dignitate & Bonis Eccleſiaſticis*. Vid. *Rec. Imp. Auguſtan. 1548. §. 10. & A. 1555. § 18.* Id quod vulgo der Geiſtliche Vorbehalt oder Freyſtellung nuncupatum, *Beſold. Theſ. Pract. lit. G.* Quod maximum fuit repagulum libertatis Sacræ, ne propagatio repurgatæ religionis Catholicæ latius progrederetur, & tandem omnis Eccleſia Germaniæ reduniretur. Quamobrem *Maximilianus II. Imp.* à Friderico Elect. Palatino graviſſimè fuit admonitus, ut hanc conſtitutionem aboleret, & reformationem atque redunitionem Eccleſiarum Germaniæ ſeriò reaſſumeret. Epiſtolam hanc adhortatoriam collegit *Goldaſtus P. XVIII.* Reichshandl. *f.* Sed quod hæc talia conſilia fructu ſuo caruerunt, cauſa modò indigitavimus De hoc argumento des Geiſtlichen Vorbehalts oder Freyſtellung ſcripſit ex parte Eccleſiæ Romanæ Franciſcus Burckardus, Cancellarius Electoris Colonienſis ineunte hoc ſeculo librum *de Autonomia,*

miæ. Ex parte Eccleſiarum Proteſtantium anonymus quidam anno 1630. ſub titulo: der Geiſtliche Vorbehalt aus ſeinen Gründen erörtert. & noviſſimè an. 1675. D. Vlric. Obrecht, *hiſt. Prof. Argentin. hodie Conſil. Reip. B. Merentiſſimus, excerpta Hiſtorica ex Actis Comitior.* de hoc argumento exhibuit. itemq; B. Strauchius *Diſſert. Jur. Publ. XIV.*

§. III.

Altera cauſa, ob quam progreſſus Reformationis Eccleſiarum Germaniæ cohibitus & redunitio earum impedita, ne quid diſſimulemus, ex parte *Theologorum* reformatorum fuit, qui jam inde à *Zwinglio* usque diſſenſiones majores inter ſeſe excitarant, & hujus aſſeclæ anno 1530. ſeparatam Confeſſionis Fidei formulam, ab Auguſtana Confeſſione diſcrepantem, publicarant, ſeparatasque Eccleſias ſibi conſtituerant, in Helvetia imprimis atque Belgio, itemque in Gallia, & mox etiam alibi, & in ipſa noſtra Germania, quæ tamen ipſæ, quoties in Comitiis, aut in Colloquiis de Religione, aut de rebus ſacris tractaretur, jure Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſſioni addictarum, gaudere voluerunt. *Seceſſio Calvini.*

§. IV.

Verum eo ipſo primum id damni dederunt progreſſibus Evangelicis, ut Libertas reformandi *in Receſſu Imp. Wormat. anni 1526.* §. 4. ſingulis Statibus conceſſa, per Receſſum anni 1529. coarctaretur, ut antea vidimus. Deinde qvum maxima ſpes adeſſet, fore ut in Colloquio *Wormatienſi* altero, A. 1557. habito, de controverſiis religionis inter Pontificios & noſtrates tandem conveniretur, *de quo cap. antecedente* §. *XIII.* hæc interna diſſenſio effecit, ut inanis tandem Colloquii exitus fuerit. Cœperat Colloquium die XI. Sept. 1557. Wormatiæ, Præſide Julio Epiſcopo *Colloq. Wormat. 1557.*

Naum-

Naumburgenſi. In ſexto conſeſſu die XX. Sept. Epiſcopus Mersburg. Michael, primarius collocutor Pontific. recitatâ à Petro Caniſio reſponſione de judice harū controverſiar. hæc verba fecit: *Reverendiſſ. Domine Præſes, Inclyti Domini Aſſeſſores, notum eſſe putamus huic celeberrimo Auditorio nos ſemel atque iterum inter cætera petiviſſe cum Imperiale decretum certò conſtituat, inter quos & de quibus rebus colloquium hoc habendum ſit, ut Ampliſſimi Domini Collocutores alterius partis clarè exprimere, & nominatim indicare vellent, quænam dogmata ab Auguſtana Confeſſione ſua excludant, & quæ in ea comprehendi velint, illi vero Schwengfeldium, Servetum, Thamerum, & Anabaptiſtas nominatim excluſerunt; Sed ut Decreto Imperiali ſatisfiat, ab iis quærendum exiſtimamus, An ſimiliter etiam Zwinglianos & Calvinianos in Evchariſtia, Oſiandrinos in Juſtificatione, Illyricanos de libero arbitrio & bonis operibus, Picardos in multis rebus ab ipſis diſcedentes à ſua confeſſione excludant, quod cum non invidiosè, ſed adducti neceſſitate quæramus, obnixè rogamus, ſuper hac petitione noſtra clarum reſponſum (interpoſita Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ autoritate) nobis dari.*

§. V.

Hâc occaſione deliberantes collocutores, & eorum Adjuncti, atque Auditores Politici colliſionem inter ſeſe paſſi ſunt, & à reliquorum conſortio excluſi hanc querelam & confeſſionem Præſidi obtulerunt: *Reverendiſſime Domine Præſes, cum die lunæ præterita, quæ erat 20. Septemb. in recitatione ſcripti Collocutorum partis alterius diſerte poſtulata eſt Confeſſio noſtra de Sectis & erroribus, qui cum Confeſſione Auguſtana pugnant, & idem poſtulatum poſt finitam recitationem à Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Merſebur-*

ſeburgenſi repetitum eſſet ex ſcheda quadam quæ actis etiam inſerta eſt, exiſtimavimus muneris noſtri eſſe, ut Confeſſionem noſtram de talibus ſectis publice & diſerte faceremus, cum autem noſtræ partis Aſſeſſores inclyti & Auditores politici hanc nobis Confeſſionem nunc non concederent, ſed in contendendo & acerrime repugnando totam fere diem abſumerent, & in aliud tempus differendam cenſerent, tandem nos quatuor ſubſcripti, cum in propoſito noſtro, ut nobis perſuaſum eſt, longe juſtiſſimo perſeveraremus, excluſi ab eorum conſortio ſumus, petimus igitur reverenter à Reverendisſima Dominatione Veſtra doceri, utrum noſtræ partis homines habeant jus nos excludendi propter talem præſertim cauſam, in qua nihil à nobis peccatum eſſe judicamus, deinde utrum ab eis ſic excluſi liberati jam ſimus ab actionibus Colloquii, & liceat nobis domum redire. Nullus enim poſthac noſtri uſus in hac urbe erit, ſi ad Colloquium non ſimus adhibendi, quando autem ad Confeſſionem noſtram de erroribus & ſectis cum Auguſtana Confesſione pugnantibus in publico conſeſſu cedere non licet, tum à noſtris hominibus excluſi ſimus, offerimus eam Reverendisſimæ Dominationi Veſtræ in hac charta perſcriptam, & petimus reverenter ut in Acta publica inferatur; petimus etiam reverenter, ut iſta quoque in Acta publica referantur, ut & Dominationis Veſtræ teſtimonio muniri queamus, ſi quam autem aliam excluſionis noſtræ cauſam noſtri Domini, prætexturi eſſent, petimus humiliter & reverenter, ut Dominatio Veſtra de his etiam rebus clementer nos audire velit.

Actum 23. Septembr.

Eberhardus Schnepfius, D. (Superint. Eccl. Jenenſis.)
Joachimus Mörlin, D. (Superint. Eccl. Brunſvic.)
Victorinus Strigelius.
Johannes Stopsheim.

Nos infra ſcripti profitemur & teſtatum facimus, nos una cum cæteris collegis partis noſtræ amplecti & ſonare doctrinam propheticam & Apoſtolicam, ejusque doctrinæ ſummam comprehenſam in Confeſſione Auguſtæ inclyto Romani Imperii Carolo V. Anno 30. exhibita, & in Apologia ejusdem & articulis Schmalcaldiæ Anno 37. Reverendo Viro D. Martino Luthero propoſitis ac ſubſcriptione præcipuorum Theologorum confirmatis, ſimul etiam profitemur, nos retinere ſententiam earum Confeſſionum, quæ vel à nobis, vel ab aliis piis & doctis Viris contra Thameri & Schvvengfeldii deliria, Serveti, Pauli Samoſateni dogma revocantis blaſphema ſcripta contra Interim, & adiaphoricas actiones tempore promulgati Interim tentatas & ſuſceptas contra Oſiandri dogma de Juſtificatione, contra ſectam Zvvinglianam, & contra propoſitionem Majoris de neceſſitate operum ad ſalutem. Denique contra omnes corruptelas Evangelii, quæ hactenus editæ, & viva voce in templis aut ſcholis repetitæ & inculcatæ ſunt & nos noſtraque omnia judicio Veſtræ Eccleſiæ ſubjicimus, nec transverſum unguem ab ea ſententia, quam hactenus juxta Confeſſiones propugnavimus, diſceſſuri ſumus, donec Verbum Dei nos hanc ſententiam mutare cogat. Petimus etiam reverenter, ut hæc in acta per Dominos Natarios referant.

Erhardus Schnepfius, D.
Joachimus Mörlin, D.
Victorinus Strigelius.
Johannes Stöſſel.

Quibus ſeſe etiam teſtatò adjunxit Eraſmus Sarcerius Eccl. Mansfeldenſis Superintendens: *Reverendiſſime Dne.*

Dne. Præſes. Cum hactenus in iſta Confeſſionis cauſa ſemper me conjunxerim cum Saxonicis Theologis, ut Dn. D. Mörlino, hiſce fere diebus propter letalem morbum impeditus hoc minus præſtare potui, reſtitutus tamen utcunque ab noſtrorum confeſſione disjungi non volo. Proinde rogo Reverendiſſimam Dominationem Veſtram, ut hanc meam ſchedulam, in qua confeſſioni eorum ſubſcribo etiam in acta referri dignemini, præterea cum videam meum morbum ad perpetuam vertiginem ſe flectere, quare Reverendiſſimam Dominationem Veſtram obnixe oro, quo mihi integrum ſit pedetentim ad meos bona pace abire.

Eraſmus Sarcerius, Eccleſiæ Mansfeldenſis Superintendens.

§. VI.

Julius Præſes etſi per aliquot dies diligenter tractaverit cupiens invenire aliquod medium quo controverſia hæc componeretur, qvum tamen fruſtra laboraret, neque muneris ſui eſſe putaret, quemque ex deputatis approbare vel reprobare, ideò abſtinuit ab iſto negotio, receptâ tamen particulari iſtâ confeſſione. Relata tandem res ad Ferdinandum Imper. ſed is deciſionem hujus incidentis controverſiæ detrectans, reſcripſit, quæ Goldaſtus latinè verſa exhibet *Tom. III. Conſt. Imp. anno 1557.* cui annexa eſt Collocutorum Pontificiorum declaratio, ad quam ſecuta Colloquii ſuſpenſio, qvum Melanchthon cum ſociis hæc conteſtatus eſſet:

Reverendiſſime Dn. Præſes.

Exiſtimamus bono ſtudio & ab inclyto Rege & à Senatu Imperii hanc doctrinæ collationem inſtitutam eſſe, ideo nos quidem, qui ex noſtra parte adſumus, modeſte & ſine ulla tergiverſatione colloquium incboavimus, & prorſus ni-

hil movimus, quod vel diſtractionem adferret, vel impediret præſens inſtitutum, ſed ſtatim arte moliti ſunt adverſarii diſtractionem & normam Judicii manifeſte injuſtam, & abſurdam, propoſuerunt videlicet conſuetudinem diſſimilimorum temporum, quam nominant perpetuum Eccleſiæ conſenſum. Cum manifeſtiſſimum ſit, multos recentes abuſus & falſas opiniones puriori vetuſtati prorſus ignotas paulatim in hac delira mundi ſenecta in Eccleſiam irrepſiſſe. Nos vero ſæpe expreſſe teſtati ſumus, conſtanter nos amplecti ſcripta prophetica & apoſtolica & ſymbola, & non dubitare nos quin totum doctrinæ noſtræ corpus cum vetuſta & puriore antiquitate congruat, judicio omnium dextre & ſine ſophiſtica judicantium. Nota eſt enim nobis antiquitas, & ſumus Dei beneficio Eccleſiæ cives, & recte verum DEum in agnitione filii & fiducia invocamus, nec velimus diſſentire à teſtimoniis probatæ antiquitatis, ſed ad eruditorum & piorum Judicia in Eccleſia ſemper provocavimus, & adhuc in ea provocamus, non ad profanam & ineruditam multitudinem Pontificum, ſacrificulorum, Monachorum, Aulicorum, Aſſentatorum, hæc turba omnibus temporibus veritati in Eccleſia adverſata eſt, partim faſcinata opinionibus politicis, partim avaritia & ambitione contra conſcientiam defendens errores. Immota autem eſt Regula, non adverſandum eſſe veritati. Quare cum huc miſſi ſimus ad explicationem doctrinæ, neceſſe fuit, nos dicere, quod ſentimus, ſicut & juramento obligati ſumus. Ut igitur modeſte & pie reſpondimus in exordiis colloquii, ita redire ad inchoatam collocutionem neque antea recuſamus hanc noſtram voluntatem volumus & Senatui Imperii & omnibus honeſtis & piis ubique terrarum notam eſſe. Cum autem nunc Collocutorum alterius partis conſilio impediatur hæc doctri-

næ collatio, nos quoque dimitti juſtum eſt. Quod vero prætextus fingunt, ut cauſæ in nos deriventur, uſitatæ ſunt tales eluſiones & Ironiæ in negotiis, quæ nominantur σχήματα πολιτικὰ λέγου. Itaque de his prætextibus judicium & Senatui Imperii & aliis honeſtis & prudentibus Viris permittimus, non eramus defuturi noſtro officio, etiamſi quidam ex nobis diſceſſerunt, quos quidem malueramus nobiſcum manere, optaremus enim non illos tantum, qui diſceſſerunt, ſed multo plures ex noſtris Eccleſiis, & alios recte judicantes auditores eſſe omnium noſtrarum actionum & ſententiarũ, quod autem diſceſſerunt, culpa eſt nonnulla eorum, quorum artificiis diſtractio quæſita eſt, ut ille de Lacedæmoniis dixit, ſic cum eis bellum gerendum eſſe, ut cum apes fumo ſub alveolis facto diſſipantur, ita domi diſtrahendos eſſe, priusquam univerſi conveniant. Hæc artificia nota ſunt noſtris adverſariis etiam ſine Xenophonte; in omnibus negotiis, ac præcipue in condemnationibꝰ vitanda eſt ambiguitas, prius igitur diſerte adſeverationes & explicationem poni volumus, quàm nudæ condemnationes ſpargerentur, inſlammaturæ magna diſſidia & odia, nam illis ipſis condemnationibus multæ ſunt involutæ ambiguitates, & quædam magis lædunt adverſarios, quã nos. Errant autem adverſarii, ſi putant ſibi profuturas eſſe majores dilacerationes, quarum ruinæ & multas gentes ferient & ad poſteritatem facturæ ſunt vaſtitatem, quare omnes prudentes decet cavere ſemina novarum diſcordiarum, nos autem in hoc diſceſſu noſtro rurſus affirmamus, nos maxime optare, ut noſtræ Eccleſiæ, in quibus vera DEI invocatio ſit, ſint tranquillæ, quia diſſidia horribiliter turbant invocationem, eamque ob cauſam repetimus hanc noſtram aſſeverationem, nos neque diſcedere, neque diſceſſuros eſſe à Confeſſ. noſtra Auguſtana, exhibita Anno M. D.XXX. nec autores fore novarum diſſenſionum, præſtabimus etiam modeſtiam,

convenientem piis Doctoribus, & utilem paci, & optamus omnes ubique amitti, ut unum ſimus in Deo, nec dimicemus inter nos, ſicut Cadmei fratres: non adeo ferrei ſumus, ut non adficiamur ingenti mœſtitia Eccleſiarum, quæ hæc vulnera ſentiunt, quæ vident invocationem DEI extingui, & mentes multorum fieri prophanas & efferas, quæ bella, vaſtationes, tenebras Legum interitum, & tetras & diabolicas morum confuſiones ſecuturas eſſe metuunt, hæc ingentia mala cogitantes aſſiduis votis & gemitibus Deum oramus propter filium, ut ſemper & colligat æternam Eccleſiam inter nos, & eam gubernet, & flectat Principum & docentium pectora ad piam & æternam concordiam. Nunc vero Reverendiſſime Domine Præſes gratias agimus Reverendiſſ. Dominat. Veſtræ, quod nos patienter audivit, & non ſolum æqualitatem in hac gubernatione præſtitit, ſed etiam ut Reverendiſſimæ Majeſtatis mandata poſtularunt magno ſtudio apud Collocutores alterius partis perficere conata eſt, ut collatio doctrinæ procederet, quam tamen ipſi detrectarunt. Die Calend. Decembr. M. D. LVII.

Philippus Melanchthon.
Johann Brentius.
Johan. Marbachius.
Joh. Piſtorius Nidanus.
Michael Dillerus.
Jacobus Rongius.
Jacobus Andreæ, D.
Georgius Kargius.
Paulus Eberus.

Confer Reſponſionem P. Dathnæi ad annotationes Pontificii cujusdam, apud Goldaſt. Polit. Imp. P. XXVII. p. 1261.

§. VII.

Diſſidia interna

Accedebant mox in ipſis noſtris quoque Eccleſiis Theologorum diſſenſiones novæ, imprimis Wurtenbergenſium

genſium

genſium & Wittebergenſium Theologorum circa Perſo- *Eccleſ.*
nam Chriſti & S.Cœnam, variatâ præſertim Auguſt. Con- *Evang.*
feſſionis Formulâ; quæ diſſenſiones in *Colloquio Altenburgenſi* Anno 1568. fruſtra componi tentatæ. *Vid. Hutteri Concord. concor. c. 2.* Ex Conventu verò *Dresdenſi* A. 1571. & ibi *Conſenſu*, ſed à ſolis Theologis Witebergenſibus confecto, etiam auctæ. *Id. c. 3.* Unde Anno 1574. *Torgæ Conventum* egit Elector Sax. ſed nec ibi ſopita diſſidia, ut idem *cap. V. ſeqq.* latius exponit; atque ita res ferè deſperata videbatur, nec poſſe diſputantium animos atque ſententias in concordiam redigi. Itaque aliâ viâ domeſticam pacem procurare tentavit Piiſſimus *Elector Auguſtus*, cujus cedro digna eſt hac de re *Epiſtola* proprio motu ac manu ad Senatum Intimum ſcripta, quam ex Archivo Dresdenſi, *Hutterus cap. IX.* exhibet.

Räthe und liebe Getreuen / was die Uneinigkeit unter den Theologen / in dieſen Landen / und an andern Orthen guts gewürckt / giebt leider die Erfahrung / und ob ich wohl gehofft / es ſolte unſer HErre GOtt irgends Mittel geſchickt und gegeben haben / daß die Theologen ſich ſelbſt miteinander hätten vereinigen mögen / ſo hat man doch auf dem Colloquio zu Altenburgk wohl geſehen / was für eine Einigkeit ſich bey ihnen ereignet / und ob wohl billig eine iedere Oberkeit Scheu tragen ſolte / ſich unter die verwirrte Gemüther der Theologen zu mengen / ſo habe ich doch bey mir die Vorſorge / do von allen Theilen / (weil kein Pabſt unter uns iſt) die Oberkeit nicht ſelbſt bey zeiten darein greifft / es würde keine Beſſerung / ſondern mehr Schaden und Nachtheil / ſo unſere Nachkommen mit Schmertzen erfahren wür-

würden/daraus zu gewarten ſeyn / und ob ich wohl für meine Perſohn/ denen Dingen / ſo weit ſich mein Verſtand erſtreckt/ hin und wieder nachgedacht / ſo hat mir doch kein Mittel beſſer gefallen wollen / dann wie ihr hieneben zu empfahen / und ob wohl in meiner Geſchickligkeit nicht geweſen / ſolches ausführlich/wie ſich in ſolchen hohen Sachen gebühret/ darzuthun / So hoffe ich doch / man werde durch diß Memorial, oder Diſcurs, meine Gedancken und Meynung gnugſam verſtehen können / ich ſuche hierinnen nichts anders/ denn Einigkeit der Lehre und Theologen / GOTT verleihe darzu ſeinen Seegen und Gnad / Amen.

Und iſt hierauf an euch mein gnädiges Begehren/ [illegible] wollet mit euren Gedancken zu mir ſpringen / auf [illegible]nigkeit der Lehre und Theologen achtung geben/ und [illegible]s nicht irren laſſen / daß eurem Præceptor alle [illegible]e nicht vor gut geachtet werden können / und derb[illegible]en mehr auf Gottes / als auf verſtorbener Menſchen Ehre ſehen / wie ich dann an euch nie gezweiffelt/ ihr ohne meine Erinnerung den Sachen/ mit fleißigen Nachdencken und Rath wohl werdet recht zu thun wiſſen / und mir euer Bedencken hierauf treulichen mittheilen/ Solches bin ich von euch gewärtig/ und mit allen Gnaden zugethan. Datum Auguſtusburg/ den 21. Novembr. 1575.

Auguſtus/ Churfürſt.

An Hanſen von Bernſtein/
Thamm von Sebottendorff/
D. Lorentz Lindemann/
Und D. David Peifern.

Ob ich wohl uf mancherley Meynung gedacht / ſo ſehen mich doch die Sachen faſt ſchwer / und ſchier unmüglich an / einige Einigkeit unter uns / die der Augſpurgiſchen Confeſſion ſeyn wollen / anzurichten und zu machen / in Anſehung / daß faſt in eines ieden Herrn Lande / eine ſonderliche gefaſte Lehr / die man ein Corpus Doctrinæ nennet / geſtellet und aufgericht / dadurch nicht allein viel Leute irre gemacht / ſondern die Gemüther unter den Theologen gegen einander alſo verbittert / daß ſie ie länger ie weiter voneinander kommen / und iſt ſich leider zu befahren / da nicht in zeiten dawieder getrachtet / daß durch ſolche Verbitterung und Verwirrung der Theologen / wir und unſere Nachkommen / welches doch GOtt allergnädigſt verhüten wolle / wieder in kurtzer Zeit / gantz und gar von der reinen Lehre abgeführet / und durch ſolches Gezänck dieſelbe verliehren müſſen / ſolchem nun vorzukommen / habe ich auf dieſen nachfolgenden Weg / doch hiemit niemands / der es beſſer verſtehet / vorgegriffen / gedacht.

Und dieweil ich mir keine Hoffnung machen kan / aus vorhergehenden Geſchichten und Erfahrung / daß die Theologen / (leider Gott ſey es geklagt) durch einig Colloquium, oder andere Cónventus ſich miteinander zuverſöhnen / zuvergleichen / noch einer den andern rechtſchaffen zu hören möchten zu bewegen ſeyn / vielweniger einiger Einigkeit unter ihnen ſelbſt zu vermuthen / ꝛc. So habe ich dahin gedacht / ob es nicht ein weg ſeyn wolte / daß wir / die ſich zu der Augſpurgiſchen Confeſſion bekennnen / ſich freundlich miteinander vereinigten und verglichen / daß ein ieder Herr etzliche friedliebende Theologen / ungefehr 3. oder 4. Perſoh-

 nen /

nen/desgleichen auch ſo viel politiſche Räthe beneñten/ und ſich die Herren darauff zuſammen betagten/ ein ieder Herr ſein Corpus Doctrinæ mit ſich brächte / und alßdann allen Theologen und politiſchen Räthen derſtalt übergeben / daß ſie die Augſpurgiſche Confeſſion lieſſen ihre Richtſchnure ſeyn/und ſich in dem Corpore Doctrinæ erſehen / unterredeten und berathſchlagten/ wie durch Gottes Gnade aus allen ein Corpus gemacht werden möchte / dazu wir uns alle bekennen könten/ und daſſelbe Buch oder Corpus Doctrinæ aufs neue gedruckt/ und in iedes Herren Lande ſeinen Geiſtlichen demſelben gemäß ſich zuerzeigen/ aufgelegt würde/ꝛc.

§. IIX.

Media pacis Eccleſ.

Hutter. c.XI.

Hinc igitur Conventus alius *Lichtenbergæ* inſtitutus An. 1576. M. Febr. & dè mediis unionis inter Eccleſias vel Clerum A.C. conſultatum eorumq; tria potiſſimum à convocatis Theologis in mediũ prolata, primum *ἀμνηστία omnium privatarum contentionum* & criminationum atq; affectuum in perſonas: alterum *impedimentorum* communis conſenſus remotio: tertium *Examinatio* atque deciſio controverſiarum ex A. C. motarum in Conventu Theologorum, præſentibus Principibus. Impedimenta verò iſta hæc potiſſimum deſignata: primò, obſervatio *Corporis doctrinæ Philippi Melanchthonis* pro norma Fidei & Confeſſionis, qvum tamen ab A. C. recederet: deinde agnitio Confeſſionum ac *librorum Wittebergenſium* pro orthodoxis, inter quos cumprimis *Conſenſus Dresdenſis*. Atque ita res in alium Conventum prolata.

§. IX.

Formula Concordiæ natales.

Interim Principes mandarunt Theologis Wurtenbergenſibus, ac ſpeciatim *Lucæ Oſiandro & Balth. Bidenbachio*

bachio adornare deſignationem controverſiarum, earumque θέσιν & ἀντίθεσιν ex S. Scriptura, A. C. & Apologia. Quæ mox *Maulbrunnæ* à duobus Theologis Wurtenbergicis, duobus Hennebergicis & uno Badenſi expenſa & emendata, quæque hodie in Formula Concordiæ venit titulo: *Epitome Articulorum, de quibus controverſiæ ortæ ſunt inter Theologos A. C. &c.* Ita porrò Conventus alius eodem an. 1576. *Torgæ* ab Electore Saxon. indictus, excitis quoque Wurtenbergicis, Brunſvicenſibus & Megapolitanis Theologis; Hi Epitomen illam ſ. Wurtenbergicam ſ. Maulbrunnenſem per omnia approbarunt, ſed latiorem ejus deductionem concinnarunt, quæ ipſa ſpeciatim FORMULÆ CONCORDIÆ nomine inſignita, aliàs in Corpore ipſo Corcordiæ inſcripta: *Solida, plana ac perſpicua Repetitio ac Declaratio quorundam Articulorum A. C. &c.* Liber hic mox ab Electore reliquis A. C. Statibus atque Eccleſiis ad Cenſuram fuit transmiſſus. Cenſuras refert Hutterus *Cap. XII. conf. C. XV. XVIII.*

§. X.

Conventus igitur habitus in Cœnobio *Bergenſi* prope Magdeburgum primo vere anni 1577. atque à ſex Theologis cenſuræ conſideratæ, ipſeque liber ſic correctus & reviſus, ut jam omnium petitioni (quantum quidem ſalva veritate fieri poterat) ſatisfactum eſſe videretur: Elector verò Sax. Auguſtus, & Elector Brandenburg. Jo. Georgius, per quosdam Germaniæ Principes curarunt, ut Liber ille à Theologis & Ludimoderatoribus C. A. addictis paſſim ſubſcriberetur. Subſcripſerunt ergo illi ultra octo millia Theologorum & ipſi Electores, Principes, Comites, Barones & Civitates Imperiales. *Hutter. Cap. XV. conf. c. XIX. c. XX.* Etſi verò dogmatis Calviniani doctores at- *Publicatio.*

que Principes multum impedimenti injicere tentarunt tandem tamē Ecclēſia A. C. librum hunc Concordiæ Typis publicis A. 1580. deſcribi & toti orbi Chriſtiano edi curavit. Qui qvum variè tum à Calvini diſcipulis, tum à Flacii

Apologia. impugnaretur, demandatum fuit Timotheo Kirchnero, Nic. Selneccero, & Mart. Chemnitio, Theologis, ut iſtorum ſcriptorum ſcriberent refutationem, quæ poſteaquam Academiæ Witebergenſis, Lipſienſis, Roſtochienſis & aliis Theologis ad cenſuram exhibita fuit, juſſu Electoris Sax. ſub titulo *Apologiæ Libri Concordiæ* A. 1582. edita fuit. Cui Anhaltini Theologi ſcriptum mox oppoſuerunt, itaque Lipſiæ conventus Theologorum Lipſ. Witeb. & Jenenſium *An. 1584.* M. Aprili inſtitutus, & Refutatio adornata, quæ poſtmodum typis publicis edita adhuc proſtat.

§. XI.

Effectus. Atque ita hoc quidem obtentum fuit, ut Eccleſiæ, quæ *Calvini* doctrinam amplexæ, à jure & communione Eccleſiæ A.C. *ſepararentur*, neque tamen inteſtinum bellum penitus fuit extirpatum. Nam An.C. 1583. quidam Theologi *Helmſtadienſes*, duce *Tilemanno Heshuſio*, qui prius ſine exceptione Formulam Concordiæ approbarant & ſubſcripſerant, diſſentire iterum cœperunt, imprimis *Ubiquitatem*, uti loqvuti ſunt, *Generalem*, impugnantes; qua de re Conventus Theologorum *Quedlinburgo* inſtitutus A. 1583. ſed ſine fructu, cujus Acta exhibet Hutterus *Cap. XLV.* neque diſſidium componere potuerunt *Wurtenbergenſes*, oblato Colloquio, ut *idem Cap. XLVII.* latè refert. Quod malum domeſticum adhuc hodie proh dolor Eccleſias noſtras miſerrimè affligit, ut videatur ab

Epi-

Epiſcoporum & Theologorum omnium partium curâ dicam an culpa, redunitio Eccleſiæ Germanicæ hactenus impedita fuiſſe. Sed redeo ad Germaniam univerſam.

CAP. XII.

De

LIBERTATE ECCLESIARVM GERM. DENVO OPPVGNATA.

SVMMARIA.

Libertas Eccl. Germ. reſtaurata à P. R. impugnatur variè. Calendarii emendatio ſæpius tentata, per Gregorium XIII. affectata, Eccleſiis oblata. Gravamina Statuum nova. Cauſa Juliacenſis. Unio & Liga anno 1610. Pax religioſa 1613. firmata & extenſa. Motus Bohemicus. Belli tricennalis origo. Ferdinandi II. Imp. & Jo. Georgii Elect. Sax. amicitia. Edicti Reſtitutorii occaſio: argumentum. contra id gravamina in genere quoad modum procedendi: in ſpecie. Jus reformandi. Par libertas Evangelicarum & Pontificiarum Eccleſiarum. Reſervatum Eccleſiaſticum. Emigratio.

§. I.

ABrogatam poteſtatem Pontificis Rom. communi Imperatoris & Imperii auctoritate per Eccleſias repurgatas, *Calendarii emendatio tentata ſæpiꝰ*

gatas, Formulam quoque Tridentinam per publicos Imperii Receſſus haud receptam antea percepimus: hinc igitur haud quieſcendum ſibi ratus Pontifex. Atque primò aliquid ἐκ τῶν μικρῶν arripuit, quod tamen admiſſum mox antiquo illius Curiæ more, ad utilitatem ſuam elevare poſſe videbatur. De emendatione *Calendarii* ſæpius in Conciliis, imprimis etiam in *Conſtantienſi* A. C. 1414. actum fuerat, in quo *Petrus de Aliaco* Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis, Mathematicus & Hiſtoricus inſignis, teſte Calviſio, eam hâc formulâ propoſuit, *ut termini Paſchales ad Aequinoctium vernum revocentur*, eoque res perducta fuit, ut Bulla de hac re confecta publicanda eſſet: ſed propter turbidas res publicas, omiſſum fuit. In Concilio etiam *Baſileenſi* anno 1436. Nicolaus *de Cuſa*, Theologus JCtus & Mathematicus, itemque Cardinalis modum emendationis Calendarii propoſuit, quem facilimum ipſe dicit, ut omiſsâ unâ ſeptimanâ Aureus numerus in Cyclum lunarem, ut tempore Niceni Conicilii fuerit, commutaretur. *Tom. ult. Oper. inſ.*

§. II.

Calend. Gregor. Subinde poſtea Pontifices id negotium reaſſumſerunt, donec *Gregorius XIII.* id perfecit, quanquam, Calviſio judice, *non adeò feliciter*. Iſte igitur *Rudolpho II.* Imp. Comitia Auguſtæ A. 1582. agenti, formulam novi Calendarii transmiſit, petens, ut ea in Imperio reciperetur. Sed Auguſto Electore receptionē diſſuadente res omiſſa fuit. Atque qvum An. 1613. *Matthias* Imp. Comitia Ratisbonæ actur9, caput EdictiCitatorii tertium de conformitate Calendariorum feciſſet, in ipſis Comitiis id propoſitum haud fuit. Quia tamen in quibusdam Provinciis Calenda-

rium

rium Gregorianum receptum fuit, in aliis Julianum retentum, unde magna in ſacris & civilibus negotiis confuſio orta, itaque *in hodiernis Comitiis*, An. 1664. publicè ab Imperatore propoſitum eſt Statibus, ut interim reciperetur ab omnibus nomine Imperatoris & Imperii, donec deinceps aliter conventum fuerit. Sed qvum nec ita aliquid impetraretur, A. 1676. Imperator *Electores ſingulos* rogavit, ut ipſi reciperent illud: ſed qvum res non ad ſingulos, ſed ad univerſos Status pertineret, usque ad hunc diem nihil actum fuit.

§. III.

Sed hoc levius, gravius alterum, quod Rom. Pontifex ad ſupprimendam iterum libertatem Germaniæ molitus eſt, ut Pacem Relig. tolleret. Inde facilè reperti promachi, Burckardus in Autonomia, Dillingenſes JCti, Ant. Poſſevinus, Windeckius & plures alii. Quibus ſatisfecerunt ſcripta & diſcurſus à Goldaſto in contrarium congeſti *in Polit. Imp. P. XXX. & ſq.* Occaſionem imprimis dederat *Calvini* ſecta, quæ, ut antea diximus, diverſâ Fidei Formulâ Eccleſias quasdam ab Eccleſiis ſecundum Auguſtanam Confeſſionem repurgatis, ſeparaverat, nihilo ſecius tamen earundem jure ac pace religionis frui contendebant. Sed hactenus connivere facile viſum Imperatori: poſtquam verò Status quidam addicti tum illi doctrinæ tum A.C. Bona Eccleſiaſtica in territoriis ſuis & ſub *poteſtate* ſua *territoriali* ſita, poſt Transactionem Paſſavienſem occupare, *reformare*, & ſibi vindicare, ad uſus ſeculares etiam alicubi redigere, & viribus creſcere viſi ſunt, progreſſus horum tum à Camera Imperiali, tum invicem repreſſi.

Pax Relig. impugnata.

§. IV.

Hinc illa *Statuum gravamina* communi Proteſtantium

Gravamina ſtatuum.

1583. tium aut Evangelicorum nomine, adverſus Cameram & Senatum Imperialem, ita ut jurisdictio Cameræ non amplius agnoſci, ſed modò *Imperator* ipſe, modò alius *Compoſitionis* harum controverſiarum modus haberi vellet. Qua de re etiam Electores ſeculares A. C. 1583. Mulhuſii conventum indixerunt, ſed ſine ſucceſſu, interveniente Electoris Palatini obitu. In *Comitiis* quoque *Ratisbonenſibus A. 1597.* eadem gravaminum repetita oblatio, ſed qvum Status A. C. animadverterent, cauſam ipſorum minus agi, his non invitis reſolutio fuit ſuſpenſa, qua de re *Acta Comitialia* teſtes ſunt: pariter quoque de hoc argumento extant *Acta impreſſa* inter Landgravios Haſſiæ *Caſſellanos* & *Darmſtadienſes*. Hinc factum denique, ut *Comitia* à Rudolpho II. Imp. *An. 1608.* Ratisbonæ indicta, præſide Ferdinando Archiduce Auſtriæ, cum *Pax Religionis* confirmanda ante omnia alia capita fruſtra peteretur, re planè infecta diſſolverentur.

§. V.

Cauſa Juliacenſis. Fomitem pariter ac materiem uberiorem ſuppeditavit mors Johannis Wilhelmi, Ducis *Juliacenſis*, quæ die XV. Martii 1609. contigit. Cui ſuccedere ſtatim conati Elector Brandeburgicus & Palatinus Neoburgenſis; prohibente Rudolpho Imp. & Leopoldum Auſtrium Epiſcopum Paſſavienſem, gubernatorem & ſequeſtrem eò mittente. Ex quibus initiis primò conventum, mox & arma. *Unio & Liga A. 1610.* Anno enim ſequente convenerunt quidam ſtatus religionis reformatæ Halæ Svevorum icto *Unionis* fœdere: contra Principes Pontificii Wurzburgi *Ligam* paciſcentes. Inde utraque pars militem in Ducatum Juliacenſem miſit, bellumque favore *religionis Calvinianæ* miles Belgicus auxit. Quanquam hæc ſucceſſionis controverſia nihil

ad religionem Pontificiam faceret, qvum *Elector Saxoniæ* eodem A. 1610. nomine totius Domus Sax. die VII. Julii Pragæ inveſtituram Ducatuum Juliacenſis, Clivenſis & Bergenſis & certorum Comitatuum obtineret, & anno ſubſequente in Conventu Juterboccenſi in gubernationem ſimultaneam ac poſſeſſionem pacto reciperetur.

§. VI.

Accedebat quod, qvum MATTHIAS Imp. Anno 1613. *Comitia Ratisbonæ* ageret, confirmata denuo fuerit *Pax religionis* per omnia & ex omnibus partibus, zu allen Theilen / Gravaminum reſolutione ad proxima Comitia prorogatâ: *Rec. Imp. de A. 1613. §. 4.* conceſſo jam tum ab eodem libero religionis exercitio Auſtriacis, Bohemis, Moravis & Sileſiis. Sed pertæſa Pacis Germania videbatur. Primo itaque Paci Religioni utrinque contraventum eſſe, querelæ variæ: nec abolitæ *Unionis* & *Ligæ* factiones. Hinc conventus unitorum Heilbrunnæ A. 1617. dehortante Imperatore. Seqvutus mox *Bohemiæ motus*, & Matthiæ Imp. obitus. Deficientium à Rege ſuo Ferdinando Bohemorum exemplum mox ſeqvuti Status reliquarum Provinciarum Auſtriacarum. Nec tamen efficere illi per Legatos ad Comitia Eelectoralia potuerunt, quin FERDINANDVS II. Imp. 1619. 30. Aug. coronaretur Francofurti. Atque qvum *Unionis* caput, FRIDERICVS V. Elect. Palat. oblatam à Boëmis coronam M. Octobri Pragam ingreſſus arriperet, & ſtatim conventum *Unitorum* Norimbergæ ageret; viciſſim & *Ligæ* Romanæ Principes Herbipoli convenere: anno ſequente 1620. caſtra caſtris in Palatinatu ad Rhenum oppoſuere. Sed mox Vlmæ capita utriusque fœderis convenere & pacem die 23. Junii fecere, diducto ab invicem milite, & ex-

Pax Rel. extenſa 1613.

Motus Bohem.

cluſo Regno quidem Bohemiæ, incluſo tamen Palatinatu ad Rhenum: gravaminum vero compoſitione prorogatâ. Proſtrato interim Friderico ad Pragam, die XXIX. Oct. 1620. & proſcripto 29. Jan. 1621. pacis tractatio inter Vnitos & Ambroſium Spinolam Ducem Cæſarianum facta quidem, & hi militem ſuum è Palatinatu abduxerunt; Proſcriptus tamen *Erneſtus Mansfeldiæ Comes*, itemque, *Chriſtianus Dux Brunſvicenſis & Lüneburgenſis*, paſſim Epiſcopatus infeſtarunt, & Provincias diverſas devaſtarunt, contra quos Imperator *Tillium* Comitem, & *Leopoldum* Archiducem Auſtriæ, miſerat, quibus & *miles Bavaricus* ſocius. Inſeqvutus An. 1625. Albertus *Wallenſteinius*, Fridlandiæ Dux; contra *Danicus miles* acceſſit adverſæ parti. Sic vario marte pugnatum, patria miſerrimè devaſtata, libertas religionis utriusque oppreſſa, & tandem omnes & ſinguli Status, viciniqve Reges tricennali bello impliciti fuere: Imperator verò victor huc usque.

Belli Tricenn. orig.

§. VII.

Ferdin. Imp. & Elect. Sax. amicitia.

Cauſam Ferdinandi II. Imp. haud injuſtam hactenus defenderant Electores & Principes, approbantes Proſcriptionem Friderici Regis, improbantes ſolum proſcribendi modum, quod inconſultis ipſis factum id fuerit: *Acta conventus Ratisbonenſis An. 1623.* imprimis Elector Sax. JO. GEORGIVS I. glorioſæ memoriæ, ſubditos rebelles ad Domini ſui obedientiam reduxerat, & una cum Imp. Pacem Religionis juxta formulam Paſſavienſem tueri per omnia intenderat. Diſcernere enim poterat ſuperilluſtris judicii Princeps intentionem Imperatoris, ejusq; cauſam, à cauſa & inclinatione Pontificis & Cleri Romanenſis. Idem enim illuſtre Patrui magni exemplum ſuggeſſerat. Atque quod Carolo V. Imp. quod omni-

bus

bus ferè victoribus accidere ſolet, ut inſtigantibus miniſtris fortunam tentent, id Ferdinando quoque imputatum, urgente eum Pontifice ac Clero, imprimis Jeſuitico, quippe qui non obſcurè amplius præ ſe ferebant, id ſe agere, ut Pacem religionis tollerent, editis eam in rem ſcriptis, & acto Romæ Jubilæo, indictisq; Viennæ precibus publicis anno 1629. Fidus tamen adhuc ſocius Elector Imperatoris, quantumvis Imperator, electioni *Auguſti* filii in *Archiepiſcopum Magdeburgenſem*, An. 1628 contradiceret, & Pontifex Rom. filium Imperatoris, *Leopoldum Gulielmum*, Archiepiſcopum denominaret.

§. IIX.

Scilicet augeſcebant etiamnunc inter Status *controverſia de bonis Eccleſiaſticis* poſt Transactionem Paſſavienſem partim à *Calviniana* Doctrinæ addictis Statibus, ſub jure ac titulo Sociorum Auguſtanæ Confeſſionis occupatis, partim ab Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus ſub titulo *Superioritatis Territorialis*. His contradixerunt & ſpolii eos accuſarunt Pontificiæ religionis Principes & Prælati: nec approbaverat hæc velut attentata Camera Imperialis. Hinc vetus querela adverſus Cameram, de qua *Hortled. lib. VII. de Cauſ. B. G.* renovata atque aucta; unde multa *Gravamina* in Comitiis hactenus propoſita, nunquam deciſa; litibus interea de ſacra illa præda non imminutis, ſed quotidie creſcentibus. Edita fuit A. 1629. à quodam Pontificio ſummaria relatio eorum Epiſcopatuum & aliorum Bonorum Eccleſiaſt. quæ poſt Transactionem Paſſav. occupata, annexis quæſtiunculis nonnullis, quarum poſtrema: Anne condictione cauſa data cauſâ non ſecutâ, vel alio actionis genere in totum poſſint repeti Bona Eccleſiaſtica etiam quæ ante Transactionem *Edicti Reſtit. occaſio.*

Paſſav. occupata, & de quibus in ea transactum, quia ea Pax ſit tantum conditionata & de præteritis bonis ſive antea occupatis. Sed hæc talia majori molimine machinati *JCti Dillingenſes in Compoſitione Pacis.* & *Fr. Burchardus in Autonomia*, de quibus graviter conqueſti Status Evangelici in *Gravaminibus* An. 1646. Tractatoribus Pacis exhibitis. Ratus igitur Ferdinandus per Germaniam jam victor, momentum adveniſſe, quo non modo Ipſe Imperiali poteſtate gravamina Statuum decidere, ſed judicatum quoque exſequi poſſet: utrumque aggreſſus eſt. Per Edictum enim publicum Viennæ die VI. Martii 1629. ſcriptum, deciſionem atque ſententiam promulgavit per Imperium, ſuper aliquot puncta Pacem Religionis, præſertim *reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum*, concernentia.

§. IX.

Argumentum. 1. Q. *N. R. dec.* 1. Ejus primum membrum tractabat de Bonis Eccl. quæ *Juri territoriali Statuum* ſubjecta ſunt, an Status jus habeant in ea, ut ea poſſint reformare, confiſcare, & in alias cauſas pias vel quocunque modo vertere? Quam negativè decidit Imperator, fundamento 1. arceſſito ex tenore Pacis Relig. & *Receſſ. Imp. de A. 1555.* §. dargegen. *16. ibi:* und andern Geiſtlichen Standes. quibus verbis non ſolum *Status* immediati, ſed etiam *Mediati*, Abbates, Prælati, Præpoſiti, Commendatores &c. qui ſub jurisdictione *territoriali* quidem Statuum Evangelicorum, *Eccleſiaſtica* verò Epiſcoporum ſuorum & Pontificis Romani ſint, intelligantur. idque apparere, tum ex contextu ipſo, & verbis: ungeachtet/ ob und wohin ſie ihre Reſidenzen verrückt. tum Protocolla & Acta Comitiorum illorum, ubi de utroque genere diſertè diſpoſitum & concluſum, tum

verò

verò §. damit auch. *20. ibi:* So ſoll die Geiſtliche Juris-diction, doch denen Geiſtlichen Churfürſten/ Fürſten und Ständen/ Collegien/ Klöſtern und Ordensleu-then/ an ihren Renten/ Gült und Zehenden/ Weltli-chen Lehnſchafften/ auch andern Rechten und Gerech-tigkeiten unvergriffen/ ruhen u. ſuſpendirt ſeyn. ibi enim non tantum de Statibus Imperii, ſed etiam de mediatis, utp. Collegiis, Monaſteriis & Ordinibus Eccleſiaſticis expreſsè idem jus ſancitum eſſe. Scilicet; in quibus ter-ritoriis Statuum Evangelicorum jurisdictio Epiſcoporum diœceſani extraterritorialis, ut ita loquar, fuit ſuſpenſa, in iisdem reſervatum fuiſſe Statibus Pontificiis mediatis ſeu provincialibus, adeoque ſubditis Statuum Evangelico-rum, jus integrum circa bona ſua Eccleſiaſtica.

§. X.

Secundò ex ejusdem Receſſus §. dieweil aber. *19.* colligi: Quia ibi bona Eccleſiaſtica Statuum Provincia-lium à dominis territorialibus *usque ad tempus* pacis re-ligioſæ occupata, his adjudicentur: ſequi, bonorum Ec-cleſiaſticorum, qui ad Status eosdem Provinc. pertine-rent, & *poſt pacem* religionis à dominis territorialibus oc-cupata eſſent, diverſam atque contrariam eſſe rationem, adeoque dominis territorii in his jus non eſſe reformandi aut confiſcandi. Nec denique tertiò, ullibi in Pace Reli-gionis *expreſsè* conceſſum fuiſſe Evangelicis jus, plura bo-na Eccleſiaſtica occupandi poſt illam Pacem; igitur judi-candum eſſe ſecundum regulam Juris Divini, Humani, & Conſtitutiones Imperii. Neque obſtare §. Und damit. *15. dicti Receſſus.* ubi libertas reformandi ad jus territo-rii extenſa eſt: id enim intelligendum tantum eſſe quan-tum ad Status Provinciales Eccleſiaſticos Pontificios,

2. *3.* *R. dub. 1.* *Reſp.*

ſolùm quoad ſubjectionem *in temporalibus*, in ſpirituali-
bus verò pertinere Monaſteria DEO & Eccleſiæ, & à po-
2. teſtate ſeculari eſſe exemta. Sed nec conſequi: Pacem
religionis inter ſolos Status Imperii immediatos eſſe con-
ditam, igitur ad mediatos non pertinere, ut ipſis actio ex
Reſp. ea detur: Comprehendi enim tamen mediatos æquè ac
immediatos Status in illa pace, nec expreſse jus occupandi
bona mediatorum Statibus Evangelicis jure territorii in
illa Pace conceſſum eſſe.

§. XI.

2. Q. Alterum Edicti membrum de §. Und nachdem. *18. dicti Receſſus*, agebat, in quo de *Reſervato eccleſiaſtico*, dem geiſtl. Vorbehalt/ diſpoſitum, an illa conſtitutio obligaret Stat9 noſtros, ut, qui ex Statibus Eccleſiaſticis Pontificiis noſtram confeſſionem amplecterentur, dimittere bona Eccleſiaſtica hactenus poſſeſſa teneantur? Quod affirmativè Imperator decidit, quoniam pars ſit Pacis religionis, quæ omnes obligaret. Partem autem eſſe, conſtare ex Protocollis & Actis Comitialibus, & conſenſu ſtatuum Evangelicorum, etiamſi mixto, juratò tamen, & præjudiciis confirmato. Nec lædi conſcientiam, obligatione hac ſervatâ.

§. XII.

3. Q. Tertium eſt de jure *emigrationis* ſubditis imponendæ ob religionis diverſitatem, idque Imperator Statibus hac ſua ſententia aſſeruit, denegato ſubditis libero alterius religionis exercitio, invito domino territoriali: & rejecto *decreto Ferdinandi I.* declaratorio Pacis religionis pro ſubditorum libero exercitio à noſtris allegato: quippe quod nec cognitum ſtatibus, nec inſinuatu n Cameræ Imperiali, neque in uſum ullum deductum eſſet. Deni-

quo

que etiam hoc adjecit Imperator hoc Edicto: Pacem religionis non extendendam eſſe ultra duas religiones, Pontificiam & Auguſtanæ Confeſſionis, adeoque excludendos eſſe ſtatus, qui Calvini dogma amplexi eſſent. His mandatis emiſſi Commiſſarii per Imperium, datis Executoribus, copiis militaribus.

§. XIII.

Gravamina contra Edictum quoad modum proced.

Verum enim verò hæc gravaminum inexſpectata reſolutio peperit gravius gravamen, quàm cætera omnia unquam fuere. Nam primo conqueſti ſtatus Evangelici de *modo procedendi*, eum non eſſe competentem, nec hanc poteſtatem ab ullo Anteceſſorum Imperatoris ſibi ſoli per tot annos arrogaſſe, neque huic à Statibus Evangelicis conceſſam. Et certè in proximè antea ab Imp. habito *Conventu* Electorum atque Principum *Ratisbonæ A. C. 1623.* eorum reſolutionem Imp. Statibus præſentibus ad deliberandum propoſuerat, ſed hi illam ad Comitia plenaria retulerant *in Relatione de 22. Febr. 1623.* ex Cancellaria Moguntina exhibita: Sintemahl es aber mit denſelben gravaminibus alſo bewant/ daß bey denſelben viel vornehme anweſende Stände interesſirt, ohne der Vorbewuſt weder von den Sachen ſelbſt / noch dem modo der Erledigung im beſten tractirt und geſchloſſen werden kan/ ſo ſehen die anweſende Chur- und Fürſten/ und der abweſenden Räthe Bottſchafften kein ander Mittel / als daß hieraus mit den ſämtlichen Ständen des Reichs gehandelt / und deroſelben Gutachten darüber eingeholet werde. Neque etiam hæc gravamina ita eſſe comparata, ut eorum deciſio ex claris verbis Pacis Religionis applicari poſſet: utriusque partis rationes ex litera & ſenſu Pacis Religionis peti: *Declarationem* igitur

Pacis

Pacis nec à Camera, nec ab quoquam, niſi ab Imperatore & Statibus in Comitiis faciendam, unde & ipſa Pax profecta fuerit. Speciatim Status *Circuli Saxonici ſuperioris per modeſtiſſimam* ſupplicationem Imperatori remonſtrarunt, ſibi nunc primum quæſtionem ſimul ac executionem intentari ſuper Epiſcopatus ſuos, inauditis planè & Exceptiones tamen ſufficientes habentibus. Datæ ſunt illæ literæ *VI. Aug.* 1629. dignæ, quæ legantur.

§. XIV.

Quoad merita cauſa 1. *Reg.* Sed & merita ipſa cauſæ necdum per Edictum liquida eſſe. *Regulam* certè de Jure reformandi ex ſuperioritate Territoriali ex Receſſibus Imperii jam inde ab initio factæ reformationis usque ad Pacem Religionis militare pro *Evangelicis* ſtatibus. *Exceptionem* porrò quam *Pontificii* ſtatus prætendant, non ex claris verbis, ſed per conſequentiam elici: *Exceptionis limitatio* 1. Ad quam ipſam tamen non deeſſe, quod replicetur: eam valere quoad *ſtatus eos immediatos*, qui *mediata bona* Eccleſiaſtica poſſideant; negari, eandem etiam ad mediatos pertingere, qui non niſi mediata bona poſſident ſub ſuperioritate Territoriali Statuum Evangelicorum: ejus rei probationem incumbere Pontificiis Statibus, qua non probata, vincere hos, pro quibus regula.

§. XV.

2. Ipſam porrò Exceptionem quoad Immediatos Status, nec eam eſſe univerſalem, ſed tantum *bona & reditus* concernere, non verò *religionis* libertatem, de qua regula adhuc firma maneret. *Par libertas Evang.* Sic enim ait *Pax religionis* §. *XV.* de Libertate Evangelicorum: So ſollen die Keyſ. Maj. Wir/auch Churfürſten/Fürſten und Stände des heil. Reichs/keinen Stand des Reichs von wegen der Augſpur-

ſpurgiſchen Confeſſion / und derſelben Lehr / Religion und Glaubens halber / mit der That gewaltiger Weiſe überziehen, beſchädigen / vergewaltigen / oder in andere Wege / wieder ſein conſcienz, Wiſſen und Willen von dieſer Augſpurgiſchen Confeſſions-Religion / Glauben / Kirchengebräuchen / Ordnungen und Ceremonien / ſo ſie auffgericht / oder nachmahls auffrichten möchten / in ihren Fürſtenthumen Landen und Herrſchafften / tringen ꝛc. Expreſsè extenditur libertas religionis per totum territorium, & in omnes ſtatus mediatos ſive Eccleſiaſticos ſive Politicos.

§. XVI.

Pari jure cenſentur & ſtatus Pontificii in ſuis territoriis. Ait §. XVI. Dargegen ſollen die Stände / ſo der Augſpurgiſchen Confeſſion verwand / die Röm. Keyſ. Majeſt. Uns / und Churfürſten / Fürſten und andere des H. Reichs Stände der alten Religion anhängig / Geiſtliche und Weltliche / ſamt und mit ihren Capiteln und andern geiſtliches Standes / (in ſtatuum illorum territoriis, quia diœceſis & jurisdictio extraterritorialis ſuſpenſa) auch ungeachtet / ob und wohin ſie ihre Reſidenzen (extra Eccleſias Cathedrales, quæ in civitatibus Imperialibus ſunt) verrückt oder gewendet hätten / (doch daß es mit Beſtellung der miniſterien gehalten werde / (reſidente Epiſcopo extra Eccleſiam Cathedralem) wie hie unten darvon ein ſonderlicher Artickel (§. XXI.) geſetzt) gleichergeſtalt (in ipſorum territoriis) bey ihrer Religion / Glauben / Kirchengebräuchen ꝛc. ut de Evangelicis. Atque hæc de regula & territorio. *& Pontific.*

§. XVII.

Sequitur Exceptio de eorundem ſtatuum Imperii *Probatur limit. 2.*

Pontificiæ religionis bonis extra proprium territorium, in terris ſtatuum Evangelicorum ſitis §. XXI. Als auch den Ständen der alten Religion verwand/alle ihre zuſtändige Renth/Zinß/Gült und Zehenden folgen ſollen/ſo ſoll/do einem ieden Stand/unter dem die Renth/Zinß/Gült/ Zehenden und Güter gelegen/an denſelbigen Gütern ſeine weltliche Obrigkeit (jurisdictio localis) Rent (Jag-Recht) und Gerechtigkeit/ſo er vor Anfang dieſes Streits der Religion daran gehabt/und in Brauch geweſen/vorbehalten/und dadurch denſelbigen nichts benommen ſeyn. Unde ſatis liquet Epiſcopis & Abbatibus immediatis, qui bona poſſident Eccleſiaſtica in territoriis ſtatuum Evangelicorum, reſervatum ſolum eſſe jus ſtatus Provincialis, & jurisdictionem, ac dominium illorum bonorum; de *Jure* verò *reformandi* & *religionis* ne γρῦ hic diſpoſitum aut reſervatum, nec potuit ſalva ſuperioritate Territoriali & inde dependente Reformandi jure.

§. XVIII.

Quibus omnibus accedit adhuc alia reſtrictio iſtius exceptionis de reſervatis bonis in territorio Evangelicorum, ut nempe reſerventur Pontificiis Imperii ſtatibus, ſed cum hac *conditione*, ut *exercitium religionis*, quæ jure territorii in illa provincia vel civitate, ubi ſita ſunt, viget, ex iis etiam *ſuſtentetur*. Statim enim ſequitur d. §. XXI. Und ſollen demnach von ſolchen obgenannten Gütern/ die nothdürfftige miniſteria der Kirchen/Pfarren und Schulen/auch die Allmoſen und Hoſpitalia/die ſie (ſtatus iidem Pontificii) vormahls beſtellt/und zu beſtellen ſchuldig/von ſolchen obgemeldten Gütern/wie ſolche Miniſteria der Kirchen und Schulen vormahls beſtellt/ auch

Limit.

auch nachmals beſtellt und verſehen werden/ ungeachtet was Religion die ſeyn.

§. XIX.

Alterum Edicti membrum de Reſervato Eccleſiaſtico egit,& Pontificiis addixit. Sed multa & hinc querela noſtratium. *Vid. Goldaſt.* Reichshandl. *Autoris anonymi* der Geiſtlichen Vorbehalt aus ſeinen Gründen erörtert. *edit. A.1630.* Quæſtio eò recidebat, an §. und nachdem bey Vergleichung. *18.* Pacis Religionis *pars* ſit, quæ obligaret poſſeſſores Bonorum Eccleſiaſticorum ad noſtram Eccleſiam accedentes? quod noſtri negabant, eò quod non *conſenſerant* ſtatus noſtræ Confeſſionis in iſtum §. Receſſuum autem Imperii partes omnes & ſingulas conſenſu fieri & obligare, nec poteſtatem Llatoriam niſi accedente ſtatuum conſenſu, locum habere, abrogata quoque quantum ad cauſam religionis vi pluralitatis votorum. *Gravam. Stat. Evang. exhibita 1646. in tractatibus pacis.* Diſſenſum porrò conſtare ex *proteſtatione* in Comitiis Ratisbon. *An. 1555. die XX. Sept.* ad Imperatorem interpoſitâ, ubi inter alia: Da aber E. Keyſerl. Majeſt. ie auff obbemelter ihrer Reſolution beruhen ꝛc. So wiſſen Ihr. Churf. und Fürſtl. Gn. E. Keyſ. Maj. über beſchehene unterthänige Bitte und Fürwendung hierinn keine Form oder Maß zu ſetzen ꝛc. Aber darneben wollen J. Churf. und Fürſtl. Gn ſich ihres Gewiſſens halber diß erkläret haben/ daß ſie für ſich in ſolchen Artickel nicht willigen könten ꝛc.

II. Reſerv. Eccleſ.

§. XX.

Denique jus emigrationem imponendi ſtatibus Provincialibus eſſe contra *libertatem ſtatuum Germaniæ*, contra *Conceſſiones* Principum, & datam Fidem. Inter alia

III. Emigratio

memorabilis eſt libellus ſupplex ſtatuum Carinthiæ & Craniæ ſive Carniolæ An. 1629. Imperatori oblatus, ſequentis tenoris:

Aller Durchlauchtigſter / Groſzmächtigſter / Unüberwindlicher Römiſcher Keyſer / auch zu Hungarn und Böhmen König / ꝛc. Allergnädigſter Herr und Landes-Fürſt.

Wie tieff die Liebe und Affection zum Vaterland der Menſchlichen Natur und Eigenſchafft angebohren und eingepflantzet / bezeugen nicht allein viel hochweiſe und fürtreffliche Leute / ſondern es erweiſets auch die tägliche vor Augen ſchwebende Experientz mit mehrern / dahero der weitberühmte Fürſt und Held Uliſſes / als er nach Zerſtörung der Stadt Troja ſich am Heimreiſen befunden / wie Homerus Ody 1. ſchreibet / mehrers nicht gewünſchet / denn daſz er vor ſeinem Ende nur vorher den Rauch aus den Caminen ſeines Hauſes und Vaterlandes (ungeacht es / wie Cicero meldet / ein dürrer ſchlechter Orth geweſen / den an einer Steinklippen / nicht viel anders / denn ein Schwalben-Neſt an einem Tram gehangen) aufſteigen ſehe / ſeye hernach willig / ohn länger Friſt daſelbſt zu ſterben / und Euripides in Ægeo. Veruntamen miſerandum eſt tempus, quo Patriæ fines relinqvuntur. Quid paterna carius eſſet Viro tellure? Und wie man vom Demoſthene lieſet: Alſz derſelbe von Athen vertrieben / und in Calauria im Elend ſeyn müſſen / daſz er alle Tage auff das Dach des Tempels am ſelben Orth geſtiegen / und nach der Gegend / da gemeldte Stadt Athen gelegen / mit groſſer Begierd und Seufftzen geſehen / auch ſein Vaterland

terland nicht anders/denn ſein eigen Leben gantz lieb und werth gehabt/ ungeacht ſich die von Athen für ſeine ihnen lange Jahr erwieſene Woilthaten / gegen ihme gantz undanckbar erzeigt / und er mit Unſchuld/aus der Stadt ins Elend von ihnen vertrieben worden. Derowegen auch Ovidius lib. 1. de Ponto ſagt:

Neſcio quâ natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit,& immemores non ſinit eſſe ſui.

Und Cicero: Patriâ nihil dulcius, nihil carius in vita eſſe debet: nullus locus eſt domeſticâ ſede jucundior; cari ſunt liberi, propinqui familiares; ſed omnes omnium caritates Patria una complexa eſt. Innmaſſen von den fürnehmen Kriegs-Fürſten Sertorio Eraſmus ex Plutarcho lib. 5. Apopht ſchreibet: Sertorius ſæpe victor ad Pompejum Metellumque miſit,offerens ſe paratum redire in urbem, ſi ſibi permitteretur, dixitque male ſe Romæ ignobiliſſimum Civem, quàm Exulem omnium aliarum Civitatum Imperatorem nominat. Wie denn auch Sabellicus lib. 8. c. 1. de caritate erga patriam von Platone diß Wort ſetzet: Plato vir ſummus, & veritatis amiciſſimus,nullam in terris majorem eſſe caritatem arbitratus eſt,quam quæ cum patria eſt unicuique noſtrum. Dannenhero auch der heilige Auguſtinus in 39. Pſalm ſagt/ ſi dulcis eſt Patria,amara eſt peregrinatio, tota die tribulatio, quando in Patria non eſt delectatio. Aus welchen allegirten/und dergleichen vielmehr verhandenen Zeugnüſſen/Großmächtigſter Keyſer/Euere Keyſ. Majeſt. allergnädigſten erachten können/ wie ſchmertzlich/hertzbetrüb- und höchſtbekümmerlich deroſelben jechſt verwichenes Jahr am 1. Auguſti / allergnädigſtes ausgefertigtes General Mandat / in welchem allen

in dieſen J. Oeſt-Landen geſeſſenen / und der Evangeliſchen Augſpurg. Confeßion zugethanen Herrn und Landleuten aufferleget wird / inner Jahres Friſt / doch mit uns zu allergehorſambſter Danckſagung gereichenter Erlaſſung deß zehenden Pfenniges das Land zu räumen / in 6. Monathen hernach ihre Güter zuverkauffen / widrigen Fallß ſolche Verkauffung durch die nachgeſetzte Obrigkeiten / ex officio verordnet werden. Die Graffſchafften und andere Aempter alßbald reſigniren / und auffgeben / die obliegende Rechnung gehöriger Orther einbringen juſtificiren laſſen / den ausſtändigen Reſt würcklich bezahlen / niemand ſeine Pupillen / ob ſchon die Mutter nicht im Leben ſeyn / mit ſich aus dem Land zu führen / ſich unterſtehen / die unterhanden habende Stifft / oder andere Kirchenbrieff und Einkommen / bey angedroheter ſequeſtrirung der Güter von ſich geben / auffnehmenden Abzug in allen Landen / E. Keyſ. M. Königreicher / Fürſtenthumen und Landen kein Unterkommen und Verbleiben haben / weniger ihnen allda zu handeln und zu wandeln geſtattet werden / deßgleichen alles abe und zureiſen auſſer deroſelben oder ihrer nachgeſetzten Obrigkeiten / beſonder Schrifftlichen Bewilligung und Erläubens gäntzlich eingeſtellet und verboten ſeyn ſollen / ꝛc. Obgemeldter E. K. M. abergehorſambſt getreweſten / der Augſpurg. Confeßion verwandten Herrn und Landleuten fürkömpt / und unter die Augen ſchlägt / daß die / welche bißhero / in deren E. K. M. unterſchiedlich und höchſtgefährlichen Widerwertigkeiten / ihren ſtandhafften Fuß gehalten / deroſelben mit Rath und That / auch Zuſetzung Ehre / Leib / Lebens / Gut und Blut / iederzeit in

in gantz unverrückter Trew / mit beſtändigſter Liebe und devotion beygeſtanden / und verharret / und dardurch E. K. M. Keyſ. Königl. Landes-Fürſtl. und Ertz-Hertzogiſche Autoritet, Reſpect und Reputation, und deroſelben Land und Leut / unſer geliebtes Vaterland in auffrechten Stand erhalten und retten helffen / nur ietzo an ſtat der ſo offt und vielmals gnädigſt anerbotenen Erkändtnüß das harte Wort und gantz unverdienten ſententz: Veteres migrate coloni, anhören / und vernehmen müſſen / das geliebte Vaterland räumen / und mit dem Rücken anſehen / und verlaſſen / und das Elend in frembden Landen mit Weib und Kind bawen ſolten.

Die vielfältigen Hiſtorici, und dieſer J. Oeſt-Landen verhandene Annales, Cronicken und Verzeichnüſſen bezeugen / mit vielen Circumſtantien, was geſtalt unſere Vor-Eltern von 300. Jahren dem hochlöblichſten Hauſe Oſterreich / un deſſen höchſtberühmter Länder und ſanffter Regierung willen ſich ſampt ihren lieben Vaterlande Anno 1331. freywillig untergeben / und Ottonem, Keyſers Alberti Primi, Hertzogen zu Oeſterreich / hochſeeligſten Angedenckens / Sohne zu ihrem Herrn und Landes-Fürſten / gehorſambſt angenommen / und welcher maſſen dieſelben hernach ihren ſucceſſivè nacheinander gefolgten Herren / und Landes-Fürſten / des hochlöblichſten Hauſes Oeſterreich aus der zu denen ſelben und dem Vaterland eifferigſt getragener Liebe und Affection mit Ritterlicher Tapfferkeit und Auffſetzung des Ihrigen gehorſambſt erwieſen. Erſtlich im Krieg wider Fraw Margrethen / der Maltheſern Anno 1334. hernach wider den Erbfeind Chriſtliches

ches Nahmens den Türcken / als er in die Lande einge-fallen/und in deſſen Beſtreitung viel Herrn und Land-leute geblieben / und der Sieg erhalten worden Anno 1418. alß er / der Türck Anno 1429. in Cräyn einge-fallen und gleichfalß überwunden worden / wider die Venediger im Jahr 1435. im Krieg wider Johann/ Graffen von Görtz Anno 1458 und 1459. im Krieg a-bermal wider die Venediger/Anno 1462. alß die Tür-cken in Kärnten gefallen/ und für Clagenfurth kom-men / Anno 1473. wie der Türck Anno 1475. die drey Ihrer Oeſt-Lande angefallen / und im Anzug und Streit wider denſelben viel Herren und Landleute bey Rhein in Winſchland gefangen worden und geblieben seyn. Im Kriege/ ſo Keyſer Friederich mit König Matthias von Hungarn geführet/ Anno 1476. und 77. in mehrmahligen der Türcken Einfall in Kärnten/ 1478. Im Krieg wider König Mattiaſen in Ungarn Herr / und deſſen Hauptleute Maubitz und Marepe-ter/alß ſie Leibnitz und Friſach eingenommen/ und die Probſtey im Saal belägert/ im Jahr 1481. abermahl im Einfall der Türcken in Kärnten Anno 1484. und 86. alß die Hungaren wiederumb aus Kärnten durch deſſelben Ritterſchafft geſchlagen worden. Mehr im Jahr 1429. da der Türck abermals in Kärnten kom-men/und ihn die Ritterſchafft geſchlagen und abgetrie-ben. Alß Anno 1496. die Kärntiſche Ritterſchafft den Hungarn die im Jahr 1481. eingenommen/ und bißher geherrſchte Stadt Friſach wieder abgenommen/ und ſie Hungarn und gar aus dem Lande gejagt / in-maſſen dieſe Land im lang und über 8. Jahr gewehrten Venediger Krieg / das ihrig auch ſtattlich erwieſen/ von

von Anno 1508. biß 51. Im Kriege/den Ferdinandum Primum Ertz-Hertzog in Oeſterreich mit Janiſchwenda/ Weywoden in Siebenbürgen/An. 1526. geführet/die Kärnter u. Steyrer das ihrig dabey ritterlichen erzeiget und das Feld erhalten worden. Im Türckenkrieg/ in welchen auch Wien belägert war A. 1529. u. im Jahr 1532. wieder Caſſenbergk/den Solymanus/Türckiſch. Keyſer/nach dem Abzug von dem Städtlein Geuß die Oeſterreichiſchen Lande zuverwüſten abgeordnet/u. er damals mit ſeinem Heer auch in Kärnten kom̃en/und daraus wieder abgetrieben worden/ im Jahr 1530. im Zug vor Eſſeg/da durch des Erbfeindes groſſe Macht aus dieſen Landen viel Ritter geblieben. Im Krieg zwiſchen Ferdinando I. u. Solymanno gemelten Türckiſch. Keyſer/A. 1541. darin ſich auch ein groſſer Adel aus dieſen Landen gefunden. Deßgleichen 1542. als Peſt in Ungarn belägert worden/und man deß Türcken zu groſſer Macht willen unverrichter Sachen abziehen müſſen. Im Jahr 1550. da der Beglerbeeg mit groſſer Heereskrafft in Ungarn gezogen/A. 1556. im Krieg vor Siget und Babeza/welcher Ertz-Hertzog Ferdinand in Tyrol mit mehrgedachten Solymaño geführet/haben ſich dieſer Lande Ritterſchafft auch tapffer gehalten/und den Feind abgetrieben. Im Jahr 1565. als Keyſer Maxim. der König Johann. in Siebenbürgen bekriegt/und aus dieſen Landen auch viel Herꝛn und Landleute geweſt/da A. 1566. höchſtermelter Keyſer Maximil. wieder viel gedachten Türck. Keyſer Solymannum gezogen/und Ertz-Hertzog Carl/unſer geweſener gnädigſter Herr u. Landsfürſt hochſeel. Angedenckens mit ſambt der Ritterſchafft aus dieſer dreyer Landen auch mit geweſen.

Gleichfalß A.1578. im groſſen Feldzug in Crabaten wider den Erbfeind / darbey ſich die Ritterſchafft auch befunden. It. A.1592. u. 93. im offnen Krieg in Ungarn / Crabaten und Winſchland / da der Haſſan Baſſa bey Siſſeg auffs Haupt geſchlagen worden / und die Kärnter und Creyner ſich auch dabey befunden A.1594. Im perſönlichen Zuzug in Crabaten A.1595. u. 96. bey Eroberung Petrima und Cliß in Dalmatia. A.1601. mit E. K. Maj. in perſönlichen Anzug für Caniſcha. In der A.1604. u. 5. fürgangenen Hungar. Rebellion. Im Venediſch. Krieg A.1617. u. 18. und viel andern occaſione mehr / in welchen dieſer Lande Ritterſchafft für ihr bißhero geweſenen Herrn und Landsfürſten des hochlöblichſten Hauſes Oeſterreich / und des geliebten Vaterlands das ihrig treuhertzig / ſtandhafft und unbeharrlich iederzeit geleiſtet / an Gut und Geld wider den Erbfeind zu Unterhaltung der Grentzen und in andere Wege ſehr viel Million Gold von Zeit zu Zeit treuligſt contribuiret / und dargereichet / und alſo das ihrig mit Gut und Blut (geſtalſam und deſſen E. K. Maj. ſelbſt allergnädigſt Zeugniß geben) bißhero unverdroſſen und ſtandhafft allergehorſambſt geleiſtet.

So iſt auch E. K. Maj. (wie ſie denn ſolches in dem ausgefertigten Patent allergnädigſt ſelbſt erkennen /) gantz unverborgen / wie ſtandhafft dieſe dahero gehorſamſte J. O. Lande in auffrechter Biedermännigſter Treue nach ihren Pflichten u. Schuldigkeit / in der nechſten ſeit E. M. angetretener Keyſ. Regierung verfloſſenen Jahren / in dero andern angehörigen Königreichen und Landen entſtandenen Weltkündigen groſſer Unruhe u. Empörungen / deren Willen E. K. Maj. auch nicht geringe

ringe Ungelegenheit/ Mühe und Bekümmernüß ausgeſtanden/ bey E. M. bißhero aller unterthänigſt nicht allein verharret/ ſondern auch noch hinfüran darinnen ſampt ihrer liben Poſteritet in unverrückter beſtändiger Treu/ allergehorſamſt zu continuiren niemals zu unterlaſſen gedencken.

Daß nun aber wir allergehorſamſte der Augſp. Confeßion zugethane Ritterſchafft obangezogener maſſen zwiſchen hie und des nechſt verſchienenen 1. Auguſti das Land räumen / das unſerige iñerhalb ſechs Monat hernach entweder ſelbſt oder durch unſere Cathol. Freunde u. Pfleger verkauffen/ ohne E. M. oder dero vollmächtigen Stadthalter J. Fürſtl. Gn. zu Gromau und Eggenberg / und der Herrn geheimen Räthe zu Grätz/ ertheilte Special Conceſſion, nicht mehr in diß unſer Vaterland herein reiſen dörffen / und die verwaiſten Pupillen durch ihre Evangel. Mutter/ Gerhaben und nechſte Befreunde nicht ſolten auſſer Lands mitgenomen werden können/ hätte ſich ſie/ treugehorſamſte Ritterſchafft deſſen nicht/ ſondern vielmehr aller Keyſer- u. Landsfürſtl. Hulden und Gnaden allerunterthänigſt getröſtet und verſichert. Es kan allda E. K. Maj. gehorſamſte Ritterſchafft den Sachen allergnädigſt tieffer nachzugedencken/ die Beſchaffenheit mit mehrern mildiglich zubehertzigen/ und ſich über obangezogenes fertiges Jahrs unſerthalben ausgefertiges General Mandat eines gnädigern väterlichſt zu reſolviren/ allerunterthänigſt zuerinnern/ aus allergehorſamſter zu E. K. M. tragender Zuverſicht nicht umgehen.

Erſtlich die von deroſelben höchſtgeehrteſten Herrn Vatern/ weil. Ertzhertzog Carln/ unſers auch geweſenen

gnädigſten Herrn und Landesfürſten hochſel. Angedenckens vorher/und ſonderlich A. 1578. gnädigſt ertheilte ReligionsConceſſion, E. K. Maj. fürgegangene Landsfürſtliche Erbhuldigungen/ in welchen dieſelbe ihren getreuen Landen / ſie bey allen ihren Gnaden und Freyheiten / indifferenter feſt und unzerbrochen/handzuhaben und verbleiben zu laſſen/gnädigſt gewilliget.

Fürs ander/denn was E. K. M. in dem A. 1604. am 20. Sept. denen Landen ertheilten Decret dieſe gnädigſte Reſolution, daß J. Durchl. (wie die verba formalia lauten) keinen Landmann der Religion wegen ausſchaffen/ im fall aber etliche deroſelben wieder alles zuverſichtliches Hoffen je ausſetzen/einen andern Landsfürſten ſuchen und ſich in frembden Landen niederrichten wollen denen ſtehet ohne J. M. Maßgebung bevor/mit ihren in dieſen Landen verhandenen Gütern ihrer Gelegenheit nach/ es ſey mit Verkauff-oder Außlaſſung derſelben/oder in andere Wege zu diſponiren, darunter dann J. Durchl. einen jeden ſeinen beſtē Vortheil gerne gönnen.

So viel aber die in obangedeuteten Termin, allergnädigſt aufferlegte Verkauffung der Güter und Gülden anbelanget / will ſolches denen wolhergebrachten und gnädigſt confirmirten Landsfreyheiten und Landshandveſten beyder Länder Kärnten und Crain/ auch nicht weniger præjudicirlich erſcheinen/ in deme in Ertzhertzog Ernſten zu Oeſterreich A. 1414. gnädigſt ertheilten Confirmation der fürgebrachten Landsfreyheiten/ fol. 14. dieſe verba formalia zuſehen: Wir wollen auch/ was ein Mann in unſern Land zu Kärnten in Nutz u. auch in ruhiger Gewehr hergebracht hat/ daß ihme das niemand entwehre/noch davon treibe/denn mit den Rech-

ten alleine. In Königs Maximil. I Befreyung und Gabbrieffe de A.1494. fol.29. Niemand ſoll den andern wider Landsrecht / in keinerley Weiſe beſchweren / noch ſeines Guts entwehren / ohne Recht. Im 3. Inſpruckeriſchen libel de A.1518. fol.125. Wir meynen und wollen auch / daß männiglich / Reich u. Arm in allen unſern Nieder- und Oberöſterreichiſchen Landen bey ſeinen Gerechtigkeiten und rechtlichen Gewehren inhalt jedes Landes Freyheiten bleiben und gehandhabet / und ohne Recht durch niemand darvon gedrungen werden ſolle.

Aus dieſen und andern Motiven mehr bitten E. K. M. unſern allergnädigſten Herrn u Landsfürſten wir der Augſp. Confeßion zugethane Ritterſchafft allergehorſamſtes höchſt unterthänigſtes Fleiß / und um Gottes Barmhertzigkeit willen allerdemüthigſt / die geruhē unſerer Voreltern / und unſer um in die 300. Jahr hero bey dem hochlöblichſten Ertzhauß von Oeſterreich / erwieſene Standhafftigkeit unverrückete / auf Recht und Bidermänniſche Treu / auch in allen Feinds u. andern Occaſionen unverſchonte Darſetzung, Ehr, Guts und Bluts / continuirlich geleiſte ſo vielfältige anſehnliche Ordinari u. Extraord. Granitz u. andere Contributiones / dargeben und Geſchenckungen allergnädigſt und höchſtmildreich väterlichſt zubehertzigen / mehr gemeld auff uns gerichtes hochſchmertzliches General Mandat ex plenitudine poteſtatis wiederum aufzuheben / und unter E. K. M. und dero hochlöblichſten Poſteritet Ertzhertzoglichen ſanfften Regiment / Schutz u. Schirm bey unſern Haab und Gütern in dieſem unſern geliebten Vaterlande noch ferner zu gedulden / mit deroſelben in Lieb u. Leid heben und legē / und uns hierdurch aller Welt zum

nachfolgenden Exempel unſer und unſer VorEltern jederzeit erwieſene Beſtändigkeit/ Liebe/ Devotion und Treue allergnädigſt genieſſen zu laſſen.

Und wollen zwar allergnädigſter Keiſer/ Herr und Landesfürſt/ an E. K. M. in tieffſter Demuth jetzo gebethener maſſen allergnädigſt einwendenten Barmhertzigkeit und Gnade/ wir den geringſten Zweiffel allerunterthänigſt nicht ſtellen/ ſondern uns vielmehr der gantz väterlichſt mildreichen Erhör- und Gewehrung aller gehorſamſt getröſten. Da aber E. K. Maj. wieder ſolch unſer allerunterthänigſte Hoffnung in unſer ſehn und flehentliches Anlangen abſolutè zuwilligen nach der Zeit in Bedencken tragen möchten/ werden doch dieſelbe in allergnädigſte Conſideration zuziehen ihr belieben laſſen/ wie es doch müglichen/ in ſo kurtz und verzückter Terminszeit unſere Güter und Sachen zuverkauffen/ und das unſrige in Richtigkeit zubringen/ zumahlen ihrer viel unter uns durch die A. 1622. u. 23. fürgegangene Müntz Confuſion und darauf gefolgte Valvirung leider in ſolche Ungelegenheit/ Labyrinth und Nachtheil gerathen/ daraus ſo bald zu kom̃en keine Mügligkeit/ theils aber in beyden Löbl. Landſchafften allda in Kärnten u. Crain zu des Grönitz Nothdurfft/ und E. K. M. allergehorſamſt geleiſten Bewilligungen ſich auf 1000. fl. erſtreckende darlehen gethan/ deren ſie aber/ über beſchehene Auffkundungen bey jetziger ſo Geld ſperrer Zeit die Wiederbezahl- und Contentirung nicht gehaben/ und dannenhero ohne Entgeld ſich nicht hinweg und auf die mühſelige hertzbetrübliche Wanderſchafft begeben können. Innaſſen den̄ auch diß/ daß nicht allein einiger ſeine Pupillen (darunter in ſpecie auch alle diejenige minder-

derjährigen/ deren Väter geſtorben/ ob ſchon die Mütter noch bey Ley Leben ſeyn) mit ſich auſſer Landes zuführen/ ſich unterſtehen/ ſondern auch diejenigen/ der Augſpurg. Confeßion zugethane Landleute/ ſo mit Gerhabſchafft oder andern Aemptern verſehen/ dieſelben alsbald reſigniren/ Reitung legen und die auſſenſtändigen Reſt würcklich bezahlen. Item/ die Stifft- oder andere Kirchenbrieffe und Geiſtliche Einkommen bey handen haben/ von ſich geben ſollen/ uns nicht wenig beſchwerlich fallen will/ weilen dieſer Lande Ritterſchafft jederzeit mit ihren Kindern eigenthümlichen Gülten/ Gütern und appertinentiis vermög wolhergebrachter u. confirmirter Landsfreyheiten ihres Gefallens zu diſponiren/ ihren Kindern durch Teſtament/ Vormund und Gerhaben zuverordnen/ auch ſich die nechſten Befreunde der verwaiſten minderjährigen Kinder de Jure anzunehmen/ in allewege befreyet geweſen.

Dieſem nach ſo bitten E. K. M. wir um des bittern Leiden u. Sterbens/ u. per viſcera Chriſti auch der Liebe und Barmhertzigkeit willen nochmalen und ferner allerdemütigſt gehorſamſt/ die wollen ſolches und voreingeführtes alles/ in allergnädigſte väterliche Conſideration ziehen/ deroſelben mehr angedeutetes General Mandat allerunterthänigſt hievorgebetener maſſen ex plenitudine poteſtatis allergnädigſt aufzuheben/ und es bey dem A. 1604. am 20. Sept. ertheilten und obgedachten gnädigſten Reſolution mildreich beruhen laſſen. Da aber ſolches der Zeit bey E. K. M wieder die bey uns allergehorſamſte eingewurtzte Hoffnung nicht zuerlangen/ ſie doch den hertzbetrüblichen Emigrations u. des geliebten Vaterlands Verlaſſungs-Termin auff eine geraume

raume Zeit u. etliche Jahr väterlichſt zuerſtrecken / die Gerhaben bey ihren Gerhabſchafften/ die Mütter aber bey ihren über die Kinder habenden göttlichen u. natürlichen Rechten zulaſſen/ denen/ die ihre Güter über anwendenden Fleiß und billichen Werth nicht verkauffen können / Catholiſchen Pflegern oder Verwaltern anvertrauen/ und daß ein jeder Herr u. Landmañ zu ſeinen im Land hinterlaſſenen Gütern ohne obgemeldten den Intereſſirenden all zu ſchwer fallender Special Erlaubniß bißweilen ab- und zureiſen und ſich im Reich/ oder wo es ihm gefällig/ und eines jeden Gelegenheit ſeyn wird/ hinbegeben und niederrichten möge. Daran erweiſen E. K. Maj. uns dero treugehorſamſten der Evangel. Augſp. Confeßion zugethanen Ritterſchafft/ der höchſte Gnaden/ die um E. M. unſern allergnädigſtẽ froñen Herrn und Landesfürſten und deroſelben hochlöblichſte Poſteritet, Wir und die Unſrigen mit noch ferner Standhaft continuirenden auffrecht u. Biedermänniſcher getreueſter Leib/ Ehr/ Haab/ Guts und Bluts Darſetzung allerunterthänigſt zuverdienen gefliſſen ſeyn/ und bleiben werden. Und E. K. M. als ancoræ ſacratiſſimæ thun wir uns ſamt den Unſerigen zu allergnädigſter mildreicher u. väterlicher Erhör und Gewehrung/ und zu dero beharrlichen Keiſ. Königl. und Landesfürſtl. Hulden und Gnaden allerdemüthigſt höchſtes Fleiſſes befehlen.

N. beyder Lande Kärnten und Crain der Evangel. Augſp. Confeßion zugethane allergehorſamſte Ritterſchafft.

Caput

CAPUT XIII.

De

LIBERTATE E. G. PER PACEM OSNABRUGENSEM DENUO STABILITA.

SUMMARIA.

Bellum civile ſacrum. Pax Pragenſis, ſuſpenſa. Receſſ. Imp. 1641. Pax Osnabrugenſis. Papæ auctoritas LLatoria abolita in Eccl. Germ. itemque Edictum restitutorium. Gravamina Statuum deciſa. Terminus reſtituendorum Bonorum Eccleſiaſticorum Kal. Jan. 1624. in cujus partis favorem ſtatutus. Papæ proteſtatio inanis. Bulla excommunicationis in die Cœnæ dominicæ vis & interpretatio. Eccleſiarum Germaniæ Pontificiarum ſtatus hodiernus. Eccleſiæ Moguntinæ laus & confeſſio.

§. I.

ISthæc civilium motuum ſemina abolenda mox fuiſſent, ſed *fato* partim, potentiæ Pontificiæ finem ſtatuente, partim *luxu* Germanorum ac nimia felicitate Rempubl. affligente, factum eſt, ut jamtum plurium *factiones* atque uniones in Imperio, non abolerentur, ſed precibus ejus partis, quæ jam domeſtico certamine inferior erat, ſpretis, augerentur, & hæc externo potius ſe applicaret, quàm civi cede-

Bellum Civile ſacrum. Lipſ. 6. Pol.

cederet. Fruſtra enim Saxo Elector in *Comitiis Ratisbon. An. 1630.* urſerat abolitionem Edicti hujus reſtitutorii. Hinc Conſultationes ſecretæ, cœtus ac *conventus* publici, *Lipſiæ, Heilbrunnæ*. Nec jam metus, ſed *oppreſſio* ipſa præſens videbatur. Hinc Status imminentium periculorum remedium, ipſa pericula arbitrati, *fœdus* pro libertate Germaniæ cum *Sveco* ac *Gallo* fecere. Itaque Lerna omnium malorum, *Bellum Civile*, Germaniam miſerè devaſtabat.

§. II.

Pax Pragenſ. Lipſ. 6. Pol. 7.

Illius porrò *moram* magis, quàm ipſum bellum prudentiſſimus *Imperator* pariter ac *Elector* Sax. metuebant. Itaque utrique melius viſum, *pactione* id potius extingui, etiam *temporaria*, quàm armis & ferro rem in diſcrimen ulterius adducere. Sic conventum *Pragæ* inter ipſos die XX. Maji 1635. & ſuper *articulo Edicti primo* ita transactum fuit, ut Status C. A. retinerent Bona Eccleſiaſtica, quæcunque die XII. Novembr. A. 1627. poſſediſſent, per XL. annos absque cujusquam inquietudine, & absque diſcrimine mediatorum vel immediatorum ſive ante ſive poſt transactionem occupata eſſent. De *altero*: ut libertas illi religioni in Epiſcopatibus permaneret per XL. annos, quæ fuiſſet prædicto tempore, ita tamen ut Capitulorum electio aut poſtulatio libera eſſet reſpectu utriusque religionis. Quoad *tertium*, nihil remiſſum.

§. III.

Suſpenſa.

Sed etſi ita inter Imp. & Saxonem fuerat deciſum, tamen non tantum Exteris Confœderatis, ſed plerisque etiam ex ſtatibus reformatis placuit alter civilis diſcordiæ finiendæ modus, *Victoria*, quæ & bello contra Imperatorem & Saxonem, de novo ſocium; producto,

tandem

tandem parta viſa. Fato functus interim *Ferdinandus* ſecundus, filio ejusdem nominis *tertio* Imperium reliquerat. Is arte & clementiâ quicquid admiſſum videri poterat, corrigere; indictis A. 1640. *Comitiis* Ratisbonæ, *Amneſtiam* generalem publicare, & Pacem Pragenſem etiam ad eos, qui ab iſta excluſi fuerant, extendere, exceptis ſtatibus ſuis Provincialibus & Cauſa Palatina: tractatus quoque de pace decreti cum Sveco & Gallo, iique Coloniâ & Lubecâ *Monaſterium* & *Osnabrugam* transllati: de reſolvendis ſtatuum utriusq; religionis gravaminibus agi cœptum: Pax religioſa de An. 1555. renovata: belli contra exteros hoſtes continuatio, durantibus tractatibus decreta. *Receſſ. Imp.*

§. IV.

Sic bellatum, ſic tractatum, ut tandem DEO propitio, de Libertate ſacra pariter ac Civili inter Imperatorem atque ſtatus & Coronam Seciæ *Osnabrugæ*, cum Rege Galliæ verò *Monaſterii* die XXIV. Oct. 1648. Pax æterna ſanciretur. Abolito itaque per omnia Edicto reſtitutorio, & *Pontificis Romani* contradictione & *proteſtatione* non attentâ, ſed pro inani & nihili publicè declarata, *Inſtrum. Cæſ. Svec. Art. V. §. I. & Art. XVII. §. I.* primò *Pax religionis* de An. 1555. denuo renovata & confirmata fuit, & quantum ad *gravamina* ſtatuum daclarata, ut primò *Bona Eccleſiaſtica* retineantur & reſtituantur poſſeſſoribus, qui Kal. Januariis Anni CIϽ IϽCXXIV. ea habuerunt, tam quoad Eccleſiaſtica, quàm Politica, etiam Immediata A. C. ſociis. §. *21. & 24.* ſtabilitâ communi per totum Imperium jam tum uſitata praxi, ut jure territorii & ſuperioritatis etiam *jus reformandi* exercitium religionis competat, §. *29. & 47.* De termino illo anni XXIV. hujus

Pax Osnabrug.

Papæ auctoritas Lator. abolita.

1. Cap.

 ſeculi

ſeculi notanda ſunt verba Judicii Generalis Extemporanei de ſcripto Brunſvic. Cellenſi contra Elect. Brandenb. in cauſa Lockum &c. in fin. Was das Religionswerck betrifft/ſo haben die Evangeliſchen viel Urſachen den terminum de An. 1624. mehr zu reſtringiren/ als zu extendiren/bevorab ihnen ſolcher wieder Willen auffgedrungen worden/und zwar in favorem Catholicorum.

§. V.

Deinde, quod alterum erat Edicti caput, *Reſervatum Eccleſiaſticum* ad ſtatus Reformatos quoque *extenſum*, ut & hi, ſi ad ſacra *Pontificia* tranſierint, & ipſi Bonis Eccleſiaſticis, Auguſtanæ Confeſſioni per hanc Transactionem jam addictis à prædicto termino anni 1624. excidecrent, perinde ut Pontificii Epiſcopi, §. *15*. Jure quoque Annatarum, Pallii, Confirmationum, Menſium *Papalium* & ſimilium *reſervationum* in Eccleſiis & Bonis Eccleſiaſticis ſtatuum A. C. immediatis penitus abrogato. §. *19*. Proviſum quoque *dignitati Eccleſiaſticæ* Epiſcoporum A. C. §. *20*.

2.

3. Quantum ad *Emigrationem*, & hujus neceſſitas ademta fuit Landſaſſiis ſtatuum Pontificiorum, qui exercitium religionis A. C. ſive publicum ſive privatum A. 1624. quacunque anni parte habuerunt, §. *hoc tamen non obſt. 30.* ſed & illud placuit, ut qui nulla anni 1624. parte diverſum à domino territorii alterutrius religionis exercitium habuerit, aut de futuro illud ſuſceperit, toleretur & libertas conſcientiis ſervetur, ſalvo in cæteris obſequio debito. §. *placuit 33. ſqq.* Denique quod ultimum erat Edicti capitulum, fuerunt recepti & exæquati ſtatus ad doctrinam *Calvinianam* reformati in his per omnia ſtatibus A. C. *Art. VII.* §. *1.* ſed ut nulla alia religio in S. R. Imperio recipiatur vel toleretur. §. *2.* Id quod jamtum in renovatione Pacis

cis religioſæ An. 1613. in Comitiis Ratisbon. intentum gestumque videbatur.

§. VI.

Hic eventus, hic fuit hactenus exitus deſideratæ per tot ſecula reformationis Eccleſiarum Germaniæ & inſtauratæ libertatis. Cujus perpetuus adverſarius, Rom. Pontifex, qvum adverſus hanc Pacem editâ *Declaratione nullitatis articulorum nuperæ Pacis Germaniæ, religioni Catholicæ, ſedi Apoſtolicæ, Eccleſiis, aliisque locis piis ac perſonis & juribus Eccleſiaſticis, quomodo libet præjudicialium, ſub annulo Piſcatoris de dato Romæ apud S. Mariam majorem die XXVI. Nov. A. M. DC. XLVIII.* per nuncium *Fabium Chigium*, Epiſcopum Neritonenſem, ac poſtea ſucceſſorem, *Alexandrum VII.* appellatum, teſtatò contradiceret, denuo affectando non modo ſacram, ſed civilem quoque Poteſtatem, impugnans octavum Electoratum: ab Imperatore & ſtatibus omnibus pro inani fuit habita iſta proteſtatio, *ſecundum Art. V. §. 1. & Art. XVII. §. 3. Inſtr. Pac.* nec contraria proteſtatione digna, qvum hoc ipſum jam tum anticipatum fuerit Lege ipſa publica Imperii, & Regnorum Galliæ, Hiſpaniæ & Sveciæ. Jctus tamen aliquis Germanus *Vindicias* contra iſtam declarationem Pontificis, ſub nomine *Ludovici de Monteſperato* edidit A. 1653. Sed præeminet *Animadverſio* in hanc Bullam Viri ſummi, *H. Conringii* libris de Pace Civili comprehenſa. *inanis.*

§. VII.

Pertinet etiam huc ſententia de vi atque auctoritate Bullæ Pontificiæ, quam quotannis *die Cœnæ Dominicæ* publicare ſolet Pontifex, & *excommunicare* omnes, quicunque rerum Eccleſiaſticarum jurisdictionem ad ſe trahunt, etiam prætextu gratiarum illis conceſſarum.. Enim- *Bulla in Cœna Dom. vis.*

verò Petrus de Marca Pariſienſis ArchiEpiſcopus *lib. III. de C. S. & J. c. X.* ita eam interpretatur ac reſtringit, ut ea, quæ Principes ex mero jure Regio circa perſonas & res ſacras agunt, vis Bullæ non pertingat: in cæteris eſſe tantum comminationem & proteſtationem, publicè adhibitam, ad repetenda quandocunque jura ſua, à quibus fortaſſe præſcriptione cadere poſſet Eccleſia Romana.

§. IIX.

Eccleſ. Germ. Pontif. ſtatus.

Deniquè quantumvis plures Eccleſiæ Germanicæ Per ArchiEpiſcopos, Epiſcopos ac Duces atque Principes ſuos Confeſſionem Auguſtanam & repurgatam Fidei Catholicæ doctrinam non receperunt, obedientiæ ſedis Romanæ adhuc inhærentes, obſervari tamen licet, in his plerisque omnibus nihilominus apparere jam majorem libertatem & à primævâ noſtrâque minus remotam. Nam etiam in ſingulis liberior ſeſe prodit minusque priſcis abuſibus ac ſuperſtitionibus intricata ratio Liturgiæ ſacræ, & Concionum Eccleſiaſticarum, Precum quoque & quæ curam animarum ægrotantium & moribundorum ſpectant, quæ multum differunt ab ordine commendationis animæ in agone conſtitutæ Breviarii Romani hodierni. Conſtat hoc ex agendis, quæ vocantur, Eccleſiaſticis, imprimis ArchiEpiſcopatus Moguntini & Epiſcopatus Wurzburgici, itemq; ArchiEpiſcopatus Colonienſis & aliorum, quæ vis reductæ veritatis Evangelicæ & pia æmulatio hoc & ſuperiori ſeculo Eccleſiis etiam Pontifici adhærentibus, atque ad hæc conniventi aut diſpenſanti, expreſſit. Id quod ipſum aliquoties jam tum non diffitetur Lutherus: urget verò Wicelius in Via Regia, Scholaſticis rejectis Palæotericos Catholicos ſe ſuosq; jactans: cui & Ferdinandus Imp. injunxerat in ſummario illo do-

ctrinæ Catholicæ imprimis colligere illos articulos Auguſtanæ Confeſſionis, qui jam hinc inde inter eruditos utriusque partis ad concordiam ſint deducti, vel pro conſtituenda unitate & quiete adhuc poſſint, ſalva veritate Catholicâ, concedi & indulgeri.

§. IX.

Imprimis autem conſideratu valde dignum eſt, quod Eccleſia *Moguntina*, quæ abrogata Primatu Magdeburgenſi, hodie inter Eccleſias Germaniæ primas tenet, interprete Gibbone de Burgo, libro *de Luthero-Calviniſmo ſchiſmatico quidem, ſed reconciliabili*, non amplius diffitetur, nec attento anathemate Tridentino, articulos Aug. Confeſſionis controverſos inter nos & ipſos, non eſſe *hæreticos*, atque ſalvis iis, poſſe unitatem regiminis Eccleſiaſtici redintegrari. Unde apparet, quantum remiſſum ſit à veterum iſto rigore, quo ſuperiori ſeculo prædicatores articulorum illorum rogo impoſuerunt aut aliàs miſerrimo mortis genere affecerunt, ut Leonhardi Cæſaris in Bavaria, Henrici Zutphanienſis in Ditmarſia, aliorumque plurimorum exemplo conſtat. *Eccleſia Moguntinæ laus.*

CAPUT

Caput XIV.

De

UNIONE ECCLESIARUM GERMANIÆ.

Svmmaria.

Eccleſia Germaniæ olim una & libera. Poſt ſubdita certo modo. Libertas reſtituta: unitas rupta à S. R. coalita certo modo, nec quoad confeſſiones, nec quoad regimen, ſed per modum Fœderis ſacri. Ejus effectus. Media retinendæ libertatis civilia: attentata minuta curiæ cavenda. Sacra remedia: reformatio morum. Comparatio ſtatus Eccleſ. veteris & novi. Libertas nutat in licentiam. Diſciplinæ corruptæ origo. Intentio Reformatorum ab adverſariis circumventa. Artes Satanæ, quibus utrinque decipit mortales. Morum reformatio reliqua. Inſtitutio catechetica. Collegia pietatis. Seminaria Eccleſiæ & Reip. Eccleſiæ domeſticæ. Cautiones in dogmatum diſputationibus. Remedia retinendæ libertatis ex divina prudentia. Remedia recuperandæ unionis. Spes de Curia Rom. Hadriani VI. & Marcelli II. laus. Requiſita liberi concilii. Spes unionis, Concilio Nationali. Nazianzeni oratio de Pace. Cultus rationalis & irrationalis. Comparatio Eccleſiæ Iſraëliticæ & Chriſtianæ.

§.I. Abſol-

§. I.

ABſolvimus per gratiam divinam quod ſuſceperamus, atque tum ex hiſtoriæ veritate, tum ex divini humanique juris ſoliditate demonſtravimus, jam inde ab origine prima gaudere Eccleſias utriusque Franciæ, h.e. Galliæ atque Germaniæ, & *libertate* à ſacro dominatu, & *unitate* religionis, exceptis paucis, quas Gothi Arriani tum corruperant. At Hildebrandus imprimis cum aliquot ſucceſſoribus libertatem earum ſupprimere ſategit, qua re unitatem quidem religionis externam ſervarunt, ſed multifariam corruptæ: cui tamen ſingulis ſeculis à pluribus fuit contradictum. Etſi enim agnita fuit Poteſtas Pontificis Rom. ab Eccleſiis Germaniæ, non tamen aliter niſi ſalva ſuprema *poteſtate Concilii* Generalis vel Nationalis, ut hactenus ſatis, opinor, demonſtratum. Deinde hâc alterâ cautione; ſalvâ *ſalutis regulâ* credendi & vivendi ſecundum inſtituta Chriſti & Apoſtolorum, quæ *abuſus* Pontificios abominatur, juxta quam ſingula ſecula ſuos foverunt reprehenſores corruptelarum & veritatis teſtes.

Eccleſia Germ. olim libera & una. poſt ſubdita. Certo modo.

§. II.

Sed & libertatis perpetuò tentata vindicatio fuit, donec ſuperiori ſeculo ea reſtituta divino beneficio eſt, ſtatibus abuſus Pontificios abrogantibus, conſenſu Imperii, qui proinde tam à jurisdictione Papæ, quàm à regula ejus credendi liberati per ſummam Reip. Germanicæ poteſtatem fuerunt. Præterea & iis *ſtatibus*, qui Formulam *Tridentinam* receperunt, ſeu reddita fuit poteſtas ſeu reſumta circa *leges ferendas* de rebus ſacris atque religione: quod exemplo Pacis religioſæ toties repetitæ inuito Papâ, eſt manifeſtum.

Libertas reſtituta.

§. III.

Unitas rupta à Pontifice.

At qui libertatis recuperationem impedire non potuit, rupit *unitatem*, iis artibus ac cauſis, quas ſuo loco cognovimus. Autor enim & *cauſa* princeps *ſchismatis* inter Eccleſias Germaniæ ipſa *Rom. ſedes* habetur, dum Eccleſias, quæ Indulgentiarum cæteroſque abominandos abuſus, ex dictamine Juris divini ac Humani, propriæq; conſcientiæ, ac jure Statuum priſtinæque libertatis, tam Sacræ quàm Civilis, reprimere cœperant, absque legitima cauſæ cognitione, ab executione atque *excommunicatione* incipiens, à communione Eccleſiæ Romanæ ſeparavit, & pro hæreticis haberi voluit. Contigit ſanè nobis quod *S. Johanni*, qui *Epiſt. III.* queſtus ad Gajum presbyterum: *Scripſi Eccleſiæ: ſed ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν, qui amat Primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc ſi venero, indicabo facta illius, quæ facit, verbis malitioſis φλυαρῶν garriens in nos: & nec his contentus, non ſolum non recipit fratres, verum etiam volentes recipere prohibet, & ex Eccleſia ejicit.* Primò igitur juſtiſſimâ *appellatione* ad Concilium legitimum jurisdictio & poteſtas ſuſpecti judicis fuit ſuſpenſa, & deinde qvum ipſe illegitimo Concilio, cauſæ ſuæ ipſe judex, abuſus ſuos pro articulis fidei conſcientiis obtruderet, communi Imperatoris atque ſtatuum conſenſu, *pace religionis* perpetuâ pactâ, poteſtas ejus in Eccleſias ad libertatem provocantes fuit abolita, nec per Germanias tantum, ſed & alias plures nationes.

§. IV.

Coalita certo modo.

Per Pacem itaque religioſam, toties firmatam, reducta quædam fuit *unio* Eccleſiarum Germanicarum; ſed aliâ facie, eâque triformi. Habemus enim *tres* publicarum *Confeſſionum* ſpecies, Auguſtanam, Reformatam & Triden-

an quoad

Tridentinam, quæ etſi in multis Fidei capitibus conveniunt, in aliis tamen unitatem haud agnoſcunt. Quare uti quædam inter omnes eſt communio adhuc & in Fidei *Chriſtianæ* fundamento unio generalis, ita ſpecialis nihilominus eſt ſeparatio, & conſequenter *tres Eccleſiæ* Chriſtianæ ſpecies per Germaniam, tribus Fidei & Confeſſionis formulis diviſæ. *Confeſſiones?*

§. V.

Sed neque ratione capitis ſeu *regiminis Eccleſiaſtici* unio amplius eſt. Nam poteſtate Pontificis Rom. per appellationem & pragmaticam Imperii ſanctionem in Eccleſiis repurgatis abrogatâ, jus circa ſacra in qualibet Eccleſia Provinciali poſtliminio rediit ad ſummam Reip. cujusvis Poteſtatem. Quæ dotentiam Pontificiam adhuc agnoſcunt Eccleſiæ, à Curia dependent Romanâ. Quare non uno amplius regimine gubernatur Eccleſia Germaniæ, neque monarchico, neque ariſtocratico, neque democratico, neque ex his mixto, quia non eſt una ſocietas per ſe ſub uno capite ſymboloque: quoniam tamen per Pacem religioſam certo modo atque extrinſecus coaluit, idcircò unio iſta formam *Fœderis* ſacri obtinet. Ejus is effectus, ut earum *rerum*, in quibus Confeſſionum eſt conformitas, ſit *communio*, veluti S. Baptiſmi, Benedictionis Sacerdotalis, Ordinationis, Verbi Divini prædicationis, curæ & benedictionis morientium, ac ſepulturæ Chriſtianæ. Itemque *Juris Concilii*, tam in cauſa contra tertium, quàm de his ipſis religionis ac confeſſionum diſſidiis. Quo & Jus *Calendarii* pertinet, ac ſuprema de *cauſis matrimonialibus Principum* Imperii cognitio, excluſo Pontifice Romano. Nam hæc omnia ex communi confœderatarum Eccleſiarum conſenſu dependent, non ex jure

Quoad regimen.

Fœdus ſacrum.

ejus effectus.

aliquo ſuperioritatis, quod Pontifici & Curiæ durante hoc rerum Statu, nec compoſito religionis diſſidio, abrogatum, atque ab hoc Fœdere penitus excluſum. Porrò more majorum hæc talia in *Comitiis* Jmperii ritè tractari poterunt, de quo ſuperius. Lutherus A. 1520. Imperatori & Principibus Imperii ad deliberandum propoſuit: Anne *Primati Germaniæ* concedendum, ut erigeret *Conſiſtorium Generale*, ad quod appellaretur in cauſis beneficiorum Eccleſiaſticorum: *T. 1. Jen. Germ. f. 269.*

§. VI.

Media retin. lib. Cum igitur & tam carè conſtet hæc Libertas, & Fœdus illud religioſum ſpem alat plenariæ unionis, de utroque ulterius videamus. Atque ut *Libertas* ſemel parta *civilis.* retineatur, attentè cavenda ſunt *Attentata Curiæ* Romanæ. Non inanes iſtas contradictiones Paci Religioſæ adverſas hic attendimus, ſed molitiones, quibus per indirectum & actibus quibusdam, operâ Imperatoris & Statuum Pontificiorum illa abutens, jus ac poteſtatem iterum in Eccleſias Evangelicas machinatur. Hunc enim morem Romanæ Curiæ aliquoties antea obſervavimus, ut exiguo Principum officio unoque ſæpe actu ita ſint abuſi Pontifices, ut in grande libertatis præjudicium, maximum inde jus ſibi arrogarint, quod vel prædicatio cruciatarum cohortum non contra infideles, ſed ipſos Reges Chriſtianos, ſatis documenti eſt. Quamobrem bene obſervandum eſt Civilis Prudentiæ præceptum, quod Ariſtoteles *V. Pol. IIX.* ſuggerit: ἐν μὲν οὖν ταῖς εὖ κεκραμέναις πολιτείαις, ὥσπερ ἄλλο τι δεῖ τηρεῖν, ὅπως μηδὲν παρανομῶσι. καὶ μάλιστα τὸ μικρὸν φυλάττειν. λανθά-

νει

ει γὰρ ἐπεισδύουσα ἡ παράβασις, ὥσπερ τὰς οὐσίας αἱ μικραὶ δαπάναι δαπανῶσι, πολλάκις γινόμεναι. λανθάνει γὰρ ἡ μετάβασις, διὰ τὸ μὴ ἀθρόα γίγνεσθαι. *In Rebusp. bene temperatis, ut quicquam oportet attendi, nequid contra legem fiat: ac maximè cavere puſillum. Fallit enim, quæ furtim irrepit transgreſſio, quemadmodum rem familiarem minuti ſumtus crebro facti. Fallit enim ſumtus, quia non totus ſimul fit.*

§. VII.

Primum itaque eſt, ut per omnia ſanctisſimè cuſtodiatur Lex Publica Pacis Religioſæ Osnabrugæ in æternum firmatæ. Deinde ut ſtudeamus τὸ μικρὸν φυλάττειν, quale quid fuit ſtatim poſt conditam Pacem, oblatio *Calendarii novi*, quod prudenter reſpuerunt noſtri. Qua de re antea diximus. Simile attentatum in *cauſa* matrimoniali atque *divortii* Sereniſſ. Dom. D. Chriſtiani Ducis Megapol. & Sereniſſ. Conjugis C. Margarithæ, Ducis Brunſvicenſis Pontifex uſurpavit ante XV. annos circiter, qvum marito amplexo religionem Tridentinam judicem ſe in Sereniſſ. Conjugem conſtituit, eamque non modò ſoluto matrimonio *divorti* fecit, ſed etiam ut alia in ejus locum duceretur, *diſpenſationem* impertivit. Unde ſatis cauſæ habuit Sereniſſ. Conjux contradicendi Indultui Papali, Nullitatis vitio ob defectum Jurisdictionis laboranti: maximè qvum etiam *Imperatoris* ope Curia Rom. hic abuteretur, perſuadens, ut diſpenſatio Papalis à Sua Majeſtate *confirmaretur*. Quare & in *Comitiis A. 1665.* hac de re inter Status Evangelicos conſultatum, de manifeſta proteſtatione ac reſervatione adverſus Pontificem publicanda, & vel *Attentata minuta Curiaca cavenda.*

exemplo Henrici IV. Galliæ Romæ ad valvas Petri, itemque Ratisbonæ in Comitiis ad fores Curiæ affigenda, vel Legato Sedis Rom. tum præſenti inſinuanda. Atque intercesſerunt quoque apud Imperatorem Proteſtantium Legati pro abolenda diſpenſationis Confirmatione. His talibus igitur vigilanter eſt inſiſtendum, & ſophiſmata illa politica, quæ ſingula parvi videntur eſſe præjudicii, aut præcavenda aut ſolvenda.

§. IIX.

Sacra remed. Sed iſta ſunt Civilis Prudentiæ præcepta. Præterea & Sacra monet Prudentia, ut ne libertatem in *licentiam* vertamus, ut *veterem Eccleſiæ diſciplinam* inſtauremus. Et nos alloquitur Apoſtolus Gentium: ὑμεῖς ἐπ' ἐλευ-
Gal. V. 13. θερίᾳ ἐκλήθητε, ἀδελφοί. μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ ςαρκί, ἀλλὰ διὰ τῆς ἀ-
Comparatur ſtatus vetus & novus γάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. Enimverò ſi comparamus Libertatem Eccleſiarum Germanicarum anteactorum ſeculorum & Hodiernam, verum utique eſſe deprehendimus, illam tum ſuppreſſam fuiſſe, non ſecus ac genius Status ejuſmodi poſtulat. Supprimebatur
1. Cleri quoad jus dogmata dijudicandi. Cleri libertas & Conciliorum, qua pollebant olim Imperator ac ordines Eccleſiaſtici cum Laicis in judicando de Doctrina falſa ſubintroducta, ejusque abuſibus, quos ſub ſpecie articulorum fidei obtrudere vel ipſe Pontifex Maximus quandoque nitebatur; quam partem τῆς κυρίας egregio ad poſteros exemplo Carolus ille Magnus in Concilio Francofurdiano de cultu Imaginum exercuit. Poſtea erepto Imperatoribus jure Conciliorum, & Clero ſublata à decretis Pontificum diſſentiendi facultate ſecundum normam

SS.

SS. Scripturarum,liberrimum in Eccleſiam aditum obtinuerunt omnis generis falſa & Regno Chriſti interno adverſa dogmata.

§. IX.

Oppreſſa tandem quoque, quanquam non absque motibus, fuit libertas ducendi uxores, & occaſio atque à DEO ipſo ordinatum inſtitutumque remedium vitandarum libidinum & vitæ ſcandaloſæ. Ex quo poſtea tot vituperationes Cleri & Monachorum ac ipſius Sedis quoque Romanæ, cui eo ipſo tot adulteriorum, Sodomiarum, infanticidiorum & aliorum vitiorum culpa coram DEO ac orbe Chriſtiano imputata. Principum, ac Imperatoris imprimis libertas atque imperium circa ſacra, Jurisdictio in perſonas Eccleſiaſticas, & ſuprema bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratio, poſt pactum Hildebrandinum ab Henrico V. receptum, à Sede Romana ferè per omnia fuit arrepta. Populi denique libertas vitandi cultus ſuperſtitioſos & utendi vera & pura liturgiâ, abolita ubique fuit, qvum ſacrificulis & Curiæ Romanæ emiſſariis nemo deberet reſiſtere.

uxores ducendi.

2. Principũ jus circa ſacra

3. Populi jus liturgia orthodoxa.

§. X.

Reducta verò fuit eadem libertas, per omnes ſuas partes. Etenim Academiæ Germanicæ aſſeruerunt ſibi facultatem dijudicandi vera & falſa dogmata Doctrinæ Chriſtianæ, ac Status Germaniæ ex magna parte ea in certam Fidei Orthodoxæ Formulam redegerunt, & Concilio legitimo Vniverſali vel Nationali dijudicandam exhibuerunt. Clericis quoque conjugii libertas denuo vindicata: Principibus quoque jus circa ſacra: & Populo libertas utendi liturgiis puris & orthodoxis.

Libertas reducta.

§. XI.

§. XI.

mutat in licentiam. Sed videtur hoc Tranquillitatis Eccleſiaſticæ ſilentium per Germanias ſemihorium perduraſſe: exinde mutari mox libertas in licentiam & perverſam libidinem diſputandi de rebus ſacris ac Fidei articulis, in infinitum multiplicando ſchiſmata & hæreſes, & ſeſe invicem condemnandi, quam S. Paulus *1. Tim. 1.* niſi fallor, ματαιολογίαν appellat, quæ ζητήσεις pariat magis quàm οἰκονομίαν θεοῦ τὴν ἐν πίστει, atque τὴν κατ᾽ εὐσέβειαν διδασκαλίαν, porrò ζητήσεις illas & λογομαχίας parere invidiam, contentionem, maledicentias, ſuſpiciones malas, ſupervacaneas conflictationes hominum mente corruptorum, & quibus adenita eſt veritas, qui exiſtiment πορισμὸν ac quæſtum eſſe pietatem, quosque vitare juſſit idem eundem *cap. ult.* æquè ac τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Sed & libertatem matrimonii alicubi in neſſitatem converſam, & ſtudio doni continentiæ ferè renunciatum videri. Imperio circa ſacra nonnulli ita abuſi ab adverſariis inculpantur, quaſi bona Eccleſiaſtica non melius adminiſtrata, ſed ſeculariſata & dilapidata quandoque. Populus verò à cultibus ſuperſtitioſis liberatus omnem divinum cultum negligere adſuevit, ad atheiſmum ubique ferè pronus, ut dum hæc inter ſeſe comparamus, parum abſit, quin fateri habeamus, Eccleſias Germanicas ante ſuperiorem reformationem minꝰ fuiſſe infelices, quàm in præſenti eſſe cognoſcuntur, quoniam, penitius rem conſideranti, difficile eſt judicare, utrum *Regnum Chriſti internum*, quod Eccleſiarum omnium anima eſt ac vita, minus remotum ab iſto Eccleſiæ Germanicæ ſtatu fuerit, an ab hodierno, proh dolor!

§. XII.

§. XII.

Querela vetus eſt & cum ipſa Eccleſiarum reformatione enata, de prolapſa diſciplina Eccleſiaſtica & ſparſa inter triticum puræ doctrinæ zizania perditæ vitæ. De ea ejusque cauſis tractat Bucerus *apud Hortled. d. C.B.G. lib. 1. c. XXXVII. 25.* & extat in hanc ſententiam vaticinium, quod dicitur, Lutheri *in calce T. 1. Lat. Jen.* Quicquid tandem ejus ſit, primò ex regulis Civilis Prudentiæ conſtat, *Diſciplinæ* rationem ſubſtantialem conſiſtere in conformatione ad virtutem ſevera. *Lipſ. V. Polit. XIII. 8.* ſeveritas porrò in auctoritate; quæ & aſſiduitate amittitur, *id. 2, 13, 7. & 4: 9, 31.* & lenitate, *4: 9, 9.* contra etiam externarum rerum concurſio affert auctoritatem, *2: 16, 5.* viciſſim maximam peccandi illecebram impunitatis ſpes inducit, *4: 9, 11.*

Diſciplina corrupta inſtaur.

Corruptionis cauſa.

§. XIII.

Porrò qvum Eccleſiæ Germanicæ corruptelarum atque *abuſuum* Papalium pertæſæ, quippe ex quibus *mores* omnium trium ſtatuum in Eccleſia Chriſtiana corruptos ſupra oſtendimus, veteresque canones neglecti fuere, ex quibus tamen omnis Eccleſiaſtica diſciplina ſcaturiginem ſuam & robur obtinuit; atque ita reformationem neceſſariam ſuſciperent, hoc agebatur, ut abrogatorum abuſuum ratio demonſtraretur: eaque princeps erat intentio in Comitiis Auguſtanis 1530. reddendi rationem Imperatori & Imperio ſuſceptæ reformationis. Sed qvum varia impura, atque hæretica dogmata repurgantibus Eccleſiis calumnioſè imputarentur, occaſionem ceperunt, ad declinandas has diffamationes, *totius doctrinæ* ſuæ Confeſſionem ſimul edere, eique abuſuum reprobationem ſubnectere, accedente etiam juſſu Imperatoris, ut apparet

Intentio reformatorum optima.

ex literis Johannis Elect. Saxon. ad Luther. & hiſtoria Comitiorum *Tom. Germ. Jen. V. fol. 28. ſeq.* cum aliàs fortè inhæſum fuiſſet tantum taxationi abuſuum, & catecheſi Lutheri editæ, potiùs quàm ut ad dogmatum & controverſiarum Theologicarum pelagus, non uno duce, progrederentur. Quæ res non adepta ſcopum, ſed Pontificii Theologi eo ipſo anſam arripuere ante omnia doctrinæ dicam ſcribere, eamque variis modis tricisque ſcholaſticis impugnare, & hac ratione omnium Colloquiorum ac reconciliationum ſæpius tentatarum finem eludere.

ab adverſ. circumventa. Mòrum reformatio reliqua. Satanæ artes.

§. XIV.

Certum quippe atque compertum eſt, hunc eſſe artis adverſarii Chriſti apicem, quoties pietatem ac rationalem Dei cultum atque vivam Chriſtianiſmi praxin non poteſt contemtui dare, renitente ſpiritu Eccleſiarum reformatorio, ut excitet pulverem ſcholaſticum diſputationum ac controverſiarum de diverſis nominibus, formis & circumſtantiis rerum religionem concernentium, quò mortales diſſidiis implicet, eò enim fit, ut interea religio & verus Dei cultus negligatur & obliteretur, & tamen hominibus imprimatur, ſe habere religionem, amplectentes hanc vel illam partium controvertentium ſententiam. Imprimis verò eò annititur Satanæ calliditas, ut eò adigat mortales, quò cardinem religionis Chriſtianæ ipſum accenſeant minoris momenti controverſiis, ac perſvadeat peccatoribus, quaſi ſolum ſingulares opiniones adverſæ partis rejiciant, qvum tamen interea ſerium totius veri cultus exercitium repudient. Atque omninò majus commodum ex ejusmodi diſputationibus acquirit Satanæ regnum, excitatis ab hominibus contentioſis, quàm potuiſſet obtinere per manifeſtam vim ac perſecutiones.

Quod

Quod non diſſitetur Albertus Archiepiſc. Mogunt. *ad Lutherum, T. 1. Jen. Germ. f. 220. conf. Arndii l. 1. c. 38.* Acceſſit denique peſſima interpretatio præcipui dogmatis de *Juſtificatione* atque Fide ſalvificà, quaſi neque neceſſarium eſſet *perfectioni Chriſtianæ ſtudere*, neque poſſibile. Quæ duo regni antichriſtiani fulcra diruenda inter alios ſtrenuè aggreſſus veræ & non ſimulatæ Theologiæ ſacerdos D. Phil. Jac. Spenerus, *ὁ ἀγαπητὸς μου ἐν Κυρίῳ καὶ ἐπίσημος ἐν τοῖς συνέργοις τοῦ Χριστοῦ. V. Epiſt. Apologet. p. 54.*

§. XV.

Itaque factum, ut reformationis opus circa dogmatum controverſias, præter intentionem Eccleſiarum noſtrarum, ſubſideret, *morum* reformatione ſufflaminatâ. Atque qvum nullus finis, nullus exitus diſputationum in Colloquiis animadverteretur, coactum fuit Imperium rem in medio relinquere & Pacem inter utramque partem condere. Nec ceſſaverat hinc optimus Imperator, Ferdinandus I. Patribus Concilii Tridentini, quò & Noſtrates invitabat, inculcare modum inverſum, quem & Hadrianus IV. Pontifex intenderat ingratiis Curiæ ſuæ, unde nec μακρέβιος, nempe, ut à morum reformatione inciperetur, & deinde ad dogmatum ventilationem DEO gratam & Chriſtianis decentem pergeretur. Interim non ceſſant hodieque θεοδίδακτοι Doctores morum in omni ſtatu reformationem vehementer urgere. Qua de re ſcripſit inter noſtrates elegantem libellum *de Prudentia Chriſtiana Andr. Keslerus*, Theologus Francus. Sed praxis ipſa hic requiritur, in aſſiduâ catechetica inſtitutione etiam adultorum: in collegiorum pietatis inſtitutione: in Seminariorum Eccleſiæ & Reip. ex bonorum Eccleſiaſticorum proventibus erectione, & Eccleſiarum domeſti- *morum reformatio reliqua.*

carum conſtitutione & viſitatione, de qua graviter monuit Jo. Brunneman. JC. *lib. 1. de Jure Eccleſ. cap. VI. membr. 2.*

§. XVI.

Cautio in dogmatibus. Sed & circa dogmatum propugnationem cautio adhibenda fuit, ne v. gr. illud de Bonis operibus & *Perfectione*
1. *Chriſtiana*, ita proponeretur, ut perſvadeant ſibi homines, non usque adeò neceſſe eſſe, ſtudere ſanctis moribus, æmulari veterum Chriſtianorum zelum atque vitam. Quæ tamen regula cœleſtis prudentiæ non tantùm violatur nimiis *verborum altercationibus*, re Chriſtianiſmi neglectâ, ut graviſſimè inculcat *S. Jacobus Epiſt. c. III. 13. ſqq.* Sed & quod pejus eſt, condemnatione & *perſecutione* eorum *doctorum*, qui, ſalvâ ſalutis regulâ, ad ſanctitatis ac perfectionis ſtudium ſuos acrius ſtimulant & ad virtutem ſe verius conformant, quam diſciplinæ animam eſſe, modo vidimus: ubi etiam de vi rerum externarum dictum.
2. Hinc prudentiâ opus circa abrogandas *ceremonias* antiquas ac ritus vetuſtos, imprimis quoad *pœnitentiam Eccleſiaſticam*, quæ primævæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ unicum robur.
3. Accedit his *ſpes impunitatis*, non modo ex collapſa illa pœnitentia, ſed maximè ex *receptione* hominum perditorum *alterius religionis* promiſsâ impunitate, id quod non poteſt non utrobique diſciplinam corrumpere omnium maximè.

§. XVII.

Remed. ret. lib. ex divina prudentia Atque hæc ex civili prudentia, h. e. naturæ humanæ divinitus indita, quâ & Reſp. & Eccleſia externa gubernatur. Suppetit autem aliud quoque medium tuendæ libertatis ſacræ, idque fortius, ex *Prudentia cœleſti*, minus cognita & obliterata mortalibus, itaque per SS. Scripturam denuo revelata; ita enim Salvator O. M. *Si vos manſeritis*

ſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eſtis: & cognoſce- Joh. 8, 32.
tis Veritatem, & Veritas ἐλευθερώσει *libertati vos reddet ac tuebitur. Amen amen dico vobis, quod omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Servus autem non manet in domeſtica ſocietate in perpetuum: Filius manet in æternum. Si ergo vos Filius* ἐλευθερώσει, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε, *libertati reſtituerit, revera liberi fueritis.* Et S. Petrus: *Sic eſt* 1. Ep. 2, 15.
voluntas DEI, ut beneficiendo obturetis os hominibus ſtultis & ignorantibus, tanquam liberi; & non veluti prætextum habentes malitiæ, libertatem, ſed tanquam ſervi DEI. Porrò ut libertati in æternum duraturæ innitamur, oportet ſingulos per Filium inire *ſocietatem cum DEO*, & univerſos *cum Regno Chriſti*, quod intrinſecus venit. Innuit hoc S. Johannes *1. Ep. 1, 3. Quod vidimus, quod audivimus, prædicamus vobis, ut & vos nobiſcum in ſocietatem cooptemini: Societas porrò noſtra cum Patre & cum Filio ejus JESU CHRISTO. Si dixerimus; Societatem nobis cum ipſo contractam & tamen in tenebris ambulamus, mentimur, & Veritatem non facimus. Quod ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce,* κοινωνίαν ἔχομεν μετ' ἀλλήλων, *ſocietatem & cum ipſo & inter noſmet habemus mutuam.*
Hoc eſt illud, quod ab initio *c. 1.* de Vera & orthodoxa Ec- Apoc. 1. 2.
cleſiâ Catholica diximus, eam ex interna & externa ſocietate, velut hominem ex anima & corpore conſtare. Hoc eſt illud, quod Spiritus S. Univerſæ Eccleſ. fata panſurus, ſemptem Eccleſiis h. e. omnibus, inculcat, velut præſcriptam reformationis normam infallibilem. Hoc eſt fundamentum illud, in quo Eccleſiæ Univerſæ h. e. Cathol. Unitas & Sanctitas conſiſtit. Hæc eſt via ſingulorũ ad ſalutem, quam dominus iniri jubet, nec ſufficit hic externa Confeſſionis publicæ communio. Nec enim hi, qui dicunt tantum:

DOMINE, DOMINE, ſed qui faciunt voluntatem Domini, regnum cœlorum ſortientur. Eccleſia *Epheſina* erat quoad doctrinam pura, ejecerat pſeudoapoſtolos Judæos, odio habebat Nicolaitas Epicureos, ſed quia prima Charitatis opera omiſerat, minas exſcidii audiebat, *Apoc. 11. 5. vid. Aut. de Sacrorum diſſidiorum Cauſis, Effectis & remediis, editus Amſtelodami A. 1649. cum diatriba Sam. Petiti de jure, principum Edictis Eccleſiæ quæſito. p. 36.*

§. XIIX.

Remed. recuper. Unionis.

Ad hanc normam quamprimum angeli ſaltem Eccleſiarum formati fuerint, ſpes eſt, ut præter quæſitam Libertatem, etiam VNIONEM Eccleſiarum recuperemus, eamque puram & priſtinâ meliorem. Optandum eſſet, ut evitato utrinque ſchiſmate, Doctores Eccleſiarum Germaniæ ſinguli veterem & incorruptam Doctrinam Catholicam & Apoſtolicam reduxiſſent & publicè docuiſſent placidè. Id primò tentatum, atque publicâ auctoritate in Comitiis Imperii Noricis conceſſum fuerat. Id continuari ita potuiſſet, ſi impedimenta ſuperius expoſita evitata fuiſſent. Sic videmus in Eccleſiis Pontificem adhuc agnoſcentibus, veteres tamen errores v. g. de indulgentiis & ſimiles, ſupprimi, & præſertim in converſatione cum ægrotis aut tentatis, veterem doctrinam reduci. Certè habet *Spiritus S.* non minus ac quondam ſub tenebris Papalibus, adhuc in Eccleſiis omnium trium Confeſſionum ſua *inſtrumenta*, quæ & doctrinâ & moribus & ſcriptis verum ac ſolidum Chriſtianiſmum inculcant: quibus principiis ſi & reliquorum aut plurimorum animi imbuti fuerint, & ſecundũ charitatis Chriſtianæ legem colloquia inſtituerentur & finirentur, animique ἐριστικοὶ, κενόδοξοι, contradicendi vincendique libido removerentur, non poſſet

poſſet non ſponte conſequi unitas & concordia. Si comparamus Pontificiorum Doctorum dogmata, quæ *ante Reformationem* & quæ *hodie* fovent atque vetera declarant, itemque quomodo *Calvini atque Zwinglii* craſſior doctrina à *modernis* explicetur, fatendum eſt, in admodũ multis utroſque jam propius abeſſe à noſtra Confeſſione. Quid deſperemus in totum conveniri poſſe. Interea hoc agamus: *Pacem* ſemel *religionis* cauſâ initam firmatamque ſanctius colamus, nec altera pars alteram infeſtet, ſive re ſive cavillis, contra pacta ac leges Imperii, ſed altera alteram toleret amiceque admoneat doceatq;: Porrò *ſtudium* religionis Chriſtianæ *practicum* ſerio tandem & reipſa excolere incipiamus, cujus inculcandi graviſſimos hodienum auctores venerantur ſuæ cujusque religionis Eccleſiæ, Bonam Cardinalem, Spenerum, Baxterum, aliosque veræ & non ſimulatæ pietatis doctores θεοσόφους. Profectò communi hoc fundamento utrubique ſemel jacto, facile erit, unionem etiam in theoria circaque controverſias concordiam invenire inter Eccleſias Germaniæ. De qua ipſa perpendendi ſunt diſcurſus, ſententiæ & libri hinc inde editi & â Goldaſto collecti *in Polit. Imper. P. XXVIII. & XXIX.* Quò imprimis faceret liber H. Conringii de Pace Eccleſiaſtica, cujus ſpem fecerat mihi in literis XX. Auguſti 1676. datis: *Si otium & valetudo faverint, forſan curabo publicari librum etiam de Pace Eccleſiaſtica: quamvis haud ignorem, quàm multos ſim in caput meum crabrones concitaturus. Ubi effecero, dimittat me dominus in Pace. Quæ Tu eodem de argumento meditaris avidè deſidero: eoque etiam atque etiam hortor, pergas in tam pio, ſancto & verè Chriſtiano inſtituto; quin DEUM obſecro, uti confirmet tibi illum animum, ſpretis malevolorum & tumultuantium impiis machinationibus.*

§. XIX.

§. XIX.

Spes de Curia Rom.

Planè de Curiæ Romanæ interventu pleriſque nulla ſpes ferè reliqua videtur. Incredibile ſtudium atque induſtriam Impp. atque Principes cum Theologis aliiſque viris θεοδιδάκτοις in ſeculo ſuperiori adhibuerunt reducendæ dogmatum conformitati, ſed omnes conatus, omnes labores omnemque operam Curiam Rom. ejusque aſſeclas cohibuiſſe; adeò ut etiamſi Pontifex aliquis per ſe viam veritatis Hadriani VI. & Marcelli II. exemplò intenderet, vitæ ſumma brevior ſpem actutum abruptura foret. Pius vero IV. de Regis Hiſp. legati ad Concilium Trid. deſiderio, de invitandis Proteſtantibus ad Concilium, ita judicavit: *Quamdiu ulla ſpei ſcintilla perditos recuperandi reliqua erat, tempus poſtulaſſe, ut omnis opera adhiberetur ad eos deliniendos: exſtinctâ verò omni ſpe, neceſſarium eſſe, ad bonos conſervandos diviſionem (ſchiſma) confirmare, & partes irreconciliabiles inter ſe reddere. P. Suav. Hiſt. C. Trid. lib. ult. p. 833.* Tandem *Concilio Tridentino* rem pejorem redditam, quàm unquam antea fuiſſet. Nam & Conciliorum libertatem plane peſſum datam Papæque abſolutam decidendi poteſtatem aſſertam: Matrimonii uſum Sacerdotibus penitus abrogatum. Abuſus & falſa Scripturæque S. contraria dogmata ſub ratione Articulorum Fidei ſtabilita: & denique nihil minus actum, quàm ut Eccleſiæ libertas & concordia formaretur. Sed & qvum Eccleſiæ Germanicæ memoriam recolant ultimam, cumprimis à Ludovici I. reformatione rem repetentes, & per omnia ſecula ſtatum Eccleſiæ retro conſiderantes, additis quoque S. Scripturæ oraculis ac revelationibus, certum conſtitui oportere, nullam unquam à Sede Romana ſperandam eſſe veram Eccleſiæ reformationem, & quæ regnum

gnum Chriſti internum pro ſcopo haberet, & externæ Chriſtianorum ſocietati adunire contenderet. Gabriel de Barlieti *Ordinis Minorum de Quatuor Monarchiis & de Antichriſto. 1607.* talem ſpem ſuorum prodidit: *Videlicet ruinam ſperamꝰ nos miſelli fratelli, quos undique fuci Jeſuitæ ex nidis ſuis exigunt, ex cauſa potentiſſimorum Venetorum futuram eſſe, cum jam tempus liberationis noſtræ ex diuturna ſervitute Antichriſti Romanenſis ſecundi appropinquet, de cujus poteſtate jam ſuſpicari incipimus, & cujus ruinam præſto præ foribus eſſe prorſus confidimus & ſentimus cum fratre Paulo di Servi, & Fulgentio Franciſcano, qui hactenus jura Venetorum contra Pontificem egregiè defenderunt & tutati ſunt.*

§. XX.

Contra ea ſi perpendimus Hadriani atque imprimis Marcelli II. animum atque conſilia, abſolutè impoſſibile haud videri poſſit, quin ſpes reliqua ſit, per ipſam ſedem Rom. religionum diſſidia ſarciri poſſe. Ea lubet interprete P. Sarpio referre *lib. V. hiſt. C. Trid.* Animum, *inquit*, etiam tum intentum habuit iis quæ multo antequam adeptus erat Pontificatum (eam enim ſibi dignitatem certâ ſpe promittebat) mente deſtinaverat, conſilio cum Cardinalibus aliquot, nominatim verò cum Car. Mantuano communicato: nimirum de controverſiis religionis per Concilium componendis, id quidem dicebat antea minus ſucceſſiſſe, quod rectam nunquam inſtitiſſent viam. Integram enim reformationem primùm inſtituendam, quâ de realibus & ſolidis diſſidiorum cauſis prius conveniret: Verbales dein controverſias ſua ſponte ceſſaturas, aut certe levi opera Concilii facile conciliatum iri. E deceſſoribus ſuis quinque ſucceſſione perpetua

Quædam.

p. 437.

ipſum emendationis nomen abhorruiſſe, neque pravum aliquem ob finem, ſed quod perſvaſum haberent illius auctores auctoritatis Pontificiæ extenuationem ſolummodo ſpectare; ſe verò longe aliter ſentire, nihil æque facere ad authoritatem eam vel conſervandam vel amplificandam, atque id ipſum cuivis obvium, qui anteacta diligenter obſervarit, à ſolis iis Pontificibus Romanis ſedis ſuæ authoritatem in majus auctam & provectam, qui reformationi incubuerint. Ea enim ſolidum nil tolli, ſed vana tantum ſpecioſa, imò quæ ſumptuoſa, & gravia Præſulum luxum, & pompam, & comitatus frequentiam, ſumptus immodicos & ſupervacaneos, aliaque quibus Pontificis dignitas vileſcit potius, quam majorem parit venerationem. Hiſce ineptiis amputatis haud dubie veram auctoritatem, potentiam, exiſtimationem auctum iri apud omnes, imò opes & pecunias, quæ nervi ſunt rerum gerendarum, ac ſuper omnia divini numinis tutelam, quam certo ſibi reſpondere debet unusquisque qui, quod ſui muneris eſt, ſtudiosè exſequitur. Accedere oporteret ut congregato concilio, Pontifex nullum in illud dominatum prætenderet amplius, quæ res in Tridentino Hiſpanos & Luſitanos Epiſcopos vehementer offenderat. *V. P. Suav. C. Trid. l. V. p. 500. l. VI. p. 524. & 508. & 560.* ubi de clauſula judicandi de reſervatis Pontificis. Sed & omnes Transmontanos & Reges ipſos propterea S. Romanæ infeſtos, ipſe Pius IV. multiplici ſe experientiâ edoctum eſſe profeſſus fuit, *ib. p. 563.* Certè *Hiſpaniarum* Regis Orator, Vargas, monuerat tum Epiſcopos Hiſpanos, ut libertatem pro virili propugnarent; & Regi ſignificavit, Concilium non eſſe liberum, ſed obnoxium *add. & p. 596. 578.* Sed & Oratoris *Gallici* ſermonem ad Congregationem

nem habitum pro libertate Concilii *p. 570.* quem ut hæreticum Pontifex conqueſtus *p. 580.* Eundem finem propoſitum habebant capita reformationis à Ferdin. Imper. concilio propoſita, *p. 576. & 582.* V. conquerentem oratorem Galliæ *p. 609. in pr. 816. ſq.* Epiſcoporum Hiſpaniæ ad Regem ſuum *p. 619. 717. 843.* Regis Hiſpan. *p. 806.* Oratorum de ſui excluſione à congregationibus, *p. 621. ſq. v. 630. & 640. 2.* Oratorum Galliæ de excluſione Regum contra antiquam conciliorum libertatem, *p. 656. ſq. 705. 713. 718. 739. 741 772.* Suo exemplo expertus Epiſcopus Veglienſis è Dalmatia *p. 723.* Epiſcopi Germaniæ: ſuos procuratores in congregationibus ſaltem non admitti, *p. 745.* Articuli Ferdinandi I. de jure Imp. in Conciliis, *p. 755.* reaſſumendi & & tres remoræ libertatis concilii removendæ, omnium præconſultatio Romæ, Libertas proponendi, coitiones Prælatorum Italicorum, *p. 766. ſq.*

§. XXI.

At hæc ipſa & ſimilia impetrari *poſt Concilium Tridentinum* hodie poſſe, plerique omnes deſperant, adeo ut, quamvis inter reliquas Eccleſias plerasque aliquam reunionem, ſi quorum ea res eſt, omnes eò nervos intenderent, iniri accedente divinâ benedictione poſſe, vix dubitent etiam columnæ Eccleſiarum noſtrarum: de ſola tamen *Romana* quî illud poſſibile ſit, fatentur ſe neutiquam perſpicere. Memini inter inſignem Theologum & JCtum in hanc ſententiam ſermones agitatos: Autoritatem Eccleſiæ, & quidem Romanæ modernæ, adeoque *Concilii Tridentini* ſalvam manere neceſſe eſſe, hanc enim animam eſſe illius religionis, quâ ſublatâ intermori, & jam aliam reſurgere oportere. Stante verò *infallibili* iſtius Eccleſiæ autoritate & concilii decretis, nullam reunionem *nulla.*

exſpectari debere, qvam ſimplicem ſubmiſſionem, atque ita ingratisſimum in beneficium divinum reditum in priſtinam captivitatem, in qua ſi aliquando mollius haberi videremur, eſſe tamen captivos, idq; noſtro vitio. Locutus aliquādo ſum, *pergebat Theologus*, cum Viris in primaria dignitate Politica conſtitutis, qui rem in expedito eſſe arbitrabantur, ſi nobis ab invocatione ſanctorum, purgatorii confesſione & ſimilibus libertas, nec non communio ſub utraq; ſpecie indulgeretur, imò cum hæc offerrentur, Eccleſiæ ſuæ benignitatem etiam collaudandam eſſe jactabant, tantùm verò abeſſe, ut conditiones repudiari quirent: cum autem eos premerem, non diffitebantur, credendum tamen divinâ fide eſſe, omnia illa, quæ Eccleſia in iſtis etiam articulis ſanxerit, vera, bona & DEO grata eſſe. Me verò ineptum, quando invocationem ſanctorum DEO gratam & placentem exiſtimo, quando unius ſpeciei uſum inſtitutioni non repugnare credo, ſi memet ipſum ſalutaris adeò & utilis medii uſu privare, & ἰδιογνώμων vulgari conſvetudini, nihil noxium habenti, meam opinionem, à qua nihil amplius expectem, præferre velim. Ita quod in pluribus conceſſum videbatur, in *primario capite* ita denuò eripitur, ut brevi vel plenariam ſervitutem ſubire neceſſe ſit, vel propriam & abſurdam *obſtinationem* prodere, atque ideò nos ipſos condemnare. Si verò hoc primum caput de Eccleſiæ Romanæ infallibilitate atq; Tridentini Concilii autoritate aboleretur, jam totum negotium aliam indueret faciem: verum enim verò quicquid etiam Galli de ſua libertate Eccleſiaſticâ glorientur, illud tangere non auſint, nempe totius religionis palladium.

§. XXII.

Addebat de *Synodo* ſaltem utriusque *Nationis* Gallicæ & Germanicæ: Res ea mihi ἐκ τῶν ἀδυνάτων, ut Synodus coëat, è qua aliquid exſpectes. Si enim Clero Papæo ſua ſit poteſtas, quid tibi ſalutare promittas? An verò noſtros vel quoscunq; alios à ſua Eccleſia alienos iſti poteſtatis ſuæ tam tenaces ſibi aſſociari & quidem tot jungi, ut *ſuffragiorum numero* non plurimum prævaleant atque in manu ſuâ decreta habeant, ferent: Ego utique hoc mihi perſvadere non auſim. Si verò id fiat, quod propoſuiſti, ut *Pontificia Poteſtas in ordinem redigatur*, nimirum non alia dignitas Epiſcopi Romani ſit, quàm ut ordinis causâ, humanâ conſtitutione, adeoque non majori vi quàm humanæ ordinationes dare poſſunt, reliquarum occidentalium Eccleſiarum Præſules regeret, jam dixerim, Pontificem lapſum eſſe, & ſub eodem nomine rem ſupereſſe diverſiſſimam: *hoc facto, de reliquis exiſtimarim non ita difficulter conveniri poſſe*, nam quandam dogmatum differentiam, dum *fundamentalia ſalva* eſſent, non ita abhorrerem, ut non crederem, Chriſtianam charitatem nonnulla in eo etiam genere poſſe ſupportare: quæ tamen illam tyrannidem ferre non valet, quæ virtute omnes errores in ſe continet. *Spes de Synodo*

§. XXIII.

Replicabat JCtus: Atque ipſe quoque deſperavi de aula Romana, & ab ea ſola dependentibus Eccleſiis Italicis. Sed de cæterarum nationum, Germanicæ præſertim & Gallicanæ, Eccleſiis, ſpem nondum penitus decollaſſe putavi. Ais: impoſſibile id eſſe ſtante primo capite de infallibilitate Eccleſiæ Romanæ & concilii Tridentini autoritate, neque Gallos auſuros tangere hoc palladium. *Spes de Synodo Nat. & Germ.*

At verò jam dudum hoc attigiſſe atque percuſſiſſe non Galli modo ſed & aliæ nationes mihi videntur. Conſtat enim ex Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi, autoritatem aulæ Romanæ Conciliis ſubjectam tum fuiſſe. Etſi vero iſta contra audentior ivit, conſtat tamen porro etiam in ipſo Concilio Tridentino eandem ſententiam Epiſcopos Hiſpanos adhuc foviſſe. In Gallia porro non tantum Senatus Regius ſemper hoc defendit, ſed & Sorbonna ipſa non amplius diffiteri videtur, teſtis eſt membrum illius Edmund. Richerius *in Hiſt. Concil. Univerſal.* & omnes illi, qui Bellarmini & Baronii intentionem impugnandam ſibi ſumſere. neque ignotum eſt, quantæ autoritatis ſit in Gallia Concilium Tridentinum. Itaque arbitratus fui, non impoſſibile eſſe, ut Majeſtas Imperatoria reaſſumens conſilia reunionis in Comitiis Auguſtanis anno M D LXVI. ſuſpenſa, atque Rex Galliæ, qui faciem Carolinorum temporum deſiderare videtur, iterum aliquod Concilium Francofurtanum aut Baſileenſe convocaret, atque ad veteres canones atque capitularia Francorum Sedem Romanam, præſertim ſi contingeret eam vacare, ordinaret. Non obſcure tale quid *St. Baluzius* mihi viſus eſt innuere in præfatione Capitularium. Certe hanc animoſitatem, quam Germani & Galli ſuperioribus ſeculis habuerunt, cur non, inclinante jam fato, hodieque habeant? Et imo ſcopum reuniendi hoc ſchiſma ſine dubio habent, ſpem autem de mera ſubmiſſione, credo, pridem amiſerunt: medium itaque illud præſto ſit, ut *Canon Conſtantienſis* & Baſileenſis de libertate Eccleſiarum & Conciliorum contra Tridentinum renovetur. Atque cum hoc poſſibile fuerit ſub iſtis tenebris, quidni hodie in tanta luce Evangelii? Hoc fundamento præſuppoſito, *Abuſus*

eſſent

eſſent examinandi & abolendi, antequam ad dogmata & morum reformationem perveniatur; hæc enim tria invicem ſeparo omnino, *dogmata* enim *mera* intelligo, non de abuſibus, quos & Confeſſio noſtra ab illis ſegregavit, & ut videtur præmittere ſatius fuiſſet: *abuſus* dico, qui non ſolam theoriam ſpectant, ſed dogmata circa S. Liturgiam & cultum, præſertim externum. certe hinc felix reformationis primordium capiebatur ab indulgentiis, & quæ inde dependebant, qui abuſus ab ipſis adverſariis agnitus & ni fallor abrogatus per Gallias & Germaniam. His abolitis, deinde ad emendationem *morum* cujusque ordinis & ſingulorum perveniendum, & denique ad *dogmata mera*, v. g. de peccato originis, de juſtificatione, de modo præſentiæ carnis Chriſti in S. Euchariſtia &c. Certe ſi confeſſio de his reſervata fuiſſet à Confeſſoribus, & ſoli abuſus taxati, evitatum fuiſſet tum ſchiſma Zvvinglii, quod progreſſum Reformationis valde ſufflaminabat. Si igitur perſuaſerim, non impoſſibile eſſe, ut Canon Baſileenſis reducatur, ut *ſententia Parlamenti Pariſienſis & Sorbonnæ* in Synodo nationis Gallicæ & Germanicæ communibus ſuffragiis publicetur, credo in cæteris nobis convenire. Prius autem confirmant imprimis etiam *Sex Propoſitiones* Facultatis Theologicæ Lutetianæ *de autoritate Pontificiis*, confirmatæ ſententia Curiæ Parlamenti & declaratione Regia *A. 1663. die 30. Martii, Gallice & Latine impreſſæ*: quarum penultima eſt, *doctrinam Facultatis non eſſe, quoad S. Pontifex ſit ſupra Concilium Oecumenicum.* Ultima: *Non eſſe doctrinam nec dogma Facultatis, quod S. Pontifex nullo accedente Eccleſiæ conſenſu, ſit infallibilis.*

§. XXIV.

§. XXIV.

difficilis

Ad hæc Theologus ingemiſcens ajebat: Quod de ſpe reduniendi Eccleſias *Germaniæ* & *Galliæ* ſpeciatim proponis, quàm optarem hanc me videre poſſe, quam ſanè omnibus votis expeterem, imò dignam judicarem, quæ ipſo ſanguinis pretio redimeretur, ſi obtineri poſſet. Quàm verò ſpe iſtâ gauderem, tantùm metuo, quòd vix conſpiciam quod ſperarem; ingenuè enim fateor, poſſibilitatem me ex illis, quæ attuliſti, neutiquam adhuc videre. De *aula Romana* dubitas ipſe. Ego verò, qui novi non in omnibus *Eccleſiam Romanam* & *Curiam* convenire, ſed utriusque rationes nonnunquam in aliquibus diſcrepare, in hoc tamen ipſo eas arctius cohærere crediderim, quàm ut quod de una negatur, de altera aſſeri poſſet. Num & ipſi *Galli*, qui curiæ Romanæ nec mores probant, nec aliarum Eccleſiarum ſub ſervitutis jugum redigendarum conſilia patiuntur, ſanctam tamen & inviolabilem volunt Sedis Apoſtolicæ quam vocant autoritatem, nec ferunt, ut cathedræ Petrinæ fides in dubium revocetur. Sanè Gallorum nullus agnoſcet quenquam *Catholicum*, niſi qui *divino jure Petro principatum* inter Apoſtolos collatum, & *Romanam Eccleſiam ſolam omnium magiſtram* matremve agnoſcat. ita adhuc ſuperiori *an. 1681. 31. Mart.* Procurator Regius (quod in curiæ Pariſinæ libros relatum) coràm curiâ aliqua Pontificis attentata inculans & curiæ auxilium implorans, loquitur: *Et puis qu'elles* (ſc. les ſaintes regles de Canons) *nous obligeoient de reconnoiſtre & de reſpectes en ſa perſonne la primauté établie par la parole de dieu meſme en faveur de Prince des Apoſtr.s dont il eſt ſucceſſeur, il eſtoit de ſa prudence auſſi bien que de ſa juſtice d' en employer le pouvoir à conſerver cel ŋ des ſucceſ-*

ſeurs

ſeurs legitimes des autres Apoſtres. Hoc verò uno ſemel jacto fundamento Primatûs Petri & quam ita nuncupant, Sedis Apoſtolicæ, in noſtra poteſtate non amplius eſt, vetare, quò minus plura ei inædificentur. Itaque non fruſtra mihi obſtare videtur *Eccleſiæ Romanæ infallibilitas* & *Concilii Tridentini autoritas*, quarum neutram deſerere poteſt, qui *Catholicus*, quo titulo ſoli illi gloriantur, haberi velit. Nam licet Conſtantienſis & Baſileenſis conciliorum decreta recipiantur, ſicuti recipiuntur in Gallia, adeoque Concilium Papâ ſuperius agnoſcatur, manet tamen ſuus vigor Concilio *Tridentino* quoad Fidei *dogmata*, & hoc nunc quoque *in Francia* agnoſcitur oecumenicum, neque in ejus definitionibus quicquam deſideratur, licet publicatio ejus non obtenta ſit ob canones diſciplinæ multos juribus Eccleſiæ Gallicanæ contrarios. Unde indubium habetur in Galliis, *Reformatos & nos eſſe hæreticos.* unde? niſi ex Pontificis & Concilii iſtius ſententia? Quapropter quantumvis *Rex* convocaret aliquod *Concilium*, id tamen Eccleſiæ quæ hactenus fuerit doctrinam ſub examen revocare non permitteretur, ſed hoc ex præſuppoſitis haberet, *quæ ab aliquot ſeculis in Eccleſia ſua Catholica obtinuiſſent, vera tenenda eſſe dogmata.* Si enim unum bene longo tempore in tota Eccleſia viſibili fuiſſet receptum, quod rejici deberet, jam Eccleſiam erraſſe conſtaret, quo admiſſo ipſum rueret principium. Unde Miſſam, Transſubſtantiationem, operum merita, invocationem Sanctorum, ſeptem Sacramenta, & ſimilia dogmata nunc demum examinari haudquaquam paterentur: adeoque antequam ad actionem res deduceretur, ea neceſſe eſſet admittere, quorum virtute totus Papatus continetur. Itaque fortè aliquas ſequelas abſurdiores iſto-

Concil. Trid. aut. in Gall.

rum errorum, quas ipſimet *abuſus* vocant, corrigere poſſet ejusmodi concilium, non etiam *errores ipſos* totius quam jactant Eccleſiæ autoritate tutos: quod mihi quidem videtur Eccleſiæ veræ longè fore *periculoſius*, quàm ſi corruptiones ad oculum, uti nunc res habet, pateant, adeoque ad cœtum manifeſtis abominationibus corruptum vix aliqui deficiant, quàm qui omnem ſalutis curam decoxere: Si enim extantiora illa βδελύγματα abolerentur, vel potius aliqua externâ emendationis ſpecie incruſtarentur, plerique hac facillimè deciperentur, ipſam jam Chriſti Eccleſiam ſe videre rati, cum tamen *dogmatum* ſuorum falſitate apoſtatica eſſe pergeret.

§. XXV.

Spes Concilii cui P.R. non præeſt.

Et quale ſperemus Concilium? vel quid ex illo? Dabo (quamvis hoc etiam difficile futurum ſit, ſi tamen poſſibile) *Pontificem Concilii non eſſe Præſidem*, ſed à Rege indici, & Præſidem dari vel cum illa dignitate plures. Sanè non alii erunt, quàm Romanis δόγμασι innutriti, & in hoc à *primo veritatis noſtræ principio* diſſentientes, quod *ſolum verbum divinum ſit fidei regula*, & quod ex ea citra ullius hominis explicationem ſenſus genuinus excerpendus & agnoſcendus ſit; illi verò *traditiones* ſuas pari pietate amplectendas & Eccleſiæ explicationem, è qua potius *ſenſus* quàm hæc ex *verbis* ipſis pendeat, minus ſibi eripi patientur, quàm Hercules clavam. Stante verò hoc principio quantum veritatis præjudicium præ oculis videmus? Ita *qui ſententias dicent*, haud dubiè non alii erunt, quàm charactere Eccleſiaſtico & tali dignitate prædit, quæ eos *ſacramento* religioſo *Romanæ*, non jam dicam *curiæ*, prout ea habet ſuas potentiæ rationes, ſed *cathedræ* obſtringit, ut eam agnoſcant non tam humanâ ordinatio-

dinatio-

dinatione (cujus theſeos tam periculoſa vis neutiquam foret) quàm *divinâ* ſanctione Eccleſiæ principem, à qua ſolà omnis *Epiſcopalis dignitàs* & per hunc gradum *ſacerdotale axioma* neceſſariò dependeat. Quid ab his expectes? neque enim miraculosâ virtute uno momento omnium corda in alium ſenſum transmutari ſpes eſt. Iſti verò *noſtri* neutiquam dabuntur *aſſeſſores*, ſaltem eo *numero*, qui aliquid adverſus multitudinem Romanam valeret. Imò ſiquis in eo nobis locus, erit inter reos, & qui vel leges pro arbitrio reliquorum vel condemnationis ſaltem excipere debeant: atque ſic novo præjudicio à concilio aliquo, in quod ipſimet condeſcendiſſemus, damnati potius oneraremur, quàm ut veritati aliquid ſperare liceret.

§. XXVI.

Si etiam de *regula reformationis* ſermo ſit, non ea ſanè ad *Scripturam* exigetur, ſed *canones* erunt, quorum longè maxima pars vel ipſam corruptionem in ſe continet vel ejus occulta ſemina quæ deinceps erupere. Ita denuo Eccleſia formabitur ad hominum beneplacitum, nullatenus verò ad ſolius DEI arbitrium, cum tamen hæc origo omnis mali fuerit, quod ab hoc non uno ſeculo deflexerimus, nec alia emendationis ratio ſuperſit, quàm ſi ad unum fiat reditus, unde diſceſſimus. *De regula reform.*

§. XXVII.

Jam, pace veſtrâ dixerim, in altero quoque capite planè alius mihi ſenſus eſt: nimirum impoſſibile judico, ut citra veritatis diſpendium *ab abuſibus principium* fiat *reformationis*. Nam niſi de dogmatibus res fuerit expedita, de illis judicari non poterit. Fatebuntur Romani aliquos abuſus atque illis modelam adhibebunt, nullo ſanè *An ab abuſib. princip. reform.*

nè veritatis commodo, nam præcipui abuſus, & quorum periculum maximum eſt, iſtis abolitis firmabuntur potius in plerorumq; animis, quàm ut tollantur. Stantibus enim *δόγμασι de Transſubſtantiatione* & *Miſſæ ſacrificio* atque *Purgatorio*, perpetuæ quæſtiones erunt: quæ inter abuſus referenda ſint. Seu potius deciſum erit, non eſſe abuſus contra quæ nos quotidie clamamus. Unde hoc ipſi velint, & magno mercentur, ut de abuſibus imprimis conſultatio inſtituatur, in quorum dein cenſum non alia referri patientur, quàm quæ principiorum ſuorum confeſſione tales fuerint, ea verò religionis titulo autorabuntur, quæ iſtis fuerint conformia. Unde ego non aliter judicare poſſim, quàm ſi de emendatione agendum ſit, ante omnia *theoriam* præmittendam eſſe, *ſaltem eorum dogmatum*, quorum deinde *in praxi aliquod momentum* eſt, qualia pleraque ſunt, quæ potiores fidei articulos concernunt. Si qua verò dogmata in ultimam curam rejicienda forent, non alia eſſent, quàm quæ multum in ſe habent ſubtilitatis & à ſimplicioribus ægriùs capiuntur. Ita quidem de his mihi videtur, qui adeò votis noſtris humanitus inſuperabiles difficultates obſtare exiſtimo, ut *rem nec tentandam* crederem, & ſi ab aliis tentaretur, illud *periculum* ex eo formidarem, quo *nullum gravius* à primo reformationis tempore Eccleſia noſtra experta eſſet. Hic enim aut in omnibus fallor, modus ille eſſet, quo honeſtiſſimo colore Romani totum noſtrum corpus ſibi ſubjicerent ad plenariam ſervitutem, quæ tamen longè aliud nomen præ ſe ferret. Unde de hoc non valde dubito, quod *Baſileenſis canon* & *ſententia Pariſienſium* communibus ſuffragiis Galliæ & Germaniæ ſanciri poſſet: ſed parum aut eo etiam obtento profeciſſe nos arbitror.

Quod

§. XXVIII.

Quod attinet *Propoſitiones Facultatis Theologicæ Pariſinæ*, quæ cum annexis Argentorati *1663.* prodiere, atque dein in eundem ſenſum ſimilia: imprimis *anno 1666. Recueil de diverſes pieces concernant ces cenſures de la Faculte de Theologie de Paris ſur la Hierarchie de l' Egliſe, & ſur la morale Chreſtienne* in quo libello non pauca egregia de hoc argumento legas. Verum quantumvis ſe difficiles præbeant Galli, & libertatis ſuæ tenaces *plenum dominatum Papæ* humeris ſuſcipere detrectent, non tamen minor illis zelus eſt in tuendis *dogmatibus Pontificiis*, nullo excepto, & in perſequendis omnibus qui non plenâ fide, quicquid Eccleſia Romana ſtatuit admittunt. Ita à paucis diebus non unius horæ colloquium mihi fuit cum Viro nobili & doctiſſimo Gallo, qui conſtanter negabat *extra communionem Romanam* in cœtibus noſtris etiam pro ſimplicioribus *ſalutis* ſpem ſupereſſe, cumque ad *Jeſuitarum* in hoc, de quo mihi conſtat, ſæpe mitiùs ſentientium conſenſum provocarem, Epiſcopos ſuæ Eccleſiæ univerſos adverſus noſtram ſalutem pronunciare, aſſeverabat. Ex his intelligis, quantumvis, ſi res votis ageretur, ferventiſſimè optârim illas in Orbe Chriſtiano diſſenſiones citra jacturam veritatis tolli, non tantum de Romanis reduniendis nullam mihi ſpem reſtare, ſed talia obſtare, quæ ſiqua concipiatur, omnem iterum evertant.

Propoſ. E. Gall.

§. XXIX.

Fateor, ajebat Jeſus, ſi de hominibus ejusmodi cogitamus, quales olim in Tridentino Concilio experti ſumus, veriſſima utique ſunt, quæ conſulis. Ego verò alios ſperavi, & quos Auguſtus ille Thuanus ad Henricum IV.

Thuan. præf. Hiſt

Galliæ Regem præfando deſcripſit. Et ſolet DEUS quum majorem mutationem in Republica aut Eccleſia molitur, animos quoque hominum alios reddere. Sed hæc θεῶν ἐν γούνασι. Non aliena ſunt ab hoc argumento verba *Jo. Gerſonis*, Cancellarii Pariſienſis Tract. II. de Schiſmate, in fi. *Siquid autem vel in dubio dicere neceſſe ſit, pro remedio præſenti dicam ſub correctione. Videretur itaque ante omnia tractandum hoc negotium, inter dominos omnes de ſanguine Regio communi conſenſu & absque malivola & acerba contentione, cum quibusdam peritis non nimis hinc vel inde affectatis, & qui non tantum timerent de ſtatu ſuo in poſterum: nec tantum affectarent novam ſtatus exaltationem, quòd mentiri velle præſumerentur inordinato timore, odio vel favore cujuscunque. Quibus in unum congregatis & ambulare volentibus in domo domini cum conſenſu, ſperandum eſt in illo qui eſt DEUS pacis & dilectionis, cujus locus in pace factus eſt, & qui eſt in medio eorum qui ſe congregent in nomine ſuo, quod ipſe expediens aliquod in materia miniſtrabit. Alioquin ſi ſeorſum per contentiones & partialitates & ſimultates & comminationes negotium hoc de pace reſtauranda tractetur, non niſi diviſiones crudeliores & multipliciores generabuntur, & erit immedicabile vulnus. Et tandem quod DEI pietas avertat, ſuper capita noſtra, dum contendemus & rixabimur, imò dum nos plus quàm hoſtiliter ad mortem perſequemur, irruent quaquà verſum hoſtes alieni inſidiatores regni hujus ad prædandum & vaſtandum paratiſſimi, & nos jam non ut hoſtes ſuos, ſed ut ſchiſmaticos & hæreticos & Saracenos liberius perſequendos invadent: ut in fabulis aquila feciſſe fingitur de rana & mure certantibus. Sit utinam vanus iſte timor, quem timeo: nec tamen timere deſinam priusquam aliquod* [illegible] *reme-*

remediandi genus aliud, quàm quæri video, adſpicere meruero.

§. XXX.

Spes unionis inter Eccleſ. Germ.

Certè ſi qua adhuc ſpes reformandæ aut reduniendæ Eccleſiæ ſaltem *Germanicæ*, & abolendi infauſti ac propè infiniti ſchiſmatis reliqua eſt, eam, more Majorum, & poſt DEUM O. M. ab *Imperatore* & *Imperii Statibus*, tanquam ſumma Reip. & Eccleſiæ Poteſtate, exſpectemus. Qua de re ad exemplum Caroli V. Ferdinandi I. & Maximiliani II. in Comitiis Imperii deliberatio ſuſcipienda, quâ viâ ac ratione poſt hanc temporum mutationem negotium reaſſumendum eſſet. Id quod fieret, opinor, ſi emendatis moribus & ſepoſitis affectibus, *libertas* judicandi de veritate ac puritate Fidei & articulis ad ſalutem creditu neceſſariis, juxta S. Scripturam & analogiam Fidei, *Concilio Nationali* ſua conſtabit: in quod etiam Laicos, h. e. prudentes ac fideles viros ex ſtatu Politico, eſſe vocandos, uſus veteris Eccleſiæ docet. *V. Luth. de Conciliis T. VII. J. Germ. f. 22. ſqq.* ſi *matrimonii* libertas *clericis* ita vindicabitur, ut cœlibatus haud diſſvadeatur his, qui aut continentiâ gaudent, aut ſenectute jam premuntur. Si *jus circa ſacra* Imperatori & Principibus ita aſſeretur, ut *uſus bonorum Eccleſiaſticorum* non prophanetur aut dilapidetur. Si denique abolitis ſuperſtitioſis dogmatibus & *abuſibus*, etiamſi vetuſtis, cultus divinus & *plena* Sacramentorum adminiſtratio omnis ad *internum Chriſti regnum* & τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς, dirigetur, & ἡ λογικὴ λατρεία, *cultus rationalis*, inſtituetur utrinque.

§. XXXI.

Legi operæ pretium eſt Orationes Gregorii Nazianzeni

zeni de Pace. Ex quarum prima hæc annoto: *Nec ſegniorem quenquã eſſe debere quam par ſit, nec ferventiorem, ita ut vel ob levitatem ad omnes ſe aggreget, vel ob temeritatem & inſolentiam ab omnibus ſe removeat, æquè enim & iners ſegnities eſt, & mobilitas atque inconſtantia à ſocietate & communione aliena. Verum ubi aperte ſe prodit impietas, tum verò nobis faciendum eſſe, ut adverſus ignem & ferrum & tempora & Principes ac denique prius adverſus omnia cominus feramur, quàm ut mali fermenti participes efficiamur, ac malè affectis aſſentiamur, nec quicquam perinde metuendum eſt quàm ne quid magis quam DEum metuamus, ac propterea fidei & veritatis, cum veritati ſerviamus, doctrinam perfidè deſeramus. At cum ſuſpicio ſola animum noſtrum male habet, timorq; nullis certis argumentis innixus; tum vero lenitatem potius quàm celeritatem, & indulgentem dimiſſionem potius quàm arrogantiam & contumaciam adhibere convenit, multoque melius & conducibilius eſt, ut in communi corpore manentes mutuo nos ipſos, tanquam alii aliorum membra corrigamus atque corrigamur, quam ut præjudicio per ſeceſſionem facto, & auctoritate per ſeparationem amiſſâ, ex edicto poſtea, velut tyranni ac non fratres, correctionem imperemus.* Idem Nazianz. obſervat, ab Epiſcoporum conventibus contentiones ſemper exacerbatas ſe vidiſſe, *Conf. And. Keſleri Prudent. Chriſtian. P. 1. c. 2. §. 1. p. 129.*

§. XXXII.

Cultus rationalis. Cultum verò rationalem, quem diximus, in hoc conſiſtere S. Paulus Romanos docuit *cap. XII. 2. ſqq.* ἐν τῷ μὴ συσχηματίζεσθαι τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ μεταμ-

μεταμορφοῦσθαι τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ἡμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ἡμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. *i. ut ne accommodemus nos ad figuram ſeculi hujus, ſed ut transformemur per renovationem mentis noſtræ, ut probemus, quæ ſit voluntas DEI, circa id quod bonum, quod acceptum DEO, & & denique quod perfectum ſit.* Præcipuum itaque illis fundamentum eſſe poſitum, ἐν τῷ μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ἑκάστῳ ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως. *i. ut ne quis arroganter de ſe ſentiat, ſupra quam oportet de ſe ſentire, ſed ut ita ſentiat, ut modeſtus ſit & ſobrius, prout cuique DEUS eſt partitus fidei gratiæque menſuram. Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra verò omnia non eundem habent actum: ſic multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſingulatim autem alii aliorum membra.* Quæ omnia quidem ambulant, ſed plura ut hoſtes Crucis Chriſti & praxeos pietatis, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, quorumque finis perditio, DEUSq; Venter & gloria in deducere. *Philipp. 3, 18. 19.*

§. XXXIII.

Qui ipſe Irrationalis cultus eſt, idololatrico par & antechriſtianus, docente Johanne *1. Epiſt. 2, 16. 18. 22.* *Irrationalis.* *Omne quod eſt in mundo, puta, concupiſcentia carnis, & oculorum, faſtusque vitæ, non eſt ex Patre, ſed ex mundo,* quique illum ſectatur, eo ipſo *negat & Patrem & Filium, atque Antichriſtis* accenſendus, quorum qvum multi jam tum Johannis ævo cœperint eſſe, quantum eorum nu-

merum in hoc dilacerato Eccleſiæ ſtatu exiſtere putemus, de quo Optimus Maximus Salvator graviter monuit *Matth. XXIV. 23.* Surrecturos Pſeudochriſtos & Pſeudoprophetas, & datis ſignis magnis & prodigiis, prædicaturos: *Ecce hic Chriſtus: ecce illic: Ecce in deſerto eſt; ecce inpenetralibus*, eosque cavere juſſit. Hujusmodi domeſticis adverſariis & vetus ante adventum Salvatoris in carnem exiſtens Eccleſia miſerè vexabatur, contra quos propterea vehementer invehit Malachias Propheta c. 2. *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes. Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper eos, ut detis gloriam nomini meo, ait dominus Exercituum, mittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionibus veſtris. Ecce ego increpabo vos & ſemen veſtrum, & aſpergam ſuper vultus veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum: Vos enim receſſiſtis de via & ſcandalizaſtis plurimos in lege: propter quod & ego dedi vos condemtibiles, & humiles omnibus populis. Numquid non Pater unus omnium noſtrum? quare ergo deſpicit unusquisque veſtrum fratrem ſuum, violans pactum patrum veſtrorum?*

§. XXXIV.

Comparatio Eccleſ. Iſraelit. & Chriſtianæ.

Atque ut finito, per DEI O. M. Gratiam, operi ſuſcepto corouidem imponamus, placet breviter Statum Eccleſiæ Iſraeliticæ atque Chriſtianæ comparare invicem, auguriumque inde conſideranti eliciendum relinquere. Prima apoſtaſia Eccleſiæ Hebraicæ à vero cultu divino contingebat ex parte *Iſraëlis* introducto *Vitulorum cultu* ex civilis ſtatus ratione: ſequebatur tandem & *Judaica* Eccleſia. Ita Eccleſiæ Chriſtianæ ad adverſariam ſocietatem ſeceſſio ab Orientali & *Romana* cœpta Eccleſia, inductâ *Imaginum*

num adoratione, quâ tota Eccleſia tandem ſeducta: aliquanquam ut Judaica, ita & *Germanica* reviſa aliquandiu. Utraque ſæpius reformationem experta, ſed non absque recidiva. *Exſcidium* Iſraelitica in totum atque perpetuum perpeſſa: Judaica inſtaurata iterum ac *reformata*. Triſte augurium Romanæ: lætum Germanicæ! niſi quod Judaica iterum apoſtatica ſervitutem & animæ & corporis adhuc ſervit. Cave tibi, *nequa fiat, ut nec tibi parcat DOMINUS, qui naturalibus ramis non pepercit, Vide igitur Bonitatem ac Severitatem DEI: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te verò Bonitatem, ſi permanſeris in bonitate; alioquin & tu excideris*, ſcripſit Apoſtolus noſter *ad Rom. XI. 21. 22.* Ipſe autem DEUS Pacis, Libertatis auctor & concordiæ conciliator ſanctificet nos totos: & integer noſter ſpiritus, & anima & corpus, ita ut in nullo poſſimus culpari, in adventu Domini noſtri JESU CHRISTI ſervetur. Fidelis eſt qui vocavit nos, qui idem efficiet, cui ſit laus honor & gloria in æternum! *1. Theſſ. ult. v. 23.*

ADDENDA
Ad
LIB. V. CAP. VI. §. II. & IV.
de
REGALIA.

OTto IV. Imper. in electione ſuæ controversâ anno MCC. pactum ſive *capitulationem* iniit cum eligentibus, etiam REGALIÆ renuncians in hanc ſenten-

 tiam:

tiam: PRAVAM ILLAM CONSVETUDINEM INSUPER QVAM IMPERATORES ANTECESSORES SUI IN OCCUPANDIS REBUS MOBILIBUS VEL SE MOVENTIBUS DECEDENTIUM EPISCOPORUM VEL ABBATUM PRINCIPUM HUC USQVE SERVAVERUNT, PENITUS EXTIRPANS, NOS ECCLESIATICOS PRINCIPES EX HAC INDEBITA VEXATIONE, REGALI BENEVOLENTIA LIBEROS DIMISIT, ET DECEDENTIUM BONA SUIS SUCCESSORIBUS SERVANDA LIBERALITER STATVIT. *Goldaſt. Tom. I. Conſt. Imp.* At electio Ottonis tunc vitio non caruit. *vid. Cap. 7. §. V. & Cap. VIII. § 1. ſq.* Porrò *Fridericus II.* Imp. in aurea bulla *de libertate Eccleſiaſtica* anno M CC XIII. edita, & poſt ſexennium repetita §. IV. itidem *Regaliæ* renunciavit: ILLUM QVOQVE DIMITTIMUS ET REFUTAMVS ABVSVM, QVEM IN OCCVPANDIS BONIS DECEDENTIVM PRÆLATORVM, AVT ETIAM ECCLESIARUM VACANTIUM NOSTRI CONSVEVERVNT ANTECESSORES COMMITTERE PROMOTV PROPRIÆ VOLUNTATIS OMNIA NOS SPIRITUALIA VOBIS ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS RELINQVIMUS LIBERE DISPONENDA, UT QVÆ SVNT CÆSARIS CÆSARI, ET QUÆ DEI DEO RECTA DISTRIBUTIONE REDDANTUR. At hæc promiſſio facta fuit vivo Ottone, & durante ſchiſmate triennali, antequam ſecundâ vice coronaretur Fridericus Aquisgrani, quod factum anno M CC XV.

IN-

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

Lib. I.

De

LIBERTATE ECCLESIARUM GERMAIÆ SUB IMPP. ROMANIS.

Caput I. *De Eccleſiæ & Reipubl. diſcrimine & unione.* pag. 1
Cap. II. *De Eccleſiæ libertate generatim* p. 17
Cap. III. *De Libertate Germaniæ* p. 38
Cap. IV. *De Origine Eccleſiarum Germaniæ* p. 47
Cap. V. *De Libertate Eccleſiarum Germaniæ ante Conſtantinum* p. 59
Cap. VI. *De Libertate Eccleſiar. German. imperante Conſtantino & Succeſſoribus* p. 63
Cap. VII. *De Libertate Eccleſ. German. ex Concilio Arelat. & Niceno* p. 73
Cap. VIII. *De Clericorum ordinum origine & ſpeciebus* p. 80
Cap. IX. *De Primatu Sedis Romanæ & Can. VI. Concil. Niceni* p. 91
Cap. X. *De Eccleſiis Sedi Rom. non ſubjectis* p. 106

LIB. II.

De

LIBERTATE ECCLESIARUM GERMANIÆ SUB REGIBUS FRANCORUM.

CAP. I. *De earum ſtatu generatim* pag.123
CAP. II. *De Jure Epiſcoporum.* p.130
CAP. III. *De Jure Populi* p.137
CAP. IV. *De Jure Regio* p.141
CAP. V. *De Juriſdictione Eccleſiaſtica* p.150
CAP. VI. *De Dependentia Eccle. German. à Sede Romana* p.156
CAP. VII. *De Gradibus potentiæ Sedis Rom. ante Carolum M.* p.170
CAP. IIX. *De Eccleſiis German. tempore Bonifacii conditis.* p.180
CAP. IX. *De Regno Pipini & Donatione Sedi Rom. facta* p.192
CAP. X. *De Concilio Francofurtano* p.207
CAP. XI. *De Imperio Caroli M.* p.251
CAP. XII. *De Libertate Eccleſ. German. imperante Ludovico Pio* p.229

LIB. III.

De

LIBERTATE ECCLESIARUM GERMAN. SUB INITIIS REGNI GERMAN. USQUE AD HENRICUM IV. IMPERATOREM.

CAP. I. *De Ludovico Rege German. primo* p.275

CAP. II.

CAP II. *De Caroli Calvi ereptione Imperii* p. 278
CAP. III. *De Unione Imperii Romani Regnique Germanici* p. 283
CAP. IV. *De Libertate Imperii Regnique German. Civil. & Sacra* p. 294
CAP. V. *De Libertate Eccleſ. German. imperante Ottone M. & liberis* p. 308
CAP. VI. *De Concilio Auguſtano & Cœlibatu Clericorum* p. 333
CAP. VII. *De aucta ab Ottone M. Eccleſ. German. libertate & auctoritate* p. 350
CAP. IIX. *De Jure Sedis Rom. circa electionem Imperatorum Germanor.* p. 396
CAP. IX. *De Imperio Henrici Sancti* p. 399
CAP. X. *De Libertate Eccleſ. German. circa prohibitionem graduum* p. 416
CAP. XI. *De Reformatione Eccleſiæ tentata, imperante Henrico III. præſertim* p. 437
CAP. XII. *De Prætenſione Germaniam inter & Hiſpaniam Sacra & Civili* p. 446

LIB. IV.

De

LIBERTATE ECCLESIARUM GERMAN. AB HENRICO IV. VARIE DEFENSA.

CAP. I. *De novis Sedis Romanæ inſtitutis* p. 481
CAP. II. *De Erratis aulicis Henrico IV. imperante* p. 506
CAP. III. *De Libertate adverſus Hildebrandum Henrico victore ſervata* p. 562

CAP. IV.

CAP. IV. *De Libertate adverſus Paſchalem II. infeliciter defenſa.* p.545

CAP. V. *De ſuppreſſa Libertate ſub Henrico V.* p.554

CAP. VI. *De Libertate Eccleſ. German. ſub Lothario Saxone Imperat. gemente.* p.588

CAP. VII. *De Defenſoribus Libertatis imperante Conrado III.* p.596

LIB. V.

De
LIBERTATE ECCLESIARUM GERMAN. ET AKMH MONARCHIÆ ROM. PONTIFICIÆ.

CAP. I. *Jura Sacra Imperatori & Eccleſiis Germaniæ reſervata à Friderico aſſerta* p.617

CAP. II. *De Dependentia beneficiaria Imperii à Sede Rom. prætenſa* p. 623

CAP. III. *De Gravaminibus contra Sedem Romanam* p.639

CAP. IV. *De Schiſmate inter Octavianum & Rolandum* p.646

CAP. V. *De Reformatione Alexandri III. & Succeſſoris* p.663

CAP. VI. *De Jure Regaliæ, Annatis, Decimis & Advocatiis Eccleſiarum* p.668

CAP. VII. *De Libertate Electionis Imperatoriæ tentata à Sede Rom.* p. 681

CAP. IIX. *De Friderico II. Imperatore Libertatis ſuppreſſæ immeritò inculpato* p.688

CAP. IX. *De Eccleſia Græca, Anglicana, & Germanica ad libertatem provocante* p. 707

CAP. X. *De AKMH Monarchia Pontificiæ* p.725

LIB.

Lib. VI.

De

STATU ECCLESIARUM GERMAN. SUB HENRICO VII. IMPERATORE USQVE AD CONCILIUM BASILEENSE.

Cap. I. *De Imperio Henrici VII.* pag. 739
Cap. II. *De Ludovici Bavari Vindiciis* p. 741
Cap. III. *De Vindiciis Ordinum* p. 755
Cap. IV. *De Primordiis Reformationis* p. 768.
Cap. V. *De Concilio Conſtantienſi* p. 777
Cap. VI. *De Libertate Eccleſ. German. augeſcente ſub Concilio Baſileenſi* p. 791
Cap. VII. *De Jure reformandi Ordinum Imperii* p. 803

Lib. VII.

De

INSTAURATA LIBERTATE ECCLESIARUM GERMAN. PER REFORMATIONEM SUPERIORIS SECULI.

Cap. I. *De Occaſione & initiis ſuperioris Reformationis* p. 819
Cap. II. *De Concordia Imperatoris & Ordinum circa Reformationem perficiendam* p. 855
Cap. III. *De ſperata Reformatione univerſali* p. 931
Cap. IV. *De impedita Reformatione univerſali* p. 942
Cap. V. *De Jnduciis religioſis & ſeceſſione ab Sede Rom.* p. 963

CAP. VI. *De Concordia Eccleſiar. Germ. tentata* p. 976
CAP. VII. *De Concilio Tridentino* p. 995
CAP. IIX. *De Conſtitutione Interimiſtica* p. 1007
CAP. IX. *De Concilio Tridentino per Pacem Religioſam disturbata* p. 1023
CAP. X. *De Concilii Tridentin. exitu & auctoritate* pag. 1040
CAP. XI. *De Impedimentis Reformationis ulterioris.* pag. 1055
CAP. XII. *De Libertate Ecleſiar. German. denuo oppugnata* p. 1071
CAP. XIII. *De Libert. Eccleſ. German. per Pacem Osnabrugenſem denuo ſtabilita* p. 1099
CAP. XIV. *De Unione Eccleſiarum Germaniæ* p. 1106

INDEX AUTORUM,

qui laudantur, explicantur, & notantur.

ADo Vienn. I,6,1.
Aimoin. II,1,1. II,10,5. explic. contra Baron.
Albericus, Monachus. V,8,1. & 2.
Petr. Albinus. III,9,5.
Alcuinus. IV,5,3.
Natalis Alexand. III,8,4.
Ambroſius. I,6.4.
Anaſtaſius, II,12,10. expl.
Antonini Itiner. I,4,4.
Sidon. Apollinaris. I,10,3. explic.
Andr. Arnoldus. I,10,9. IV,5,30.
Athanaſius. I,9,10.
Aventin. II,11,1.

Steph. Baluzius. I,4.6. laud. II,8,10. & paſſim.
Baronius. III,3,3. & III,5.12. refut. III,5,12. & 20. not. III,7,6. exam. III,11.16. & III,12,2. not. it. V,4,3. & alibi.
Lubold. de Bebenburg. II,7,2. II,9.7. VI,2,7.
Bernardus, abbas Bonævall. IV,6,2.
Beveregius. II,8,1.
Bignonius. I,10,3. & II,7,3.
Blondellus. I,4,8.
Boecler. I,3,4.
Bona. I,1,7. & III,4,13.
Fr. Bosquet. I,10,5.
Boxhorn. I,4,14.
Adam. Brem. III,11,19.
Cunrad. Brunus. VII,5,9.
Nic. Burgundus. II,8,20.
Buxtorff. III,12,8.

Calviſius. II,6,3.
Camerarius, VII,7,11.& alibi.
Jac. Capell. I,10,5.
Caranza. II,4,4. not.
Carpzov. III,9,5.
Caſaubon. I,10,5.
Caſſiodorus. I,9,10.
Ferdin. de Caſtro Palao. III,10,3.

Cenſorin. II,5,4.
Chemnit. II,1,5.
Chiffletius. III, 1,9.
Demetr. Chomatenus, III, 10,9.
Chopinus. V,6,2.
Petr. Chryſologus. I,9,10.
Nic. de Clemangis. V, 9, 1. VI,6,1. laud.
Cluver. I,4,3.
Cochlæus. VII,8,12.
Codinus Curopalata. IV, 2, 20.
Pandulphus Collenutius. V, 8,6.
Conradus, Abbas Urſpergenſ. III,11,29. IV,4,2. def.
Conring. I,8,8. III,9,11. III, 12,5. & paſſim.
Herman. Contractus. III, 11, 19.
Crantz. V,5,2.
Cruſius. IV,5,26.
Nic. de Cuſa. IV,3,11. VI,6,4.

Petrus Damiani. III, 11, 8.18. 21. & ſeqq.
Paulus Diaconus. II,11. 4.
Anton. Diana. VII,10,6.
Dionyſius. IV,5,3.
Ditmarus. II,2,5.
M. Ant. de Dominis. I,2.4. I,2.15. not. & paſſim.
Duarenus. I,5,2.
Eginhard. II,11,3.
Lud. Engel. I,5,2. alibi.
Euſebius. I,5,1.

Proſp. Fagnanus. V,6,2.
Flodoardus. II,1,13. III,4,10.
Fredegar. III,1,8.
Freher. I.4,15.

Gaufredus. VI,6,5.
Gennadius. IV,5,3.
Gevvold. III,8,10.& 13.
Aug. Gibbon. de Burgô. I,1, 10. VII,9,4.
Glaber Radulphus. III,7,7.
Gloſſa C. Molin. ad can. 9.c. 35. qv 2. II,6,7. not.
Gloſſa Lat. Spec. Sax. V,I,8. not.
Goblinus. VI,5,13.
Goffridus Vindocinenſ. IV, 5,14. & 15.
Goldaſtus. II, 9, 11. III,2,5. not. V,8,15.
Jac. Gothofred. II,7,1.
Gregorius Turonenſ. II, 1,1.
Gronovius. II, 3,4.

Hug.

Hug. Grot. I,5,2. III,5,12. III, 12,5.
Guilielmus Malmesburienſis. III, 11,7.
Gutherius. II,7,2.

Harmenopul. III,5,16.
Jo. Ge. Hervvartus. VI,1,2.
Hieronymus. I, 8,1.
Lambert. Hortenſius. VII, 6,4.
Hortleder. III,12,7.& paſſim.
Hotoman. II,9,7.
Huldericus ab Hutten. VI, 4,7.
Hulsmann. II,9,10.
Hutter. VII,II,7.

Jgnatius. I,9,10.
Jrenæus. I,5,1.
Alex. Jrvinus. I,1,13.
Jſidorus Peluſiota,II,6,6.
Jvo. II,4,1.

Kesler. VII,14,15.
Klock. III,5,12.

Lactantius Firmianus. I,4,6.
Lambecius. III,8,18.
Paulus Langius.III,4,5.
Lazius. I,4,3. I, 4, 4. & I,10,1. not.
Lehman. II,1,5. II,5,5. & II,7, 6. not.

Leo Marſicanus. III,11,2.
Limnæus. II, 12,12.
Lipſius. III, 11,14.
Luitprand. III,3,8.

L. Maimburg. III,4,5. VII,8, 8. & paſſim.
Joach. Joh. Maderus.III,4.11.
Malmesbur. II,11,1.
Manlius. II,12,12.
P. de Marca. I,1,13. I,4,1.
M. A. Marcellus. I,9,15. II,7, 8. II,9,9.
Mariana. III,12,2.
Marianus Scotus. III,1,9.
Marſilius Patavinus. I, 9,10. I,10. inf. III,8,19.
Matthæus. III,1,9.
Matthæus Monachus. III, 9, 10.
Matthæus Pariſienſ.V,9,1.
Petrus Matthæus. V,6,2.
Ph. Melanchthon. paſſim.
Molinæus, II,4,5.
Huld. Mutius. II,11,1.

Optatus Milevit. I,6,5.
J. Henr. Otto. I, 10,9.
Otto Friſingenſis. III,11,5.
Pallavicin. VII,2,11.& paſſim.
Pancirollus.I,4,3. I,4,4. not.
Mutius Panſa.V,4,16.

Onuphr. Panvinius. II, 11, 1.
Carol. à S. Paulo. I, 8, 7. I, 8, 14. not.
Dion. Petav. I, 8, 2. II, 3, 4.
Jo. Piſtorius. III, 10, 5.
P. Pithæus. II, 7, 4.

Radevicus. V, 1, 11.
Elias Reusnerus. III, 3, 7.
B. Rhenanus. I, 4, 15.
Edm. Rickerius. I, 8, 1. II, 10, 6.
Rodericus. III, 11, 3.
Rogerius ab Hoveden. V, 5, 1.
Ant. Ruben. II, 3, 4.
Olaus Rudbeckius. I, 5, 2. laud. I, 4, 1.
Ruffin. V, 5, 1.

Sadolet. VII, 1, 9.
Salmaſius. I, 4, 4.
Salvianus. II, 1, 2. & 5.
Joh. Saresberienſis. V, 2, 9.
Paul. Sarpius. III, 6, 12.
Savilis. I, 8, 9.
Lambert. Schaffnabrug. III, 4, 15.
Seldius. V, 9, 2.
Severus. I, 5, 1.
Sigebert. II, 12, 10. def.
Sigonius. II, 11, 1.
Jac. Sirmondus. II, 10, 6.
Socrates. I, 8, 11.
Sozomenus. I, 6, 2. III, in f.
Spenerus. VII, 14, 14 laud.
Strauch. I, 4, 9. II, 9, 8. III, 5, 9.
P. Svavis. I, 5, 2. & paſſim.
Symmachus. II, 4, 3.
Fr. Sylvius. VI, 5, 9.

Tertullianus. I, 5, 9.
Thegan. II, 2, 4.
Herbert. Thorndicius. I, 8, 2.
Thuanus. III, 8. 7. VII, 14, 29.
Trithemius. III, 3, 9.

Ulricus Velenus. I, 10, 8.
Velſerus. I, 4, 4.
Hugo de S. Victore. I, 4, 2.
Venantius Fortunatus. I, 3, 4.
Vincentius Lirinenſis. I, 5, 1.
P. de Vineis. V, 9, 3.
Viquefort. III, 15.
Voſſius. II, 7, 4. & V, 7, 3. not. V, 8, 1.
Uſſer. I, 8, 2.
Victor Uticenſis. II, 3, 4.

Wendelin. III, 1, 9.
Wippo. I, 3, 4. III, 8, 10.
Witichindus. III, 4, 5.

Ziegler. IV, 2, 3.

INDEX

INDEX LEGUM EXPLICATARUM,

Ex Jure Civili.

L. 1. C. de SS. Trinit. I,9,10.
L. 3. C. Th. de Fide Cathol. I,8,11.
Authent. Caſſa. de SS. Eccleſ. V,8,13.
Authent. item nulla & item quæcunque, C. de Epiſcop. V,8,13.
Authent. Statuimus. eod. V, 8,14.
L. Judæorum. 17. C. de Judæis. I,8,10.
Authent. Gazaros. de hæret. V,1,1.
Nov. CXXXVII, c. 4. I,8,12.
Nov. CXXIII. c. 3. I,8,15.
Nov. CIX. XI,5,6.
2. Feud. 100. explic. III,9,11.
Aurea Bulla. 1:3,4.
Lex Baiwar. T. 1. c. XI. explic. II,3,3.
Spec. Saxon, l. 3. art. 57. III,8,18.
Spec. Svevic. Landrecht. c. 155. III,8,10.

Ex Jure Canonico.

Diſt. 9. c. 3. III,4,16.
Can. Si Papa. 6. Diſt. 40. II,8,6.
Cap. Hadrianus. 22. Diſt. 63. II,11, 4. expoſ.
Gl. in Can. 22. Diſt. 63. III,12, 14.
Diſt. 63. c. 28. II,11,1.
Diſt. 63. c. 30. II,12,3.
Diſt. 63. c. 31. II,12,11.
Can. 32. Diſt. 63. III, 4,4.
Cau. 2. q. 6. c. 11. II,12,25.
Cau. XV. qu. 6. c. alius. II,9,6.
Cau. 18. q. 1. c. 1. III,4,6.
C. XVIII. q. 2. c. 2. & 3. II,5,7.
C. 34. qv. 1. Can. 21. III,12,12.
Cau. 25. qu. 1. can. Satagendum. II,4,3.
Cau. 35. qv. 5. c. 1. & 2. III,10, 11. & 12.
Cap. Significaſti. X. de Elect. II,6, inf. & IV,4,3.

C. venerabilem. X. de Elect. III, 8,4. & V,7,5.
C. XI. Extr. de for. comp. II, 5,2.
C. 8. Extr. de Conſangv. & Affin. III,20,14.
C. per venerabilem. Extr. qui fil. legit. II,9,8.
Cap. ad Apoſt. Extr. de ſent. & re judic. in 6. V,10,1.
Cap. un. de jurejur. in Clement. III,9,11.
C. unam ſanctam. Extrav. comm. de Majorit. V,10,11.
C. 1. Extravag. de V. S. VI, 2,6.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

Abbates poſt Comites ſederunt. II,2,1. 2. Epiſcopis ſubjecti. II,5,5. exempti. diploma. II, 5,6.
Abdicandi ſe magiſtratu mos. III,5,21.
Academiæ quando florere inceperint. IV,7,8. formula juramenti à DD. Academic. præſtandi. IV,7,11.
Actio mixta quatenus obligat. IV,3,4.
Adiaphoriſticum bellum. VII, 8,12.
Admonitio fraterna mutua. II,6,11.
Advocatiæ Romanæ Jus commune Regi Germaniæ & Galliæ ac Imperatori. III, 1,12. Controverſia de Advocatiis Eccleſ. V,6,9. Epiſcopi German. mediatores ſpernuntur ab Urbano P. R. V,6,10.
Affinitatis computationes inter Conradum Salicum & Conjugem diverſæ. III,10, 4. gradus affinitatis IV. & V. non prohibitus tempore Conradi Salici in Eccleſiis Ger-

German. III, 10, 6. harum ratio & fundamentum ibid.

Africanæ Eccleſiæ mos ſingularis. I, 8, 5. libertas, I, 9, 15.

Agendæ Eccleſiaſticus. III, 11, 30.

Agrippina ſ. Colonia, metropolis. I, 4, 10.

Albienſes hæretici V, 5, 1.

Alexander II. P. R. vitio creatus habetur: ejus legatus pro illegitimo habitus, IV, 1, 26.

Alexandri II. P. R. conſtitutio in computatione graduum recepta in Jure Saxon. III, 10, 12. & 13. ab Innocentio III. correcta. III, 10, 14.

Alexandri III. ſive Rolandi contumacia V, 4, 5. ejus rationes examinatæ. V, 4, 6. & 7. Majeſtatis reus. V, 4, 10. ejus inquiſitio in Waldenſes. V, 5, 1.

Alexander VI. P. R. VI, 7, 4.

Alphonſi Regis Hiſpan. attentatum. III, 12, 3.

Aliſtetenſia Comitia. III, 9, 17.

Analogia fidei eſt convenientia cum ſcopo fidei. I, 2, 18.

Angelorum & Sanctorum cultus. III, 11, 24.

Anglicana Eccleſia ad libertatem provocat contra Sedem Rom. V, 9, 2.

Annatæ. V, 6, 2. Origo gravaminum de Annatis. VI, 4, 7. de iis Pallavicino reſponſum. VII, 2, 11.

Annonis ArchiEpiſcopi Colon. abdicatio. IV, 1, 25. ejus ſucceſſor. IV, 2, 4.

AntiCæſar eligitur IV, 3, 7.

Anti Chriſtianiſmus. I, 1, 8. Controverſia de Sede Antichriſti agitata. III, 7, 10. & ſeqq. AntiChriſtus & ejus Vicarii ubique. III, 7, 15. eorum gradus ibid. & apoſtaſia univerſ. III, 7, 16. poteſtatis antichr. ſpecies & gradus. III, 7, 17. Pontifices Romani an Antichriſti? III, 7, 19. Fama de Antichriſto. IV, 5, 32.

Apocryſiarius. II, 7, 4.

Apoſtaſia Eccleſiæ alicujus quomodo probetur. I, 10, 11.

Apoſtaſiæ gradus. III, 11, 9. & 10.

Appellatio S. Pauli ad Neronem. I, 2, 9. Appellatio ad Papam. V, 5, 2. Appellationes citra jurisdictionem. I, 9, 15. Jus de non-appellando ad Sedem Rom. III, 2, 5. appellatum ad Imperat. à ſententia R. Epiſcopi & collegar. in cauſa Donatiſtar. I, 6, 7.

Aquileienſis Patriarcha. I, 8, 8. ab Arbitri ſententia non appellatum. I, 6, 3.

Arcanum R. P. III, 4, 7.

Archiepiſcopus primus in Germania. II, 8, 1. in novis Archiepiſcopatibus ordinatio Sedi Rom. conceſſa. ibid.

Arelate, metropolis. I, 4, 9.

Arianiſmus in Germania. II, 1, 4.

Arnoldi Brixienſis dogmata pro Libertate Eccleſiarum. IV, 7, 8. Quid de Arnoldi reformatione habendum? IV, 7, 9. exilium ejus: refugium in German. IV, 7, 10.

Arnulphus Imp. III, 3, 7.

Aſſaſinium Innocentii IV. V, 10. 2.

Augienſis Abbas. IV, 1, 23.

Auguſtana Comitia an. 1530. VII, 4, 7. Confeſſio Auguſtana. VII, 4, 8. Diſputationi expoſita. VII, 4, 9. Colloquium Auguſt. ſine effectu. VII, 4, 11. & 12.

Auguſtodunum. I, 4, 9.

Auguſtus Elector Saxon. remedium quærit diſſidiis domeſticis Eccleſ. Evangel. VII, 11, 7.

Auguſta Vindelic. Eccleſia. I, 4, 12.

Authenticas Friderici Imperat. quis inſeruit Codici. V, 8, 14.

B.

Bambergenſis Epiſcopatus inſtitutio. III, 9, 4. Vaſalli an Electores. III, 9, 5.

Barones. II, 7, 5.

Bavariæ Ducis Jus in Epiſcopos Bavariæ. III, 4, 9.

Bavariæ Dux jam olim inter ſummos Officiales & Electores.

ctores. III, 8, 18. controverſia inter eum & Bohemum, quorum alter in poſſeſſorio, alter in petitorio obtinuit. III, 8, 19. 20. & 21.

Belgia duplex. I, 4, 4.

Belli Mauritiani contra Carolum Imp. cauſa: fides, libertas, ſucceſſio hereditaria. VII, 9, 5. belli indictio. VII, 9, 6,

Belli Tricennalis origo. VII, 12, 6.

Bellum Germanic. ſive Smalcaldicum. VII, 7, 10. exitus belli, libertas religionis. VII, 7, 11.

Bellum Civile Sacrum. VII, 13, 1.

Benedicti P. R. mors. III, 9, 16.

Benedictus XII. P. R. VI, 3, 3.

Beneficii vox declarata à Papa. V, 2, 10.

Berengarius à Papa Imp. creatus. III, 4, 1.

Bernhardi Abbatis Clarevall. autoritas. IV. 6, 3. & . 4. defendit invaſionem imperii. IV, 7, 1. Joslenus Sveſſion. reprehendit eum. IV, 7, 7. pœnitet Bernhardus in libris tribus ad Eugenium. ibid.

Bohemiæ Dux mitram à Papa accipit. IV, 1, 21. Ducatus Bohemiæ. IV, 1, 22. Electoratus. III, 8, 9. Eccleſia Bohem. pro Catholica declarata. VI, 6, 12. communio ejusdem cum Cpolit. ibid. motus Bohemicus. VII, 12, 6.

Bonifacius ArchiEpiſcopus Germaniæ & primus Vicarius Papæ, II, 8, 4. dependentia Bonifacii à Sede Rom. ſine opinione infallibilitatis, II, 8, 6. & Salvo jure majeſtatis circa S. II, 8, 7.

Bonifacius VIII. P. R. V, 10, 8. & ſeqq. exitus ejus. V, 10, 12.

Bonorum Eccleſiaſt. reſtituendorum terminus Kal. Jan. 1624. in cujus partis favorem ſtatutus. VII, 13, 4.

Bulla Hadriani P. R. Lex Regia. II, 11, 4.

Bulla Leonis IIX. III, 5, 25.

A. Bulla Friderici II. de Libertata Eccleſ. V,9,12.

A. Bulla condita, abrogans Bullam Joannis XXII. de vicariatu papali, VI,3,11.

Bulla indulgentialis P. R. in præjudicium Conſtitut. Jnterimiſticæ ſine effectu. VII, 8,5.

Bulla Rom. cum Rec. Jmp. collata. VII,9,1.

Burgundia in Clientelam à Papa recepta. IV,1,21.

Burgundionum cis Rhenum Eccleſia. I,4,13. Inſula Burgund. & migrationes. I,4,15. Burgund. Eccleſ. I,10,4. Burgundia I,1,3.

Buticularius. II,7,4.

C.

CAdalous Papa electus & remotus. IV,1,17. & 28.

Calendarii Jus: libertas Eccl. Germ. circa illud. II,6,3. Jus Pontificis Rom. circa idem. ibid. Calendarii emendatio ſæpius tentata. VII,12,1. per Gregorium XIII. affectata. VII,12,2. Eccleſiis oblata. ibid.

Calvini ſeceſſio. VII,11,3.

Camerarius. II,7,4.

Canon Ancyranus. III,6,4. Can. Apoſtol. VI. ibid. Canon fin. Concil. Rom. ſubleſtæ fidei. I,7,5. Canon Eccleſiaſt. laudatus Soersti I,7,6. Canon VI. Conc. Nicen. explic. I,9,1. & VI,5,5. & 6. occaſio, cauſa Melitii. I,9,1. ejus deciſio Synod. I,9,2. Canon cum Epiſtola Synodali collatus. I,9,3. Regula ex Can. IV. conſtituta pro fundamento expoſitionis. ibid. exceptionem continet Can. VI. I,9,4 Rat. 1. à priori ib. Rat. 2. ab exemplis, Epiſcopi Rom. I,9,5. Antiocheni. I,9,6. Clauſula generalis ejusdem Can. I,I,7. Concluſio de Metropolitanis; nondum de Patriarchis agit Can. VI. ne quidem de Patriarchatu Rom. I,9,8. Canones Conc. Aug. de cœlibatu Sacerdotum. III,6.1. & 2. rigor Canonis Juri

Div. haud conveniens. III, 6,12. Vis obligandi Canonum non à voluntate Papæ, ſed conſenſu Concilii ſ. Eccleſiæ. III,7,6. Jus confirmandi Canon. III,7,7. Can. XXII. Synodi VIII. Generalis. IV,3,10. Canonum conſtitutio cujus? I, 8,4.

Capella. II,7,4.

Capellatium. I,4,15.

Capitulationum fons. III,8, 26.

Cardinalium poteſtas tempore Cunradi: III. IV,7,4.

Carlomannus Jmp. cedit Jmperium fratri natu minori Carolo Craſſo. III,3,6.

Caroli M. Jus in S. Sepulcrum & Hieroſol. II,11,3. Jus ejus regium in Urbem Romam. II,11,4. occaſio, qua dignitas Jmperat. collata Carolo: Jus & titulus univerſalis. II,11,6. item Jus occupandi pertinentias Jmperii Occident. II,11,9. Jus Concilii univerſ. ibid. directorium inter Reges Chriſtianos in cauſis communibus. ibid. à quibus delatum Imperium. II,11,11. Carolus M. quid in Hiſpaniam? III, 12,12. & 13.

Caroli Calvi Capitulatio. III, 2,4.

Carolus IV. vitio electus: Jmperator Sacerdotum dictus. VI,3,8. & 9. Jmperator verus factus. VI,3,11.

Caroli V. reſignatio. VII,9, 14.

Catalaunia unde dicta. III, 12,12. & 13.

Cathari. V,5,1.

Cauſa privata à publica ſeparanda. IV,4,7.

Cautio in dogmatum diſputationibus. VII,14,16.

Chriſtianiſmi titulus. III,1, 15.

Chryſoſtomi zelus. II,4,11.

Clauſula: Rebus ſic ſtantibus. V,7,7.

Clemens III. Papa. IV,3,18.

Clemens V. P. R. ejusque elogium. V,10,13. Conſtitutiones Clementinæ, VI,1,6.

Clemens VI. P. R. reconciliatur Ludovico Jmperatori

turpiſſimis conditionibus, quas Comit. Franc. annullant. VI,3,6.
Clementis VII, P. R. Legatio ad Germanos. VII,3,3. ejus reformatio. VII,3,4.
Cleri Molimina in Concil. Pariſ. 819. II,12,23. Cleri Rom. ſtatus ſub Henrico III: III, 11,12. libellus contra vitia Cleri ſuppreſſus. III,11,21. Cleri Jus dogmata dijudicandi. VII,14,8. uxores ducendi. VII,14,9. Clericorum ordo triplex. I,8,1. Clericorum mores corrupti. II,12,18.
Cœlibatus Sacerdotum quando cœpit. III,6,1. & ſeqq. Lex Cœlib. Cleric. in praxin non deducta in Eccleſ. Longobard. Burgund. III, 6,8. in German. III,6,9. votum cœlibatus laudatur cum cautela. III,6,13. Lex Cœlib. improbatur. III, 6, 14. S. Cœnæ abuſus. III, 11, 27. & 28.
Cognitiones extraordinariæ. I,6,9.
Collegia pietatis. VII,14,15.
Comes Palatii. II,7,3.
Comes ſtabuli. II,7,4.
Comites. II,7,5.
Comitia Germaniæ 1532. VII, 5,1. Comitia Francofurt. VI,3,3. Renſenſiā. VI,3,4.
Concilia firmandi ac tuendi Jus Imperatoris ſummum. I,6,8.
Concilii Jus Imperatori vindicatum. VII,4,2. VII,6, 15, Geſta Concilii Papienſis. V,4,9. Decretum Concilii contra Rolandum majeſtatis reum, pro Octaviano. V,4,10. eventus ejus Concilii cauſæ. VI,4,13. & 14. Jus Concilii vindicatur Libert. Eccleſiæ ex ipſius Pontif. Rom. confeſſione. V,10,1. Concilii Conſtantienſ. ſcopus duplex. VI,5,1. ratio. VI,5,7. decretum ejus. VI,5,8. Jus Concilii invito Papa exſertum: & hic ipſi ſubjectus. VI,5,8. Concilii Baſileenſ. occaſio, diſſolutio Conſtantienſ. VI, 6,6. Concilii autoritas ſtabili-

bilita ſupra Pontif. Rom. conſenſu Eugenii P. R. VI, 6,2. exitus Concilii Baſil. VI,6,10. Conc. Baſil. Salvus conductus. VI,9,1. Concilii Decretis repugnat Sedes Rom. VI,7,1. Spes Concilii cui Pont. Rom. non præeſt. VII,14,25. modus procedendi in Concilio præſcriptus. VII,7,4. ingratiis Papæ. VII,7,5.

Conciliorum præſides plures. I,7,1. Pontifices Rom. vix niſi per Legatos præſiderunt. ibid. prætenſionis eorum vetuſtas. VII,7,2. contradictio Eccleſ. Gall. & Germ. ibid. Jus Concilior. regis. II,2,1. & II,4,4. & 5. libertas conciliorum, II, 11,13. Adſeſſores etiam ſtatus ſeculares. ibid. materia proponi ſolita. ibid. mos parilis Gothorum: Græcorum gentilium. ib. Jus Concil. Regum German. III,1, 15. Jus Concil. exercitum. III,9,3. Jus Concil. adhuc Salvum Lothario Jmp. IV, 6,9. Jmperat. Rupert. vindicat. VI,4,9. Concilior. defectus. VII,8,2.

Concilium Aquisgranenſe. II, 11,12. Concil. Arelat. I,7,1. Concil. Arelat. II. poſt Sardicenſe, cujus minor auctoritas. I,10,1. Concil. Aurel. IV. c. 1. II,6,2. Auguſtanum III,6,1. Concil. 1. Carlomanni Ducis Germ. II,8,7. Concil. Florent. VI,7,2. Francofurt. II,10,2. Lateran. V,5,2. VII,1,6. vis ejus. VII,1,7. Liptinenſe II. II, 8,8. Conc. III. I,8,10. Lugdun. contra Frider. V,10,1. Mantuanum. VI,7,3. Moguntin. III,6,6. Nicen. I,7, 7. quis præfuit. ibid. Conc. Nic. c. 4. IV,5,28. Oecumen. VII. II,10,1. Osborienſe. IV,1,18. Piſanum, deponit Julium Papam. VII, 1,4. Romanum in cauſa Donatiſtarum. I,6,5. Turonenſe. V,5,1. Wormat. III, 6,6.

Concilium convocandi Jus eſt Jmperatoris. V,4,2. Concilium univerſ. convocatum à Friderico. V,4,4.

Con-

Concilium à Pontifice detrectatum. VII,4,16. tandem ſub duris conditionibus conſentit in concilium. VII,4,18.
Concordata Nationis German. VI,6,9.
Concordiæ formulæ natales. VII,11,9. publicatio. VII,11,10. apologia. ibid. effectus. VII,11,11.
Conradi III. juſta querela de invaſione Imperii. VII,7,1.
Conradus Imp. III,3,8. III,4,6.
Conradus Salicus Imp. III,10,1. matrimon. ejus in gradu affinitat. 4. aut 5. III,10,2. computationes affinit. ejus diverſæ. III,10,4. ejus genus. III,10,5. laus. III,10,15.
Conſcriptiones. II,7,6.
Conſtablus. II,7,4.
Conſtantienſ. Epiſcopus remotus in Imp. Henrici IV. invidiam. IV,1,23.
Conſtantii Chlori favor erga Chriſtianos. I,5,1.
Conſtantino M. Epiſcopi, Apoſtoli titulus attributus, I,6,10.
Conſulatus Rom. Clodovæi. II,7,10. ejus cautio in ſuſceptione Conſulat. Rom. ibid. Caroli Martelli Conſulatus. II,7,12.
Conſultationum duæ ſpecies. I,9,14.
Controverſia de clauſula ſymboli: Filioque contra Pont. Rom. deciſa. II,11,12.
Conventus Dresdenſ. VII,7. Hagenoënſ. VII,6,4. Lichtenberg. VII,11,8. nationalis. VII,6,2. Ratisbon. VII,6,5. intentio Imperat: & conventio Colloqutorum. VII,6,6. à pluribus recepta. VII,6,8. ab Epiſcopis rejecta. ibid. veteri exemplo. VII,6,9. modò occultiori. VII,6,10. Smalcald. VII,6,4. Torgenſ. VII,11,7. Wormat. VII,6,4.
Coronatio Rom. omiſſa. VII,9,15.

Corpus Juris Canon. purgandum. III, 9, 11.
Querela de Cruciata. VI. 4, 6.
Crucis prædicatio. V, 6, 10. ſuperſtitionis hujus vis. V, 6, 11.
Cultus rationalis. VII, 14, 32. irrationalis. VII, 14, 33.
Curiæ vox de Concilio uſurpata. V, 4, 4.
Cyclus paſchalis Victorii: Dionyſii Exigui. II, 6, 2.

D.

Decimæ an Juris Div. V, 6, 6. à Laicis poſſideri poſſunt. ib. & §. 7. Decimæ Thuringiacæ ſedis Moguntinæ. V, 6, 8. Jus Decimarum Papæ denegatum. V, 10, 5. Decimarum per Thuringiam cauſa. IV, 1, 24. Lis de Decimis. V, 6, 5. ratio Papæ examinata. V, 6, 6.
Decretales Paparum non probant ſubjectionem. II, 6, 9.
Decretum de pontificia approbatione Imperatoris electi. III, 9, 8.
Defenſoris Eccleſiæ titulus. III, 1, 15.
DEI & Satanæ, Chriſti & antichriſti ſedes in uno cœtu. I, 1, 9.
Denunciationis Canon. origo. II, 5, 2.
Deſponſatio Eccleſiæ & Paſtoris quæ ſit? V, 1, 4.
Dictatus Gregorii VII. recenſentur. IV, 5, 35. Dictatus Papæ. IV, 3, 21.
Diſciplinæ Eccleſiaſt. corruptæ origo. VII, 14, 12. corruptionis cauſæ. ib.
Diſpenſandi Jus in gradibus affinitatis penes ſummam Reip. poteſtatem. III, 10, 3.
Diviſio Imperii Carolini noxia fuit. IV, 1, 3.
Dominatus Romani ἀκμή. V, 10, 4.
Donatio Conſtantini M. quando ficta & qua occaſione. II, 9, 10.
Donatiſtarum cauſa Epiſcopo Rom. & collegis commiſſa. I, 6, 5.
Duces. II, 7, 5. Jus creandi Duces à Papa invaſum. IV, 6, 7.

7 H Eccle-

E.

Eccleſiæ origo è conſociatione hominis cum DEO. I,1,1. tum ſingulari. I,1,2. & interna. I,1,3. tum compoſita & externa. I,1,4. diviſionis hujus fundamẽtum. ib. Eccleſiæ externæ Partes eſſentiales. I,1,5. ipſa pars Reip. eſt ibid. Eccleſiæ vox notat genus commune ab uno. I,1,6. Interna eſt perfecta: Externa imperfecta. I,1,7. Eccleſiæ oppoſitum, ſocietas hominis cum Satana. I,1,8. Eccleſia impura. I,1,9. extra quam Eccleſiam non ſit ſalus? I,1,10. Unitas ècclesiæ. I.1,11. Convenientia Eccl. & Reip. I,1,12. unio Eccleſiæ & Reip. I,1,13. effectus unionis. I,1,14. Regimen Eccleſiæ extremum. ibid. Eccleſia non eſt Reſp. I,1,15. Libertas Eccleſiæ internæ. I,2,1. externæ, contrahendæ & diſſolvendæ ſocietatis. I.2,2. libertas Eccleſiæ convenit cum civili. I,2,7. libertatis Eccleſiæ partes. I,2,11. ſalvæ à poteſtate civili. I,2,12. Eccleſiæ ordines: Clerus & Laici. I,2,13. prærogativa eccleſiaſticæ libertatis. ibid. Eccleſiæ univerſæ conſenſus eſt Juris Divini. I,2,20. Eccleſiæ particul. tolerantia. I,2,21. Eccleſ. univerſ. ibid. Eccleſiæ particul. libertas dijudicandi. I.2,22. ſeceſſio Eccleſiæ particul. juſta quæ ſit? I,2,23. Eccleſia Gallicana & Germanica libera. I,10.1. II,6.8. Conſtantinus Eccleſiam Reip. uniens libertatem Eccleſiæ propriam reliquit, & in civilibus auxit: ſumma poteſtate ſibi reſervata. I,6,1. 2. & 3. Eccleſiæ quædam à ſede Rom. avulſæ jam olim. I,10,13. liberæ à poteſtate patriarchali. I,10,14. Eccleſiæ Imperii Francici ſtatus. II,1,4. Eccleſiæ inopia. II,1,5. Eccleſiaſtici ſubjecti civili Jurisdictio-

ni

ni & Mallo publico; gradatim tamen. II, 5, 3. *Eccleſiæ libertas circa Jus Calendarii.* II, 6, 3. *Eccleſiæ & ſynodi nationales paris auctoritatis cum Rom.* II, 6, 9. *Eccleſia Rom. non eſt Petri.* III, 7, 13. *ſtatus Eccleſiæ corruptus.* III, 11, 4. *ſuppreſſa libertas Eccleſiæ.* III, 11, 8. *abuſus relicti in Eccleſia ſub Henrico III.* III, 11, 24. *Cauſæ Eccl. quæ?* IV, 2, 18. *cauſæ matrim. quatenus Eccl.* IV, 2, 19. *Eccl. ſtatus ſub Henrico V.* IV, 5, 13. *perſecutio Eccl. generalis.* IV, 5, 32. *Opinio de Eccleſiæ Rom. majeſtate judaizat.* IV, 9, 8. *Petri & Arnoldi dogmata pro libertate Eccleſiar.* IV, 7, 8. *Libertas Eccleſ. German. reſervata per Fridericum aſſerta.* V, 1, 6. *Regimen Eccleſ. Germ. per biennium ſine Papa.* VI, 5, 11. *libertatem Eccleſiæ ſtatus Imperii tuentur.* VII, 2, 1. *Imperator ipſe.* VII, 2, 2. *Libertas Eccleſiar. communis.* VII, 6, 12. *par libertas Eccleſiar. Evangelic. & Pontific.* VII, 12, 15. & 16. *Reſervatum Eccleſiaſt.* VII, 12, 19. *Eccleſ. Germ. Pontific. ſtatus hodiernus.* VII, 13, 8. *Eccleſia domeſtica.* VII, 14, 15.

Edictum Conſtantini M. I, 4, 6.

Edictum Friderici II. de Libertate Eccleſ. V, 8, 13. *ejus vis & verus intellectus.* V, 8, 15.

Edictum reſtitutorium. VII. 12, 8. *ejus occaſio ibid. argumentum.* VII, 12, 9. & *ſeqq. gravamina contra id quoad modum procedendi:* VII, 12, 13. *quoad merita cauſæ.* VII, 12, 14. *Edict. reſtitut. abolitum.* VII, 13, 4. & 5.

Edict. Theodoſii M. I, 3, 4.

Edictum Tiberii. I, 2, 9.

Electionis Imperat. approb. P. R. III, 9, 8. *libertas tentatur.* V, 7, 5. *hujus libertatis defenſor Philippus Imp. & Status Germ.* V, 7, 7. & 8.

Electores Vaſalli Eccleſiæ Bamberg. quatenus? III, 9, 5. Electorum Germ. Jus an à Papa? Neg. III, 8, 2. eſt triplex: eligendi Regem Germanorum: Romanor. Imperatorem. III, 8, 3. venit Jure proprio. ibid. numerus VII. Electorum vetuſtus, nec excludens reliquos, usque ad A.B. Caroli IV. III, 8, 11. & ſeqq. concluſio, de origine eorũ. III, 8, 16. Electorum Jus in caſu reſignationis. VII, 9, 14.

Epiſcopalis audientia. I, 6, 2. concurrens cum Jurisdictione civ. magiſtrat. I, 6, 3.

De perceptione fructuum & mobilium ſede Epiſcopali vacante gravamen contra Imp. V, 6, 1.

Epiſcopatus plures in Diœceſi Gallicana ante Conſtantinum. I, 4, 6. Conſenſus Sedis R. in erigendis Epiſcopatib. non eſt neceſſarius. III, 9, 4.

Epiſcopi ad libertatem adſpirant. VII, 8, 2. Epiſcopi ab inferiorum Judicum Jurisdictione immunes. II, 5, 4. an ex nobilitate debeant eſſe? aff. II, 2, 4. Rat. Dub. II, 2, 5. Rat. Dec. II, 2, 6. Idem in Rep. Rom. ibid. Jus Epiſcopi extra diœceſin. II, 6, 10. Epiſcopi obſequioſi ſedi Rom. & hæc viciſſim in Concilio Tridentino. VII, 11, 1. Potentiæ Epiſcopi Rom. gradus ante Carolum M. II, 7, 7. 8. & 9. Epiſc. ſubditi regis. III, 4, 8

Epiſcoporum Conſtitutio an Juris Div? I, 8, 1. neg. I, 8, 2. Reſervatum Imper. circa Conſtitut. Epiſcoporum. V, 1, 5. Conſilium de Inveſtitura Epiſcopor. Imperatori auferenda. IV, 2, 1. Imperatori inveſtituræ Epiſcopor. denegari cœpta per Decretum Papæ. IV, 3, 7. Imp. repetit. IV, 5, 1. reddit. ibid. Caliſti II. Papæ viſus ultimus hac in re. IV, 5, 5. Henrici V. renunciatio. IV, 5, 6. Papæ reverſales. IV, 5, 7. an Jure facta hæc Reſignatio? IV,

IV,5,11. & ſeqq. De natura Inveſt. Epiſcop. IV,5,21. De Jurisdictione Epiſcoporum diſputatum. VII,4,12. Jus Epiſcopor. ſub Regibus Francor. Principes Regni: gaudent poteſtate judiciaria. II,2,2. Jus eorum reſiſtendi in cauſis fidei. II,2,3. Jusjurandum Epiſcop. IV,5,34. Ordines Epiſcopor. I,8,3. à ſententiis Epiſcop. in cauſis civilibus cur non appellatum. I,6,3. Translatio Epiſcopor. regulariter non licita. V.1,3. & 4.

Epiſcopus plurium Eccleſiarum. I,4,11.

Epiſtolæ ſynodi Arelat. lacuna I,7,3. Baronii emendatio: propria. ibid. Epiſtola Udalrici ſuſpecta. III,6,7.

Erfurtum captum à Landgravio Ludovico ferreo. V,4,14. nummus in rei memoriam cuſus. ibid.

Eucharistiæ abuſus, ſub una ſpecie. IV,5,3. & 4. Infantibus Euchariſtia data. IV,5,4.

Eventus ab Exitu ſeparandus. IV,4,7.

Exarchalis poteſtas Carolo M. refutata à Pontif. Rom. II,11,2. Papa acquirit Exarchatum per Pipinum, præſentibus legatis Imperat. II,9,9. & 10. (9,1.

Exarchatus Italiæ deſinit. II,

Excommunicationis abuſus abrogatus. III,1,11. Bullæ excommunicat. in die Dominicæ vis & interpretatio. VII,13,7. Excommunicat. Jus ad libertatem Eccleſiæ pertinet: majoris & minoris. II,4,6. & 7. quarum illa contra Reges non competit. II,4,8. & ſeqq. ejus abuſus. IV,3,20. Excommunicatio per Appellationem ſuſpenſa à Luthero. VII,2,8. Conſtitutio contra Excommunicat. Papæ VI,3,2.

Execrationis formula. IV,3,14

F.

Familiæ Capitis Jus. III,1,15.

Felix Saxon. Epiſcopus quis? II,1,3.

Ferdinandi I. electio in Regem Roman. VII,4,15. Ferdinand. Imp. libertatem communicandi ſub utraque ſuis concedit. VII. 10,4.

Ferdinandi II. Imp. & Jo. Georgii Elect. Saxon. amicitia. VII,12,7.

Fidei confeſſionem exigendi Jus & jusjur. Regum Francor. à Papa Rom. ut à ſubdito. II,4,3.

Fidelitas de Imperat. quomodo dicatur? III,9,10.

Fides Catholica à doctrina Paulina ſeperatur à Goffrido Vindocin. IV,5,14.

Flaici inſula. I,4,15.

Fœdus ſacrum. VII,14,5. ejus effectus. ib.

Franciæ regni libertas vindicata. V,10,11.

Francorum Imperii diviſio. III,1,1. Francor. Placitorum ordo & ſollicitudo. II,2,2. Imperatrix interfuit. ib. Francor. Regnum diviſum, modo redunitum. II,7,1. ejus officiales II,7,2. &c. Francor. ſedes & diviſio. III,3,9. origo, III,3,10. eorum libertas & Jus in contradicendo & reſiſtendo Regibus. III, 8,25.

Friderici Imp. & Papæ fœdus, V,1,1. Regalia repetit. V,3,1. Papa ſubiraſcente. V,3,2. quem Imp. caſtigat. V,3,4. veterem ſtylum Curiæ in Reſcriptis ad ſedem Rom. revocat. ibid. Gravamina ejus contra S.R. V,3,6. Juſtitia cauſæ Imp. pro libertate Eccl. Germ. V,3,7. intentio ejus bona in Conc. Papienſi, ſed media non ſufficientia V, 4,12. fabula de conculcato Friderico. V,4,26. mors ejus. V,6,11.

Fridericus II. Imp. V,8,2. excommunicatur à Gregorio IX. ut ſuppreſſor libertatis Eccleſiaſt. V,8,4. Cauſæ excommunicationis. V, 8,5. partim frivolæ, partim falſæ. V,8,6. cur Mahumetiſmi incuſatus? V, 8,7.

8,7. defenſus ab Ordinibus Imperii. V,8,8. ejus apologia. V,8,9. facta ejus & Papæ comparata. V,8. 10. & 11. apologia ejus altera. V,9,5. nova ejus apologia. V,10,2.
Friderici Electoris Saxon. ſapiens opera circa Reformat. VII,2,3.
Friſiorum Eccleſia. II,8,1.

G.

Galatia pro Gallia II. Tim. 4. dicitur I, 4, 1.
Gallæcia. III,7,21.
Galliæ Rex libertati Eccleſ. Germ. favet. VII, 5, 4. Cauſa ſucceſſionis in regno Galliæ per Imperat. & Ordines deciſa in Comit. Francofurt. VI,3,5.
Gallia Germaniæ unita. III, 3,6. Gallia Germanica. II, 1,3. Gallia, refugium P.R. IV,5,10.
Gallicæ Eccl. libertas. VI,6, 1.
Gallicæ Eccleſiæ propoſitiones. Ann. 1663. VII,14,28.
Gallica Eccleſia ſibi Papam conſtituit. VI, 4,4.
Gallicanas diœceſes immediate Sedi R. ſubjectas eſſe Lazius ſtatuit, ſed falsò. I,10,3. Primates Gallici. ibid.
Gandersheim. monaſterium. III,4, 11.
Garantatores Pacis Franc. & Germ. III,1,12.
Gazari. V,5,1.
Geiſtliche Vorbehalt. VII, 11, 2. autores, qui de hoc argumento ſcripſerunt. ibid.
Georgius Dux Saxoniæ. VII, 2, 4.
Germaniæ amplitudo. I,3,2. In Germania Apoſtolorum ævo Chriſtiani. I, 4, 1. & mox Eccleſiæ Chriſtianæ, in utraque Germania. I,4, 2. Germaniæ diviſio in Cisrhenanam & Transrhenanam: Minorem & Magnam: Primam & Secundam. I, 4, 3.
Germaniæ Eccleſiarum liberta-

tatis adverſarius. I,3,7. fundamenta libertatis Eccleſ. Germaniæ: Unio cum Eccleſia Apoſtolica: I,3,4. ſummum Imperatoris Imperium: ib. reductio Regiminis S. ad ſtatum Carolinum. I,3,5. conſenſus Eccl. Gallic. I,3,6. Libertas & Concordia Eccl. Germ. ante Conſtantinum, ejus cauſæ. I,5,1. Libert. Eccl. Germ. ex Concil. Arelat. I,7,1. Eccleſ. Germ. DD. & orthodoxia. II,1,5. Eccleſia & Epiſcopi Germ. perſtiterunt in libertate uſque ad ſeculum VIII. Dependentia à Sede R. ſub Zacharia cœpit, ipſo fatente. II,6,1. Eccleſ. libertas minuitur. II,8,13. Libert. Eccleſ. Germ. poſt Bonifac. II,9,13. Libertas Eccl. Germ. ſub Carolo II, 11,12. ſub Henrico I. &c. III,4,8. Doctrina Eccl. Germ. de Cœlibatu ante Bonifacium: poſt eum. III,6,5. & 6 Lib. Eccl. Germ. in cœlibatu demonſtratur ex J. Can. III., 6,10. & 11. autoritas Eccl. Germ. apud Gallos. III,7,2. & 3. Eccl. Germ. felicitas. III,9,16. de Cura Eccl. Germ. Impp. III,9,17. lib. Eccl. G. tempore Henrici III. III. 11, 29. Libert. Eccl. Germ. defendit Fridericus II. V,9,3. & Epiſcopi. V,9,4. Eccleſiæ Germ. an obligatæ ad obedientiam P. R. Jure Div. vel Canone VI. Concilii Nic. VI,5,2. & ſeqq. An Eccleſiæ Germ. abſque aliis reformare poſſint? VII,6,11. Eccleſiarum Germ. prærogativa ex Jure Imperii. ibid. Libertas Eccl. Germ. VII,8,14. Eccleſia Germ. olim libera & una VII.14,1. poſt ſubdita certo modo. ibid. libertas reſtituta. VII,14,2. unitas rupta à Sede Rom. VII,14,3. coalita certo modo. VII,14,4. nec quoad confeſſiones ib. nec quoad regimen. VII,14,5. ſed per modum fœderis Sacri. ib. media retinendæ liberta-

tatis civilia: VII,14,6. & 7. Sacra. VII,14,8. comparatio ſtatus eccleſiaſt. veteris & novi. ibid. libertas reducta. VII, 14, 10. nutat in licentiam. VII, 14,11. Remedium retinendæ libert. ex Div. prudentia. VII,14,17. Remedia recuperandæ Unionis. VII, 14,18. ſpes de Curia Roman. VII,14,19. quædam. VII,14,20. nulla. ibid. 21. ſpes unionis, Concilio Nation. ibid. 22. & 23. difficilis. ibid. 24. ſpes unionis inter Eccleſ. Germ. VII,14, 30.

Germaniæ Epiſcoporum παῤῥησία & exprobratio ad Papam, V,2,8. Epiſcop. Germ. prærogativa. VII, 6,12.

Germaniæ fines Alpes potius, quam Danubius, I,4,5.

Germaniæ regni origo, III,1, 7. prærogativa regni German. III,1,8. libertas. III, 1,15. potior pars Regni Francor. III,3,10.

Germanorum coloniæ per Europam. II,1,3. irruptiones eorum in provincias Rom. II,1,1. Germanor. libertas. I,3,1. vetus. I,3,2. media. I,3,3. hodierna ibid. fundamentum libertatis Germanor. evertendum ſibi ſumſit Hildebrandus Papa. IV,1,6. & 7. contra propria facta. IV,1, 8. Libertatis German. præjudicium. IV,2,12. cauſæ. IV,2,13. Moribus Chriſtian. tum prætulit mores German. Salvianus. II,1, 2. Electio Papæ à Germanis facta. III,11,31. ſummum Jus in Urbem Romam & patrimonium Petri adſertum Germanis à Friderico Imp. itemque in Siciliam. V,1,9. 10. & 11.

Jo. Gerſonis fatum. VI,6,1.

De duplici Gladio novum dogma. III,11,23.

Gothorum Patriarcha. I,8,8.

Gradenſis Patriarcha. I,8,8.

Gradus VII. quis in Canon. Veter. III,10,8. Jus diſpenſandi in Gradibus prohibitis, & cognitionem in

cauſis matrimonii & divortii Imp. vindicat. VI, 3. 7.

Graduum computatio veteris Eccleſiæ eadem, quæ civilis. III, 10, 7. comput. grad. in Eccleſ. orient. III, 10, 9. Origo grad. comput. hod. J. Can. III, 10, 10.

Græca Eccleſia ad libertatem provocat contra ſedem Rom. cauſa: ſuperbia & avaritia S. R. V, 9, 1.

Gravamina centum German. VII, 2, 19. Imperat. Friderici gravamina contra Papam. V, 3, 6. Papæ contra Imperat. V, 3, 5. Statuum gravamina nova. VII, 12, 4. Statuum gravam. deciſa. VII, 13, 4.

Gregorii M. confirmatio exemtionis Monaſterii S. Medardi Sveſſione. ſublectæ fidei. II, 5, 6. & 7.

Gregorii II. intentio. II, 7, 11.

Gregorius VI. P. R. depoſitus. III, 11, 11.

Gvelforum & Gibellinorum origo. V, 10, 2.

Gvido pro Imp. contra Arnulphum à Papa declaratus. III, 4, 1.

Guntherus Imp. VI, 3, 10.

Guntramnus confirmat Concil. II. Matiſconenſe. II, 2, 1.

H.

HAdrianus VI. P. M. intendit Reformat. ſedis & Eccleſiæ. VII, 3, 1. ſed morte præventus. VII, 3, 2. ejus laus. VII, 14, 19.

Hæreſis Henriciana. IV, 4, 3.

Hæreſis Hildebrandina. IV, 5, 20.

Hæretici an capitaliter puniendi? III, 11, 20.

Hæretici ob quas cauſas tolerandi? V, 8, 10.

Hagenoenſis conventus, VII, 6, 4.

Hamburgicus Archi-Epiſcop. II, 12, 27.

Helveticus motus ob religionem. VII, 5, 1.

Henrici Brunſvicenſis cauſa. VII, 7, 2.

Henricus Auceps. III, 4, 5.

Henricus II. Imp. re prius, quam nomine aut coronatione Rom. III, 9, 1. & 2. etiam

etiam agnitus à Papa ante Coronationem. III,9,6. coronatus. III,9,9. Superioritas ejus in S. R. III,9,12. privilegium ejus, ibid. 13. reſervata in S.R. & patrimonium Petri. ibid. 13. & 14.

Henricus III. reformat Eccleſiam Rom. III, 11, 15. ejus geſta contra Manichæos. III, 11, 20.

Henricus IV. infeliciter educatus. IV, 1, 4. accuſat Saxones apud Papam. IV, 2, 4. excommunicatus. IV, 2, 10. & 11. impetrat abſolutionem cum præjudicio Libert. Germ. IV, 2, 12. pœnitet eum pacti cum Papa. IV, 3, 1. excuſat ſe Statibus. ibid. Quær. an juſte? aff. ibid. 2. usque ad 7. arma ejus juſta. ibid. 12. victoria. ibid. 13. continuat bellum civile. IV, 4, 1. filius ejus ab ipſo ſecedit. ibid. 2. uxor etiam divortit. ibid. iterum victor. ib. alter filiorum & Cancellarius etiam ſecedunt. IV, 4, 4. captivus tandem obiit. ibid. cauſæ hujus eventus. ibid. 5.

Henricus V. inconſtans repetit Inveſtituram Epiſcopor. & reddit. IV, 5, 1. renunciat Juri ſuo de Inveſtit. Epiſcop. ibid. 6. an Juri etiam ordinandi ſedem Rom.? ibid. 8. ad veram & non ſimulatam adhortatur libertatem, ibid. 16. ſed fruſtra. ibid. 17.

Henricus VI. in conſortium Imperii adſcitus. V, 5, 5. coronatio ejus denegata à P. R. ibid. coronatio Romana non ſine præjudicio. V, 7, 1.

Henricus VII. Romæ exercet judicia: dignitatem Senator. diſtribuit: coronatur: contra perduelles fert ſententiam: Papæ negat Juramentum fidelitatis: excommunicatur. VI, 1, 3. toxicatur. ibid. 4. valor excommunicat. expenditur. ibid. 5.

Henricus Landgravius Thuring. Procur. S.R.I. V, 8, 8.

Henricus de Raſpe Landgrav. Thuring. eligitur Rex Roman. V, 10, 13.
Hermanni Elector. Colon. reformatio. VI, 6, 3.
Hierarchiæ fundamenta. II, 12, 23.
Hierarchia Cleri Gallici. III, 2, 6.
Hierarchia & Heterodoxia æmulæ. III, 1, 2.
Hieroſolymitanus Epiſcopus. I, 9, 7.
Hierotyrannis. V, 4, 15.
Hildebrandus Papa electus probibet Inveſtituram ab Imperatore impetrare. IV, 2, 1. ejus Decretum de Inveſtitura Epiſcop. Imperatori auferenda. IV, 3, 7. Decreti confirmatio. IV, 3, 9. color. ibid. 10. ejus vaticinium fallit. ibid. 13. judicium in eum, duplicis criminis reum. ibid. 15. principia ejus. ibid. 17. moritur. ibid. 18. Ejus reformatio conſiderata. ibid. 19.
Hiſpan. Eccleſia ſubeſt Eccleſiæ Rom. III, 12, 10. Hiſpan. Reges Imperatoris Titulum adfectant. III, 12, 3. &c.
Holſatorum nomen. II, 8, 5.
Homagii natura & origo. II, 12, 12.
Homagium Civium Rom. & SC. de Jure Imp. in ſedem Rom. III, 5, 11. vid. §. ſeqq. Romæ præſtatur Imp. Lothario homagium. III, 1, 3.
Homagium Romani Germanis præſtiterunt. II, 12, 4. Francorum & Germanorum. III, 1, 1.
Hugo, Imp. papalis. III, 4, 2.
Huldigen. *III, 9, 10.*
Mos, Humeris portari. II, 9, 3.
Huſſitica doctrina condemnata non ſine motu Eccleſiæ & Reip. VI, 5, 16.

I.

IMaginum adoratio ſtabilita in Conc. II. Nic. II, 10, 2. condemnata in Conc. Francofurt. Caroli M. invitis legatis Rom. ibid. Rat. Dec. II, 10, 3. Diſſentient. reſponſum. II, 10, 4. lis de eorum cultu. II, 10, 1.
Imperatoris autoritas. III, 1, 15. Jus deponendi Imperat.

nec

nec Papa nec Status Imperii habent. III, 8, 22. & 23. Dogmata de Impp. dependentia à Papa. VI, 2, 2. refutata, & Independentia Imp. adſerta ex Jure Div. ibid. 5. Otto III. ſtabilit Germanis Jus Eligendi Imperat. contra Romanos. III, 8, 1. conſentiente Papa S. P. Q. R. ibid. etiam contra externas nationes ibid. 8. Jus Papæ circa Electionem Imp. V, 8, 2. Jus Impp. in conſtituendis Epiſcopis. IV, 3, 11.

Impp. German. Jus: 1. Succeſſio in Jus Imperii: 2. Acquiſitio directorii in Eccleſia externa & univerſ. III, 12, 6. Jus circa regna Chriſtiana ejusdem. III, 12, 7. & 8. Impp. Germ. jus ſuum conſervarunt, III, 4, 3. & 4. Imp. R. German. prætenſio in Hiſpaniam. III, 12, 1. fundament. III, 12, 5. Imperator abrogat cum Concilio Papæ Pontificatum. IV, 2, 6. non ſine tumultu, ibid. 7. Imperator an ſit Papæ ſubjectus? ibid. 15. 16. & 17. Impp. Papales. III, 4, 1. Pontificis uſurpatio Imperii in Imp. & excommunicatio. IV, 2, 9. & 10. Impp. ſimul plures. V, 5, 5. Jus Imperat. circa Sacra. III, 7, 1. Reliquiæ Juris Imp. circa S. IV, 5, 33. Imp. Jus circa S. aſſertum in Comit. Spir. 1544. VII, 7, 3. plenitudo poteſtatis Imperat. circa S. agnita ab Epiſcopis. ibid. 4. Jus vitæ & necis in Imperat. prætenſum. IV, 4, 6.

Imperia IV. univerſalia ſunt Juris Div. III, 12, 5.

Imperii abrogandi cauſa proxima non eſt jus reſiſtendi, ſed ſolvendi homagii, id quod non penes obligatum, ſed ſuperiorem h. e. legem vel judicem. III, 8, 28. ſententia ſtatuũ Galliæ. III, 8. 31. forma Imperii hod. III, 8, 27. Attentata contra Imperii Germ. libertatem. III, 4, 1. Jus Imperii an præſcribatur? III, 12, 14. Imperii Roman. partitio à

Conſtantino M. I,4,7. Imperii Rom. transmiſſio in poſteros Caroli M. III,2,1. & conſequenter in R. Ludovicum & Carlomannum Reg. Germ. III, 2, 2. quos defraudat Carolus Calvus & Pont. R. III,2,3. Hoc Imperium R. non rite quæſitum, vindicatum jure à Regibus Germ. III,3, 1. & 2. obtentum. III,3,4. à Papa agnitum hoc Jus. III,3, 5. fratri ceſſum. III,3,6.

Imperium à Deo immediatè. V,2,6.

Imperium Noſtrum unde Sacrum dictum? I,3,4.

Imprudentia fatalis. IV,2,10.

Index expurgatorius. VII.9.9.

Indulgentiarum origo. III,1, 2. Jus tributi per Indulgentias quæſitum. VII,1,8. Origo gravaminum Eccleſiar. de indulgentiis. VI,4 7, & 8.

Infallibilitas Pontif. Roman. tempore Lotharii ignorata. III,1,5. non credita à Germanis. III,9,15. promiſſio Div. de infallibilitate Eccleſ. Roman. III,7,13. promiſſio Infallibil. Eccleſiæ univerſæ, non locali Rom. data, III,7,14. & 18.

Innocentius XI. P. M. II,9,3. ejus locus. III,7,19.

Inſignia Imperii certæ figuræ reddita. III,9,7.

Inſtructio Catechetica. VII, 14,15.

InterimiſticaConſtitutio. VII, 8,4. ejus executio ex parte Epiſcoporum. VII,8,6. ſtatuum reformatorum ſententiæ de eadem. VII,8,9. Phil. Melanchthonis. VII,8 10. & 11. Flacii. VII,8,12. Interim repudiatum ſalva libertate Eccl. German. & Jure Imp. circa S. VII,8,13 qui conſtitutionis executionem ſuſpendit in Comit. 1555. VII,8,14.

Interpretandi S. Scripturam libertas penes ſingulos Chriſtianos. I,2,18. ad Analogiam fidei. ibid. duæ Regulæ. I,2,19.

Interregnum ab exceſſu Ludovici Imp. VI,3,10. Interregnum fatale. V,10,4.

Inthroniſatio. II, 4, 2.
Invaſor Regni Gall. Hugo per ſynod. Imp. Germ. citatur & excommunicatur. III, 5. 3. *executor excommunicat. Otto M.* III, 5, 5.
Inveſtitura. II, 4, 2. *vid. Epiſcopus. Inveſtituræ natura & origo.* IV, 5, 24. *uſus.* IV, 5, 25. *eſt pars Majeſtatis.* IV, 5, 26. *differentia ab ordinatione ibid. finis & effectus.* IV, 5, 27. *an ceſſio ejus utilis Eccleſiæ & Reip.* IV, 5, 30. *Laica inveſtitura an hæreſis.* IV, 5, 18, & *ſequentib.*
Jodoci Regis Rom. capitulatio III, 8, 33.
Johannes XII. P. R. perjurus, à Romanis accuſatus apoſtaſiæ: ſacrilegii: ſtupri: abortus procurati: ſtupri violenti: neglectus ædium ſacrarum: rebellionis. III, 5, 10. *deprecatur: fingit de quo expoſtulet, & receptat hoſtem Eccleſiæ & Imperii.* III, 5, 11. *judicatus & depoſitus à Concilio, cujus Aſſeſſores è Clero: Senatu: Populo.* III, 5, 15. *teſtes de ejus criminibus.* III, 5, 16. *citatus.* III, 5, 19.
Johannes XXII. P. R. hæreticus declarat9. VI, 2, 9. & VI, 3, 1. *in effigie executio contra profugum.* VI, 2, 9.
Johannis, Monachi S. Vincentii, ætas contra Voſſium. V, 7, 3.
Iſraëliticæ Eccleſiæ & Chriſtianæ comparatio. VII, 14, 34
Italiæ Regnum à Carolo M. conſtitutum. II, 9, 10. *Italia Germanis faſtidita.* V, 10, 9.
Jubendi vox à Gregorio M. reprobata. V, 6, 12.
Jubilæi anni origo. V, 10, 10.
Judæorum Patriarchæ majores & minores. I, 8, 8. *eorum ſynagogæ ſedes Antichriſti.* III, 7, 12.
Judicandi libertas Eccleſ. vel privata: correptio fraterna. I, 2, 3. *vel publica. ibid. eſt ſingulorum Chriſtianorum ad normam quidem S. ſcripturæ.* I, 2, 17. *fœminis hæc libertas denegata.* I, 2, 20. *item viris illitera-*

teratis, & ſolis θεοδιδάκτοις competit ibid.
Judiciariæ rei autoritas apud Rom. III, 8, 24.
Judicium ſupplicationis & Appellatio ut differant? I, 6, 9.
Juliacenſis cauſa. VII, 12, 5.
Julii Pflugii & Nic. Ambsdorfii cauſa. VII, 7, 2.
Juramentorum Galliæ & Germanor. formulæ. vett. III, 1, 1.
Juramenti formula emendata VII, 7, 4. Juramenti vis. IV, 3, 3. Juramentorum de Inveſtit. Epiſcop. Imp. auferenda, hinc inde præſtitorum vis. IV, 5, 2.
Juriſdictio an Pontifici Romano competiit? neg. I, 9, 14. Juriſdictio Eccleſ. in cauſis miſerabil. perſonarum. II, 5, 1. concurrens cum Juriſdict. civ. II, 5, 2. ab Innocentio III. coërcita ibid.
Juris Saxon. editio repurgata deſideratur. V, 1, 8.
Jus appellandi in Eccleſ. I, 2, 9 I, 6, 4.
Jus Canon. vetus & novum II, 12, 25. & 26.
Jus exequendi. I, 2, 10.
Jusjurandum DD. Academic. IV, 7, 11. Jusjurandum Papæ & procerum Rom. III, 5, 8.
Jus populi. I, 2, 13. I, 5, 3.

K.

Kätzer. V, 5, 1.
S. Kilianus. II, 8, 2.

L.

Lambertus à Papa Imp. creatus. III, 4, 1.
Laureacenſis Eccleſia. I, 4, 12.
Legati nati. IV, 2, 3.
Legationes, arcanum ſacræ dominationis. IV, 2, 3.
Legatio papalis quomodo accepta & dimiſſa à Friderico Imp. V, 2, 3. & 4.
Legatorum Imp. Friderici error. V, 4, 8.
Legendæ Eccleſiaſt. I, 10, in f.
Legum ferendarum Jus an competiit Pontifici Rom.? neg. I, 9, 13.
Leonis IV. electio. II, 12, 10.
Leonis VIII, electio. III, 5, 19.
Leo IX. P. R. III, 11, 18. ejus geſta contra Simoniacos:

Beren-

Berengarium. III, 11, 22.
Leptinæ. II, 8, 8.
Leudes. I, 7, 5.
Lex Regia. II, 11, 4. repetita III, 25. ſeqq.
Libertas Eccleſ. & Reip. conſpirat. II, 12, 1. Libertas Sacra & Civilis ut differant? I, 2, 4. Libertatis civilis gradus. I, 2, 5. Subjectum imperans: parens: hinc Libertas publica vel privata. I, 2, 6. Maximilianus defenſor libertatis S. & Civ. una cum Rege Galliæ. VII, 1, 1. & 2. Carolus Calvus & Papa Joh. IIX. partituri inter ſe Imperii & Eccleſiæ libertatem III, 2, 3. Populus Rom. ad libertatem provocat contra ſedem R. & Conrado III plenum imperium rurſum offert. IV, 7, 12. & ſeqq.
Lingvæ vernaculæ uſus in Sacris. III, 4, 13.
Lotharii Regis divortium & ſubmisſio erga Rom. Pontif. III, 1, 4.
Lotharingiæ origo. ibid.
Lotharius, Imp. papalis. III, 4, 2.
Lotharius-Saxo, Imp. obſequioſus in Pont. Rom. Innocentium II. IV, 6, 1. repetit tamen Jus Inveſtituræ. ibid. 2. ſed mox deſtitit. ibid. 3. autoritate S. Bernhardi Abbat. Claræval. ibid. 4.
Ludovici Bavari Imp. electio variè relata. VI, 2, 1. facta diſſentiente ArchiEpiſcopo Colon. ibid. 2. & Papa. ib. libertatis aſſertor. ibid. 4. pacta inter eum & Fridericum Auſtriac. ibid. vindicat Jus circa Sacra. ib. 8.
Ludovici Pii donatio Paſchali facta cujus valoris? II, 12, 7. error ejus, II, 2, 5. exauctoratio ejus. II, 12, 23. Germani eum reſtituunt. ibid. 24. Seditio adverſus eum. ibid. 20.
Ludovicus, Imp. papalis. III, 4, 1.
Ludovicus Minorennis. III, 3, 7.
Lugdunenſis Epiſcopus reſtitutus. III, 5, 4.
Lugdunenſis Patriarcha. I, 8, 8.

Lutheri conjugium defenſum. III, 6, 15. *ejus perſona.* VII, 1, 10. *reprehendit indulgentias. ibid.* 9. *juſtitia cauſæ. ibid.* 11. *diſputationum inde ortarum fata. ibid.* 12. *Eraſmi Epiſtola ad Lutherum de his initiis Reformat. ibid.* 13. *cauſæ, ob quas Lutherus primò diſputationem cum Eckio declinaſſe videtur.* VII, 2, 4. *Diſput. Lipſ. relatio Moſellani ad Pflugium. ib.* 5. *Lutherus excommunicatus appellat ad Concil. generale. ibid.* 8. *proſcriptio ejus ab Imp. non executa. ibid.* 9. *obitur ejus.* VI, 7, 8.

M.

Magdeburgici Primatus & ArchiEpiſcop. origo. III, 7, 1. *Magdeburg. ArchiEpiſcop. collatio ab Imp. facta Wigmanno Epiſc. Citizenſi.* V, 1, 3.

Majeſtas Apoſtolica & plenitudo poteſtatis tempore Conradi III. aſſeri cœpta. IV, 7, 3.

Majeſtas Imperatoria & Regia differunt. III, 12, 9.

Major domus. II, 7, 2.

Manus mortua. V, 7, 3.

Marcus quis fuerit, ad quem Imp. Conſtantinus in cauſa Donatiſtarum ſcripſit. I, 6, 5. *Baronii emendatio rejecta. ibid.* 6.

Mareſcallus. II, 7, 4.

MARIÆ Ducis Sax. & Tremouilla, obitus & laus. VI, 1, 4.

Mariolatria. III, 2, 25.

Martinus IV. P. R. V, 10, 7.

Martisburg. Eccleſiæ origo. III, 7, 1. *Epiſcopat. Mersburg. reſtitutio.* III, 9, 4.

Maſſilienſium ſecta. II, 1, 5.

Maternus, Epiſcop. Colonienſ. I, 4, 6.

Matrimonium Sacerdotum confirmatum in Synodo Triburienſ. III, 4, 14. *prohibitum in Conc. Auguſt.* III, 6, 1. *dogma hoc vetuſtum. ibid.* 3. & 4. *prohibitum tempore Henrici III.* III, 2, 26. *Jus prohibendi Sacerdot. matrimomonium examinatur ex*

Jure

Jure publ. IV, 2, 21. ex Sacro. IV, 2, 22. ex praxi Eccleſ. pur. ibid. cauſæ matrimon. quatenus Eccleſiaſt. ibid. 19. LL. Eccleſ. circa matrimonium. ibid. 20.

Maxima Sequanorum. I, 4, 3.

Maximilianus Imp. defenſor libertatis S. & Civ. VII, 1, 1. ambit Pontificatum. ibid. 5.

Maximilian. II. Imp. conſultatio ejus in Comit. 1566. de alia; quam Tridentina, & legitima via, ineundæ concordiæ religionis huc usque prorogata. VII, 10, 7. Idem Imp. recuſat Papæ jusjurandum & obedientiæ promiſſionem. ibid. 8.

Phil. Melanchthonis ſententia de Adiaphoris & dogmatis fidei in Interim. VII, 8, 10, & 11.

Metenſis Epiſc. coercitio. III, 9, 4.

Metropolitæ. I, 8, 4. Metropolitæ exemtus. ibid. 8. Metropolitani omnes æquales. ibid. 5. Metropolit. libertas. I, 10, 15. Metropolitarum primates. I, 8, 6.

Minoritarum ordo recedit à S. R. VI, 2, 6.

Miracula Eccleſ. Occident. temporibus Reg. Franc. II, 1, 6.

Miſnenſis Eccleſiæ origo. III, 7, 1.

Miſſam Romæ ordinat Henricus II. Imp. III, 9, 15.

Mitræ gerendæ Jus. IV, 1, 22.

Moguntia prima Metropolis in Germ. à Carlom. II, 8, 12. Mogunt. ArchiEpiſc. autoritas. III, 11, 29. Moguntini ArchiEpiſcopi prærogativa. III, 1, 19. contradictio Gallic. ibid. Mogunt. ArchiEpiſc. cauſa renunciationis Henrici V. de Inveſtit. Epiſcop. IV, 5, 9. Tutor diœceſeos Mogunt. conſtitutus Trevirenſ. VI, 2, 3. Obtruſus Eccleſiæ Mogunt. ArchiEpiſcopus à S. R. admiſſus non eſt. ibid. Libertas Eccleſ. Mogunt. laus & confeſſio. VII, 13, 9. Mogunt. reformatio notabilis. VII, 8, 6.

8, 6. obſervationes hinc deductæ. ibid. 7.

Monarchia abſoluta in Eccleſia non datur. I, 5, 3. Monarchiæ papalis periodus. IV, 1, 1. initia parva. ibid. 2. progreſſus. ibid. 3. occaſiones. ibid.

Monaſteriorum vetus & verus uſus. III, 4, 12.

Morum reformatio reliqua. VII, 14, 15.

Moſellani Epiſt. ad Julium. VII, 2, 5.

N.

Nazianzeni oratio de Pace. VII, 14, 31.

Nicolaitæ qui? IV, 2, 23.

Nicolaus V. P. R. VI, 2, 9. Concordata Nicolai V. VII, 2, 12.

Norica Eccleſia. I, 10, 4.

Noricum, pars Germaniæ. I, 4, 5.

Nortmannorum migratio. IV, 1, 14.

Numburgenſis ſive Citicenſ. Eccleſiæ origo. III, 7, 1.

Nummi veteres. III, 9, 7. Nummus Friderici Sapientis, Elect. Saxon., itemque Gvilielmi Marchionis Montisferrati. V, 8, 8. Nummus Ottonis M. III, 5, 6.

O.

Obedientiæ ab obſequio differentia. VII, 10, 10.

Obedientia plurium Paparum. VI, 4, 7.

Obedientiæ ſponſio Eccleſ. ab ipſa ſede Rom. improbata. II, 6, 9.

Occurrendi mos. II, 12, 6.

Oecumenici titulus. II, 6, 12.

Petrus Johann. Olivi, frater Minorum, commentatus ſuper Apocalypſin. VI, 2, 6.

Ordinum Imperii catalogus apud Goldaſtum. II, 11, 9.

Ordurfenſe Monaſterium in Thuringia. II, 8, 6.

Origo Sereniſſ. Domus Bavaricæ & Palatinæ ad Rhenum. III, 3, 7.

Osborienſe Concilium. IV, 1, 18.

Otto M. pacem in Gallia fecit in Comit. & Synodo Ingelheimi habitis. III, 5, 3. in Italia contra tyrannos imploratur à Berengario. III, 5, 6.

5, 6. etiam à Papa: Epiſcopis: & Ordinibus ſecular. ibid. 7. is ordinat regnum Italiæ. ibid. coronatus, ibid. 8. ejus jusjur. in can. 33. diſt. 63. ſuſpectum. ibid. 9.
Ottonis III. providentia circa Jus elig. Imp. III, 8, 1.
Otto IV. Imp. V, 8, 1.

P.

Pactum Henrici IV. III, 8, 32.
Pactum Ludovici Pii cum Paſchali ſubleſtæ fidei. II, 12, 3.
Pactum perſonale quod? III, 5, 12.
Palatinatus. I, 4, 15.
Palatinæ Domus origo. III, 3, 7.
Pallii, Symboli ſubjectionis origo à Bonifacio. II, 6, 9. Pallii uſus Epiſcopis communis. I, 10, 15. II, 6, 6. conſenſus Principum in uſu pallii. II, 6, 7. Pallium, teſtimonium orthodoxias. ibid. 13.
Papæ autoritas in ſpiritualibus quæ? III, 1, 13. in civilibus. ibid. 14. ſub initio regni German. ibid. autoritas Papæ non eſt ſupra Concil. III, 7, 4. Baronii except. examinata, ibid. 6. appellatio ad Papam prohibita. IV, 1, 24. attentata Papæ civil. VI, 7, 5. Papa bellator. III, 11, 22. Burgundiam in clientelam recipit. ibid. 21. Jus cognoſcendi quat. Papæ competat. II, 4, 14. Jus creandi Duces invaſit Papa. IV, 6, 7. Jus eligendi Papam Carolo M. oblatum. II, 11, 1. E German. petendus Papa. III, 11, 12. & 31. Epiſcopor. Germ. epiſt. exprobrat. ad Papam. V, 2. 8. Papa dicitur amicus Imperatoris, & hic filius Papæ: ſalva ſuperioritate. II, 12, 13. Papa cedit Imperatori, agnoſcit urbis dominum, & declarat beneficii ſignificationem. V, 2, 10. citat Imperat. IV, 1, 25. & II, 4, 5. Jus deponendi Imp. Papæ nullum. III, 8, 22. Papa quid contulerit ab initio

electionem Impp. III, 8, 4. quid Ottoni I. & III. III, 8, 5. Reſervatum ejus in electione Imp. II, 8, 7. Jus Papæ circa Electionem Imp. V, 8, 2. uſurpatio ejus Imperii in Imp. & excommunicatio. II, 4, 9. & 10. Infallibilitas Papæ redarguitur. V, 10, 1. Papa an ſolutus Legibus? III, 5, 22. Papæ poteſtas LLatoria abolita in Eccleſ. German. VII, 13, 4. acquæſtus Papales. V, 10, 7. Verbum Dei Germani præferunt Decretis Papalibus. V, 2, 5. fundamentum Libertatis Germ. evertendum duxit. IV, 1, 6. & ſeqq. Duci Bohemiæ Mitram mittit. IV, 1, 21. Papæ nationales. VI, 4, 10. Papa recipit Nortmannos adjutores. IV, 1, 14. in præjudicium Impp. Germ. ibid. 15. Papæ mos occurrendi Imperatori & Regibus. II, 12, 6. Papa perjurus. III, 5, 10. Perſona Papæ an exemta? Rat. Dub. 1. ex Syn. Rom. Ann. 844. II, 12, 8. Reſp. 1. II, 12, 9. Reſp. 2. II, 12, 12. Rat. dub. 2. II, 12, 13. Reſp. II, 12, 14. Rat. dub. 3. II, 12, 15. Reſp. ibid. 16. Papa: Pontifex Maximus: vocabula communia. I, 10, 3. Poteſtas Papal. ut amittitur. III, 5, 18. Decrementum Pontif. poteſtatis. VI, 4, 4. per Germaniam abrogata. VII, 5, 8. Poteſt. Pontif. periodus. VI, 2, 5. plenitudo poteſtatis & Majeſtas apoſtolica Conradi III. tempore aſſeri cœpta, quam tamen adhuc reſtringebat poteſtas Cardinalium. IV, 7, 3. & 4. Poteſtas Papæ reſtricta etiam in patrimonio. III, 9, 14. unde & quanta? III, 7, 8. & 9. De poteſtate in Urbem Romam. IV, 7, 14. Prohedria P. R. II, 12, 15. & 16. Reformanti Papæ contraria Roma. III, 2, 6. & 7. cauſæ impedita reformat. ibid. 8. Papa recipit accuſat. Saxonum contra Imperat. IV, 1, 19.

mos tenendi Streguam Papæ ab Imp. V, 1, 7. obſequium erga Clerum non liberat P. à ſubjectione. II, 12, 17. Papa mutat titulum ordinandi S. R. IV, 1, 9. Titulus univerſalis Papæ à Gregorio M. reprobatus. II, 6, 12. à Leone IX. III, 11, 19. Tres Papæ ſimul: quartus accedit. ibid. 5. Jus, quod Papa in Urbem retinuit poſt translatum Imperium in Carolum. II, 11, 10.

Paſchalis quomodo conceſſerit ſummam poteſtatem Lothario, II, 12, 5.

Paſchalis II. P. R. prætendit totum Jus Concil. IV, 4, 3. item jusjur. ab ArchiEpiſcop. ibid. defenditur contra Baronium. IV, 5, 2. ejus orthodoxia de ſub utraque. ibid. 3.

Patriarchæ triplicis generis. I, 8, 6. & ſeqq. Judæorum. ibid. 8. Origo nominis à Judæis ad Chriſtianos pervenit. ibid. 10. & 11. Finis & Forma Patriarchatus. ibid. 12. præter facultatem ordinandi habuerint quoque poteſtatem judiciariam. ibid. 13. numerus eorum. ibid. 15.

Patriarchatus Rom. cauſa & origo, Juris Humani. I, 10, 5. Poteſtas an Apoſtolica? Neg. ibid. 7. Infallibil. & Independ. à Judicio. ibid.

Patriciatus. II, 7, 2. & 10. Patriciatus Franc. & Advocatia Eccleſ. ut differant. II, 9, 11. Patricii titulus callidè reductus. IV, 1, 10.

Patrimonium ſedis Rom. in Francia. II, 6, 4. Summum Jus in patrimonium Petri aſſervatum Germanis. V, 1, 10. De patrimonio apoſtolico Pauli ſententia. IV, 5, 17.

Patronatus Jus. IV, 3, 10.

Pauli III. P. R. reformatio repreſſa. VII, 5, 5. is reum ſeſe prodit. ibid. 6. ejus attentata. ibid. 7.

Paulus fundator Eccleſ. Rom. I, 10, 7.

Pau-

Pauperiores in Clerum an cooptandi. II,2,6.
Pax Confluentana. III,1,7. III,8,25.
Pax Oſnabrug. VII,13,4.
Pax Pragenſis. ibid. 2. Suſpenſa. ibid. 3.
Pax religionis prima. VII,5,1. ejus ratio. ibid. 2. confirmata anno 1534. ibid. 3. renovata anno 1539. VII,6,1.
Pax religioſa anno 1555. VII, 9,10. impugnata. VII,12,3. firmata & extenſa anno 1613. ibid. 6.
S. Petri prætextus à P. R. adhibitus. III,4,16. Petrus an & quando Romam venerit? I,10,8. & 9. S. Petrum nunquam fuiſſe Romæ, nedum ipſum eſſe Epiſcopum Rom. I,10. in fin.
Philippus Arabs primus Impp. fidem noſtram amplexus fertur. I,5,1.
Philippus Imp. defendit libertatem Electionis Imp. V,7,6.
Picturæ Lateranenſ. de inveſtitura Lotharii abolitio. V, 2,1.
Pipinius Rex Francorum à Papa declaratus, II,9,4. Papæ intentio. ibid. 5. Juſtitia pronunciati Papalis. ibid. 6. intentio & interpretatio Procerum. ibid. 7. Donatio Pipini quid S. R. acquiſiverit? ibid. 12. & 13. Pipini conſtitutio. ibid. 14.
Polithi locus ubi ſitus. III,9,6.
Pontificatus Max. Conſtanti-M. I,2,8. Caroli M. ibid. 10.
Pontificiæ Aulæ contradictum à Bernhardo. IV,7,7. in Academiis. ibid. 8. Pontificis Rom. inſpectio communis in orthodoxiam & obſervationem Canonum. II,6,10. etſi Pontifices rite ordinati poſſunt tamen eſſe AntiChriſti. III,7,12. Redunitio Pontificatus an ex re fuerit Germ. VI,5,2.
Populi Jus. I,2,13. I,5,3. Populi Jus in electione Epiſcopi. II,3,1. & 2. per Canones Concil. ibid. per Conſtitutiones Regum. ibid. 3. Populi Jus circa liturgiam. VII,14,9. Populi Roman. poteſtas ſupra Papam.

pam. III,5,14.
Poſſeſſio bonorum Eccleſiaſtic. approbata. VII,7,4.
Poteſtat. Imperatoriæ univerſalis fundamentum. I,1,16.
Præcedentiæ ratio. III,1,16.
Prærogativa Sedis Rom. ſalva libertate Eccleſ. Occident. I,7,8.
Precum primariarum Jus. VI,5,11.& in Add.
Presbyteri reformati approbati in Comit. Noricis. VII, 3,6.
Primæ Sedis Epiſcopus. I,8,5.
Primas Rom. in Galliis, Epiſcopus Arelat. I,10,4. III, 2,7. Primates. I,8,5. Primates perpetui cum jurisdictione. IV,3,8.
Primatum origo. II,6,6.
Primatum primus. I,8,7.
Primatus Rom. origo, & ejus cauſa 1. Urbis dignitas. I, 9,9. orthodoxias ſollicitudo. ibid. 10. Poteſtas tamen fuit reſtricta ad occidentem, neque in univerſum. ibid. 11. & 12.
Principum Jus circa Sacra. VII,14,9.
Privilegii papalis vis. IV,2,3.
Procedendi modus illegalis non tollit Jus procedendi. III,8,27.
Progenies ſeptima. III,10,8.
Prophetiſſa de exercitio doli Eccl. Rom. V,5,2.
Proteſtatio contra Receſſ. Spirenſ. unde Proteſtantium denominatio. VII,4,4. diſſidium internum inter Proteſtantes Theologos. ibid. 5. quod ſopiri tentatum in Colloquio Marpurg. ibid. 6. amicitia Proteſtantium cum exteris. ibid. 4,19. illorum deliberatio de compon. dogmat. controverſ. VII,6,2. Proteſtantium Eccleſ. diſſidia domeſtica, hinc Colloquium Altenburg. ſed ſine fructu. VII, 11,7.

Q.

Quedlinburg. monaſterium. III,4,11.

R.

Ratisbon. Colloquium 1544. in quo tractatur compoſitio religionis. VII,7,6. exitus colloquii. VII,7,7.

cauſa abruptionis. VII, 7,8.

Receſſus Imperii de A.C. 1344. VI,3,6. *Rec. Imp. Francof.* 1347. VI,3,10. *pro libertate Germ. Rec. Imp.* 1524. VII,3,5. *Rec. Spir.* VII, 4, 2. &c. *Rec. Imp. Ann.* 1530. *agnoſcit pro norma dijudicandi cauſam religionis tantum S. Scripturam.* VII, 4,13. *Receſſ. Auguſt.* 1548. VII,8,1. *Rec. Imp.* 1557. *notabilis.* VII,9,11. & 12. *Rec. Imp. anno* 1641. VII, 13,3.

Referendarius quis? II,7,6.

Reformatio à Ludovico Pio cœpta. II,12,19. *Reformanti Papæ contraria Roma.* III,11,6. *cauſæ impeditæ reformat. ibid.* 8. *Henricus III. Imp. cum Pontifice reformat. Eccleſ. Rom., quanquam hic remiſſior. ibid.* 15. *Papalis reformationis imperfectio. ibid.* 21. *Hildebrandi reformatio examinata.* IV,3,19. *ejus intentio. ibid.* 21. *abuſus reformandi. ib. reformatio abrupta.* III,3, 20. *Reformat. primordia lenta ex Gallia, Anglia, & Bohem.* VI,4,1. & 2. *Reformatio quid?* IV,3,22. *Reformatio urgetur ab Imp. Sigiſmundo & Germanis, ſed fruſtra.* VI,5, 12. & 13. *cauſæ: imminuta autoritas Imp. & neglectus Concilii Nationalis.* VI,5,14. *formula Reformat. & neceſſitas. ibid.* 15. *Reformatio in Concil. Baſil. cœpta.* VI,6,3. *quam reſpuit Curia Rom. ibid.* 6. *Reformatio Nic. de Cuſa in Germania.* VI,7,9. *deſideria Reformat. ibid.* §. *ult. Neceſſitas* VII, 1, 7. *Imp. Carolus V. & Status Imperii unanimiter urgent gravaminum ſolutionem & reformation.* VII, 2,6. *Spes reformat. univerſalis.* VII,3,7. *Reformatio univerſ. impedita per diſcordiam ordinum.* VII,4,1. *ejus cauſæ. ibid. Ordo reformandi à moribus ab Imp. & Eccleſiis in Con-*

Concil. Trident. deſideratus, neglectus. VII, 10,3. Intentio Reformatorum optima: ab adverſariis circumventa. VII, 14,13. de Regula reformat. ibid. 26. An ab abuſibus principium Reformat. fiat? VII, 14,27.

Regaliæ Jus. V,6,1. & 3. Juris iſtius origo & differentia ab Annatis, & Inthroniſticis, & Emphaniſticis. ibid. 2. eſt Jus Imperii. ibid. 4.

Regimentum Imperii formulam reformat. fieri jubet. VII,2,7.

Regiminis Eccleſ. forma ac gradus. I,5,2. Regiminis Eccleſ. libertas ſub Regibus Francor. II,2,1.

Regis Rom. titulus revocatus. V,8,8.

Regnum ab Imperio quomodo differat?

Regulæ Cancellariæ. IV,3,3.

Regum Francor. Jus in conſtitutione Epiſcoporum. II, 4,1. II,8,11. quod dictum Inveſtitura, Inthroniſatio. II,4,2. exegerunt à novellis Pontific. confeſſionem fidei. ib.3. Eleemoſyna Regis quid ſit? II,5,2. Controverſia de Jure excommunicandi Reges ventilata. III,1,18. & 19.

Reip. Germ. forma juncta Imperio Rom. fuit ſtabilita ab Ottone M. etiam ante coronationem Pontif. III, 5,1. & 2.

Reipubl. partes duæ: Sacra & Civilis. I,1,12. non dantur duo Reip. capita. ibid. 15.

Religionis liberum exercitium incrementa cepit. VII,6,3.

Religioſis profeſſio paupertatis haud neceſſaria. II,1,5.

Reſiſtendi Jus legitimum quod? III,8,31.

Rhætia, pars Germaniæ. I,4, 5. Rhætica Eccleſia. I,10,4.

Rhemenſis ArchiEpiſcop. reſtitutus. III,5,4. Lis de Eccleſia Rhemenſi arbitrio Eccleſ. Germ. potius, quam Sedi Rom. ſubmiſſa. III, 7,3.

Roma capitur ab Henrico IV. IV,3,3. à Carolo V. 7: 4,2.
Romanenſ. ambiguitas. V,2,7.
Rudolphi Comit. Habsburg. electio. V,10,6.
Rupertus Imp. VI,4,9.

S.

Sacerdotium dependet ab Imperio. I,1,12. & non dependet. ibid. 13. Jus ordinandi Sacerdotes penes quem? I,2,14. M. A. de Dominis ſententia hac de re. ib. 15. rejecta. ibid. 16. Sacerdotium Regale quid? IV,7,5. Iſraeliticum. ibid. 6.
Sacerdotum conſtitutio ſuis conſtat partibus. IV,3,10. & 11. Vid. Matrimonium.
S. Poteſtas circa Sacra Imperatori reſervata. I,6,2.
Sacramentorum formulæ in lingva Franc. & Teudiſca. III,1,1.
Sanctio pragmatica. VI,6,11. Sanctio pragmat. Reg. Galliæ juſſu Imp. publici juris facta. VII,1,3.
Sardinia redunita Imperio. V,8,4.
Satanæ artes, quibus utrimque decipit mortales. VII,14,14.
Saxones Anglicani. II,1,3. Alt-Saxones qui? II,8,5. Saxones Bojacaſſini. II,1,3. Saxoniæ Ducum Jus circa reformationem. VI,7,7. Eccleſ. Saxon. II,8,3. Marchio Saxon. in pago Cenomanenſi. II,1,3. Origo Sereniſſimæ Domus Saxonicæ. IV,4,1. Saxonum ſeditio: Papam implorantium. IV,1,5. accuſant Imperat. coram Pont. Rom. ibid. 19. forum incompet. ibid. 20.
Schiſmatis Rom. inter Octavian. & Roland. cauſa. V,4,1. delata Imperat. & Concil. Germ. ibid.
Scholæ Romæ nationales. II,9,14. Scholæ in German. ibid. & III,4,12.
Scriptores celebriores contra Imperium Pontifis. VI,2,7. pro libertate tempore Ludovici Bavari. ibid.
S. Scripturæ ſuppreſſio ab Hildebrando. IV,3,16.
Seceſſio juſta Statuum Imperii.

rii. VII,5,9. contra M. A. de Dom. ibid.10. & Gibbon. de Burgo defenſa. ibid. 11.

Sedes Rom. an tempore Ottonis M. receperit AntiChriſtum. III,7,10. Attentata minuta C. R. cavenda. VII,14,7.

Sedis R. nova calamitas. III,11,1. in ipſam quoque Eccleſiam redundans. ibid. 2. & 3. Gravamen S. R. adverſus Imp. de perceptione fructuum & mobilium ſede Epiſcopali vacante. V,6,1. Gravamina contra S. R. & Edictum. VII,1,3. occaſio S. R. occupandi Imperii. II,9,1. & 2. Independentia S. R. non diuturna. II,11,1. S. R. intendit independentiam, potentiam, & opes tempore Lotharii Sax. Imp. IV,6,5. & 6. affectat τὸ κύριον etiam in civilibus. VI,1,1. & 2. mos S. R. III,1,17. Henricus III. Imp. ordinat S. R. III,11,18. Papa mutat titulum ordinandi S. R. IV,1,9. Jus ordinandi ſub alio & privilegii titulo renovatum. IV,1,11. mutatio iſtius tituli an juſta? IV,1,12. & in Synodo Baſil. anno 1061. abrogata? IV,1,13. S. R. poteſtas mutabilis. I,10,12. ſolubilis. I,10,16. Imp. Conradus reformat S. R. III,11,3. Reformatio Curiæ Rom. à Pontifice detrectata. VII,4,17. Reſervata Henrici II. in S. R. III,9,13. & 14. Status S. R. ex colloquio ſecretiori Jo. Saresberienſis cum Hadriano IV. relatus. V,2,9. Sedis R. tituli ſunt mutabiles. I,10,10.

Seditio adverſus Imp. Ludovicum Pium. II,12,20. & ſeqq.

Seelen-Geräthe. II,1,5.

Jo. Semeca, primus JCtorum Germ. V,10,5.

Seminaria Eccleſ. & Reip. VII,14,15.

Senatores non ex infimo ordine. II,2,7.

Seneſcallus, qui Majori Domus ſucceſſit. II,7,4.

Senioratus Jus. III,1,16.

Senonenſis primatus. III, 2,7.
Sergii II. P. R. electio. II,12,8. III, 1, 3.
In Siciliam Germanis ſummum Jus adſertum. V, 1, 11. Regnum Siculum Imperio incorporatum. V, 7,3.
Sigeberti R. reſcriptum juris ſui conſecratorium. II, 4,5.
Sigismundus Imp. VI, 5, 1. repetit Jus primariarum precum. ibid. 11.
Simoniæ natura. III, 11, 13. & effectus. ibid. 14. diſpenſatio cum Simoniacis. ibid. 16. Simonia eſt hæreſis. ib. 17. quat. eſt hæreſis. IV, 2, 18.
Siniſtra an dextra honoratior. I, 7,7.
Sitonum & Sveonum regna. I, 3, 2.
Smalcaldicum fœdus. VII, 4, 14.
Societas hominis cum Satana vel interna vel externa. I, 1, 8.
Sonia quid? IV, 3, 12.
Status Imp. an Jus habeant deponendi Imperat.? III, 8, 23. Diſcordia Statuum impedit reformat. univerſal. VII, 4, 1. diſcordiæ cauſa. ibid. quæ ſedata videbatur per Rec. Imp. anno 1526. ibid. 2. ſed reſuſcitata in Comit. Spirenſ. ann. 1529. ibid. 3. Libertas Statuum à S. Reip. poteſtate eſt tuenda. ibid. continet Jus contradicendi & reſiſtendi: Jus belli defenſivi, victoriæ. III, 8, 24. Jus Stat. hod. ibid. 27. Statuum Jus circa Reformationem Eccleſiæ. VI, 7, 6. ſpeciatim Ducum Saxoniæ. ibid. 7.
Statuum regni German. libertas. III, 1, 10. Statuum ſecularium libertas circa Religionem defenſa. VII, 6, 13. &c. Jus circa Sacra ſtatibus vindicatum. VII, 3, 5. aſſertum in Comit. Spir. 1544. VII, 7, 3.
Stephani III. Papæ ingenium. II, 9, 3.
Stephani IV. P. R. ſubmiſſio. II, 12, 1. & ſucceſſorum. ibid. 2.
Stregua, Strepa. V, 1, 7.
Succesſio Carolinæ ſtirpis ceſſat,

ſat, nec dum ipſa ſtirps ceſſare putatur. III, 3, 7. Conſtitutio de ſucceſſione hereditaria Imperii Germ. V, 7, 3. Succeſſio mulierum. ibid.

Superioritas territor. ſtabilita. V, 10, 5.

Æneas Sylvius ſibi contrarius. VI, 7, 3.

Synodus Altheimenſ. III, 4, 6. Synodus Erfordienſ. III, 4, 11. Synodi VIII. Gener. intellectus. IV, 3, 11. Jus Synodi habendæ quat. Papæ permiſſum. IV, 2, 2. Synod. Mogunt. IV, 1, 23. Synodus Nicen. II. etiam Conſtantinop. dicta. II, 10, 4. Synodus Oecumen. VIII. duplex: confirmatur autoritate. II, 10, 5. & ſeqq. Synod. Triburienſ. III, 4, 14.

T.

Teſtamenti capio conceſſa Eccleſ. à Conſtantino. I, 6, 2.

Theopolis. I, 8, 15.

Thimo Marchio Landsbergiæ acquirit Marchionatum Miſniæ. IV, 4, 1.

Tigurinum ſtudium. IV, 7, 10.

Tituli S. R. ſunt mutabiles. I, 10, 10. affectatio tituli, Papæ univerſal., exprobrata. III, 11, 19.

Traditio. I, 2, 20. Traditores qui? I, 6, 7.

Transactio Cadavenſis. VII, 5, 3. Paſſavienſis. VII, 9, 7.

Trevirenſis ArchiEpiſcopus. III, 4, 10. Trevirenſ. Eccleſia. I, 4, 6. Trevirenſ. Eccleſ. dignitas. III, 5, 4. Trevirenſ. Electoratus. III, 8, 8. & 9. Controverſia de ſucceſſione in Eccleſ. Trevir. V, 5, 3. ejus juſtitia. ibid. 4.

Treviris, metropolis diœceſeos Gallic. I, 4, 8.

Triburium ubi? III, 4, 15.

Tributi Jus denegatum Papæ. V, 10, 8. per Indulgentias quæſitum. VII, 1, 8.

Tridentini Concilium à Pontifice indictum & ſtatim ſuſpenſum. VII, 7, 1. cœptum

ptum 1545. VII, 7, 6. Recuſatio Concilii Trident. VII, 7, 9. In Comit. an. 1548. Concilium Trident. ab Imp. acceptum : ſed modus tractandi definitus alius & melior. VII, 8, 1. Concil. Tridenti renovatum. VII, 9, 1. Legati Proteſtantium ad Concil. veniunt, emanentibus Gallis & Helvetiis. VII, 9, 2. itemque Theologi quidam. VII, 9, 3. Decreta Concil. Tridentin. ipſo facto rejecta. VII, 9, 7. Concil. Trident. denuo recuſatum à Proteſtantibus. VII, 10, 1. cauſæ. VII, 10, 8. Concil. à Papa finitum, invito aut connivente Imperat. Ferdinando. VII, 10, 4. Concil. Trident. Decretorum publicatio & autoritas: in Italia: VII, 10, 5. Gallia. ibid. 6. Hiſpania. ibid. Germania. ibid. 7. Concil. Trident. autoritas in Gallia. VII, 14, 24.

Tridentum aliquando propria Sedis Rom. VII, 7, 9.

Turcarum impetus in Europam. VI, 4, 3. Lipſii vaticinium de iis. ibid.

Turmæ Epiſcoporum & Presbyterorum. I, 8, 9.

Tutor Eccleſiæ Mogunt. VI, 2, 3.

V.

Vel, conjunctiva particula. II, 3, 4.

Verdenſis Eccleſia. II, 8, 3.

Veſtimentum Paſchale. II, 6, 13.

Vexillum urbis Romæ Carolo M. oblatum. II, 11, 2. item Hieroſolym. ibid. 3.

Vicariatus, arcanum Sacræ dominationis. IV, 2, 3. Vicariatus olim perſonalis. II, 6, 6. Vicarii Imperii generales & particulares. V, 8, 8. Vicarii S. R. Moguntinus & Bremenſis. IV, 2, 2. Vicariatum Carolus Calvus reducturus impeditur. III, 2, 7. Vicarius P. R. Epiſcopus Arelat. II, 6, 5. Bonifacius Vicarius Papæ per Germaniam. II, 8, 4. Vicariatus Rom. ceſſat

ſat morte Bonifacii, ſed ejus effectus varii. II, 8, 13. Vicarius in Gallia Germaniaque à P. R. deſignatus in Synodo Gallicana Vernenſi non admiſſus. III, 1, 6.

Jo. Vicelii Via Regia & Elenchus abuſuum. VII, 10, 4.

Victor III. AntiPapa. IV, 4, 1.

Vindelicia pars Germaniæ. I, 4, 5.

Vita monaſticæ & Canonicæ uſus. III, 4, 11.

Ultrajectinus Epiſcopus. II, 8, 1.

Unio & Liga Anno 1610. VII, 12, 5.

Unionis plurium populorum ſpecies. II, 11, 7.

Votorum pluralitatis regula limitata. V, 4, 11.

W.

Waldenſes. V, 5, 1. inquiſitor contra Waldenſes occiſus. V, 9, 4.

Weſtphal. Eccleſ. II, 8, 3.

Wilhelmi III. Ducis Sax. pragmatica ſanctio an. 1446. VI, 7, 8.

Wilhelmus Comes Hollandiæ Rex Roman. V, 10, 4.

S. Wilibaldus. II, 8, 2.

Wormatienſe Colloquium, VII, 6, 4. alterum anno 1557. ſine effectu & quare. VII, 9, 13. & VII, 11, 4. &c.

Wurtzburgenſis Eccleſia. II, 8, 2.

ADDENDA
AD
Lib. VI. Cap. V. §. XI.
De
PRIMARIIS PRECIBUS.

DIximus *Preces primarias* partem eſſe Juris circa ſacra Imperatoris: ejusque exercitium *ſpecialiter conceſſum* fuiſſe etiam *Statibus Imperii*. Porrò autem, ſicut totum jus circa ſacra communicari poteſt Statibus, *titulo ſuperioritatis* territorialis, ita etiam hæc ſpecies communicabilis videtur. Certè conſtat, exerceri jus primariarum precum à Sereniſſimo Electore *Brandeburgico*, & ſpeciatim à Sereniſſima conjuge, in omnibus Monaſteriis Virginum in territorio Brandeburgico. Sed & jam tum olim tempore Caroli IV. Imp. Archiepiſcopus *Moguntinus* Gerlacus exercuit hoc jus anno 1346. præſentans Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & Conventui Cœnobii Sanctimonialium in Hüstorff, Ordinis S. Benedicti, certam perſonam, ut ex tenore diplomatis patet: *GERLACUS Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, dilectis in Chriſto religioſis, Abbatiſſæ, Prioriſſæ & Conventui Cœnobii Sanctimonialium in* Hüstorff, Ordinis S. Benedi-

nedicti, *ſalutem & ſincerum in Domino caritatem. Cum ſecundum antiquam & laudabilem conſuetudinem, jam longis temporibus inviolabilem obſervatam, ſinguli noſtri Prædeceſſores, ArchiEpiſcopi Moguntini pro tempore, non tantum in eccleſiis ſecularibus collegiatis, verum etiam in omnibus & ſingulis Monaſteriis & Cœnobiis Civitatis & Dioceſeos noſtræ Moguntinæ, porrigendo in ſuarum creationum primordio,* preces ſuas primarias *pro receptione unius perſonæ ad beneficium præbendale vel religionem ordinis loci, ad quem preces eorum direxerant, preces hujusmodi ſint hactenus velut rationabiles ut decet ſine difficultate qualibet exauditæ. Nos ipſorum Prædeceſſorum veſtigiis in talibus inhærentes, & tam approbatæ conſuetudini fortius innitentes, Vobis pro dilecta nobis in Chriſto juvencula,* Sophia, *filia Johannis dicti Schirmers, deſiderante Domino in Regulari habitu deſervire, preces noſtras primarias dirigimus, in his ſcriptis rogantes, & in Domino Vos accuratius exhortantes, quatenus eandem in religionis veſtræ conſortium recipiatis, ſibique, velut alteri de veſtris Monialibus & Conſortibus, præfati Cœnobii, absque difficultate de omnibus proventibus provideatis, eam caritatem in Domino protelando, ut ob inde ad veſtras & dilecti Cœnobii promotiones optimo tempore diligentius intendamus. Alioquin Honorabili Viro Cuſtodi Eccleſiarum Sanctæ Mariæ Erfordenſis præſentibus committimus, & mandamus, ut vos ad id auctoritate noſtra compellant* Eccleſiaſtiam *per* Cenſuram. *Datum Anno Domini M. CCC. XLVI. Kalend. Novembris.* At videtur tamen non caruiſſe tum hæc res controverſia, quod eadem perſona poſt biennium ab Imp. *Carolo IV.* primariarum precum diploma ad eundem Conventum impetrare habuerit, illud ita habet: *KAROLUS Dei gratia*

Romanorum Rex, Semper Auguſtus, & Boem. Rex, Honorabilibus & Religioſis, Prioriſſæ & Conventui Mon. in Hustorff, *Ordinis S. Benedicti, Moguntin. Diœceſ. devotis noſtris dilectis, gratiam regiam & omne bonum. Aſſumti divinitus, licet inſufficientibus meritis, ad culmen regiæ dignitatis, libenter prudentum Virginum, quæ ſpreto mortalis vitæ thoro, ei qui Sponſus eſt pro filiis hominum, deſponſari deſiderant, votis annuimus, & eorum pium propoſitum poſſint ad laudem Divini nominis adimplere. Cum itaque dilecta nobis in Chriſto SOFFIA, filia Johannis Saxonis dicti Schirmer, Notarii publici generalitatis Domini Moguntin., puella, cupiat, ſicut accepimus, una vobiſcum in Mon. veſtro ſub regulari habitu Virtutum Domino famulari, & nobis tam de jure, quam antiqua & approbata conſuetudine, Divis Roman. Imperatoribus & Regibus hactenus laudabiliter obſervata, competat in ſingulis, tam Virorum quam Mulierum, Monaſteriis quorumcunque ordinum, noſtræ ditioni ſubjectis, ſingulas præſentare perſonas, eas in eisdem auctoritate primarum precum noſtrarum recipi facere & admitti, Nosque eandem SOFFIAM, pro qua devotioni Veſtræ, tenore præſentium, hujusmodi primarias preces noſtras offerimus, in dicto Mon. veſtro ſincere diligimus promoveri. Eandem devotionem Veſtram requirimus & rogamus attente, Vobisque nihilominus per Regalia Sceptra mandantes, quatenus dictam* Soffiam, *ob precum & juris noſtri prædictarum reverentiam, Spiritualem in Veſtram & dicti Mon. Veſtri recipiatis Monacham & Sororem, regularem ei habitum, juxta præfati Mon. conſuetudinem, aſſignando, ac faciendo, ſibi de communibus ipſius Mon. proventibus, ſicut uni ex aliis prædicti Monaſt. Monialibus provideri, Jus noſtrum & dictam bonam Conſuetudinem nobis taliter ſerva-*

turæ,

turæ, quod jura, libertates & gratias Vobis & præfato Mon. veſtro, à prædictis Prædeceſſoribus noſtris conceſſas, nos delectet non minuere ſed augere. In quorum omnium teſtimonium præſentes ſcribi, & Sigilli Majeſtatis noſtræ munimine juſſimus communiri. Dat. in Dresden, *Anno Dom. Milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo octavo, Indict. prima, VI. Id. Decembr. Regnorum noſtrorum anno tertio.* Quod verò jus primariarum precum Electorale Brandenburgicum attinet, de eo Legati Electorales nuper ad Senatum Imperii in Comitiis Ratisbonæ congregatum hæc retulerunt: Hochwürdige/ Wohlgebohrne/ ꝛc. ꝛc. Nachdem von S. Churſt. Durchl. zu Brandenburg höchſtgeliebten Gemahlin / Churſt. Durchl. krafft Juris primariarum precum, einer Jungfr. von N. ohnlängſt eine præbenda in dem Stifft zu S. Marien/in Minden/ gnädigſt conferirt / und dieſelbe ad ſpeciale mandatum S. Churſt. Durchl. von dero Regierung daſelbſt dabey extrajudicialiter geſchützt werden / hat die Aebtißin des beſagten Stiffts/nebens einig wenig Jungfern / ſo ihr anhangen/ohne Vorwiſſen und Einwilligung der Decanuſin/und übrigen Stiffts-Jungfern/gantz vermeſſentlich und aus bloſſer Widerſetzligkeit und Ungehorſam darwider an das Keyſ. und Reichs Kammergericht zu Speyer/ und alſo in effectu nicht contra virginem proviſam, ſondern ab ipſa Sereniſſimæ Electricis conceſſione eine appellation zu erheben / und hierdurch Seiner Churſt. Durchl. competirendes/ und in denen Reichsſatzungen/Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, Capitulatione Cæſareæ, und notoriſchen obſervanz, gegründetes klares Recht und Befugniß in Streit und Zweifel zu ziehen/ mit nicht geringer Aergerniß und Frevel

 ſich

ſich unterſtanden / wie dann 1. und zuförderſt bey dieſem Werck zu conſideriren/daß dieſes eine Sache/ſo S. Churfl. Durchl. hohe Regalia und Landes-Fürſtl. Hoheit und Rechte betrifft/ darinnen dieſelbe kräfftigſt fundiret/ geſtalten denn auch dero Gemahlin/Churfl. Durchl. ſothanes Jus primariarum precum bey allen Jüngferlichen Stifftern/in dero Landen exiſtente caſu ſtets unwiderſprechlich exerciret hat. 2. Von keinem Theil ein libell übergeben/keine litis conteſtation gefordert/keine probation aufgenommen/noch einige Sentenz zwiſchen iemanden geſprochen/dahero 3. ſo viel weniger eine appellation in dieſer Sache ſtatt haben kan/ es ſey dann / daß man S. Churfl. Durchl wider alle Jura und hergebrachte obſervanz, die erſte inſtanz gar benehmen und abſchneiden wolte/maſſen denn auch 4. in denen R. Conſtitutionen heylſamlich und wohl verſehen/ daß wann Unterthanen wider ihre Landesherrn und Obrigkeiten ſich beſchweren / oder Klage führen wollen/welches noch viel mehr ſtatt hat/ wann es die ihnen competirende Jura betrifft/ſelbige nicht angenom̃en/ noch vielweniger mandata darinnen erkandt / ſondern erſt üm Bericht geſchrieben/ und die Unterthanen inmittelſt zum Gehorſam und Schuldigkeit an ihre Landes Obrigkeit deſto mehr verwieſen werden ſollen/weiln auch 5. Churfl. Durchl. zu Brandenburg / das Fürſtenthum Minden/ mit Juribus nullo excepto in Eccleſiaſticis & Politicis titulo oneroſiſſimo loco æquivalentis, durch den Weſtphäliſchen Frieden abgetreten/ und folgends deroſelben von niemanden Eintrag zu thun/auch ſie keiner Juriſdiction darüber zu erkennen, wiewol Sie endlich vor itzo und in dieſem Fall/ doch ohne præjudiz,

und ohne conſequenz nachgeben möchten/ daß die Aebtißin ihre vermeinte Klage vor die Auſtregas brächte/ ſo Erbietens genug / wo nicht mehr als zu viel / und iſt 6. noch ſonderlich wohl zu erwegen/ daß itzo zwey præbenden in dieſem Stifft vacant ſeyn / mit deren eine / diejenige Jungfer / welche von der Aebtißin (vorgeſchlagen) wird/ auch ohne Schmählerung S. Churf. Durchl. und dero Gemahlin Churfl. Durchl. (gerechtſame) providiret werden könte / woraus dann abermahls dieſer Aebtißin/ und dero Anhangs unverantwortlicher Ungehorſam ſo viel klärer erhellet/ welches alles dann auch dem Kammergerichte zu Speyer/ durch den darzu von S. Churfl. Durchl. contribuirten Anwald / in denen von der Regierung zu Minden übergebenen exceptionibus ſub- & obreptionibus & incompetentiæ & in duplica nicht allein vorgeſtellet / ſondern auch von obhöchſtgedachter S. Churfl. Durchl. ſelbſt dem Cammergericht zu erkennen gegeben worden / Ob man nun der gewiſſen Zuverſicht lebet/es werde mehr bedeutetes Cammergerichte / und wegen dieſer klaren Gründen / üm ſo viel mehr dieſe widerſpenſtige Aebtißin/ſamt ihrem Anhang / mit ihren unbefugten Klagen/ab- und vielmehr zu dem S. Churfl. Durchl. ſchuldigen Gehorſam angewieſen/ auch die ergangenen mandata und compulſoriales caſſiret/ und die Regierung zu Minden von fernern Anſpruch entbunden und befreyet haben/als welche nichts mehr gethan/ als was S. Churfl. Dl. zu Brand. derofelben anbefohlen/So hat man dennoch auff allen unvermuthlichen/nicht geſchehenen Fall/nicht unterlaſſen können/ uff S. Churfl. Durchl. zu Brandenburg gnädigſten Befehl / dieſe Sache bey dem Reich anhängig zu machen/

Senonenſis primatus. III, 2, 7.
Sergii II. P. R. electio. II, 12, 8. III, 1, 3.
In Siciliam Germanis ſummum Jus adſertum. V, 1, 11. Regnum Siculum Imperio incorporatum. V, 7, 3.
Sigeberti R. reſcriptum juris ſui conſecratorium. II, 4, 5.
Sigismundus Imp. VI, 5, 1. repetit Jus primariarum precum. ibid. 11.
Simoniæ natura. III, 11, 13. & effectus. ibid. 14. diſpenſatio cum Simoniacis. ibid. 16. Simonia eſt hæreſis. ib. 17. quat. eſt hæreſis. IV, 2, 18.
Siniſtra an dextra honoratior. I, 7, 7.
Sitonum & Sveonum regna. I, 3, 2.
Smalcaldicum fœdus. VII, 4, 14.
Societas hominis cum Satana vel interna vel externa. I, 1, 8.
Sonia quid? IV, 3, 12.
Status Imp. an Jus habeant deponendi Imperat.? III, 8, 23. Diſcordia Statuum impedit reformat. univerſal. VII, 4, 1. diſcordiæ cauſæ. ibid. quæ ſedata videbatur per Rec. Imp. anno 1526. ibid. 2. ſed reſuſcitata in Comit. Spirenſ. ann. 1529. ibid. 3. Libertas Statuum à S. Reip. poteſtate eſt tuenda. ibid. continet Jus contradicendi & reſiſtendi: Jus belli defenſivi, victoriæ. III, 8, 24. Jus Stat. hod. ibid. 27. Statuum Jus circa Reformationem Eccleſiæ. VI, 7, 6. ſpeciatim Ducum Saxoniæ. ibid. 7.
Statuum regni German. libertas. III, 1, 10. Statuum ſecularium libertas circa Religionem defenſa. VII, 6, 13. &c. Jus circa Sacra ſtatibus vindicatum. VII, 3, 5. aſſertum in Comit. Spir. 1544. VII, 7, 3.
Stephani III. Papæ ingenium. II, 9, 3.
Stephani IV. P. R. ſubmiſſio. II, 12, 1. & ſucceſſorum. ibid. 2.
Stregua, Strepa. V, 1, 7.
Succeſſio Carolinæ ſtirpis ceſſat,

ſat, nec dum ipſa ſtirps ceſſare putatur. III, 3, 7. Conſtitutio de ſucceſſione hereditaria Imperii Germ. V, 7, 3. Succesſio mulierum. ibid.
Superioritas territor. ſtabilita. V, 10, 5.
Æneas Sylvius ſibi contrarius. VI, 7, 3.
Synodus Altheimenſ. III, 4, 6. Synodus Erfordienſ. III, 4, 11. Synodi VIII. Gener. intellectus. IV, 3, 11. Jus Synodi habendæ quat. Papæ permiſſum. IV, 2, 2. Synod. Mogunt. IV, 1, 23. Synodus Nicen. II. etiam Conſtantinop. dicta. II, 10, 4. Synodus Oecumen. VIII. duplex: confirmatur autoritate. II, 10, 5. & ſeqq. Synod. Triburienſ. III, 4, 14.

T.

Teſtamenti capio conceſſa Ecclеſ. à Conſtantino. I, 6, 2.
Theopolis. I, 8, 15.
Thimo Marchio Landsbergiæ acquirit Marchionatum Miſniæ. IV, 4, 1.
Figurinum ſtudium. IV, 7, 10.
Tituli S. R. ſunt mutabiles. I, 10, 10. affectatio tituli, Papæ univerſal., exprobrata. III, 11, 19.
Traditio. I, 2, 20. Traditores qui? I, 6, 7.
Transactio Cadavenſis. VII, 5, 3. Paſſavienſis. VII, 9, 7.
Trevirenſis ArchiEpiſcopus. III, 4, 10. Trevirenſ. Eccleſia. I, 4, 6. Trevirenſ. Eccleſ. dignitas. III, 5, 4. Trevirenſ. Electoratus. III, 8, 8. & 9. Controverſia de ſucceſſione in Eccleſ. Trevir. V, 5, 3. ejus juſtitia. ibid. 4.
Treviris, metropolis diœceſeos Gallic. I, 4, 8.
Triburium ubi? III, 4, 15.
Tributi Jus denegatum Papæ. V, 10, 8. per Indulgentias quæſitum. VII, 1, 8.
Tridentini Concilium à Pontifice indictum & ſtatim ſuſpenſum. VII, 7, 1. cœptum

ptum 1545. VII, 7, 6. Recuſatio Concilii Trident. VII, 7, 9. In Comit. an. 1548. Concilium Trident. ab Imp. acceptum : ſed modus tractandi definitus alius & melior. VII, 8, 1. Concil. Tridenti renovatum. VII, 9, 1. Legati Proteſtantium ad Concil. veniunt, emanentibus Gallis & Helvetiis. VII, 9, 2. itemque Theologi quidam. VII, 9, 3. Decreta Concil. Tridentin. ipſo facto rejecta. VII, 9, 7. Concil. Trident. denuo recuſatum à Proteſtantibus. VII, 10, 1. cauſæ. VII, 10, 8. Concil. à Papa finitum, invito aut connivente Imperat. Ferdinando. VII, 10, 4. Concil. Trident. Decretorum publicatio & autoritas: in Italia: VII, 10, 5. Gallia. ibid. 6. Hiſpania. ibid. Germania. ibid. 7. Concil. Trident. autoritas in Gallia. VII, 14, 24.

Tridentum aliquando propria Sedis Rom. VII, 7, 9.

Turcarum impetus in Europam. VI, 4, 3. Lipſii vaticinium de iis. ibid.

Turmæ Epiſcoporum & Presbyterorum. I, 8, 9.

Tutor Eccleſiæ Mogunt. VI, 2, 3.

V.

Vel, conjunctiva particula. II, 3, 4.

Verdenſis Eccleſia. II, 8, 3.

Veſtimentum Paſchale. II, 6, 13.

Vexillum urbis Romæ Carolo M. oblatum. II, 11, 2. item Hieroſolym. ibid. 3.

Vicariatus, arcanum Sacræ dominationis. IV, 2, 3. Vicariatus olim perſonalis. II, 6, 6. Vicarii Imperii generales & particulares. V, 8, 8. Vicarii S. R. Moguntinus & Bremenſis. IV, 2, 2. Vicariatum Carolus Calvus reducturus impeditur. III, 2, 7. Vicarius P. R. Epiſcopus Arelat. II, 6, 5. Bonifacius Vicarius Papæ per Germaniam. II, 8, 4. Vicariatus Rom. ceſſat

ſat morte Bonifacii, ſed ejus effectus varii. II, 8, 13. Vicarius in Gallia Germaniaque à P. R. deſignatus in Synodo Gallicana Vernenſi non admiſſus. III, 1, 6.
Jo. Vicelii Via Regia & Elenchus abuſuum. VII, 10, 4.
Victor III. AntiPapa. IV, 4, 1.
Vindelicia pars Germaniæ. I, 4, 5.
Vitæ monaſticæ & Canonicæ uſus. III, 4, 11.
Ultrajectinus Epiſcopus. II, 8, 1.
Unio & Liga Anno 1610. VII, 12, 5.
Unionis plurium populorum ſpecies. II, 11, 7.
Votorum pluralitatis regula limitata. V, 4, 11.

W.

Waldenſes. V, 5, 1. inquiſitor contra Waldenſes occiſus. V, 9, 4.
Weſtphal. Eccleſ. II, 8, 3.
Wilhelmi III. Ducis Sax. pragmatica ſanctio an. 1446. VI, 7, 8.
Wilhelmus Comes Hollandiæ Rex Roman. V, 10, 4.
S. Wilibaldus. II, 8, 2.
Wormatienſe Colloquium, VII, 6, 4. alterum anno 1557. ſine effectu & quare. VII, 9, 13. & VII, 11, 4. &c.
Wurtzburgenſis Eccleſia. II, 8, 2.

ADDENDA
AD
Lib. VI. Cap. V. §. XI.
De
PRIMARIIS PRECIBUS.

DIximus *Preces primarias* partem eſſe Juris circa ſacra Imperatoris: ejusque exercitium *ſpecialiter conceſſum* fuiſſe etiam *Statibus Imperii.* Porrò autem, ſicut totum jus circa ſacra communicari poteſt Statibus, *titulo ſuperioritatis* territorialis, ita etiam hæc ſpecies communicabilis videtur. Certè conſtat, exerceri jus primariarum precum à Sereniſſimo Electore *Brandeburgico*, & ſpeciatim à Sereniſſima conjuge in omnibus Monaſteriis Virginum in territorio Brandeburgico. Sed & jam tum olim tempore Caroli IV. Imp. Archiepiſcopus *Moguntinus* Gerlacus exercuit hoc jus anno 1346. præſentans Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & Conventui Cœnobii Sanctimonialium in Hüstorff, Ordinis S. Benedicti, certam perſonam, ut ex tenore diplomatis patet: *GERLACUS Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, dilectis in Chriſto religioſis, Abbatiſſæ, Prioriſſæ & Conventui Cœnobii Sanctimonialium in* Hüstorff, Ordinis S. Benedi-

nedicti, *ſalutem & ſincerum in Domino caritatem. Cum ſecundum antiquam & laudabilem conſuetudinem, jam longis temporibus inviolabilem obſervatam, ſinguli noſtri Prædeceſſores, ArchiEpiſcopi Moguntini pro tempore, non tantum in eccleſiis ſecularibus collegiatis, verum etiam in omnibus & ſingulis Monaſteriis & Cœnobiis Civitatis & Dioceſeos noſtræ Moguntinæ, porrigendo in ſuarum creationum primordio,* preces ſuas primarias *pro receptione unius perſonæ ad beneficium præbendale vel religionem ordinis loci, ad quem preces eorum direxerant, preces hujusmodi ſint hactenus velut rationabiles ut decet ſine difficultate qualibet exauditæ. Nos ipſorum Prædeceſſorum veſtigiis in talibus inhærentes, & tum approbatæ conſuetudini fortius innitentes, Vobis pro dilecta nobis in Chriſto juvencula,* Sophia, *filia Johannis dicti Schirmers, deſiderante Domino in Regulari habitu deſervire, preces noſtras primarias dirigimus, in his ſcriptis rogantes, & in Domino Vos accuratius exhortantes, quatenus eandem in religionis veſtræ conſortium recipiatis, ſibique, velut alteri de veſtris Monialibus & Conſortibus, præfati Cœnobii, absque difficultate de omnibus proventibus provideatis, eam caritatem in Domino protelando, ut ob inde ad veſtras & dilecti Cœnobii promotiones optimo tempore diligentius intendamus. Alioquin Honorabili Viro Cuſtodi Eccleſiarum Sanctæ Mariæ Erfordenſis præſentibus committimus, & mandamus, ut vos ad id auctoritate noſtra compellant* Eccleſiaſtiam *per* Cenſuram. *Datum Anno Domini M. CCC. XLVI. Kalend. Novembris.* At videtur tamen non caruiſſe tum hæc res controverſia, quod eadem perſona poſt biennium ab Imp. *Carolo IV.* primariarum precum diploma ad eundem Conventum impetrare habuerit, illud ita habet: *KAROLUS Dei gratia*

Romanorum Rex, Semper Auguſtus, & Boem. Rex, Honorabilibus & Religioſis, Prioriſſæ & Conventui Mon. in Hustorff, *Ordinis S. Benedicti, Moguntin. Diœceſ. devotis noſtris dilectis, gratiam regiam & omne bonum. Aſſumti divinitus, licet inſufficientibus meritis, ad culmen regiæ dignitatis, libenter prudentum Virginum, quæ ſpreto mortalis vitæ thoro, ei qui Sponſus eſt pro filiis hominum, deſponſari deſiderant, votis annuimus, & eorum pium propoſitum poſſint ad laudem Divini nominis adimplere. Cum itaque dilecta nobis in Chriſto SOFFIA, filia Johannis Saxonis dicti Schirmer, Notarii publici generalitatis Domini Moguntin., puella, cupiat, ſicut accepimus, una vobiſcum in Mon. veſtro ſub regulari habitu Virtutum Domino famulari, & nobis tam de jure, quam antiqua & approbata conſuetudine, Divis Roman. Imperatoribus & Regibus hactenus laudabiliter obſervata, competat in ſingulis, tam Virorum quam Mulierum, Monaſteriis quorumcunque ordinum, noſtræ ditioni ſubjectis, ſingulas præſentare perſonas, eas in eisdem auctoritate primarum precum noſtrarum recipi facere & admitti, Noſque eandem SOFFIAM, pro qua devotioni Veſtræ, tenore præſentium, hujusmodi primarias preces noſtras offerimus, in dicto Mon. veſtro ſincere diligimus promoveri. Eandem devotionem Veſtram requirimus & rogamus attente, Vobisque nihilominus per Regalia Sceptra mandantes, quatenus dictam* Soffiam, *ob precum & juris noſtri prædictarum reverentiam, Spiritualem in Veſtram & dicti Mon. Veſtri recipiatis Monacham & Sororem, regularem ei habitum, juxta præfati Mon. conſuetudinem, aſſignando, ac faciendo, ſibi de communibus ipſius Mon. proventibus, ſicut uni ex aliis prædicti Monaſt. Monialibus provideri, Jus noſtrum & dictam bonam Conſuetudinem nobis taliter ſervaturi,*

tura, quod jura, libertates & gratias Vobis & præfato Mon. veſtro, à prædictis Prædeceſſoribus noſtris conceſſas, nos delectet non minuere ſed augere. In quorum omnium teſtimonium præſentes ſcribi, & Sigilli Majeſtatis noſtræ munimine juſſimus communiri. Dat. in Dresden, *Anno Dom. Milleſimo, treceenteſimo, quadrageſimo octavo, Indict. prima, VI. Id. Decembr. Regnorum noſtrorum anno tertio.* Quod verò jus primariarum precum Electorale Brandenburgicum attinet, de eo Legati Electorales nuper ad Senatum Imperii in Comitiis Ratisbonæ congregatum hæc retulerunt: Hochwürdige / Wohlgebohrne / ꝛc. ꝛc. Nachdem von S. Churfl. Durchl. zu Brandenburg höchſtgeliebten Gemahlin / Churfl. Durchl. krafft Juris primariarum precum, einer Jungfr. von R. ohnlängſt eine præbenda in dem Stifft zu S. Marien / in Minden / gnädigſt conferirt / und dieſelbe ad ſpeciale mandatum S. Churfl. Durchl. von dero Regierung daſelbſt dabey extrajudicialiter geſchützt werden / hat die Aebtiſſin des beſagten Stiffts / nebens einig wenig Jungfern / ſo ihr anhangen / ohne Vorwiſſen und Einwilligung der Decanuſin / und übrigen Stiffts-Jungfern / gantz vermeſſentlich und aus bloſſer Widerſetzligkeit und Ungehorſam darwider an das Keyſ. und Reichs Kammergericht zu Speyer / und alſo in effectu nicht contra virginem proviſam, ſondern ab ipſa Sereniſſimæ Electricis conceſſione eine appellation zu erheben / und hierdurch Seiner Churfl. Durchl. competirendes / und in denen Reichsſatzungen / Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, Capitulatione Cæſareæ, und notoriſchen obſervanz, gegründetes klares Recht und Befugniß in Streit und Zweifel zu ziehen / mit nicht geringer Aergerniß und Frevel

 ſich

ſich unterſtanden / wie dann 1. und zuförderſt bey dieſem Werck zu conſideriren/daß dieſes eine Sache/ſo S. Churfl. Durchl. hohe Regalia und Landes-Fürſtl. Hoheit und Rechte betrifft/ darinnen dieſelbe kräfftigſt fundiret/ geſtalten denn auch dero Gemahlin/Churfl. Durchl. ſothanes Jus primariarum precum bey allen Jüngferlichen Stifftern/in dero Landen exiſtente caſu ſtets unwiderſprechlich exerciret hat. 2. Von keinem Theil ein libell übergeben/keine litis conteſtation gefordert/keine probation aufgenommen/noch einige Sentenz zwiſchen iemanden geſprochen/dahero 3. ſo viel weniger eine appellation in dieſer Sache ſtatt haben kan/ es ſey dann / daß man S. Churfl. Durchl wider alle Jura und hergebrachte obſervanz, die erſte inſtanz gar benehmen und abſchneiden wolte/maſſen denn auch 4. in denen R. Conſtitutionen heylſamlich und wohl verſehen/ daß wann Unterthanen wider ihre Landesherrn und Obrigkeiten ſich beſchweren / oder Klage führen wollen/welches noch viel mehr ſtatt hat/ wann es die ihnen competirende Jura betrifft/ſelbige nicht angenommen/ noch vielweniger mandata darinnen erkandt / ſondern erſt um Bericht geſchrieben/ und die Unterthanen unmittelſt zum Gehorſam und Schuldigkeit an ihre Landes Obrigkeit deſto mehr verwieſen werden ſollen/weiln auch 5. Churfl. Durchl. zu Brandenburg / das Fürſtenthum Minden/ mit Juribus nullo excepto in Eccleſiaſticis & Politicis titulo oneroſiſſimo loco æquivalentis, durch den Weſtphäliſchen Frieden abgetreten/ und folgends deroſelben von niemanden Eintrag zu thun/auch ſie keiner Jurisdiction darüber zu erkennen, wiewol Sie endlich vor itzo und in dieſem Fall/ doch ohne præjudiz,
und

und ohne conſequenz nachgeben möchten/ daß die Aebtiſſin ihre vermeinte Klage vor die Auſtregas brächte/ ſo Erbietens genug / wo nicht mehr als zu viel / und iſt 6. noch ſonderlich wohl zu erwegen / daß itzo zwey præbenden in dieſem Stifft vacant ſeyn / mit deren eine / diejenige Jungfer / welche von der Aebtiſſin (vorgeſchlagen) wird / auch ohne Schmählerung S. Churf. Durchl. und dero Gemahlin Churfl. Durchl. (gerechtſame) providiret werden könte / woraus dann abermahls dieſer Aebtiſſin / und dero Anhangs unverantwortlicher Ungehorſam ſo viel klärer erhellet / welches alles dann auch dem Kammergerichte zu Speyer / durch den darzu von S. Churfl. Durchl. contribuirten Anwald / in denen von der Regierung zu Minden übergebenen exceptionibus ſub- & obreptionibus & incompetentiæ & in duplica nicht allein vorgeſtellet / ſondern auch von obhöchſtgedachter S. Churfl. Durchl. ſelbſt dem Cammergericht zu erkennen gegeben worden / Ob man nun der gewiſſen Zuverſicht lebet / es werde mehr bedeutetes Cammergerichte / und wegen dieſer klaren Gründen / üm ſo viel mehr dieſe widerſpenſtige Aebtiſſin / ſamt ihrem Anhang / mit ihren unbefugten Klagen / ab- und vielmehr zu dem S. Churfl. Durchl. ſchuldigen Gehorſam angewieſen / auch die ergangenen mandata und compulſoriales caſſiret / und die Regierung zu Minden von fernern Anſpruch entbunden und befreyet haben / als welche nichts mehr gethan / als was S. Churfl. Dl. zu Brand. deroſelben anbefohlen / So hat man dennoch auff allen unvermuthlichen / nicht geſchehenen Fall / nicht unterlaſſen können / uff S. Churfl. Durchl. zu Brandenburg gnädigſten Befehl / dieſe Sache bey dem Reich anhängig zu machen /

chen/

chen/und zugleich des Kammergerichts Proceſs zu ſiſtiren/nicht zweiffelnd/es werden ſo wohl die Käyſ. Maj. Sie/ als einen getreuen Churfürſten/und Stand des Reichs bey Ihren Rechten ſchützen/als auch Churfürſten/Fürſten und Ständen an ungekränckter conſervation der Landes Fürſtl. Hoheit/ auch des Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ eben ſo wohl gelegen / nicht geſtatten/daß Churfl. Durchl. zu Brandenburg in Ihren Hoheiten und Gerechtigkeiten angefochten und turbiret würden/ſondern Ihro hierinne beyfall geben/ und ſich Ihrer annehmen / auch dero beywohnenden Prudenz nach / auff beliebige und anſtändige Wege/ Weitläufftigkeit zu verhüten und remediren helffen/ unterdeſſen S. Churfl. Durchl. nicht zu verdencken ſeyn / wann Sie in einer ſo empfindl. dero Regalien/ Hoheit und Rechte concernirende Sache/ Ihro/ und zwar auff bloßes Anhalten einiger widerſpenſtigen Unterthanen/zuwider dem Inſtrum. Pacis und Reichs-Conſtitutionen/ſo lange der Allerhöchſte Ihro Kräffte verleyhen/ Ihro nichts abſprechen / oder darüber erkennen laſſen / ſondern gegen alle unbefugte Eingrieff ſich zu mainteniren / und wider Ihre widerſetzige und ungehorſame Unterthanen ſich der jenigen Mittel zu gebrauchen ſuchen / welche Ihr GOtt und die Rechte an die Hand geben/ꝛc.

IO. SCHIL-

JO. SCHILTERI
PRUDENTIA JURIS CHRISTIANORUM.

Sive

DE

SOCIETATE

INTER

DEUM ATQUE HOMINEM,

EJUSQUE

JURE ET OFFICIIS

LIBER.

Eſa. XLII.

Ecce, Servus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: Dedi ſpiritum meum ſuper eum, JUS gentibus proferet. Non erit, triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra, JUS: & LEGEM ejus inſulæ exſpectabunt.

Pſalm: CXIX. 132.

Reſpice in me, & miſerere mei, ſecundum JUS diligentium nomen tuum.

Jo. Schilteri
PRUDENTIA JURIS CHRISTIANORUM.
SIVE
DE SOCIETATE INTER DEUM ATQUE HOMINEM, EJUSQUE JURE ET OFFICIIS
Liber.
Caput Primum.
QUOD DETUR FINIS ULTERIOR, QUAM BEATITUDO CIVILIS.

§. I.

Civilis Prudentiæ expoſitores, Rerumque publicarum conditores, cum felicitatem Reip. aut ſuæ cujusque Civitatis ſalutem pro unico habeant ſcopo, ſingulorum civium beatitatem conſequenter fere intendunt, ac eatenus tantum, quà membra ſocietatis civilis manent, *Prudentia Civilis primario intendit finem communem non ſingulorũ.*

manent, atque à beatitudine communitatis dependent, actioneſque eorum ſingulæ ad illum finem diriguntur. Ariſtoteles *lib. VII. Polit. c. 1. 2. 3. & 15.* concludit Vitam omnium optimam & feliciſſimam tum *ſingulis* hominib9, tum *civitatibus* eſſe eandem, quæque cum *virtute* & *rerum ſufficientia* conjuncta ſit: Ita tamen, ut πάρεργον τῆς πολιτικῆς διανοίας καὶ θεωρίας appellet τὸ περὶ ἕκαστον αἱρετόν, de Fine ac Beatitudine ſingulorum diſpicere LLatorem. Quæ docendi ratio etſi ad civilis vitæ inſtitutionem perquam utilis ac neceſſaria eſt, haudquaquam tamen præcipuum hominis finem, qui eſt Sui CONSERVATIO, quantum ſatis eſt, expedit. Atqui neceſſe tamen eſt Virum Sapientem, ſive privatim, ſive publice Finem optimum maximum intendere, ἀνάγκη γὰρ τόν τε εὖ φρονοῦντα πρὸς τὸν βελτίω σκοπὸν συντάττεσθαι, καὶ τῶν ἀνθρώπων ἕκαστον καὶ κοινῇ τὴν πολιτείαν, *l. II. Polit. c. 2.* Maximus porrò optimuſque finis eſt, qui & univerſorum & ſingulorum beatitatem comprehendit. Perſpexerunt hoc Prudentes, & quæſiverunt; ſed non ex aſſe conſecuti ſunt.

§. II.

Cauſa 1. Cujus rei cauſa tum iſta mihi videtur, quod conditores Rerumpubl. ſatis functi munere ſuo ſibi viſi, ſi communitatis bonum ac felicitatem ſtabiliviſſent; ſic enim fieri, ut ſingulis quoque civibus, ſecundum Leges ſuas viventibus bene ſit: tum,

2. quod Civilis Scientia vix aliam vitam genuſque vitæ extra ſocietatem civilem in Homine agnoſcat. Cum enim viderent Sapientes, hominem eſſe ad Societatem conditum, & Societatem civilem eſſe immortalem, homines vero mortales, arbitrati fere ſunt, homines eſſe propter civilem ſocietatem, non ſocietatem propter homines. Tullii verba non ſunt ignota: *Sed quo-*

quoniam, ut præclare ſcriptum eſt à Platone, non nobis ſolum nati ſumus, ortusque noſtri partem Patria vindicat, partem Parentes, partem Amici: atque, ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſint: in hoc naturam ducem debemus ſequi, & communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando, accipiendoque tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem. Et *l. 2. de LL.* utilitatem religionis eleganter quidem deſcribit LLator Tullius, ſed quantum ad hanc vitam, ut intelligatur, *quam ſancta ſit Societas civium inter ipſos, diis immortalibus interpoſitis, tum judicibus, tum teſtibus.* Denique etſi Philoſophi finem hunc ultimum viderint, & civilem vulgi religionem in multitudine Deorum fundatam improbarint, id tamen Socratis exemplo territi, vix auſi ſunt profiteri publice. Vnde Plato etſi ad Dionyſium ſcripſerit, ſe ſerio loquentem *DEVM*, ſin minus *DEOS* nominare: tamen *lib. IV. de Legibus*, & *in Epinomide* inculcat cultum ſiderum, quaſi ad regendam civilem ſocietatem plurimum facientem. Idem qvum *in Euthyphrone*, ſive *de Sanctitate* Dialogo, religionem gentium refutaſſet, finem veræ religionis in conſervatione civilis ſocietatis ponit: *Sic autem nunc tibi ſimpliciter dico, quod ſi quis diis grata loqui & agere novit, vovens atque ſacrificans, hæc ſancta ſunt: atque hæc officia, tum domos proprias, tum civitates conſervant.* 3.

§. III.

Prudentia humana defectus.

Verum enim vero errarunt illi, quotquot non aliam, quam civilem, agnoverunt hominis ſocietatem, & charitatem Patriæ omni charitatis generi antepoſuerunt. Nam

hæc rectius, atq; penitius conſideranti, ac naturam hominis civilisque ſocietatis inter ſeſe accuratius comparanti, non poteſt eſſe obſcurum, primo cives ſingulos, etſi in florentiſſima Republ. degant, non tamen propterea non poſſe eſſe infelices, etiam ubi propria abeſt culpa. Nulla felicitatis ſpecies reputanda videtur, qvum Socrates in Rep. florente, & bene de ea meritus, & ſuperſtitiones Deorum, pietati contrarias, taxans, in carcerem conjicitur, necique datur. Et vide ſis Auguſtinum *l. XIX. de C.D. c. 5.* ubi oſtendit de ſociali hac vita, eam, qvum maxime expetenda ſit, multis offenſionibus ſæpe ſubverti. Quare oportet eſſe aliam atque ſuperiorem aliquam cauſam, unde felicitas *ſingulorum* dependeat, & quæ præſtet, ut quis mediis etiam in turbis civilibus, aut extra civilem ſocietatem naufragio abreptus, aut à piratis perpetuo carcere detentus, ſummi Boni non incapax eſſe poſſit.

1. Felicitas publ. & priv. diff.

§. IV.

Deinde etiam hoc cognoſcendum eſt, eſſe naturam hominis duplicem, aliam communem cum brutis animalibus, quæ corporea eſt, materialis & mortalis, aliam homini propriam DEOque ſimilem, quam ſi quis communem cum geniis atque dæmonibus dixerit, non repugno: eaque MENS appellatur, & eſt intellectualis, & proin materiæ & ſenſibus oppoſita, ideoque immortalis. Æneas Gazæus *in Theophraſtro p. 49.* ait: *Nullam rationalem ſubſtantiam DEVS morti obnoxiam condidit: quod ergo animam hanc noſtram condens, immortalitate circumſcripſerit, legem ſuam migrans, cum ea non quidem ipſius ſit particeps ſubſtantiæ, ſimilis tamen ipſi, & velut (εἰκὼν) imago, ſique divinis ſpeculationibus ſe tradere velit, ei prorſus adſimile-*

2. Natura hom. immortalis, quia intellectualis ſeu mentalis.

miletur? Sane quicquid adſimile eſt immortali, immortale & ipſum eſt. Caducum enim Perpetuo non comparabitur, utp. contrarium. Ex his duplicis atque diverſæ plane conditionis naturis ſibi invicem conjunctis, & quaſi nuptis ac commixtis naſcitur Homo; Quæ *diſſimilium naturarum unio* hunc inſignem habet effectum, ut Natura nobilior ad ſe trahat ignobiliorem, ipſique *communicet ſuas proprietates*, inter quas princeps *Immortalitas* eſt. Quod non ſatis intelligentes Philoſophi gentium putarunt, mortem eſſe homini naturalem, propter partem hominis alteram materialem. Unde Galenus *lib. de uſu part. XIV. c. 2.* ait: *Natura, ſi fieri potuiſſet, maxime optaſſet, ſuum opificium eſſe immortale, quod qvum per materiam non liceret, nam quod ex arteriis, venis, nervis & oſſibus, ac præterea carne eſt compoſitum, incorruptibile id eſſe non poteſt,* &c. Sed utique non implicat, id quod ex materia eſt, poſſe fieri incorruptibile per unionem cum natura immateriali, & per communicationem proprietatum. Quare *mors* hominis non eſt naturalis, ideoque etiam *horrenda*, in pœnam vero homini lapſo & apoſtatæ impoſita: qua ipſa, homo una ſui parte, quà mortalis eſt, corrumpitur, altera, immortali ſuperſtes permanet, *civili* ſocietate exemptus quidem, non tamen ſocietate *omni.*

§. V.

Nam quod Græcanica Philoſophia hominem ζῶον πολιτικὸν eſſe dicit, ad hominem quidem pertinet, ſed non ad omnem hominis partem, eamque præcipuam. Melius hic & rotundius Latini *Socialem* appellant hominem, qvum Societas hominis latius pateat τῇ πολιτείᾳ. Namque quotuplex eſt hominis natura, totuplex & naturæ communio, ſimilitudo, ſocietas, atque ſtatus. Itaque homo

Vera Socialitas & perfecta

Societas hominis duplex,

civilis & temporar. ut *mortalis*, communionem habet cum homine in *civili* ſocietate: ſed ſepoſita natura mortali, ſuperſtes *immortalis* communionem habet cum natura *intellectuali*, cum Geniis, cum DEO. Hæc ſocietas uti poſt egreſſum mentis è corpore totam ſeſe exſerit, & aut cum DEO O. M. aut cum geniis malignis inita cernitur; ita in hac civili ſocietate via ad utramque metam ſternitur. Sed cum nemo non beatam illam atque divinam converſationem appetat, itaque id ocyus quisque agat, cum adhuc eſt incluſus in corpore, ut emineat foras, & ea, quæ extra ſunt, contemplans, quàm maximè ſe à corpore ejusque voluptatibus abſtrahat, DEOque ſe aſſociare nitatur. Quam in rem legendus *Platonis Philebus*. Hæc enim vita *bivium* eſt, quo ad alterutram æternam ſocietatem eundum, ut aut DEO O. M. aut ejus adverſario adſocieris. Hæc vita ſpatium eſt *examinis*, ſecundum quod quilibet ad alterutram ſocietatem congregandus, quo elapſo, copia nulla ſuppetit ulterius. Quare graviſſimè monet Salomon: *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec induſtria, nec ſapientia, nec ſcientia erunt in ſepulcro, quò tu vadis. Eccl. IX. 10.*

Spiritualis & æterna.

§. VI.

Iſta huic ſubordinata. Atque ſicut natura ſenſitiva ſubordinata eſt per Creatorem alteri naturæ, menti: Sic etiam Socialitas *civilis* atque temporaria *ſubordinata* eſt ſociliatitati mentali, *ſpirituali* ac æternæ: & *charitas patriæ* ſeu civilis ſocietatis ſubjecta eſſe debet charitati ac *amori divino*. Porro ſi contingat, quæ mortalium eſt perverſitas, & naturæ ſenſitivæ rebellis prævalentia, ut ſubordinatione illa naturali everſa, charitatem civilem ſumma Reip. poteſtas unice

curet

curet, charitate divina aut neglecta, aut interdicta, ut in Republ. Perſarum aliquando factum, *Dan. VI, 5. 6.* Tunc obligatione ſocietatis civilis homo ſolutus eſt jure naturali, & obligatus eſt charitatem divinam in ſocietate cum DEO ſequi, & unam omnibus præferre. Idque Salvator docuit. *Matth. X, 37.* ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. & Apoſtoli *Act. IV, 19. V, 29.* πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις. Atque in tali ſtatu apoſtatico conſideratam ſocietatem civilem appellat Auguſtinus *Civitatem terrenam* Cœleſti oppoſitam. *l. XIV. de C. D. c. fi.*

§. VII.

Prudentia humana inutrique finem intendit ſuum.

Quamobrem qvum prima Naturæ univerſæ lex ſit, ut homo ſui conſervationem quærat: conſequens eſt, primo, ut quamdiu utriusque naturæ ſocietatem conſervare poſſit, tamdiu conſervet, idque in civili ſocietate divinæ ſubalterna, & cui utriusque naturæ in homine ſocietas eſt *ſubordinata & cui utriusque naturæ in homine ſocietas* eſt ſubordinata: Deinde vero, cum vinculum illud per naturam amplius ſervari non poteſt, ut ſuperſtiti parti, eique nobiliori, quem Plato *hominem* vocabat *interiorem*, conſulatur. Conſulitur vero non extra ſocietatem, ſed extra civilem. Et ideo, inquit Auguſtinus *l. IX. de C. D. c. XIV.* mortalibus miſeris, quantum poſſunt, ad conſequendam beatitudinem conſulan, ut etiam immortales valeant eſſe poſt mortem, & angelis immortalibus beatisque conjungi.

§. IIX.

Societas hom. cum DEO demonſtratur ratione: &

Hæc eſt *ſocietas* illa *hominis cum DEO*, finis ejus primarius, & *ſummum Bonum;* quæ uti in natura hominis intellectuali, & proinde materiæ omnis experte, itaque incorruptibili, eſt fundata, ita ab omnium populorum ſapientibus agnita. Egregiam operam hac in re præſtitit

Jo.

Jo. Cottunius, Philoſophus Patavinus, *de triplici ſtatu animæ rationalis*, opus editum Patavii A.C. 1645. Antiquiſſima de origine mundi apud *Hebræos* reliqua Hiſtoria teſtatur, *creaſſe DEUM hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, h. e. ut & perfecte intelligeret, & perfecte vellet, a-geretve, ſecundum legem divinam in vita perfecta. At paria ferme de mundi origine in vetuſtis *Phœnicum* Chronicis reperta, quæ collegerat Sanchuniathon Berytius partim ex urbium annalibus, partim è libris in templo asſervatis, quos acceperat à Jerombalo, DEI τοῦ Ἰευὼ Sacerdote, belli Trojani tempore: transtulit in Græcam lingvam Philo Byblius, fragmentum aſſervavit Euſebius Pamphili *in l. 1. Præparat. c. X.* Hinc *Ægyptiorum* dogma Herodotus refert *in Euterpe*, Animas humanas eſſe immortales, *conf. Tacit. V. Hiſt. c. 5, 6.* Diodor. Sicul. *de Oſiride l. 1.* Nam quæ ex Pœmandro *Theophraſti* hanc in rem adducuntur præterimus, qvum ſint ſubleſtæ fidei. *V. H. Conring. de Herm. Med. c. V.* Quæque de judiciis animarum poſt mortem Hebræi & Ægyptii & Phœnices ſenſere, eadem fere & *Indi*, teſte Strab. *lib. XV. conf. Porphyr. l. 4. de non ed. animal.* Thraces quoque atque *Galli* veteres Immortales eſſe animas aſſeruerunt, & magis etiam beatas poſt mortem fieri, *Solin. c. X. Mela. l. 2. Strabo l. IV. Cæſ. l. VI. de B. G.* Eademque hauſere & Græci & Latini. Charondas *in proœmiis legum* inculcat: à malis facinoribus abſtinendum eſſe, idque maximè διὰ τὴν πρὸς τὸν θεὸν ξυμβουλίας· οὐδενὸς γὰρ ἀδίκου θεὸς κοινωνεῖ. *i. propter concordiam cum DEO; cum nullo enim injuſto DEUS commercium habet.*

Autoritate Hebræorum, Gen. 1. Sap. 2, 23.

Phœnicum.

Ægypt.

Indor. Thrac. Gallor.

§. IX.

Atque illud præclarum, quod Philoſophiæ Italicæ à

Pytha-

Pythagora Samio profectæ ſcopus erat, SIMILITUDO DEI, qua de egregie diſſerit Schefferus *de Philoſ. Ital. c. VII.* Nec minus eximia legas in Platonis ſchola. Vide *Alcibiadem* & *Phædonem*, ac *lib. X. de Rep.* Quam prope ad orthodoxiam Chalcidius Philoſophus ad Timæum: *Et ratio DEI (ὁ λόγος θεοῦ) DEUS eſt humanis rebus conſulens, quæ cauſa eſt hominibus bene beateque vivendi, ſi non conceſſum ſibi munus à DEO negligant.* Nec diſſenſere *Poetæ*, ut apparet ex Homero, Heſiodo, Virgilio, Ovidio aliiſque. Ariſtoteles naturæ intellectualis in homine immortalitatem etſi ſubobſcure defendit, defendit tamen *lib. 3. de Anim. c. 6.* ubi omnino, quæ *J. Pacius* commentatur, merentur legi. Idem Ariſtoteles *lib. VIII. ad Nicom. c. XIV.* ait *eſſe amicitiam inter filios & parentes,* καὶ ἀνθρώποις πρὸς θεοὺς, ὡς πρὸς ἀγαθὸν καὶ ὑπερέχον, *atque inter homines & deos, velut erga bonum quoddam atque excellens.* & ad finem libri: τὸ δυνατὸν ἡ φιλία ἐπιζητεῖ, οὐ τὸ κατ' ἀξίαν· οὐδὲ γάρ ἐστιν ἐν πᾶσι, καθάπερ πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς, καὶ γονεῖς. *Quod fieri poteſt, non quod pro dignitate fieri debet, amicitia exigit. Neque enim hoc in omnibus amicitiæ ſpeciebus datur, ſicut in honoribus erga Deos & Parentes.* Lib. VII. ad Eudem. cap. X. πατρὸς δὲ καὶ υἱοῦ ἡ αὐτὴ, ἥπερ θεοῦ πρὸς ἄνθρωπον, καὶ τοῦ εὐποιήσαντος πρὸς τὸν παθόντα. *Patris & filii amicitia eſt velut DEI erga hominem, & benefici erga accipientem.* Vide omnino *Jo. à Felde* Dialogum Chriſtiani & Ariſtotelis *Part. 3. Elem. Jur. c. 2.* Imprimis operoſus hic eſt Tullius *de Senectute*, & *lib. 1. Tuſc. Quæſt.* quæ non minus lectu digniſſima, quippe ubi ad omnium

Pythag. *Platon.* *Poetar.* *Ariſtot.* *Cicer.*

gentium conſenſum provocat. Item *lib. 1. de LL.* præclara de hac DEI hominisque ſocietate docet. Ait: *Animal hoc providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus HOMINEM, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſummo DEO. Solum eſt enim, ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia. Quid eſt autem non dicam in homine, ſed in omni cœlo atque terra Ratione divinius? quæ cum adolevit atque perfecta eſt, nominatur rite ſapientia. Eſt igitur, quoniam nihil eſt Ratione melius, eaque & in HOMINE & in DEO, prima homini cum DEO RATIONIS SOCIETAS, inter quos autem Ratio, inter eosdem etiam Recta Ratio communis eſt, quæ cum ſit Lex, Lege quoque conſociati homines cum Diis putandi ſumus. Inter quos porro eſt communio Legis, inter eos communio Juris eſt: quibus autem hæc ſunt inter eos communia; & CIVITATIS EJUSDEM habendi ſunt. Si vero iisdem imperiis & poteſtatibus parent: multo etiam magis parent huic cœleſti deſcriptioni, mentique divinæ & præpotenti DEO, ut jam univerſalis hic mundus, una CIVITAS COMMUNIS DEORUM ATQUE HOMINUM exiſtimanda.* Et quæ de origine hominis atque de divina agnatione plura ſeqvuntur.

§. X.

Finis Prudentiæ humanæ ultimus felicitas ſingulor. poſt hanc vitam.

Qvum igitur agnoſcerent ſapientes & inter DEUM atque hominem debere eſſe ſocietatem atque amicitiam, etiam in hac civili vita, & præcipuam hominis partem poſt mortem ſupermanere, finem hominis præcipuum atque *ultimum Humanæ Prudentiæ ſcopum* debuiſſent conſtituere FELICITATEM FVTVRÆ POST MORTEM VITÆ. Enimvero fuerunt inter tot Veterum Sapientes, qui

qui id ſuo modo perſpexerunt; nam & *omnia ad DEVM* referenda docuerunt, & ita vivendum, ut & *poſt mortem* bene nobis ſit. Vid. Platon. *Alcib.* & *l. X. de Rep.* & *l. V. de LL.* negat *τὸ ζῆν πάντως ἀγαθὸν* hanc vitam ſummum bonum cenſendum, ſed futuram. Egregia vero in *lib. XII. de LL. ad finem:* Τὸν δὲ ὄντα ἡμῶν ἕκαστον ὄντως ἀθάνατον εἶναι. ψυχὴν ὑπονομαζόμενον, παρὰ θεοὺς ἄλλους ἀπιέναι, δώσαντα λόγον, καθάπερ ὁ νόμος, ὁ πάτριος λέγει, τῷ μὲν ἀγαθῷ θαῤῥαλέον, τῷ δὲ κακῷ μάλα φοβερόν. βοήθειάν τε αὐτῷ μή τινα μεγάλην εἶναι τελευτηκότι. ζῶντι γὰρ ἔδει βοηθεῖν πάντας τοὺς προσήκοντας, ὅπως ὅτι δικαιότατος ὢν καὶ ὁσιώτατος ἔζη τε ζῶν, καὶ τελευτήσας, ἀτιμώρητος τῶν κακῶν ἁμαρτημάτων ἐγίγνετο τὸν μετὰ τὸν ἐνθάδε βίον. *Enimvero unumquemque noſtrum vere immortalem eſſe, Animamque cognominari, & ad alios deos abire, rationem redditurum, ut Lex patria ait; in quo bono quidem vero fiduciam, malo vero formidinem ſummam. auxilium quippe haud magnum à quoquam mortuo futurum: Viventi enim oportet neceſſarios omnes opem ferre, ut quam juſtisſime & ſanctisſime vivat, quo & vivus & mortuus immunis ſit à malorum ſcelerum ſuppliciis poſt hanc vitam.* Verum hæc talia LLator Philoſophus autoritate publica deſtitutus fruſtra ſuis inculcabat, Legem patriam pravis moribus abolitam, pridem negligentibus. Sed & ante eum *Zaleucus*, Pythagoreus, LLtor Locrenſium, paria civibus ſuis graviter inculcarat, ut aperit ejus procemium Legum, *apud Stobæum Serm. CXLV. de Legibus. p. 457. Omnes, qui urbem ac regionem inhabitant,*

Plat.

Zaleuc.

perſuaſos eſſe oportet, exiſtimareque Deos eſſe, quod manifeſtum ſit ex cœli & totius mundi inſpectione, rerumque in ipſis diſpoſitione pulcerrima, & ordine. Haud enim fortuita aut humana hujusmodi opera putare convenit. Deinde colendi honorandiq; Dii ſunt, ut bonorum omnium nobis Autores, quæ aliqua ratione fiunt. Singulos igitur habere & comparare animam quemque ſuam oportet, ut ab omnibus malis pura ſit. Nam ab improbo homine non honoratur DEVS, neque ſumtibus colitur, neque tragœdiis capitur, inſtar hominis mali, ſed virtute, ac inſtituto bonorum operum, & juſtorum. Quocirca opus eſt unumquemque pro virili bonum eſſe, tum factis, tum voluntate, qui modo futurus ſit DEO charus, & non metuere pecuniarum jacturam magis, quam vitæ & famæ dedecora: & civem meliorem exiſtimare, qui opes amittere mavult, quam honeſtatem & juſtitiam. Cæterum illos, quorum voluntas non facile ad hæc perſuaderi poteſt, & animus ad injuſtitiam pronus eſt, viros & fœminas, cives aliosque cohabitatores, admonitos velim meminiſſe Deorum, ut qui & ſint, & pœnas ab injuſtis ſumant: atque ob oculos ponere tempus iſtud, quod unicuique finis eſt vitæ futurum. Morituros enim omnes injuriarum, quas commiſerunt, memores pœnitentia invadit, & vehemens cupiditas, qua vellent, exactam ſibi vitam omnem fuiſſe juſtam. Quam ob rem ſingulos oportet ſemper in ſingulis actionibus illud tempus adeo ſuis cogitationibus familiare facere, ac ſi præſens eſſet. Ita enim maxime honeſti juſtique cura vigebit. Si quis vero à malo genio quopiam aſſiſtente ſibi ad injuſtitiam inſtigetur, is ad templa, aras, & delubra verſetur fugiens injuſtitiam, ceu dominam impiisſimam moleſtisſimamque & Deos oret, ut opem ad propellendam ipſam ſibi ferant. Accedat quoque viros probi-

tatis

tatis nomine claros, ut de vita felicitate & malorum hominum vindicta differentes audiens, ab injuſtis facinoribus animum avertat. M. Antonius Imperator *lib. 3.* εἰς ἑαυτὸν *§. VI.* præcipit, τοῦτο μόνον παρ' ὅλον τὸν βίον διαλαβούμενος, τὸ τὴν διάνοιαν ἔν τινι οἰκείων νοεροῦ πολιτικοῦ ζώου τροπῇ γίνεσθαι, *i. e. id unum per univerſam vitam obſervans, ut cogitationes ſemper ſint de iis rebus, quæ ad ſocietatem civilem nato animali, eique rationis compoti conveniant.* Quod §. *XI.* *ita explicat*, οὔτε γὰρ ἀνθρώπινόν τι ἄνευ τῆς ἐπὶ τὰ θεῖα συναφορᾶς εὖ πράξεις, οὔτε ἔμπαλιν. *neque enim rem ullam humanam recte perfeceris, niſi ſimul eam ad DEVM referas, neque contra.* Ariſtoteles quidem recte *proœmio librorum Politicorum* ait, πᾶσαν κοινωνίαν ἀγαθοῦ τινος ἕνεκεν συνεστηκυῖαν, μάλιστα δὲ τοῦ κυριωτάτου πάντων, ἡ πασῶν κυριωτάτη, καὶ πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας. *Omnem communionem ſeu ſocietatem boni alicujus cauſa conſtitutam maxime autem & quod eſt præſtantisſimum omnium, quæ cunctarum præſtantisſima eſt, atque omnes alias continet.* Sed quod ſubſumit de ſocietate *civili*, id verum eſt, ſi illa revera ſummum & κυριώτατον bonorum, quod utramque hominis partem beatam reddit, intendit. *M. Anton. Imp.* *Ariſt.*

§. XI.

Curarunt itaque ſubinde etiam gentium ſapientes de ſtatu futuro, ſed pleriq; velut privati tantùm, non ut LLatores, & ſerius plerumque. *Thraſeas Pætus*, Senator Rom. per calumniam à Nerone morti damnatus cum Demetrio Cynicæ inſtitutionis doctore de natura animæ, & diſſociatione Spiritus corporisque inquirebat. *Tacit. Ann. XVI, 34.* M. Tullius, ſexennio ante quam necaretur, *ad Atticum l. X. Ep. VII.* ſcripſit: *Tempus eſt, nos de illa perpetua jam, non de hac exigua vita cogitare.* & in *Catone Majore* *Solliciti de vita fut.*

qvum multa de ſtatu animæ poſt mortē diſputaſſet, ait: *Nec me vixiſſe pœnitet, quoniam ita vixi, ut non fruſtra me natum exiſtimem: & ex vita iſta diſcedo tanquā ex hoſpitio non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diverſorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum diem, cum ad illud animorum concilium cœtumque proficiſcar, & cum ex hac turba & colluvione diſcedam.* Hi ſunt iſti, de quibus Auguſtin. *l. VI. de C. D. c. 1.* ait: *Cum his ergo hominibus, qui etſi non libere prædicando, ſaltem utcunque in diſputationibus muſſitando, talia ſe improbare teſtati ſunt, non usque adeo inconvenienter quæſtio iſta tractatur: Utrum non unum DEUM, qui fecit omnem ſpiritualem corporalemque creaturam, propter vitam, quæ poſt mortem futura eſt, coli oporteat; ſed multos DEOS &c.*

§. XII.

Marſilii Patav. obſervatio. Animadvertit hunc Veterum Sapientum defectum eximius Civilis Doctrinæ Magiſter, Marſilius Patavinus *P. 1. Defenſor. Pacis c. IV.* qvum inter alia ita diſſerit: *Vivere ipſum & bene vivere conveniens hominibus, eſt in duplici modo, quoddam temporale ſive mundanum, aliud vero æternum ſive cœleſte vocari ſolitum. Quodque iſtud ſecundum Vivere, ſempiternum ſcilicet, non potuit Philoſophorum Univerſitas per demonſtrationem convincere, nec fuit de rebus manifeſtis per ſe, idcirco de traditione ipſorum, quæ propter ipſum ſint, non fuerunt ſolliciti. De vivere autem & bene vivere ſeu bona vita ſecundum primum modum, mundanum ſcilicet, ac de his, quæ propter ipſum neceſſaria ſunt, comprehenderunt per demonſtrationem Philoſophi glorioſi rem quaſi completam. Unde propter ipſum conſequendum concluſerunt ipſi neceſſitatem civilis communitatis, ſine qua vivere hoc ſufficiens obtineri non poteſt.* Et infra: *Extra hæc*

autem jam dicta, quæ ſolum neceſſitati præſentis vitæ ſuccurrunt eſt, quo indigent communicantes civiliter pro ſtatu futuri ſeculi, per DEI revelationem ſupernaturalem humano generi promiſſo, & utile (utili) *etiam pro ſtatu vitæ præſentis, cultus vid. ac DEI honoratio, & gratiarum actio exhibenda, tam pro acceptis in hoc ſeculo beneficiis, quam recipiendis etiam in futuro: ad quæ docenda & in ipſis homines dirigendos oportuit civitatem quosdam determinare doctores.* Id quod cap. ſeq. dilucidius deducit.

§. XIII.

Partes ſocietatis civilis.

Recte equidem Ariſtotel. *VII. Polit. VIII.* ſex genera partium ſeu officiorum civitatis conſtituit: *Agriculturam, artificium, militarem, pecuniativam, SACERDOTIUM, & Judicialem.* Ubi *Agriculturam* vocat, quod nos in vernaculo den Bauerſtand/ qui eſt reliquorum ordinum ſeu ſocietatum civilium partialium pes atque fundamentum. *Artificium,* collegia opificum, artificum, der Bürgerſtand. *Militaris,* der Ritter-oder Adelſtand. Ad *Pecuniativam* pertinent collegia mercatorum, argentariorum, publicanorum, & quicunque fiſci gerunt curam. *Judicialis* ſeu Magiſtratus, der Obrigkeitsſtand. Denique *Sacerdotium,* der geiſtliche Stand. Sed de hujus neceſſitate, ut bene obſervat Marſilius, non omnes ſic concorditer ſenſerunt, ut de neceſſitate reliquarum partium civitatis. Rationem repetit, *quoniam ipſius vera & prima neceſſitas non potuit comprehendi per demonſtrationem, nec fuit res manifeſta per ſe. Convenerunt tamen omnes gentes in hoc, quod ipſum conveniens ſit inſtituere propter DEI cultum & honorationem, & conſequens inde commodum pro ſtatu præſentis ſeculi vel venturi. Plurimæ enim Legum ſive ſectarum, bonorum præmium & malorum operatoribus ſupplicium*

Sacerdotum finis in Rep.

plicium promittunt, & futuro ſeculo diſtribuenda per DEUM. Et quæ plura egregie ibi diſſerit, & *cap. ſequ. VI.* Conf. Claſen. *de Relig. Polit. p. 407. & 534. c. ult.* Hülſem. *Brev. c. XX. ſuppl. th. 3.* At ſatis, opinor, demonſtratum fuit, dari præter civilem felicitatem aliam ſuperiorem, aliamque adhuc eminentiorem ſocietatem, quàm civilem *hominum inter homines*, puta *Hominis cum DEO.*

§. XIV.

Societatis hom. cum DEO tres ſtatus 1. ab ortu. Porro habet hæc ſocietas tria diverſa tempora, *tresq. ſtatus*, primum enim ab hominis ortu atque *nativitate*, qvum naturæ *ſenſitivæ*, per admirandam atque imperſcrutabilem vim divinæ omnipotentiæ, unitur Natura *intellectualis*, *divina* certo modo, ac ſaltem (prout nunc hominis fert conditio) potentiâ hactenus *ſimilis*, communio illa Entium intellectualium inter ſeſe communicatur etiam ſenſitivæ hominis naturæ, & ita primordia dicuntur ſocietatis inter Hominem atque DEUM. Hic enim primus atqua ultimus hominis eſt finis, hæc perfectio, ad quam obtinendam ac tuendam omnes animi vires debet intendere. Si etenim in primo hoc hominis ſtatu unio, ſocietas atque amicitia cum DEO contrahitur, & contracta perſeverat, eadem quoque pertingit reliquos ſtatus ac momenta.

§. XV.

2. poſt mortem. Quorum alterò diſſolvitur naturalis utriusque naturæ in homine unio, quæ diſſolutiò MORS vocatur, eâque pars hominis materialis ac mortalis interit & corrumpitur, mens verò, mori neſcia, ad DEUM atque naturas ſimiles, Intellectuales congregatur: Et quidem ſi in priore ſuo ſtatu ſocietatem & amicitiam cum DEO ritè iniit, cooptatur jam exacto certamine in ſuperiorem

ſocietatis

ſocietatis gradum & admittitur ad intimiorẽ amicitiam. Hoc eſt illud πολίτευμα noſtrum, futuri ſtatûs, *Phil. 3, 20. Joh. XVIII. 36. Luc. XVI. 25. Coloſſ. 1, 5.* πολίτευμα autem eſt τὸ κύριον τῶν πόλεων, *Societatatum civilium ſumma poteſtas,* ait Ariſtot. *3. Pol. IV. & V.* At Chriſtiani quà tales ſunt in ſocietate Civili οἱ ξενικοὶ καὶ τῆς πολιτικῆς κοινωνίας ἀπολελυμένοι, ut ejusdem verba *l. VII. Pol. 2.* noſtra faciamus. Quodſi verò homo neglexit hanc ſuam perfectionem, ſummumque Bonum, mens ſoluta, DEO exoſa, inimica, infenſa, ſummo Bono excidit, & congregatur illis naturis intellectualibus, quæ pariter DEI amicitià exciderunt, humano generi, omnique Bono infeſtæ ſunt, quos malos Genios & Cacodæmonas appellarunt Gentium Theologi. Et *Vid. Plut. lib. de ſera numinis vindicta.*

§. XVI.

Sed qvum pars hominis ſuperſtes retineat deſiderium, potentiam, vim ac impetum reduniendi ſeſe cum parte amiſsâ, atque præſumtio ſit, DEum Creatorem nolle hanc potentiam fruſtraneam eſſe, ſed deſtinaſſe eam potius certo termino in actum deduci, ad Gloriam, Juſtitiam atque Gratiam ſuam revelandam ampliandamque; igitur omnino credibile eſt, ac veriſimile, quod accedet tandem ſtatus tertius ac ultimus, quo ſuſpenſa hactenus utriusque in homine naturæ unio redintegrabitur, id quod mortale hominis fuit, per divinam Omnipotentiam reviviſcet & cum ſuperſtite parte, totum rurſus hominem conſtituet; ut totus homo aut ſummum Bonum, ac Beatitudinem in Cœleſti ac divina ſocietate adipiſcatur, ad quem totus fuit genitus, & quem totus intendit: aut, ſi id neglexit, ut totus ſentiat judicium atque pœnas. Quomodo enim divinæ Juſtitiæ conveniens ſit, illam hominis

3. Poſt reſuſcitat. corpor.

ejus

Ratio.

partem à pœnarum ſenſu eſſe immunem, quæ parti ſuperſtiti cauſa mali maximè extitit.

§. XVII.

Autoritas Agnoverunt id & Veteres Gentium Theologi; *Zoroaſter* enim vaticinatus, futurum aliquando tempus, quo πάντων νεκρῶν ἀνάστασις ἔσται, ut eſt apud *Æneam Gazæum in* p. 77. *Theophraſto*, qui addit, & *Theopompum* Philoſophum id noviſſe & alios docuiſſe, atque his omnibus neminem antiquorum ſapientum ſeſe oppoſuiſſe. Aſſerit id & probat Socrates *apud Platonem in Phœdone*, ex eo, *quod ex contrariis fiant contraria: contraria porrò eſſe Vivere & Mori.* Revicturos homines *Magos* ſtatuiſſe, *Laërtius in Proœmio* teſtatur. Ex *Chryſippi libris de Providentia* ſimile nobis fragmentum *Lactantius* reliquit *lib. VII. c. 23.* referens eum, qvum de innovatione mundi loqueretur, hæc intuliſſe: τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, δῆλον, ὡς οὐδὲν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου εἰς ὃν νῦν ἐσμὲν καταστήσεσθαι σχῆμα. *i. quod qvum ita ſit, apparet, non eſſe impoſſibile, & nos poſt mortem, rurſus certis temporis periodis revolutis, in hunc, quo nunc ſumus, ſtatum* (corporis & animæ conſociationis) *reſtitutum iri.* Legi etiam hanc in rem meretur *Zachariæ* Scholaſtici & Epiſcopi Mityleuenſis Dialogus de Mundi opificio contra Philoſophos, & *Auguſtin. lib. XXII. de Civ. D. J. Cæſ. Bulenger. Eclog. ad Arnob. c. VI. Schedius de Diis Germ. c. XX. p. 330.*

§. XVIII.

In primo ſtatu eſt Qvum igitur ſalus & ſummum Bonum hominis poſt hanc vitam exiguam, in illa perpetua, non niſi in Societate atque Amicitia hominis cum DEO quærenda, quemadmodum

admodum Civilis ſalus non extra civilem atque hominum inter homines ſocietatem quæri poteſt: igitur de hac ſocietate atque primò ejus ſtatu diſſerendi præcipua eſt provincia. Sicuti porro ſocietas Civilis ex ſimplicibus, Conjugali, Paterna &c. compoſita cernitur, ita & hæc ſpiritualis ſeu divina initium ac primordia ſua capit inter DEum atque *homines ſingulos*, atque ſic *interna*, & oculos hominum ſpecie ſuâ non incurrens, ac inviſibilis eſt & ignota vulgò. οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως, *Luc. XVII.20.* Neque enim quisquam interveniat neceſſe eſt, niſi DEVS atque homo, atq; mediator & interpres tantùm inter utrumq; Sanè inter Deum & primũ ab ipſo conditũ hominem nemo ſocietatis contrahendæ causâ interceſſit: quemadmodum nec inter Parentes atque liberos medius aliquis. Mox naturâ corruptâ, *Mediatore* ac reconciliatione opus erat, & quoniam & hic DEUS eſt, atque Inviſibilis, *Interprete* utitur, & ipſo homine. *1. Joh. 1, 3.* *Societas ſingul. ſimplex inviſ.* *Act. 8, 26.*

§. XIX.

Ex hac ſocietate ſimplici atque privata pluribus cum DEO O. M. inita, progreditur *compoſita* quædam ac publica, quoties inter ipſos homines DEO ita ſociatos hujus rei communio habetur, & ipſi propterea in cœtum coëunt *externum*, atque viſibilem. Quando autem ita non coitur, nec communio externa habetur, ſed ipſi DEI ſocii ſeſe invicem ignorant, ſocietas tamen eſt, &, qvum plurimorum ſit, compoſita etiam, atque adeò univerſitas quædam, ſed non apparens in vulgus, neque extrinſecus cognita, adeoque & ipſa *inviſibilis*. Atque hæc eſt illa, quæ in Sacro Codice appellatur ἡ βασιλεία θεοῦ, *Regnum DEI* atque Chriſti, cœlorum item & ſimiliter. *Act. 1, 13. Univerſ.* *3. Reg. 19. 18.*

Neque ad tempus certum,neq; ad locum alligata. οὐδὲ ἐροῦσιν precones hujus Regni: ἰδοὺ ὧδε, ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ· ἡ γὰρ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ΕΝΤΟΣ ΥΜΩΝ ΕΣΤΙΝ. INTRA VOS EST. *Luc. XVII. 21.* eâque ratione David Eccleſiam vocat צְפוּנֵי *reconditos DEI, Pſ. LXXXIII. 4.* quos LXX. τοὺς ἁγίους reddiderunt: quorum vita *abſcondita* eſt cum Chriſto in DEO, *Coloſſ. 3, 3.* Corpus Chriſti Spirituale, *Rom. XII. 5. & paſſim.* Hieroſolyma & Civitas DEI, *Gal. IV. 26.* de qua *Eſ. LX.*

§. XX.

INTERNA hæc cum DEO ſocietas certisſima eſt, atque optima, *externæ* quippe *fundamentum* ac ſubſtantia: Sed qvum communionis posſint fieri participes, etiam hi qui ſimulant ſocietatem internam ſoli DEO cognitam, hinc externa ſæpe fallax eſt, nec qui ejus particeps eſt, neceſſariò etiam particeps erit ſalutis æternæ, deficiente fundamento. *Communio* porrò continet communem *ſalutis regulam* à DEO ſocio pactam: ejusque unanimem *confeſſionem:* itemque *Externum* aliquod *Regimen*, quod ſingulos in obſervatione communis regulæ contineat: eandem ad caſus emergentes applicet, in dubiis interpretetur: de rebus indifferentibus regulam, ſed humani juris, adeoque mutabilem, ſtatuat: imperantes & parentes ordinet: de controverſiis judicet, mores ſanctos reddat, ſontes puniat. Etenim Externa hæc Societas qvum ſit hominum inter homines, utique & ipſa *humana* erit, ſi humana, & quidem in præſentis vitæ ſtatu, utique & civilis, aut civili ita contradiſtincta, ut *Reipubl.* tamen utraque *pars* ſit.

Act. 5, 3.

Externa ratio formalis.

§. XXI.

§. XXI.

De utraque Interna, & Externa vox ECCLESIÆ *Eccleſia.* uſurpari ſolet, quæ proinde non eſt Univoca, nec Aequivoca etiam, ſed *communis ab uno ad unum*, Societas enim illa quando in *Internam* reſpectu DEI & hominis, atque *Externam*, reſpectu hominum inter homines, dividitur, Genus eſt, quod in ejusmodi ſpecies diſtinguitur, quarum una eſt alterius radix & fundamentum, unde hæc cum omnibus ſuis ſubalternis ſpeciebus in Eſſe ſuo dependet. Igitur ut Eccleſia v. g. Romana, Græca, Moſchovitica, Germana, Gallica & quæ ſunt aliæ, eſſentiam Eccleſiæ habeat, neceſſe eſt, ut Internam contineat, & cum radice ſua cohæreat. Continet porrò Eccleſia Externa Internam non usque quaque perfectè, ſed deprehenditur ibi *imperfectio* & *partium* & *graduum*; prior in eo cernitur, quod non omnes, quos cœtus externus continet, membra ſunt Eccleſiæ Veræ & Internæ, & filii ac heredes Regni Chriſti ſive *Electi*: Poſteriori verò recedunt ab Eccleſia fundamentali atque interna, Externarum aliæ magis, aliæ minus quoad dogmatum *puritatem* & vitæ *ſanctitatem*.

§. XXII.

Atque obſervare eſt, in quantum quilibet cœtus externus recedit ab Eccleſia vera & interna, in tantum accedit ad hujus Oppoſitam, quæ eſt *Societas hominis cum Satana, ἀντιθεοῦ καὶ ἀντιχρίστου*; namque & hujus Societas ſeu Congregatio aut Synagoga primò ac fundamentaliter eſt inter Satanam & homines ſingulos, quæ formaliter conſiſtit in *Apoſtaſia* ab Amicitia, Unione & Societate cum DEO, quæ cum primorum hominum lapſu & transgreſſione Mandati Divini ortum nacta eſt. Deinde egreſſa forâs, & communio hominum inter homines fuit inſti- *Societas & Synagoga Satanæ.*

tuta, ut neque ille cultus, quem DEUS præceperat, neque illud Objectum, coleretur, ſed Sacra DEO adverſa ac prohibita, ad placitum Satanæ ac Dæmonum inſtitueretur, & Apoſtaticæ Religiones ac Societates variæ introducerētur. Quarum aliæ multos deos h.e. Cacodæmonas venerebantur, aliæ nullos, qui Athei vocantur, negantes DEI Providentiam & curam circa homines, aut vitam aliam poſt hanc exiguam. Hodie denique, poſtquam & Idololatriæ ſunt exciſæ & Unius DEI Veri agnitio & Chriſtiana Religio per univerſum terræ orbem fuit extenſa, Externæ hujusmodi Societates in totum Apoſtaticæ ab interna cum DEO ac divinis communione, ſunt ferè Mahumetanorum, Sinenſium, Americanorum, Judæorum & Hæreticorum, qui Chriſtum θεάνθρωπον pro Mediatore ſuæ cum DEO redintegrandæ Societatis non agnoſcunt.

§. XXIII.

In una Externa utraque Interna.

At inter Eccleſias Chriſtianarum gentium quemadmodum Primæva Apoſtolorum perfectius Internæ fuit exemplar, ita progreſſu temporis aliæ atque aliæ magis magisque abinde receſſerunt, Regulam ſalutis divinam cum Humani Juris ſtatutis commiſcentes, ſanctitatemque morum deſerentes. Inde factū, ut in eodem cœtu externo, qvam Eccleſiam vocamus, ſed analogicè ut antea diximus, deprehendatur duplex interna communio & cum Deo, & cum ejus Adverſario, quorum alteri illi, alteri iſti ex cœtu internè adhærent, licet quandoque eandem extrinſecus profiteantur Formulam. Quare conſequens eſt, in una & eadem Eccleſia Externa & Chriſti Regnum, & Antichriſti reperiri, ſicut S. Spiritus ipſe teſtatur de *Eccleſia Pergamenſi*, in

Apoc. 2.

ea & *Satanæ ſedem eſſe*, & *Balaami doctrinam*, & tamen ſimul *veram Chriſti Eccleſiam*. Liberum autem eſt homini, tam internam, quam externam communionem ſolvendi: ſolvunt autem alii internam, retentâ in ſpeciem externâ, & viciſſim. Hinc prava dogmata, turpes mores & ſcandaloſi, legibus ſæpe approbantur. Sed *libertas* cuilibet ſocietatis ſpiritualis participi, eaque ex præcepto, competit, primò in ſeſe, & in conſcientia ſua, communionis ſuæ externæ abuſus & deviationes à norma ſalutis abominandi, *reprobandi*. Deinde etiam ſocium ac fratrem de iiſdem ut caveat, *admonendi*, imprimis Poteſtatem Externam, ut eadem abroget, impediatve: quæ libertas & Poteſtati Reip. omnino competit διὰ τὴν συνείδησιν, & per ſummam Reip. legem quæ eſt ſalus civium utriusque vitæ. Atque hoc eſt, quod dicitur *Spiritualis homo omnia dijudicare, 1. Cor. 2, pen.*

§. XXIV.

Quæ qvum ita ſint, & Salus Hominis poſt hanc vitam ſuperſtitis in ſola ejus cum DEO communione conſiſtat, & Societate divina, ſeu Regno DEI; hoc autem *Extra Eccleſ. non eſt ſalus.* porrò non in externâ παρατηρήσει, ſed in obſervandâ regulâ ſalutis, tanquam lege fœderis, & ſocietatis; hinc opidò patet, ubi quærenda ſalus ſit, & quem ſenſum habeat, quod vulgò jactatur: *Extra Eccleſiam non eſſe ſalutem.* Haudquaquam videlicet de Eccleſia aliqua particulari, Græca, Romana, Africana, Saxonica & cæteris, ſed aut de omnibus particularibus ſimul ſumtis, ita ut, etſi omnes ſub unitate Confeſſionis ac Regiminis unicum Corpus externum non conſtituunt, tamen ſive

in

in plerisque, ſive in ſingulis, ſive in quibusdam ſaltem vera ſalutis formula habeatur: aut potius de Interna ac fundamentali Chriſti Eccleſia, reliquas omnes externas informante ac ſuſtinente. Hæc etenim Interna eſt ipſiſſima hominis cum DEO renovata ſocietas atque communio, in qua perfecta beatitudo, etiam diſſolutâ mentis cum corpore unione, & intenditur & obtinetur.

§. XXV.

Prudentia alia Civil. alia divina & Spiritualis.

Quâ viâ autem quibusque mediis id fieri poſſit, id hominis prudentia non poteſt aſſequi, unde & Civilis Prudentia eò non aſſurgit: alia ergò Prudentia ſit oportet, divinitus homini patefacta, quæ & voluntatem DEI erga homines exponit, ad reconciliandum propenſam, & media quoque redunitionis pandit. Atque hæc eſt, quam deſcribere cœpimus, cujus quidem primam partem, quæ de Fine agit, hactenus tractavimus; Antequam autem illam de Mediis aggrediamur, ratio poſcit, ut de ſubjecto ipſo, quædam interjiciamus.

hujus Partitio.

CAPUT

CAPUT II.

DE NATURÆ HUMANÆ AC DIVINÆ DIFFORMITATE AC STATU HOMINIS CORRUPTO.

§. I.

CUm DEO amicitiam & ſocietatem initurus homo, noſſe debet, fundamentum ejus rei eſſe *Amorem*, qui erga DEUM ſic exercendus, ut quia is ſummè bonus, ſummè quoque ametur, & qvum ſummus ſit, igitur & ſolus in illa conſtitutus eminentia eſt: quare & ſolus eminenter amandus atque integro animo. Hujusmodi amoris continuatio atque exercitium *amicitia* eſt atque cum DEO *ſocietas*. Et DEUS quidem quin amore complectatur hominem, indubium eſt, quia & omnes creaturas ſuas amat, & hominem ſpeciatim multis bonis totà die afficit, *fecitque ex uno ſangvine omne genus humanum, ut inhabitent ſuper univerſam faciem terræ, ut quærerent DEUM.* Amat igitur & tuetur DEUS hominem & ut creaturam, & ut intelligentem atque liberam, & quæ in DEI conſortium venire poſſit. *Vid. Tull. 2. de Nat. Deor.* Verumenimverò, natura hominis an viciſſim talis ſit, ut in amorem mutuum adverſus DEUM feratur, videndum eſt. Illud equidem ratio conficit, quòd homo obligatus ſit creatorem ſuum viciſſim amare, & ipſi totum ſeſe conformare atque ſe cum ipſo unire. Sed qvum homo per

Amor fundam. ſocietatis.

Amor DEI. Providentia. Act. 17, 26.

ſe id præſtare neque ſoleat, neque poſſit, conſequens eſt, eum in præſenti ſtatu eſſe *naturæ corruptæ*, & in aliâ conditione perfectiori ab origine hominem à ſummo Creatore fuiſſe conditum. Lege ſodes dialogos *Platonis* in hanc rem, quos *Sympoſium* inſcripſit cum ſequente, *Phædro*: itemque in iſtum Marſilii Ficini *de Amore* commentarium. De quibus ulterius diſpiciendum.

§. II.

Natura corrupta Statum hominis prout naſcitur eſſe corruptum, nullam credo latet gentem, & veteres Philoſophi id malum maximè animadverterunt. Namque primò diverſæ na-
1. turæ *Materialis* & *Immaterialis* diverſa eſt inclinatio, di-
2. verſæ qualitates, & facilè inter ſeſe *pugnantes*. Deinde ipſa Mens ſeu Immortalis hominis portio & ipſa depra-
intellectus vata cernitur. Intellectus enim primas *Notitias* quidem adhuc obtinet, ſed non actu, verùm tantùm *potentiâ*, quæ crebrâ conſideratione & evolutione in actum deduci poteſt. At potentia hæc itidem corruptioni obnoxia eſt, ita, ut ferè in actum deducatur, aut *perverſe*, aut *imperfectè*. Unde eſt, quod apud totas gentes quædam, quæ turpia ſunt, pro honeſtis habita aut licitis, veluti furta, adulteria, polygamiæ &c. Et quamvis denique τὸ ὅτι ἐστι corruptionis noſtræ apud omnes in confeſſo, ratio tamen & modus vix poteſt extricari; id quod tam varia & ſecum pugnans ratio colendi Numinis ſatis comprobavit. Unde imperfectio & inſufficientia Potentiæ intellectualis
Voluntas. apparet. Altera naturæ immortalis potentia eſt Voluntas; quæ cùm duo principia cognoſcendi diverſa, ſæpe etiam contraria, ſequi poſſit, mentis & ſenſuum: Igitur obſervare licet, voluntatem potiùs & cupidiùs *ſenſuum*, quàm *rationis judicium* ſequi, & ſicuti à Rectæ Rationis dicta-

dictamine declinat, ita ad ſequendum appetitum ſenſitivum inclinat prona.

§. III.

Sententia Philoſ. eorum ignorantia vincibilis.

Malum hoc & *vitium naturæ* hominis corruptæ agnoverunt Gentium Philoſophi, *Plato in Alcib. VIII. de Republ. & lib. I. & V. de LL. V. Thomaſ. præfat. 70.* Ariſt. *III. Nicom. ult.* appellat τὸ συγγενὲς, *lib. VI. Pol. c. IV.* τὸ ἐν ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον. Plato τὸ ἔμφυτον, Pythagorei *Carm. Aur. v. 59.* τὸ σύμφυτον. *Stoici* hinc ſuos derivant morbos & *affectus* ſeu animi perturbationes ab harmonia rationis rectæ recedentes, ut jam nitamur in vetitum ſemper, velimusque negata. *Cauſam* porrò & occaſionem hujus mali & corruptelæ non ſat agnoverunt, *V. Auguſtin. l. XIV. de Civ. D. c. 3. & 5. & ſqq.* Plato 2. *Alcib.* & *in Theæteto* ait: *Impoſſibile eſt mala penitus extirpari. Nam bono oppoſitum quid eſſe ſemper neceſſe eſt. Neque illa tamen apud deos locum habere poſſunt. Naturam verò mortalem regionemque inferiorem neceſſario circumeunt. Quare conandum eſt, ut hinc illud quam celerrimè fugiamus: fuga autem* ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν, *ut deo ſimiles pro viribus efficiamur.* Ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. Equidem per fabulas & veterum traditiones valdè depravatas aliquid inaudierant, quibus hiſtoria Creationis & Lapſus fuit involuta. De quibus jamtum Mornæus & Grotius *de Verit. Relig. Chriſt.* & Voſſ. *de Theol. Gentil.* Harum qvum mentionem feciſſet Plato in Politico, addit: ὃ δ᾽ ἐστὶ πᾶσι τούτοις αἴτιον τὸ πάθος, οὐδεὶς εἴρηκε. *Malum verò illud quod horum omnium cauſa eſt, nemo utique dixit.* At *debuerunt* tamen in harum traditionum veritatem atque fundamentum inquirere: nam pars hæc eſt præcipua & fundus quaſi veri cultus divini,

 quem

quem porrò nonniſi ex ipſius DEI revelatione hauriendum eſſe, αὐτὸς ἔφα. Et *potuerunt* quoque inquirere.

§. IV.

Veterum Sapientia

Dederat immenſa DEI benignitas priſcis gentibus donum naturale Sapientiæ & Prudentiæ, præ Hebræorum populo: quam in Veterum Scriptis adhuc Chriſtiani admiramur ac veneramur. Quâ fini? niſi ut indagerent principia revelatæ Salutis, & quo neglecto, ut minus eſſent excuſabiles. Atque neglecto hoc medio, videmus dono iſto privaſſe mortales divinam Sapientiam. O admirandum Clementiæ atque Juſtitiæ divinæ temperamentum! Atque qvum *apud Hebræos* notitia revelationis ſemper extiterit accurata: etiam apud Phœnicas & ſine dubio Ægyptios atque Chaldæos nonnulla: Sanchuniathonis id indicant fragmenta. Quid? quod Rex Tyri proſelytus aliquando fuiſſe videatur, innuente id Prophetâ *Ezech. XXVIII. 14. 15.* & vera religio in Regnum Tyri introducta; quâ occaſione in omnes orbis nationes ex harum cum Tyriis commercio innoteſcere poterat. Acceſſit *translatio Codicis ſacri* Hebræorum in lingvam Græcanicam, auctore Ptolomæo Rege. Invitavit harum rerum cupidos religionis & *templi Hieroſolymitani fama* atque celebratio, nec Salomonis tantum Imperio, ſed etiam poſt reditum Babylonicum. Quò facit quoque fœdus & cognatio Judæorum cum *Spartanis* ab Abrahamo deducta: *Fœdera* item cum *Populo Romano*. Ac preces publicæ pro Confœderatis Rebusp. *I. Macc. XII. 11.* Et tandem ipſa quoque ſubjugatio Populi Judaici, diſpenſatoris Myſteriorum divinorum; ut ita & pacis & belli tempore, ſemper præſto eſſet occaſio veri cultus, veræque ſalutis cognoſcendæ.

§. V. Im-

§. V.

Imprimis verò dignum obſervatu, quòd non modò Regis vicini Syriæ & Ægypti, ſed Romani quoque orbis Domini certos reditus ſumtusque ad cultum divinum Templi Hieroſolymitani quotannis tribuerunt, quod *Aurum Judaicum* appellabant, cujus mentionem facit *Tullius pro Flacco. Vid. Eſr. 1, 4. c. 6, 4. 1. Macc. X. 39. c. XI. 34. c. XII. 11.* Planè inquiſiverunt quoque nonnulli Philoſophorum ſacra peregrina & Hebræorum quoque. De Pythagora diximus *diſſ. de ejus diſciplina.* De Platone & aliis alii. Sed mali mores & prava dogmata Scribarum & Sectarum Populi Judaici contemni fecerunt ſacra Judaica. Vide tamen *Joſephum contra Apionem.* Denique etiam *per Chriſtianos* pervenit tandem notitia revelatæ religionis divinæ ad Philoſophos & ſapientes hujus ſeculi, ſed multis ſtultitia habita divina ſapientia & frugibus repertis maluerunt adhuc glandibus veſci, donec per immenſam divini Numinis benignitatem Idololatria & Paganiſmus per Orbem Romanum & ultra abolitus & Religio Chriſtiana per univerſam *οἰκουμένην* expanſa fuit. *Aurum Judaic.*

§. VI.

Ex hujus ergo divina inſtitutione callemus, primos humani generis Parentes in ſtatu beato atque optimo maximo conditos, eà modo lege, ne veſcerentur in horto, quo poſiti erant, pomo vetito: re levi & facili ſervatu, ut videri poſſit; ea enim ratio eſt atque mos DEI Legislatoris, veluti ut à carne ſuilla & ſimilibus abſtineatur. Sed quò minor eſt excuſatio, eò major culpa. Iſtâ lege mox transgreſsâ per mali Genii inſtigationem & fraudem, in eum ſtatum lapſos fuiſſe, conſtat, quem jam deploramus, ut omnis vanitatis ac miſeriarum plenum. Intellectus *Status peccaminoſus.*

enim ut antea diximus, non modò ad fallacium ſenſuum perceptionem eſt alligatus, ſed etiam quoad notitias inſitas valdè imperfectus in ſeſe, & accuratâ informatione indiget. Voluntas verò propenſior ad Appetitus ſenſitivi inclinationes imperandas, quàm has ad rectæ rationis normam redigendas.

§. VII.

Hæc vitioſa qualitas, & habitus hominis naturalis, *Peccat. Orig.* hicque ſtatus ac conditio, appellatur ab Eccleſia Chriſtiana *Peccatum Originale*, auctore Paulo Rom. V. 12. 14. ὥσπερ δι᾽ ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, & paulo poſt: ἀλλ᾽ ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως, καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ. Peccaſſe dicuntur omnes, nec tamen omnes ad modum Adæ primi hominis: nam hic tum quoad conſilium tum quoad effectum, & actu legem divinam transgreſſus fuit, eoque ipſo ex ſtatu primigenio in alium & deteriorem cecidit, in quo transgreſſionis ſuæ pœnas luat. Hic ſtatus *Mortis* vocatur à DEO Creatore, *quo die comederis morte morieris*. Antea autē Immortalitas Mentis per divinam gratiam unione individuâ communicata erat corpori, ſed propter peccatum iſtud protoplaſtarū iſta communicatio à Creatore fuit ſublata & mors h. e. ſeparabilitas utriusque naturæ, mortalis & immortalis, admiſſa. Itaque rectè Africanus ad Scipionem: *Veſtra*, inquit, *quæ dicitur vita, mors eſt.*

§. IIX.

Omnes porrò poſteri Adami in hoc ſtatu peccati atque mortis naſcuntur, etſi non quemadmodum Adam peccâ-

peccârunt, h. e. nulla dum actualia peccata perpetrarunt, quippe infantes adhuc, & qui nec intellectum nec voluntatem delinquendi habere videntur. Sed habent tamen *ἀδυναμίαν*, Impotentiam, h. e. qualitatem vitioſam connatum & inclinationem ac pronitatem contrariari Legi & voluntati divinæ. Atque etſi actus infantum ex illa qualitate disharmonica facultatum humanarum & ſtatu peccaminoſo promanantes, antequam intellectum & voluntatem homo plenè habet, non ſint voluntarii Philoſophis, „ ſunt tamen peccaminoſi, *ἄνομοι*, illegitimi, *legaliter* ma-„ li, ſi minus *moraliter*: quemadmodum enim inter Bonum Morale & Naturale datur medium, Bonum Legale, *Manud. Phil. Mor. ad JPrud. c. VI. n. 5.* ita etiam Malum datur Legale, & *actus infantum* etſi non voluntarii nec moraliter mali, ſunt tamen *ſpontanei & mali legaliter*, ac DEO diſplicentes,

Malum legale.

Malum legale, & inde obligatio ad pœnam quãdam.

§. IX.

Porrò in ejusd. libelli *cap. IX.* §. *23.* oſtendimus omnem obligationem ex Lege oriri, omnemque Legem obligare. Quare *obligat* utique & *Lex divina*, cujus imaginem hominis *Conſcientia* refert, & obligat omnem humanam creaturam, quippe cui Lex iſta inſita ab origine eſt. Atqui nullus homo ab ortu & incunabulis vitæ ſuæ usque ad ſenectam obligationi iſti non contrariatur, & quamvis nullos dum actus morales edat, edit tamen actus *ἀνόμως* legi divinæ contravenientes, ad legem adverſam peccati inclinantes. In tali ſtatu conceptum ſe fatetur David. Ex legis autem divinæ transgreſſione & ex deviatione ab illa, oritur obligatio ad pœnam Lege illâ comprehenſam. Quemadmodum & bruta animalia ſuo modo puniuntur. Opidò hinc patet, & univerſum genus humanum

num per ἀνομίαν congenitam *obligari ad pœnam*, & homines ſingulos, etiam ratione nondum utentes, qvum tamen agant contra legem, idque ſpontè & cum naturali propenſione. Sicuti igitur Immortalitas antea communicata erat corpori, non propter actus bonos præcedentes, ſed ex conditione naturalis unionis naturæ immortalis cum mortali: Ita Mortalitas, ſeu ſublatio iſtius communicatæ proprietatis, in *infantibus* non tam ejusmodi pœnæ rationem habet, quæ infligeretur propter actus infantum præcedentes, moraliter malos, quàm rationem *Neceſſarii Conſequentis* ex præſenti naſcendi conditione αὐʹανόμῳ & legi divinæ voluntatique adversâ, & obligationem igitur pœnæ cujuscunque ſecum neceſſariò ferente. Quò facit Scholaſtica diſtinctio inter *pœnam damni & ſenſus*.

Mors infantum.

§. X.

Cauſa igitur peccati non eſt *Imputatio mera* peccati primi hominis: Neque pœna irrogatur propter peccatum primi hominis neque propter actus infantum per ſe, ſed propter adhærentem qualitatem vitioſam divinæ legi & obligationi ex lege divina ortæ contrariam, quæ porrò obligationem ad pœnam inducit, & ita ob ſtatum congenitum, quo impeditur unitio hominis cum DEO. Neque etiam *voluntas interpretativa* poſterorum: interpretatio enim talis atque præſumtio coincidit cum Imputatione. Sed nec infallibilis quædam DEI de conſenſu poſterorum in peccatum *præſcientia*. Neque enim multum differunt hæc, *Præſumere quid poſſe fieri*, præſumtione juris & de jure: & *Præſcire* aliquid poſſe fieri, aut conſenſuros homines in peccatum vel ſimiliter peccaturos.

Imputatio peccati.

§. XI.

Verùm *Cauſa proxima* & ratio formalis hujus peccati eſt ipſa illa qualitas & vitium originale, ſtatus hominis disharmonicus, & ἀδυναμία ſeu impotentia conformandi ſeſe ad Legem & Voluntatē divinam, ex adverſo autem potentia proxima ac pronitas conſentiendi in peccatum, quamprimum potentia in actum per naturam deduci poteſt. Quod & ipſum communiter *Peccatum* vocatur, ſed cum adjectione *Originis*, qvum μετωνυμικῶς *Effectum* pro *Cauſâ* dicant, *peccare* pro peccandi potentia, inclinatione & cupidine connata; id quod in Adamo omnes acquiſiviſſe Paulus antea dixit. Quamobrem qvum hæc naturæ humanæ corruptio non modò *privationem* primævæ & concreatæ harmoniæ & facultatum humanarum tum inter ſeſe, Rationis, Voluntatis & Appetitus, tum earum cum DEO Creatore ejusque Lege ac voluntate, convenientiæ, quam *divinam* vocamus *Imaginem*, contineat, ſed etiam contrariam *inclinationem* & *diſpoſitionem* naturalem ad agendum ea, quæ naturæ & voluntati divinæ ſunt difformia, conſequens eſt, humanam naturam in tali ſtatu naſci, ut non poſſit non divinæ Naturæ eſſe exoſa. *Pecc. Orig.*

§. XII.

Hinc *inimicitia* eſt naturalis & congenita *inter DEUM & hominem*. Illud certum atque cuique compertum eſt, quod Natura hominis Divinam metuat horreatque; id quod *Plutarchus lib. de ſuperſtit.* imperitè vocat *ſuperſtitionem* remque ipſam elevat; imò eſt naturalis & connata homini qualitas ex diſſoluta hominis cum DEO amicitia oriunda. Hinc & ſpirituum quorumcunque apparitiones intolerabiles homini, ipſum terrentes & exanimantes. Atque qvum Mentis natura per ſe talis ſit, ut *Inimicitia DEI.*

cum ſpiritibus & Angelis poſſit communicare, tamen & hæc ipſa facultas intercluſa eſt & propter inimicitiam cum DEO ceſſavit. Conſequitur hinc porrò, Actiones humanas Legi Divinæ amplius conformes eſſe non poſſe, qvum omnes potentiæ agendi ad difformitatẽ inclinent.

Actiones hum.

§. XIII.

Stoicorũ Sapiens.

Quare & Stoicorum ſapiens, qui per totum perfectus, ſine omni animi perturbatione æternæ legi conformes continuè exercet actiones, merum eſt figmentum, ipſis fatentibus ſectæ ejus fautoribus. *Tullius 2. de Offic.* Et quamvis Philoſophi admodum laborarint imperfectionem humanarum actionum corrigere, & pugnam internam ſedare, unde Socratica κάθαρσις inventa, de qua *Scheffer. de Philoſ. Ital. c. IX.* non potuit tamen id, quod intenderunt, præſtari, ſed permanet tamen difformitas & cauſa diſſociationis & inimicitiarum adverſus DEUM. Neque enim caro & ſangvis hereditatem Regni DEI conſequi poſſunt, neque corruptio incorruptibilitatem hereditare, *I. Cor. XV. 50.* Perdurat igitur & obligatio tam univerſi generis humani, quàm ſingulorum ad pœnam, quòd ſecundum legem divinã non agant, qvum tamen ad id obligatos eſſe conſcientia tandem haud diffiteri poſſit.

CAPUT

CAPVT III.

De
MEDIIS, QVIBUS FINIS ULTIMUS ET SALUS ÆTERNA OBTINETUR.

§. I.

EX hactenus diſputatis conſtat, dari finem ulteriorem & felicitatem plusquàm civilem, in Societate & Unione hominis cum DEO: ſed & impediri hanc unionem & felicitatis ejus conſecutionem per Naturæ Humanæ corruptionem & inde ortam ſocietatis hominis cum DEO disſolutionem & inimicitias. Quæ qvum ita ſint, conficitur, non poſſe finem illum amplius obtineri, nec amicitiam ac ſocietatem cum DEO reſtaurari, niſi repurgatâ Hominis natura ſi non in totum, tamen in tantum, & ſublatâ difformitate aut ſaltem *renitentiâ* hominis adverſus DEUM & inde dependente *obligatione* ad pœnam. Porrò *Repurgatio* illa non poteſt fieri ab homine ipſo, propter illam ipſam difformitatem & impotentiam naturalem mentis humanæ à DEO abalienatæ DEOque exoſæ. Neceſſe ergo eſt, ut fiat *ope ſpiritus divini:* at hic in hominenō operatur, niſi à DEO homini immiſſus: ſed haud mittitur à DEO niſi reconciliato: reconciliatio autem non fit, niſi per MEDIATOREM inter DEUM atque hominem, h. e. per ejusmodi ſuppoſitum, quod utriusque naturæ, Divinæ *Hypotheſis.* *Mediatoris neceſſitas & natura.*

 vinæ

vinæ & Humanæ eſt particeps, quodque ſufficiens eſt tollere obligationem generis humani ad pœnam transgreſſæ legis divinæ. Hæc præſuppoſita adeò reor eſſe manifeſta, ut etiam nondum imbutus Divinitus revelatâ doctrinâ ea admittere tanquam rectæ rationi haud diſſentanea debeat. *Conf. Auguſtin. l. IX. de C.D. c. XV. Ivonis Pariſini Jus Naturale rebus creatis à DEO conſtitutum Lib. 1. Leg. 3. §. 3. Extrema mediis interjectis connectuntur.*

§. II.

Philoſoph. error. Philoſophi gentium, imprimis verò Pythagorei, Socratici & Stoici, ut *cap. antecedenti* vidimus, illud utique agnoverunt, finem hunc non poſſe acquiri niſi reformatâ hominis mente. Sed κάθαρσις ipſorum quoniam non niſi humana fuit, deſtituta ope divinâ, mediisve divinitus ad id inſtitutis ac revelatis, neque illum finem ultimum obtinere potuit, neque proximum, h.e. Naturæ Corruptæ reformationem & Impotentiæ congenitæ commutationem in Virtutem ac Vim ſpiritualem ac divinam. Non imus inficias, καθάρσει ſuâ Philoſophos alicui perfectioni ſtuduiſſe, eâque id obtinuiſſe, ut actiones civiles ad Honeſtatis & Legis Æternæ normā longè accuratiùs & ipſi ediderint, & cives ſuos edere docuerint, ſed nihil hîc ultra finem ſocietatis civilis & beatitudinem hujus vitæ. Siqui etiam crediderunt, his ſtudiis ſeſe promerituros, ut animo ſuperſtiti cum DEO bene ſit, quemadmodum *Tullius lib. VI. de Republ.* Scipionis Africani Manes ad P. Cornelium Scipionem fari facit: *Sed ſic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, juſtitiam cole, & pietatem, quæ cum ſit magna in Parentibus & propinquis, tum in Patria maxima eſt: quia ea vita via eſt in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides.*

vides. Certè hos ſpes miſeros fefellit, & φιλαυτία imperfectæ *virtutis*, & quam ejus duntaxat *ſimulacrum* idem Tullius rectè dixit; Impoſſibile enim eſt, ut actiones illæ hominem DEO reconcilient, quæ contra DEI voluntatẽ Legemque æternam multis modis offendunt atque ex radice DEO exoſâ propullulant.

§. III.

Sed horum πρῶτον ψεῦδος in eo poſitum eſt, quod corruptionem & difformitatem naturæ ſuæ non ſatis penitrare, & τὸ γνῶθι σεαυτὸν non ſatis perdiſcere potuerunt. Unde pro peccato & vitio, quod remiſſionem divinam impetrare neceſſe haberet, non niſi externos contra legem moralem impingentes actus habuerunt, non item pravas mentis inclinationes & cogitationes. Hinc ςωικώτατον Senecæ effatum: *ſe nolle peccare, etſi ſciret, DEUM ſibi remiſſurum, & homines neſcituros, tantùm propter turpitudinem peccati.* Et quamvis nonnulli eò pervenerunt, ut ſtuduerint, cogitationes quoque malas reprimere, & abſurdas domare φαντασίας, non potuerunt tamen id perficere, neque congenitam Appetitus ſenſitivi & mentis luctam funditus eradicare, ſed eatenus modò, ut eò meliores felicioresque cives redderentur, quo de diximus aliquid *in Manud. ad JPrud. c. 2. §. 27.* Atque condonemus hoc Gentibus, qvùm multi etiam de ſynagoga atque Eccleſia tam ſtupidi fuerint, ut perfectionem Virtutis, quæ DEO placere poſſit, in externâ illa & ſimulatâ tantùm ſpecie collocarint, de eâque Leges Divinas intellexerint, quem craſſum illorum quoque temporum errorem Salvator Optimus Maximus imprimis redarguendum & eradicandum cenſuit. *Judæorũ & quorundam Chriſtianorum error.* *Matt. V. & XIX.*

§. IV.

Imperfectio & difformitas non poteſt planè tolli.

Porrò illud largiendum eſt, non poſſe ullâ operâ ſtudiove eò perfectionis perveniri in hoc hominis ſtatu, & vitæ hujus mortalis conditione, ut malum congenitum & lucta domeſtica, adeoque difformitas hominis divinæ Naturæ exoſa radicitus tollatur, & priſtina integritas naturæ ante diſſolutionem animæ & corporis, veluti pœnæ perpeſſionem, planè reducatur. Exemplis piiſſimorum hominum, & divinorum virorum atque Heroum illud apertum eſt, fateturque idem de ſeſe diviniſſimus Gentium Apoſtolus longo carmine *ad Rom. VII. & VIII.* Atque etiam exinde eò fortiùs conficitur, non poſſe inter DEUM atque hominem inimicitiam atque diſſociabilitatem aboleri, per propriam aliquam κάθαρσιν, & reformationem, neque adeò *ſalutis regulam* in hac imperfectione *in operando* conſtitui poſſe, & promerenda ſalute actionibus Virtutis perfectæ, *Luc. X. 25.* ſed *divinâ ope*, Mediatore & ſatisfactore quodam opus eſſe, ab eoque demum exſpectari *aliam* Salutis regulam, & quæ homini imperfecto *obſervatu poſſibilis*.

§. V.

Sapientia & Veritas.

Atque hæc eſt illa Sapientia divina ἐν μυστηρίῳ ἡ ἀποκεκρυμμένη, quam Paulus vocat *1. Cor. 2, 7.* & בְּסָתֻם חָכְמָה *Sapientia in occulto*, David *in Pſal. 51, 8.* *Vid. Baruch. 1, 3.* Veritas hæc eſt, quæ latet in abyſſo, *Lact. l. 1. & paſſim.* & quam deridet Pilatus *Joh. 18, 37, 38,* Hæc eſt illa Veritas, in qua verſantur jurantes in domino, ſecundum *Hieremiam cap. IV. 2. Et jurabis: Vivit Dominus in Veritate, & Judicio, & in Juſtitia.* Hinc Veritati opponitur Peccatum, & heterodoxia, *Joh. VIII. 46. & c. XVI. 8. ſqq.*

Joh. 16, 8.

Cum venerit Paracletus, arguet mundum de Peccato, h. e. ſtatu peccati, in

in quo naſcimur,& in quo permanentes non credunt in verum Mediatorem: *Et de Juſtitia*, h.e. ſtatu renovationis,per Fidem & Charitatem, in quo fidelis, opera Chriſti imitans,non ipſe modò verum Mediatorem amplectitur, ſed & alios plures id docet, & vice Chriſti obſecrat, ut per hunc reconcilientur DEO, *quia ipſe abiit ad Patrem*, c. *XIV. 12.* Et denique *de Judicio*, h. e. ſtatu hominis poſt mortem, *quod Princeps mundi judicatus eſt*, *c. XIV. 30.* accuſator fidelium, *Apoc. XII. 10.* Atque hæc eſt illa Sapientia,quam non poſſunt βαστάζειν niſi Paracleti cohabitatione illuminati, *Joh. XVI. 12.* Absque quo, Græcis μωρία & Judæis ſcandalum hæc Sapientia eſt. Quòd eò minus mirum,qvum & de ſua philoſophia *Plato* Dionyſium admonet: Cave ne unquam hæc excidant in aures hominum ἀπαιδεύτων nulla ſunt enim, ut mea fert opinio,quæ dicta ad populum καταγελαστότερα magis ridicula videantur, neque viciſſim apud τοὺς εὐφυεῖς prolata, θαυμαστότερά τε καὶ ἐνθουσιαστικώτερα, *Epiſt. 2.*

§. VI.

Quanquam autem & illud ratio conficiat, non niſi participem & naturæ humanæ integræ & divinæ eſſe debere Mediatorem *Mornæus de V.R.C. c. XXVII.* tamen an unquam talis quis extiterit, aut extiturus ſit, & quis ille, aut ubi gentium oriundus,non niſi ex ipſius *DEI revelatione* & oraculo hauriri poteſt, adeoq; non niſi in Eccleſiâ Chriſtiana & Veteri Hebræorum. Quare qvum *Juſtinus* Philoſophus Hadriano imperante, omne genus Philoſophorum,& Pythagoreos,& Platonicos,& Peripateticos, & Stoicos audiiſſet, ut hanc divinæ Veritatis doctrinam cognoſceret, & nullibi certi quid inveniret, ad Chriſtianos ſeſe tandem contulit, ibique quod quæſivit, reperit, ipſo de-

Revelatio divina de medio ſalutis.

de ſeſe referente. Etenim qvum recogitat homo, quòd DEVS Creator O. M. nobiliſſimæ creaturæ, hominis, finem ultimum ad quem conditus, ſalutem utramque, intendit, facilè judicare poteſt, quod etiam Medium ſalutis voluerit, idque tam quoad rem ipſam, quàm quoad ſui cognitionem: Igitur oportet, ut alicubi gentium à DEO revelatum extet, quod illud medium ſit, quo finis hominis utriusque vitæ, ultimusque, impetretur. Hoc eſt, quod *Plato* & *Plotinus* de ſuperna illuminatione, & lumine intelligibili, quo beati homines fierent, diſſeruerunt, *Vid. Aug. l. X. de Civ. D. c. 2.32. Conf. Vinc. Placci Fruct. Philoſ. Mor.*

§. VII.

apud Hebræos & Chriſtianos unicè At conſtat & compertum, in nulla gente, nulloque populo extare ejusmodi Revelationem de Humani Generis, & ortu, & corruptione & medio recuperandæ ſalutis, quàm apud Hebræos Judæósve veteres, à quibus eadem poſtea ad Eccleſiam Chriſtianam fuit translata, & ad hanc usque diem ſarta tecta conſervata. Teſtantur id non modò Philoſophi veteres ſuo exemplo, ſed idem etiam ex eo arguitur, quod nondum melior & probabilior Revelatio Salutis reperta unquam fuerit. Porrò veritatem & *Θεοπνευστίαν* Codicis Sacri tam Veteris Hebræorum, quàm Novi Chriſtianorum, probant utique primùm *Antiquitas.* Sanè Codicem Hebraicum vetuſtiorem eſſe omnium Græcorum & Latinorum libris, nec veteres Philoſophi potuerunt refellere. *Neque enim Græci,* ait J. Ger. Voſſius l. 1. de Hiſt. Gr. c. 1. *nominare ullum gentis ſuæ Hiſtoricum poſſunt, qui non quingentis & amplius annis recentior ſit bello Trojano. Atqui Moſen ſeculis aliquot antiquiorem eſſe, etiam gentium ſcriptores agnoverunt, eosque*

& vere; Veritatis probatio externa 1.

inter

inter Apion Alexandrinus. Nec admodum recens tranſlatio ejus Codicis in Græcam linguam. Ariſtobulus Judæus & Philoſophus Peripateticus, non tantum ipſe explanationem in Moſen ſcripſit, eamque Ptolomæo Philometori dedicavit, cujus regni initium in Olympidem CL incidit; ſed & teſtatur, ante Alexandri & Perſarum Jmperium Legem Moſis & Egreſſum ex Aegypto Græcè extitiſſe. Alexandri M. comes & qui cum ipſo nutritus fuit & inſtitutus ab Ariſtotele, *Hecatæus Abderita* ſingularem *librum* conſcripſit *de Judæorum Hiſtoria,* in eoq; multum probavit hujus gentis ſapientiam. Herennii Philon. Biblienſ. ætate, ſuperſtes fuit ille liber, vixit autem ſub Nerone & usque ad Hadriani Jmperium, & qvum iniqvus eſſet in religionem Judaicam, libentius in dubium vocaſſet, an liber iſte ſit Hecatæi, addito tamen, ſi quidem ejus eſſet, videri eum corruptum Judæorum perſuaſionibus probaſſeque illorum placita, *Orig. I. contr. Celſ.* Et quanquam Joſ. Scaliger illum ab antiquis Helleniſtis confictum malit credere; Voſſius tamen non abſurdum arbitratur, defeciſſe Hecatæum à ſuperſtitione Græcorum, ſi non in univerſum, ſaltem hactenus, ut videri poſſet conſtitutus in confinio tenebrarum & lucis.

§. IIX.

Antiquitati accedit *Harmonia* & convenientia librorum ſacrorum tum inter ſeſe, tum cum Exterorum, veluti Phœnicum à Sanchuniathone collectorum Annalibus. Jmprimis verò utriusque & Veteris Hebraici & Novi Græcanici & Evangelici conſonantia, tum ſtyli ſingularitate, qui ſimplicitate humiles docet, ſuperbos confunfundit, tum ſcopi & argumenti identitate. *Act. XVII. 11.* 2.
Maximè verò *Vaticiniorum eventus* tum in ſacris, tum in 3.

civilibus rebus αὐθεντίαν Sacrorum Codicum oſtendit, adeò, ut *Porphyrius*, referente Hieronymo, qvum Vaticinia *Danielis* cum Hiſtoricorum relationibus contuliſſet, nullâ ratione ſe extricare potuerit, ne tamen veritati porrigeret herbam, maluit antiquitatem ipſorum vocare in dubium, & poſt eventum ita ſcripta, aſſerere, contra omnem fidem hiſtoricam, & rationem, nam non modò ex annalibus Magorum & Perſarum, ſed vel ex Græca Sacra Codicis translatione de antiquitate libri Danielis ſatis conſtare potuit. Hoc ipſum argumentum à Futurorum prædictione deſumtum maximè urget DEVS O. M. adverſus incredulos & contumaces, arguens quaſi, ejus demum Dei veram eſſe religionem, qui revelare futura præ aliis valeat. *Vid. Eſa. XLI. 21. ſqq. XLIII. 8. XLIV. 7. 25. 28. XLV. XLVI. 9. XLVII. 13. XLIIX. 14.* ejus vim Nebucadnezar ſenſit *Dan. 2, 47.*

§. IX.

4. Quibus omnibus accedit inter imbutos quidem jamtum ſacris Chriſtianorum, conſtans *Majorum ſententia*, deque ejusdem veracitate præſumtio. Illud autem notatu dignum eſt, non demonſtratione Analyticâ & neceſſariâ αὐθεντίας divinæ revelationis doceri, ſed *probabilitate evidenti*, ut integrum ſit Menti humanæ aſſenſum præbere audito lectovè verbo, necne. Atque ut humanæ naturæ pravitas & impotentia in Divinis Divinam perſuadendi vim & aſſiſtentiam requirit, ita viciſſim *ratio reconciliandi* ſibi homines & offerendæ ſaluris non patitur, ut *aſſenſus* neceſſitate fiat, ſed *liberè*. Suâ enim culpâ & perit homo, & ſuo ſalvatur arbitrio. Planè modo mens audito lectove Verbo Revelationis Divinæ non diſſentiat contumaciter, *vim intrinſecam* atque divinam, quam τὸ χρίσμα appel-

& probabilis.

Interna & Infallibilis.

appellat Spiritus S. *1. Joh. 2,27.* ſtatim experitur, quâ probabilitati externæ ita aſſenſus accedit, ut de veritate revelationis infallibiter certus ſit. *Joh. 3,33. 1. Joh. 2,27. c. 5,6.* Atque hæc eſt via unica, quà ad Salutem penitrare poſſumus. *Joh. V. 39. c. XX. fi.* neq; aliæ Revelationes exſpectandæ ſunt, *Luc. XVI. 29. Gal. 1, 8.* Petrus Daniel Huetius Abbas libro, quem *Demonſtrationem Evangelicam* inſcripſit, probare contendit Religionis Chriſtianæ veritatem, eo genere demonſtrationis, quod non minus certum ſit, quàm demonſtrationes ipſæ Geometricæ. Omnium autem accuratiſſimè uberrimeque hanc partem pertractavit Jo. Muſæus *Introduct. in Theolog. P. 2. Cap. IV. V. & VI.*

§. X.

Mediatoris Promiſſio.

Quare qvum jam de SS. revelationis codice certò conſtet, conſtabit etiam de facta Promiſſione MEDIATORIS, eàque ſæpe repetita. Cum enim ad primos Parentes, pœnitentes de lapſu, dixit Dominus: *Semen Mulieris conteret caput Serpentis.* tum verò Sacrificiorum præcepit ipſis rationem, quâ præfiguraretur Mediatoris futuri opus atque exitus, quæque qvum ad poſteros transmiſſa, etiam à gentibus apoſtaticis communi omnium conſenſu, quamquam non ſine corruptione, fuerit uſurpata, ceſſavit, poſtquam à Mediatore munus ſuum fuit completum. *conf. Manud. ad JPr. c. 2,10. D. Friſchmuth. Diſſ. 1. de Meſſiæ Hoſtia, c. 2.* Atque qvum poſt univerſalem Cataclyſmum Mundus apoſtaticus penitus à DEO eſſet peſſumdatus, nihilominus tamen novus orbis terrarum per trium ſeculorum ſpatium & quod excurrit ad ἐθελοθρησκίαν & ἀποθέωσιν totus prolaberetur, placuit admirandæ Divinæ Bonitati, peculiarem ſibi ſegregare popu-

Sacrificia.

2023
1657
———
366

lum, in quo promiſſio revelata usque ad Mediatoris adventum ſarta tecta ſervaretur, & ex quo ipſe ille Mediator oriundus eſſet.

§. XI.

Fœdg cum Abraha. Autor hujus Populi magnus DEI Princeps ABRAHAM, cum quo peculiare fœdus deſuper DEVS pepigit, Myſterio CIRCVMCISIONIS inſtituto, *Reſp. Hebr.* Cujus nepos ad duodecim filios ſuos, fundatores XII. Tribuum Populi Hebræorum, ultima verba faciens, & *Tribum* qua oriundus & *Tempus* advenientis Mediatoris dilucidè prædixit, Tribum videlicet Judæ, tum qvum *Circumſtantia revelatæ.* Resp. Hebræorum exſcindetur; eundem adventum Moſes inſtituto etiam ſpecialiori Typo, *Agno Paſchali*, itemque Prophetæ continuâ ſerie confirmarunt, usque dum appropinquante tempore, & periodo ultimâ quingentorum annorum imminente, unus eorum etiam *locum* Nativitatis, *Bethlehemum*, alter verò tempus exactius definiret, *ſpatium*, nempe *LXX. hebdomadum*. Porrò de Me- *Natura & Perſona.* diatoris natura utraque, divina & humana, de ejus officio reconciliationis & ſatisfactionis, egregia & quæ non ſine magna vi ſolaminis & internæ recreationis legi poſſunt, vaticinantes expoſuerunt. Enimverò qvum is deberet DEVM reconciliare homini, utrâque naturâ conſtare eum oportebat. Etſi enim quis opinetur, ſuffecturam huic operi naturam Dæmoniacam ſeu *Angelicam*, quippe intermediam inter humanam & divinam, tamen vel propterea non ſufficit iſta, quòd mediator hic ſimul protector & defenſor eſſe debet humani generis adverſus ejus Hoſtem & Seductorem, Satanam & Dæmonem malum: Igitur ſuperior omnino & ipſa divina ſit oportet natura, quæ Dæmonum vim ab humano genere arcere debet.

§. XII.

§. XII.

Atque *divinam* in Mediatore & repurgatore generis humani naturam, gentium Philoſophi accuratiores agnoverunt. Jd quod *Auguſtin. l. X. de C. D. c. 22. ſqq. &* *Mornæus de Ver. Rel. Chriſt. c. XXVII.* optimè exponunt, & auctoritate Porphyrii confirmant, qui rejectis omnibus aliorum Philoſophorum ſententiis de Purgatione & reformatione humanæ naturæ ut cum divina iterum ſocietur, hanc unam approbat, quæ per SOLA PRINCIPIA perficiatur, per *Principia* verò Platonicis intelligi, *Hypoſtaſes Divinas*, quarum & ipſi *tres* numerant, PATREM, Patris MENTEM & SPIRITVM ſeu Animam Mundi. Quemadmodum autem non alienum eſt à ratione, inter has tres unius Divinitatis perſonas, Medium h. e. Mentem ſeu λόγον Mediatoris partes ſuſtinere commodiſſimè poſſe: ita etiam de hoc ipſo ſatis clarè exſtant divinæ revelationis teſtimonia, à Mediatore ipſo & ejus Apoſtolis dilucidè explicata. Quare ſicuti ex naturæ ſenſitivæ materialisque cum natura rationali aut intellectuali immaterialique unione, homo extitit; ita ex Humanæ ac Divinæ Naturæ unione, utriusque MEDIATOR. *Natura divina.*

§. XIII.

Officium Mediatoris ex nomine ſtatim atque ex fine patet, quippe quo mediante DEVS homini reconciliari & amicitia atque ſocietas inſtaurari debeat. Porrò cum DEVS offenſus absque ſatisfactione debitâ juſtitiæ divinæ reconciliari non poſſit, oportet ipſum Mediatorem ſatisfactionis opus perficere. *Satisfactio* autem eſt opus, per quod cauſa offenſæ & exinde contracta *obligatio totius generis humani* ad perfectiſſimè implendam Legem div. aut *Munus Reconcil. Satisfact. Obligatio gen. hum.*

perpetiendam mortem æternam, tollitur. Iſta obligatio aut neceſſitas implendi legem, ſive agendi ſecundum perfectiſſimam Dei Voluntatem, in vita perfecta, ut exactisſimâ harmoniâ omnes motus animi tam interni quàm externi convenirent cum DEI Voluntate atque Lege, ſub pœna mortis æternæ & temporariæ, omnisque miſeriæ hujus vitæ; iſta, inquam, obligatio tum cordibus & conſcientiis hominum inſita eſt, & à gentium ſapientibus quæſitus modus, quo ſatisfieri ipſi poſſit; tum in ſcripturam redacta à Moſe ad Mandatum Divinum, atque à Salvatore expoſita, declarata, & à corruptelis Phariſæorum & Scribarum vindicata. Unde S. Paulus elegantiſſimè eam vocat χειρόγραφον τὸ καθ' ἡμῶν τοῖς δόγμασι, *Col.* 2, 14. & *Epheſ.* 2, 15. τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι. *Chirographum* ſive *Legem, præceptorum atque dogmatum* divinorum, de perfecta impletione, rigore nobis adverſorum, & contra nos de obligatione noſtra atteſtantium. Hoc Chirographum & obligationem Expromiſſione in ſe ſuſcipere & ſatisfactione tollere oportuit Mediatorem, & inimicitiam perimere & homines DEO reconciliare.

§. XIV.

Expromiſſio. Hanc *Expromiſſionem* atque obligationis pœnæque in ſeſe ſuſceptionem *Eſaias* Propheta graphicè delineat *cap. LIII.* atque ad ſe ſe applicat Salvator ipſe *Luc. XXII.* 37. *Dico enim vobis, quoniam adhuc, quod ſcriptum eſt, oportet in me perfici,* τὸ, καὶ μετ' ἀνόμων ἐλογίσθη. idque ideò, *quia ipſe voluit*, *Eſ. LIII.* 7. Sic igitur Chriſtus nos redemit ab exſecratione Legis, dum pro nobis factus eſt *Exſecratio*, ſubeundo ſupplicium Exſecrationis h. e. CRVCIS, *Deut. XXI.* 23. *Galat.* 3, 13.

§. XV, Quem-

§. XV.

Quemadmodum porrò regulariter nulla contingit liberatio, ſi debitor nolit, Nam, ut Labeo ait *l. 91. de ſolut. ſi debitor tuus non vult à te liberari, & præſens eſt, non poteſt invitus à te abſolvi.* Neque invito datur beneficium *l. 72. de reg. jur.* Ita etiam divinæ Juſtitiæ conforme eſt, ut homo ab obligatione hac per Expromiſſorem ſuum liberandus, velle ſe liberari & abſolvi, teſtetur; Id quod fit tum agnitione obligationis ſuæ, tum delegatione Expromiſſoris ſui, JESV CHRISTI. *Agnitio* iſta vocatur à Scriptura POENITENTIA; & proinde ab hac & Salvator ipſe & Prodromus Johannes, incepit τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας dicentes: Μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν *Matth. 3, 2. IV. 17.* ejusque ſymbolum externum eſt *Baptiſmus pœnitentiæ* in remiſſionem peccatorum, *Luc. 3, 3. Act. 2, 38. c. 3, 19. c. XVII. 30.* Hi ſunt *pauperes ſpiritu*, h. e. animo Spiritui S. unito, agnoſcentes privationem donorum ſpiritualium & gratiæ divinæ, qui *Matth. V. 3.* beati pronunciantur & hæc paupertas Beatitudinis ponitur initium. Juncta porrò huic eſt *delegatio* quædam Expromiſſoris ſui, quam vocamus FIDEM in Chriſtum. Ita Paulus dicit, ſe teſtificatum Judæis ſimul & Græcis τὴν εἰς τὸν θεὸν μετάνοιαν, καὶ πίστιν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, *Act. XX. 21.* & *ad Ebr. X. 22. Accedamus verò corde, in certitudine fidei, aſperſi cordibus & depulsâ malâ conſcientia, & abluti corpore aquâ purâ: Teneamus confeſſionem ſpei non vacillantem.*

Agnitio debiti: Delegatio expromiſſoris.

§ XVI.

Hanc inſequitur ex parte DEI (*Fidelis enim eſt, qui promiſit, Ebr. X. 23.*) abſolventis aut cui ſatisfactio fieri debet, ACCEPTILATIO, h. e. abſolutio & liberatio

Acceptilatio.

ab

ab obligatione propter ſolutionem & ſatisfactionem de-
Imputatio legati Expromiſſoris, quam imputat DEVS homini, quaſi ab ipſo factam. *Rom. IV. 3. 9. Dicimus, quod imputata fuit Abrahæ fides ad juſtitiam.* Hæc imputatio juſtitiæ & abſolutio ab obligatione peccati vocatur JUSTIFICATIO à Paulo *Rom. VI. 7. qui mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato*, quod Petrus dicit *liberatus à peccato, 1. Pet. 4, 1. 3.* Et *c. V. 19. juſtus conſtitutus. Conf. Luc. 18, 14. Matth. 12, 37. Act. XIII. 38. 39. Rom. 2, 13. c. III. 24. c. VIII. 33. 1. Cor. 4, 4.* De hac David gloriatur *Pſal. 32. Beatus, cujus defectio ablata eſt, cujus peccatum tectum eſt : Beatus homo, cui Dominus non imputat pravitatem. Rom. IV. 6.* ubi id *Dominicus à Soto* eleganter explicat, *David dicit beatitudinem hominis, cui DEVS accepto fert juſtitiam ſine operibus.* Vide ibi plura, & quæ refert *Flacius in Clav. S. Script. verb. Acceptilatio.*

§. XVII.

Turpem ἀπαιδευσίαν committunt, qui putant hac voce Acceptilationis nil niſi *imaginariam ſolutionem* venire, non realem, abutentes eâ ad imminuendam ſatisfactionem Mediatoris noſtri O. M. Ita enim ſe res habet: Equidem vocatur à JCtis Acceptilatio imaginaria ſolutio, ſcilicet *actus* ille *inter Creditorem & Debitorem*, qui ipſe non ſatisfacit: ad ſciendum eſt, *totum Liberationis negotium* ſolo actu hoc nequaquam confici, verum intercedere adhuc etiam *actum inter Creditorem & Expromiſſorem* delegatum, realiter & non imaginariè ſatisfacientem. Ea de re elegans eſt textus in *l. 9. D. de P. V.* ait Papinianus: *Ob eam cauſam quis accepto liberatus, ut nomen Titii debitoris delegaret: ſi fidem contractus non impleat, incerti actione tenebitur. Itaque judicis officio* (in hac actione P. V.) *non vetus obligatio reſtaurabitur, ſed promiſ-*

ſa præſtabuntur, ut condemnatio ſequatur. Et Vlpianus *l. 4. de Condict. cau. dat.* ait: *Siquis accepto tulerit debitori ſuo, cum conveniret, ut expromiſſorem daret, nec ille det; poteſt dici, Condici poſſe ei, qui accepto ſit liberatus.* Unde appa- *Flacius nor.* ret, in genuina JCtorum ſignificatione vocem Acceptilationis continere cauſam certam ac ſolidam hujusmodi conventionis, ſcilicet *realem expromiſſoris ſolutionem.* Quamobrem DEUS Pater homini per Baptiſmum acceptum fert, eumque accepto liberat, ut deleget ſive daret expromiſſorem Chriſtum: eâ delegatione per Fidem non ſecutâ, aut interruptâ, judicium datur adverſum debitorem, non obſtante acceptilatione, quippe quam cauſa, ob quam facta, non eſt ſecuta.

§. XIIX.

Obſignat. Spir. S. At verò factâ per Fidem delegatione, acceptilationem atque totum liberationis redemtionis, & juſtificationis negotium OBSIGNAT Spiritus S. ipſe ARRABO, ac fidejuſſor futuræ Salutis. Signaculum juſtitiæ, *Rom. 4, 11.* S. Paulus *Epheſ. 1, 13. In Chriſto & vos ſperatis, audito verbo Veritatis, Evangelio Salutis veſtræ: in quo etiam* πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι *poſtquam credidiſtis obſignati eſtis Spiritu promisſionis Sancto, qui eſt* ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, *fidejuſſor hereditatis noſtræ,* εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, *ut præſtitâ ſatisdatione de factâ per liberationem Meriti Chriſti, hereditatis acquiſitione certi tutiq; ſimus. conf. l. 96. §. 3. de leg. 1. l. 5. C. ut in poſſ. leg ſerv. cau. mitt. t. t. D. ut legat. vel fideic. ſerv. cau. caveatur.* Hæc obſignatio notat certitudinem ſalutis, quam quisque *Certitudo Salutis* electus per internam Spiritus S. efficaciam comperitur. Paulus *ad Rom. VIII. 15.* αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ. κράζον, Ἀββᾶ ὁ πατήρ.

Gal. IV. 6. Certitudo enim principiorum, certam quoque infert concluſionem. Atqui certum eſt principium, de quo antea, *Promiſſum fuiſſe Mediatorem humano generi.* Certum porrò & alterum eſt: *Mediatorem illum veniſſe, atque eſſe JESVM Mariæ filium.*

§. XIX.

Jeſum Mariæ fil. eſſe Meſſiam. contra Judæos Hod.

Cujus rei teſtes olim erant Johannes Prodromus, qui digito monſtrabat, *Hic eſt agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Probabat res ipſa: *Miracula* Chriſti à Prophetis de Meſſia prædicta, *Matth. XI. 4. 5. 6. Joh. I. 50. II. 23. VI. 30. VII. 31. XV. 22. 24. Act. II. 22. 36.* quod tamen genus probationis non excludit Fidem, *Joh. XVI. 27. 32.* *Judæos hodiernos* qui neque miracula illa niſi inviti admittunt. *Vid. Friſchmuth. Diſſ. cui tit. Propheta Moſi par. c. 2.* nec hiſtoriæ Evangelicæ fidem adhibent, convincere poteſt, partim Confeſſio propria *Fl. Joſephi*, partim *Mahumedanorum*, partim atque maximè impletio vaticinii de *LXX. Hebdomadibus (V. D. Friſchm. tres Diſſert. ad Dan.) IX.* de *Templo ſecundo*: de *Sceptro Judæ.*

§. XX.

Fruſtra oggerunt: *Matrem JESV ex tribu Judæ non fuiſſe, aut ſaltem incertum eſſe, fuerit, necne? idem igitur de filio habendum.* Etenim nec antecedens verum eſt, nec conſecutio. Utamur primo ἐνστάσει. Certè negari non poteſt, quod ex Joſepho jus tribus Juda acquiſierit JESVS. Nec enim is, filius Joſephi ἐνομίζετο ſolum ex vulgi opinione, *Luc. 3, 23. Matth. XIII. 55. Joh. VI. 42.* ſed Joſephus agnoverat quoque partum divinum & juſſu divino *adoptaverat*, atque in patriam receperat poteſtatem, *Matth. 1. fi. c. 2, 14. Luc. 2, 33. 48. 51. cap. 3, 23. Cap. IV. 22.* igitur

tur etiam ex Joſepho patre adoptivo JESVS revera jus tribus ac originis accepit, indeque etiam Evangeliſta Matthæus genealogiam Chriſti ex Joſepho ducit. Neque contrarium probabunt Judæi, quod ad aliam, quàm ad tribum Judæ nativitas JESV originisque domicilium relatum fuerit. Verum enim verò non hoc tantùm, ſed reverà etiam *ex ſemine David* atque Judæ ortus fuit Salvator Mundi. Non modò Lucas *cap. 1, 27.* teſtatur, Mariam ἐξ οἴκου Δαβὶδ fuiſſe, æquè ac de Joſepho *cap. 2, 4.* unde etiam cum Joſepho Bethlehemi cenſum ſuum profeſſa, cum alioquin εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν in civitatem ſuam originariam profectura fuiſſet, *cap. 2, 3. 4.* Et Paulus *ad Roman. 1, 3.* & *2. Tim. 2, 8.* vix aſſeruiſſet: *Jeſum Chriſtum genitum fuiſſe ex ſemine David ſecundum carnem.* Niſi id extra controverſiam tum temporis inter Judæos fuiſſet: unde & πρόδηλον id eſſe ait *ad Ebræos c. VII. 13. 14.* Præterea & vetuſti *Talmudici* doctores non diffeſſi videntur, JESVM noſtrum ex familia Regia ortum fuiſſe, referente P. Galatino *d. A. C. V. lib. IV. cap. 2.* Certè Arabes ac *Mahommedani* id fatentur, qui hanc JESV noſtri genealogiam tradunt: *Chriſtus Jeſus filius Mariæ & fertur* (hæc) *filia fuiſſe Amrami, filii Matan, filii Soliman, filii David, filii Jeſſe.* Levin. Warner/ *Compend. Mahummed. de Chriſtiana religione.* Quanquam perperam Mariæ patrem *Amramum* faciant, cum fuerit *Heli*, ut ex genealogia altera materna apud Lucam, conſtat. Nec quicquam impedit, quod Maria συγγενὴς *cognata Eliſabethæ* fuerit, hæc porrò ex filiabus ſeu poſteris Aaronis, & ex tribu Levi; quanquam hoc Patres quoſdam Eccleſiæ turbarit: Nihilominus enim & Maria ex tribu Juda eſſe potuit, cum cognatio ex Eliſabethæ matre, quæ ex tribu Juda oriunda facilè

fieri potuerit. Sed de his accuratè D. Jo. Friſchmuth. *diſſerit ad Eſa. XI. 1. & ad Pſalm. 2, 7.* Conf. Ligtfot. *ad Matth. XII, 24. Petr. de Marca Diſſ. de Stemm. Chriſti.*

§. XXI.

Meſſiam pro me ſatisfeciſſe. Tandem certum & hoc eſt: *Qui accipiat ſatisfactionem Mediatoris, ille ſalvatur.* Præterquam enim quod revelatæ hoc eſt veritatis, *Joh. XX. III. 2. XX. fi. 1. Joh. ult. v. 10. 2. Cor. V.* etiam de Jure Humano verum eſt, ut ſupra vidimus. Porrò *qui certus eſt, fide ſe acceptare ſatisfactionem Mediatoris, ille etiam certus eſt de ſalute ſua.* Qui enim cauſam ſcit, ſcit etiam effectum. Qui accipit teſtimonium Evangelii, is obſignavit, quod Deus verax eſt, *Joh. 3, 33.* Planè qvum de futuro nec hic ſit determinata veritas, ſive nobis certò haud cognita, certitudine *abſolutâ*: Et homo quamvis regenitus tentationibus ac dubitationibus de gratia divina ac ſalute ſuâ, ſed & periculis aliis perſeverantiæ inimicis ſit expoſitus usque ad finem vitæ; Igitur iſta certitudo de futuro & de perſeverantia ſua in fide, & conſequenter de ſua ſalute, eſt moralis & *hypothetica*, quamdiu videlicet fides mihi ineſt, tamdiu certus ſum de ſalute mea. Luculentè id Paulus ad *Coloſſ. 1, 23. Chriſtus reconciliavit vos, ut eosdem exhiberet ſanctos in conſpectu ſuo, εἴγε Si tamen permanſeritis in fide fundati ac ſtabiles, nec dimoveamini à ſpe Evangelii.* Et ad *Ebr. 3, 14. Chriſti participes facti ſumus, ἐάνπερ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως ſi fidem inchoatam (Ebr. XI. 1.) usque ad finem firmam tenuerimus.* Hinc etiam neceſſe eſt, ut eodem conſulente

Monitum. *C. 3, 13.* nos invicem quotidie exhortemur, ne quis induretur ſeductione peccati. Atque in hoc ſumma Prudentiæ Chriſtianæ vertitur, ut qui ſibi ſtare videtur, caveat ne cadat, *1. Cor. X, 12.* Planè clemens ac fidelis eſt DEUS, qui

tenta-

tentationibus etiam intereſt,& iis ferundis vires ſuppeditat, *1. Cor. X. 13.* Etſi enim DEVS permittit,ut alius præ alio periculoſioribus & difficilioribus tentationibus exponatur, id quod inter Arcana Divinæ Voluntatis Auguſtinus *lib. de Bon. Perſever. c. VIII.* refert: ſimul tamen etiam proportionatam aſſiſtentiæ Spiritus S. menſuram gratiamque largitur, *2.Cor.XII.7.8.9.*

CAPUT IV.

DE NOVO HOMINIS STATU.

§. I.

EX antea diſputatis haud obſcurè apparet, quod MEDIATOR Generis humani OPT. MAX. meruerit huic NOVUM aliquem STATUM, in quem, ex ſtatu naturæ corruptæ ac ſervitutis ſpiritualis & è poteſtate Satanæ, ut vindicentur transferanturque omnes ac ſinguli per ſatisfactionem Mediatoris capaces redditi ſunt: Hoc eſt, Amneſtia inter DEVM reconciliatum & genus humanum conſtituta, & *facultas oblata* eſt à DEO hominibus, *utendi Mediis Salutis* obtinendæ. De ea Daniel Vates *cap. IX. 24. Septuaginta hebdomades determinatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & expietur iniquitas, & adducatur Juſtitia ſempiterna, & impleatur Viſio & Prophetia: & ungatur SANCTVS SANCTORVM.* Publicata fuit iſta *Lex Amneſtiæ* vix nato Mediatore JESV CHRISTO

Novus Status omnium hominum

STO ab Angelo & tota multitudine cœleſtis militiæ *Luc. 2.* Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Vbi duas Legis obſerves partes, una *Pacem* per univerſam terram pronunciat, h. e. Pacem & amneſtiam univerſalem & toti humano generi communem: altera ſigillatim εὐδοκίαν, *beneplacitum DEI* reconciliati erga homines, quos adoptavit κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ *Eph. 1.* per Mediatorem JESVM, Filium, ἐν ᾧ ηὐδόκησα, *Luc. 3, 22.* Ex quibus duplex ratio hujus ſtatûs ſeſe aperit, una, quæ concernit totum genus humanum, altera, quæ eos tantùm ſpectat, qui legem Amneſtias, & Media Salutis non contemnunt.

converſorum.

§. II.

Prior illa vocatur Libertas adeundi in ſancta, per ſangvinem JESV, & via recens ac vivens, *Ebr. X. 19. 20.* Nimirum ſicut qvum in Republ. à S. Poteſtate ſubditis rebellibus Pax & Amneſtia publicatur, omnibus atque ſingulis eo ipſo conceditur jus & facultas eam recipiendi, & Pacis conditione fruendi: verum qvum non omnes reverſi eam acceptent, ſed in rebellione perſiſtant, univerſalitas iſta effectum ſortitur ſuum non niſi in his, qui armis poſitis, gratiam ac pacem recipiunt: Ita quoque omnes quidem homines liberati ab obligatione & neceſſitate æterni ſupplicii, & reſtituti in Statum benevolentiæ divinæ, ut DEVS velit iis omnibus Media Salutis communicare, & per ea Salutem ipſam: hæc tamen communicatio & oblatio univerſalis non obtinet effectum, niſi in his, qui eam recipiunt; ita ut hi omnem Statum Gratiæ efficaciter obtineant. *Joh. 3, 15.* Atque ſic potentia illa & capacitas apprehendendi & obtinendi ſalutem per Media ſua, univerſis data & conceſſa,

dedu-

deducitur in actum, ut jam non modò capax ſit individuum, ſed & actu recipiens Media Salutis. Qua de re *Johannes* Evangelii *cap. 1. Quotquot receperunt* τὸν λόγον, *dedit eis* ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. *Col. 1,13. 1. Joh.3,14.*

§. III.

Porrò ſicuti omnes primi hominis filii in Statu naturæ & iræ fiunt per Generationem, ita filii DEI per REGENERATIONEM in Statu gratiæ & pacis. Hæc eſt illa κάθαρσις & *repurgatio*, quam quæſiverunt *Philoſophi*, nec invenire potuerunt abſque Luce divina: quam Judæi reperierunt, ſed obliterarunt: quam itaque Servator Generis Humani Nicodemum, ἄρχοντα Judæorum, docet *Joh.3.* Novus hicce ſtatus hominis, NOVVS HOMO vocatur, *nova Creatura, nova perſona ſpiritualis, 2. Cor. V, 17. Gal. VI. 15. Eph. 2,15. IV. 24.* Porrò ſicuti Generatio fit per ſeminis communicationem & ejusdem receptionem, quam *Conceptionem* vocant: ita Regeneratio conſtat partim ex *communicatione Verbi* Evangelici, partim ex ejusdem *receptione* & aſſenſu non denegato. Eſt enim iſta *non repugnantia* & admiſſio ſpiritus divini, mediante Verbo & Sacramento, veluti vehiculo, principium ac fundamentum Regenerationis, quo ſine Regenerationis auctor operari efficaciter impeditur.

Regeneratio.

Conceptio

§. IV.

Generatione uniuntur duæ naturæ, ſenſitiva & intellectualis in unam ſubſtantiam, quæ *Homo* dicitur, Regeneratione unitur Homo & Deus ſeu Spiritus Sanctus, unione (accidentali,) in *Novam Creaturam*, & Hominem Chriſtianum, Filium DEI adoptivum, Hominem Internum, *Rom. VII, 22.* Hoc eſt illud ἔργον θεοῦ, *Joh. VI. 28. 29.*

Unio hom & Spir. S

quod

quod conſiſtit in trahendo & veniendo, in audiendo & diſcendo, *v. 44. 45.* Ut enim ſine proſeminatione regulariter nulla fit conceptio, nulla generatio: ſic ſine verbi communicatione non poteſt concipi aut formari homo novus, *v. 65.* Porrò, uti in Generatione naturali ineſt homini ἀρχὴ κινήσεως, principium vitæ naturalis: ita in Regeneratione Verbo ineſt τὸ πνεῦμα τὸ ζωοποιοῦν *Joh. VI. 63. c. IV. 10. c. VII. 38. 39. Pſ. 147, 18. Eſ. 47, 3.* Denique *Verbum* duplici ratione *communicatur* menti humanæ, veluti utero Spirituali; aut *immediatè*, & quaſi nudè, per auſcultationem & cognitionem, *Rom. X. 7.* aut *mediante* Symbolo viſibili, quod Elementum vocatur, ex qua conjunctione oritur id quod SACRAMENTVM & Myſterium appellamus. Quod iterum duplex, unum Initiationis, S. BAPTISMI alterum Confirmationis SS. COENÆ.

Sacramentum

Regulariter enim fit Regeneratio per S. Baptiſma, *Joh. 3. Epheſ. 5, 26. Tit. 3, 5.* poteſt tamen etiam per efficaciam ſuam Verbum receptum prævenire Sacramentum, quo caſu etiam Initiationis Sacramentum Confirmationem continet, *Act. VIII. 36. 37. c. IX. 15. 18. c. II. 38. c. X. 44. 47. Luc. 1, 44. Rom. 4, 11.*

§. V.

fides infantum.

Quamobrem quum S. Baptiſmati Verbum inſit, Verbo Spiritus S. vivificans: hinc dilucide apparet, quando S. Baptiſma confertur *Infantibus*, per preces Parentum ac Patrinorum DEO & Eccleſiæ oblatis, tunc communicari eo ipſo Verbi vim ac principium motus ſpiritualis, Spiritum Sanctum. Habent ergo per Baptiſmum etiam Infantes Spiritum S. ſibi unitum, & conſequenter *Fidem ſalvificam.* Recepto enim Sacramento, recipitur Verbum,

Eph. 4. 5.

recepto

recepto Verbo, receptus ſimul Spiritus S. unitur Menti, quæ receptione illâ non modo nacta eſt diſpoſitionem, aptitudinem, & potentiam proximam vel *actum primum ad aſſentiendum Verbo* externo, ſimulatque Mens naturaliter cum ſenſibus communicare poteſt: Verum etiam, quia mens τῇ οὐσίᾳ eſt ἐνέργεια, & regeneratione πνεῦμα ζωοποιοῦν quoque adepta eſt, conficitur, etiam actu ſecundo Fidem ineſſe, & aſſenſum verbo ac motui interno.

§. VI.

Itaque Status hic Novus ac ſupernaturalis ineſt tam Infantibus quàm Adultis, ſed ſecundùm diverſas ætates diverſimodè. Atque ſicut Vita naturalis ſuas habet *ætates*, ita etiam Vita hæc ſupernaturalis ac Spiritualis. INFANTIA Spiritualis & ipſis in infantibus naturalibus regenitis, & in adultis regenitis, qui in vita & cognitione ſpirituali nondũ ſatis confirmati ac roborati, *lacte* adhuc veſcuntur h.e. primis doctrinæ Chriſtianæ rudimentis, nec actionibus perfectionis Chriſtianæ aliquis gradus ineſt, *1. Cor. 3, 2. Hebr. 5, 12. c. 6, 1. 2. 1. Pet. 2, 1.* ſed Fides quantũ ad externam profeſſionem ejusque operationem vel potentiâ proxima tantùm ineſt ſeu actu primo aut ſignato: vel ſecundo quidem, ſed gradu infimo, quæ vocatur ἀπιστία *Marc. 9, 24.* Altera ætas Spiritualis eſt *Adultæ* jam Fidei, ſed quæ propter pugnam carnis validam, adhuc imbecillis & haud exercitata eſt. *Ætates Spiritual.*

§. VII.

Tertia denique eſt probatæ Fidei vigor & *virilis* quaſi ætas. Etenim ſicut omne quod naſcitur ac vivit, nutritur, augetur, atque creſcit ad perfectionem ſui: Ita Regeneratus creſcit & augetur in ſanctitate atque ſapientia, quæ vocatur QVOTIDIANA RENOVATIO ut *Renovat.*

enim nutritio naturalis eſt renovatio & reſtauratio ſpirituum abſumtorum: ita Renovatio ſpiritualis eſt redintegratio quotidiana facultatum intellectus & voluntatis in ſpiritualibus. *Eph. 4,24. Coloſſ. 3,9. Tit. 3,5. 2. Petr. 1,4.* atque arctior arctiorque unitio & amicitia inter DEUM atque hominem.

Cap. V.

De

VNIONE ET CONSOCIATIONE HOMINIS CVM DEO.

§. I.

Unionis Atque ſic tandem acquiritur finis ille ulterior, & Divina Societas atque amicitia & conjunctio hominis atque Dei. *1. Joh. 1,3.* *Forma* Quæ unio non eſt imaginaria quædam, aut mentalis vel virtualis duntaxat, inter Hominem & operationes divinas, ſicut quædam inter animalia plantasve & inter ſolem intercedit unio: ſed realis, *1. Cor. 14.* *realis* ὁ θεὸς ὄντως ἐν ἡμῖν. Videlicet naturæ ac ſubſtantiæ humanæ divina conjungitur, & Spiritus S. ſubſtantialiter humanæ menti, ut homo ſit *μέτοχος ἁγίου πνεύματος, Hebr. 6,4. κοινωνὸς θείας φύσεως 2. Pet. 1,4.* Neque tamen unio hæc eſt eſſentialis aut perſonalis, quæ unam eſſentiam, ut unio Naturæ ſenſitivæ & intellectualis in Homine, aut unam Perſonam, ut in Mediatore ipſo unio Divinæ & Humanæ

manæ Naturæ: ſed ſimilis eſt Vnioni Viri & Mulieris ſive *conjugali*, ita ut, quemadmodum Vnione utriusque ſexus, vir atque mulier rediguntur duo εἰς σάρκα μίαν, ſic etiam ὁ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι cum DEO, *1. Cor. 6,16.17.* Et ſicuti mulier dicitur os ex oſſibus viri, & caro de carne ejus: *Gen. 2,23.* ſic etiam Regeniti dicuntur membra corporis Domini, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ, *Epheſ. 5,30.* Itemque ſimilis eſt *Præſentiæ* Divinæ in Tabernaculo & *Templo* Hieroſolymitano, *Ex. 29,42. ſqq. Joh. 2,21. Rom. 8,9.11. 1. Cor. 3,16.* unde *requieſcere* dicitur ſuper nos Spiritus Divinus, *1. Petr. 4,14.* Eſt igitur *Unio ſecundùm Indiſtantiam*, ut naturæ unitæ Hominis & Dei non diſtent inter ſeſe, ſed κολλωθῆσαι ut vir fœminæ, Dominus Templo ſuo. Denique qvum Deum inter atque creaturas ſuas etiam quædam detur unio, & *omnipræſentia*, quâ ſingulæ in eſſe ſuo ſuſtentantur: *Act. 17,27.28.* hujus præternaturalis Unionis differentia ſpecifica conſiſtit in GRATIA & εὐδοκίᾳ, aut amicitia reconciliata, ejusque donis variis. *gratioſa.*

§. II.

Habet enim porrò hæc *Unio Gratioſa* ſuos *gradûs* atque differentias, ut alia communi atque ordinario fiat modo, alia extra ordinem. Ordinaria Dei cum regenitis *Ordinaria* redunitio alia eſt generalis atq; omnibus communis, generalem operans effectum, illuminationem mentis & *Generalis* ſanctificationem voluntatis, alia ſpecialis, *Specialis* ſpecialia & particularia diſtribuens dona. Extra ordinem Spiritus S. ſuâ *Extraord.* præſentiâ ac cohabitatione efficit Prophetas, Apoſtolos & Miraculorum exhibitores. Hanc diviſionem cohabitationis ac donorum Spiritus S. docet & recenſet S. Paulus *1. Cor. 12.* ubi *v. 3.* primò effectum ordinariæ & univerſa-

 lis

lis præſentiæ Spiritus S. dicit eſſe *Confeſſionem* Fidei Chriſtianæ orthodoxæ. Poſtmodum recenſet Speciales atq; extraordinarias φανερώσεις τ͂ πνεύματος. De quibus ſingulis poſtea dicemus.

§. III.

Alia diviſio ſecundum perſonas SS. Trin.

Illud hic addimus, *Unionem* fidelium cum Deo *triplicem* etiam conſtitui poſſe ſecundum triplicem *Perſonarum* reſpectum in *SS. Trinitatis* Myſterio, quanquam in qualibet ſpecie, propter indiviſam SS. Trin. unitatem, tota SS. Trin. homini fideli uniatur. Primò enim conjungitur Spiritus S. cum homine *SS. Baptiſma* recipiente per Regenerationem, & unà cum tota SS. Trinitate. *Gal. 2,19. 20. 2. Tim. ult. 22. Tit. ult. 25. Joh. 14,16. Rom. 8,9. 10. 11. 1. Joh. 3. ult. 1. Cor. 3,16. 17. c. 6,19. 17.* Deinde unitur adultus fidelis cum Mediatore θεανθρώπῳ per communionem SS. Cœnæ, & per eum cum SS. Trinitate tota. Quæ *unio Euchariſtica* ſummum tenet gradum, quippe quâ non tantum Deus menti, ſpiritus ſpiritui, ſed etiam homo atque corpus corpori unitur, ita ut efficacia hujus ſocietatis etiam in corpus hominis atque mortalem naturam redundet; hinc membra Chriſtiani ſuo modo dicuntur membra Chriſti, *1. Cor. 6,15.* & hinc etiam Reſurrectionis corporum gratioſæ neceſſitas ac certitudo. *Rom. 8,11.* ut faciat Chriſtus corpora fidelium ſimilia ſuo, *Phil. 3. fi.* Tertiò, unitur atque conjungitur fidelis magis magisque cum *DEO Patre* reconciliato & ſic cum *SS.* Trinitate, per quotidianam *Renovationem*, deprecationem, gratiarum actionem & converſationem amicam, *Eph. 5,19. c. 6,18. Philipp. 4,4. 6. 7. Eph. 2,18. Joh. 14,21. ſqq. c. 17,23. 1. Joh. 1,3.* quæ conſiſtit in prægustu virtutum futuri ſeculi, *Hebr. 6,5.*

§. IV. Quo-

§. IV.

Quorum trium graduum Conſociationis hominis cum DEO myſterium ex Conſociatione Viri atque Uxoris, quod *magnum Myſterium* Paulus appellat, porrò illuſtrari poterit. Nam primò uniuntur Vir & Mulier per *Sponſalia*, & Verba Conſenſumve ſponſalitium; ſic etiam Regenitus per novum *fœdus generationis*, quod ſponſalibus etiam à Propheta comparatur, *Hoſ. 2, 18. 19. ubi Gl. marg.* Secundò magis uniuntur per *Copulationem* & benedictionem Sacerdotalem, & ἕνωσιν γαμικὴν, unde duo in carnem unam jam uniti. Sic & Chriſtus Salvator & Fideles, *Eph. V. 30.* Magnum hic latet myſterium! Per τὴν ἕνωσιν communicat Vir uxori *carnem & ſangvinem*, id enim continet ἡ γονὴ *Hebr. 2, 14.* Per *Euchariſticam* unionem communicat Chriſtus carnem ſuam & ſangvinem fidelibus. Nec repugnat *clarificationi corporis* habere *ſangvinem*, qvum & in hac mortalitate corpus humanum ſimilem claritudinem ad tempus ſaltem aſſumere poſſit, quod Moſis facies, *Exod. 34, 29.* & Salvator in monte Tabor oſtendit. Et ſangvis eſt vinculum corporis & animæ. Subſtantia igitur vinculi remanet poſt clarificationem, qualitas aquea & terrea transformatur, & fluidum in permanens, elementare in cœleſte: unde refocillatione per cibum & potum non indiget tale corpus, cibum tamen aſſumere poteſt, *Luc. 24, 43.* & eundem conſumere, non in ſubſtantiam ſui convertendo, ſed per ejectionem & reductionem ad atomos. Sed hæc obiter. Nec repugnat ergo ſangvinem hujusmodi *communicari* alteri. Denique continuatur atque roboratur iſta conjunctio magis magisque per aſſiduam vitæ *conſvetudinem* & perpetuum vitæ conſortium intercedentibus licet fribuſculis

Myſterium ex conjugio.

buſculis atque jurgiis, ſemper tamen amoris ſequitur redintegratio. Sic etiam SS. Trinitas μονὴν apud nos facit, prout de hac unione diſſerens eam appellat Salvator, *Joh. XIV.23.* Et ſi quis in hac cohabitatione peccaverit & iram Patris reſuſcitaverit, Advocatum habemus ac Mediatorem apud Patrem, JESUM Chriſtum Juſtum, *1. Joh. 2, 1.* qui pro nobis ſingulis interceſſit paulò ante mortem, *Johan. XVII.20.*

CAPUT VI.

De FRUCTU UNIONIS ATQUE AMICITIÆ INTER DEUM ET HOMINEM COMMUNI.

§. I.

Diximus Unionem DEI atque Hominis regeniti aliam eſſe *ordinariam*, aliam Extraordinariam, & illam vel *Communem*, vel ſpecialem: Totuplices etiam ſunt fructus atque effectus graduum Societatis θεανθρώπου. Ordinariæ atque Communis cum omnibus Regenitis contractæ amicitiæ atque conjunctionis fructus duplex eſt, pro duplici Mentis Humanæ facultate receptiva, *Intellectu* atque *Voluntate*: Intellectus ILLUMINATIO, & Voluntatis SANCTIFICATIO: inde Fides, hinc CHARITAS, & in utraque conſervatio, augmentatio quotidiana & protectio contra hoſtes ſpirituales. Docet hoc Paulus, atque de Illuminatione Fidei in Chriſtum ait: *1. Cor.*

Illuminatio intellectus.

Cor.12. de ſpiritualibus donis notum vobis facio, quod nullus per ſpiritum Dei loquens, dicit Anathema Jeſum: neq; poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi per Spiritũ S. conf. Rom.5. c.15,13. 1.Cor.2,4.10.11. 2. Cor.3,18. Eph.1,17. c.3,16.ſq. 2.Cor.3,18. 1. Joh. 2,27. De Sanctificatione morum, *Rom.6,17.22. Gratia DEO quod obediſtis ex animo in eam, in quam traducti eſtis, τύπον, formam doctrinæ, & habetis fructum veſtrum in Sanctificationem, finem autem, vitam æternam. Conf. Eph 5,26.27. Rom. 8,13. 1. Cor. VI, 11.* *Sanctific. appet.*

§. II.

In his conſiſtit τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, *affectus ſpiritus regeniti, Rom. 8,6. Eph.3,16.ſqq. c.IV.23.24. c. V. 8.9.* qui & ipſe *ſanctus* vocatur *ſpiritus 2. Cor. VI. 6.* & Spiritus δυνάμεως, καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ, h. e. *fiduciæ* erga DEUM, *dilectionis* erga proximum, & *ſobrietatis* in ſeipſum, *2. Tim. 1, 7.* Atque hic fons eſt omnium Virtutum Spiritualium, quæ ſunt hominum πνευματικῶν, *Gal. 6, 1.* quæque uno *Obedientiæ* nomine & obſervatione præceptorum ac Voluntatis divinæ veniunt *Johanni*, qui ex ea tanquam effectu proprio, cauſam ſuam h.e. Unionem hominis cum DEO, demonſtrari & qui apodicticè ſciri poſſe docet *1. Ep. 2,3.5. per hoc, ſi juſſa illius obſervamus, ſcimus, quod in ipſo ſumus & ipſum cognoſcimus.* *Sapientia Chriſtiana.* *Obedientia.* *demonſtratio unionis cũ DEO per effectum proprium.*

§. III.

Hæc inſtauratio Mentis atque virium illius & renovatio Imaginis divinæ emphaticis deſcribitur vocabulis *Obſignationis*, de qua & antea, *Arrhæ item Unctionis, Adoptionis.* Paulus *2. Cor. 1,21. qui confirmet nos unà vobiscum in Chriſtum & qui unxit nos, DEUS eſt: qui etiam obſignavit nos, deditq; arrham ſpiritus in cordibus noſtris.* Obſignabant veteres domi omnia & contra ſervorum *Reparatio imag. div.* *obſignatio*

furta

furta cuſtodiebant. Et quidem annulo ſignatorio, qui certum *characterem* habebat. Plinius 33:1. *At nunc cibi quoq; & potus annulo vindicantur à rapina.* Plaut. *Caſin. 2:1. obſignate cellas, referte annulum ad me.* Dominus etiam ac Salvator noſter nos ſignavit in frontibus noſtris, ne noceant nobis Angeli noxii *Apoc. 7,3.* Hæc obſignatio atque hoc ſigillum, in SS. Baptiſmate nobis imprimitur, unà cum oleo unctionis infuſo, *1. Joh. 2,20.* quod manet in nobis, *v. 27.* hoc eſt illud σπέρμα Θεοῦ, quod in regenitis manet, *1. Joh. 3,9.* ne peccent ad mortem, *c. 5,16.*

§. IV.

Inſpiratio Spiramen. In veteri Eccleſia Francorum & Germanorum vocatum fuit *Spiramen* & *Inſpiratio*, poſtea *Character.* Philaſtrius, Epiſcopus Brixienſis, *S.* Ambroſii coætaneus, *lib. de Hæreſib. p. 87.* ubi *Hæreſin de Anima hominis inſpirata* exponit, *Inſpirationem* ab anima diſtingvit, ac definit, *Divini Spiritus quandam gratiam & profectionem dignitatis, ut poſſit homo capax legis cœleſtis exiſtere, & pervenire eam de divino Spiritu à DEO Chriſto omnibus. Eam habentes & cuſtodientes adjectionem accipere gratiarum, ut Apoſtolos & Prophetas & omnes Juſtos: Injuſtos autem negligentes ac contemnentes amittunt tantum meritum dignitatis, ut Saul, de quo dictum: Receſſit ab eo Spiritus Domini. Et quod in malignam animam non intrabit Spiritus Sapientiæ, teſtatur ſcriptura.* Idem *p. 179.* exponens hæreſin, *de ſpiramine*, quod Adam accepit: *Alia*, inquit, *eſt hæreſis, quæ Spiramen, quod accepit Adam, putat tantum eſſe, quantum eſt à Chriſto poſt reſurrectionem conceſſum Apoſtolis: qvum ignoret, quod* SPIRAMEN *eſt modicæ virtutis aliqua gratia, in audienda lege multorum primum. SPIRITVS autem perfectionis eſt plenitudo. Spiramen*

itaq;

itaque datur ab infantia & catechumenis. Spiritus autem in incremento doctrinæ fideiq́, & ſalutaris baptiſmi plena DEI gratia, ut intelligere & ad majorem jam poſſet ſcientiam pervenire. Ideoq́ poſt Baptiſmum ſpiritum, ut apoſtoli jam, ſed ſpiramen non accipit, qui baptiſatur in Trinitate. Commune eſt enim omnium ſpiramen: Spiritus autem paucorum eſt fidelium, atque credentium & diſcentium. Hinc appellatio CHARACTERIS Chriſtianitatis, qui baptiſatis imprimatur, originem habere videtur. Sed Eccleſia Romana in ſenſu planè diverſo & contrario eà voce uſa fuit, ut rem & characterem contradiſtingveret, ut patet ex Innocentii *III. c. 3. X. de baptiſmo*, ut neſciant Scholaſtici, quid generis aut differentiæ ſpecificæ tandem aſſignent. *D. Ziegler in Lancellot. 2. 2, 4. Hülſem. Breviar. X. 12.* *Charac-ter.*

§. V.

Pertinet etiam ad hunc Effectum כְּמִשְׁפָּט לְאֹהֲבֵי *jus diligentium dominum, Pſal. 119, 132.* ſecundum quod Jus petit David gratiam domini, h. e. ex Jure & obligatione, quæ ex Unione, conſenſu & Societate inter DEUM atque hominem regenitum oritur. Etſi enim neq; neceſſitas ulla, neque neceſſitatis vinculum h. e. *obligatio in DEUM* O. M. atque liberrimum cadit, demittit tamen ſe divina Gratia ad captum humanæ mentis, corroboraturus fidem noſtram atque fiduciam in ipſum, & ſicuti naturæ noſtræ particeps factus eſt, ita etiam non ſolus ille Mediator, ſed per eum reliquæ etiam SS. Trinitatis perſonæ, omninoq; DEUS O. M. liberrimè ſeſe non modò obligatum homini dicit, ſed etiam juramento obligatum, *Hebr. 6, 17.* ut eò certiores atque ſecuriores ſimus, de fœdere atque ſocietate inter ipſum atque homines pacta. *Jus diligentium DEUM. Obligatio DEI.*

enim nutritio naturalis eſt renovatio & reſtauratio ſpirituum abſumtorum: ita Renovatio ſpiritualis eſt redintegratio quotidiana facultatum intellectus & voluntatis in ſpiritualibus. *Eph.4,24. Coloſſ.3,9. Tit.3,5. 2. Petr.1,4.* atque arctior arctiorque unitio & amicitia inter DEUM atque hominem.

CAP. V.

De

VNIONE ET CONSOCIATIONE HOMINIS CVM DEO.

§. I.

Unionis Forma ATque ſic tandem acquiritur finis ille ulterior,& Divina Societas atque amicitia & conjunctio hominis atque Dei. *1. Joh.1,3.* Quæ unio non eſt imaginaria quædam,aut mentalis vel virtualis duntaxat, inter Hominem & operationes divinas,ſicut quædam inter animalia plantasve & inter ſolem intercedit unio: ſed realis, *1. Cor.14.* *realis* *ὁ θεὸς ὄντως ἐν ἡμῖν.* Videlicet naturæ ac ſubſtantiæ humanæ divina conjungitur,& Spiritus S. ſubſtantialiter humanæ menti,ut homo ſit *μέτοχος ἁγίου πνεύματος*, *Hebr. 6,4. κοινωνὸς θείας φύσεως 2. Pet.1,4.* Neque tamen unio hæc eſt eſſentialis aut perſonalis, quæ unam eſſentiam, ut unio Naturæ ſenſitivæ & intellectualis in Homine, aut unam Perſonam, ut in Mediatore ipſo unio Divinæ & Humanæ

manæ Naturæ: ſed ſimilis eſt Vnioni Viri & Mulieris ſive *conjugali*, ita ut, quemadmodum Vnione utriusque ſexus, vir atque mulier rediguntur duo εἰς σάρκα μίαν, ſic etiam ὁ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι cum DEO, *1. Cor. 6, 16. 17.* Et ſicuti mulier dicitur os ex oſſibus viri, & caro de carne ejus: *Gen. 2, 23.* ſic etiam Regeniti dicuntur membra corporis Domini, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ, *Epheſ. 5, 30.* Itemque ſimilis eſt *Præſentiæ* Divinæ in Tabernaculo & *Templo* Hieroſolymitano, *Ex. 29, 42. ſqq. Joh. 2, 21. Rom. 8, 9. 11. 1. Cor. 3, 16.* unde *requieſcere* dicitur ſuper nos Spiritus Divinus, *1. Petr. 4, 14.* Eſt igitur *Unio ſecundùm Indiſtantiam*, ut naturæ unitæ Hominis & Dei non diſtent inter ſeſe, ſed κολλᾶσθαι ut vir fœminæ, Dominus Templo ſuo. Denique qvum Deum inter atque creaturas ſuas etiam quædam detur unio, & *omnipræſentia*, quâ ſingulæ in eſſe ſuo ſuſtentantur: *Act. 17, 27. 28.* hujus præternaturalis Unionis differentia ſpecifica conſiſtit in GRATIA & εὐδοκίᾳ, aut amicitia reconciliata, ejusque donis variis. *gratioſa.*

§. II.

Habet enim porrò hæc *Unio Gratioſa* ſuos *gradûs* atque differentias, ut alia communi atque ordinario fiat modo, alia extra ordinem. Ordinaria Dei cum regenitis redunitio alia eſt generalis atq; omnibus communis, generalem operans effectum, illuminationem mentis & ſanctificationem voluntatis, alia ſpecialis, ſpecialia & particularia diſtribuens dona. Extra ordinem Spiritus S. ſuâ præſentiâ ac cohabitatione efficit Prophetas, Apoſtolos & Miraculorum exhibitores. Hanc diviſionem cohabitationis ac donorum Spiritus S. docet & recenſet S. Paulus *1. Cor. 12.* ubi *v. 3.* primò effectum ordinariæ & univerſa- *Ordinaria* *Generalis* *Specialis* *Extraord.*

lis præſentiæ Spiritus S. dicit eſſe *Confeſſionem* Fidei Chriſtianæ orthodoxæ. Poſtmodum recenſet Speciales atq; extraordinarias φανερώσεις τ̃ πνεύματος. De quibus ſingulis poſtea dicemus.

§. III.

Alia diviſio ſecundum perſonas SS. Trin.

Illud hic addimus, *Unionem* fidelium cum Deo *triplicem* etiam conſtitui poſſe ſecundum triplicem *Perſonarum* reſpectum in *SS. Trinitatis* Myſterio, quanquam in qualibet ſpecie, propter indiviſam SS. Trin. unitatem, tota SS. Trin. homini fideli uniatur. Primò enim conjungitur Spiritus S. cum homine *SS. Baptiſma* recipiente per Regenerationem, & unà cum tota SS. Trinitate. *Gal. 2,19.20. 2.Tim. ult. 22. Tit. ult. 25. Joh. 14,16. Rom. 8,9.10.11. 1.Joh. 3. ult. 1. Cor. 3,16.17. c. 6,19.17.* Deinde unitur adultus fidelis cum Mediatore θεανθρώπῳ per communionem SS. Cœnæ, & per eum cum SS. Trinitate tota. Quæ *unio Euchariſtica* ſummum tenet gradum, quippe quâ non tantum Deus menti, ſpiritus ſpiritui, ſed etiam homo atque corpus corpori unitur, ita ut efficacia hujus ſocietatis etiam in corpus hominis atque mortalem naturam redundet; hinc membra Chriſtiani ſuo modo dicuntur membra Chriſti, *1. Cor. 6,15.* & hinc etiam Reſurrectionis corporum gratioſæ neceſſitas ac certitudo. *Rom. 8, 11.* ut faciat Chriſtus corpora fidelium ſimilia ſuo, *Phil. 3. fi.* Tertiò, unitur atque conjungitur fidelis magis magisque cum *DEO Patre* reconciliato & ſic cum *SS.* Trinitate, per quotidianam *Renovationem*, deprecationem, gratiarum actionem & converſationem amicam, *Eph. 5, 19. c. 6,18. Philipp. 4,4. 6. 7. Eph. 2,18. Joh. 14,21. ſqq. c. 17, 23. 1. Joh. 1, 3.* quæ conſiſtit in prægustu virtutum futuri ſeculi, *Hebr. 6,5.*

§. IV. Quo-

§. IV.

Quorum trium graduum Conſociationis hominis cum DEO myſterium ex Conſociatione Viri atque Uxoris, quod *magnum Myſterium* Paulus appellat, porrò illuſtrari poterit. Nam primò uniuntur Vir & Mulier per *Sponſalia*, & Verba Conſenſumve ſponſalitium; ſic etiam Regenitus per novum *fœdus generationis*, quod ſponſalibus etiam à Propheta comparatur, *Hoſ. 2,18.19. ubi Gl. marg.* Secundò magis uniuntur per *Copulationem* & benedictionem Sacerdotalem, & ἕνωσιν γαμικὴν, unde duo in carnem unam jam uniti. Sic & Chriſtus Salvator & Fideles, *Eph. V.30.* Magnum hîc latet myſterium! Per τὴν ἕνωσιν communicat Vir uxori *carnem & ſangvinem*, id enim continet ἡ γονὴ *Hebr. 2,14.* Per *Euchariſticam* unionem communicat Chriſtus carnem ſuam & ſangvinem fidelibus. Nec repugnat *clarificationi corporis* habere *ſangvinem*, qvum & in hac mortalitate corpus humanum ſimilem claritudinem ad tempus ſaltem aſſumere poſſit, quod Moſis facies, *Exod. 34,29.* & Salvator in monte Tabor oſtendit. Et ſangvis eſt vinculum corporis & animæ. Subſtantia igitur vinculi remanet poſt clarificationem, qualitas aquea & terrea transformatur, & fluidum in permanens, elementare in cœleſte: unde refocillatione per cibum & potum non indiget tale corpus, cibum tamen aſſumere poteſt, *Luc. 24,43.* & eundem conſumere, non in ſubſtantiam ſui convertendo, ſed per ejectionem & reductionem ad atomos. Sed hæc obiter. Nec repugnat ergo ſangvinem hujusmodi *communicari* alteri. Denique continuatur atque roboratur iſta conjunctio magis magisque per aſſiduam vitæ *conſvetudinem* & perpetuum vitæ conſortium intercedentibus licet fri- *Myſterium ex conjugio.*

(h) 3 buſculis

buſculis atque jurgiis, ſemper tamen amoris ſequitur redintegratio. Sic etiam SS. Trinitas *μονὴν* apud nos facit, prout de hac unione diſſerens eam appellat Salvator, *Joh. XIV.23.* Et ſi quis in hac cohabitatione peccaverit & iram Patris reſuſcitaverit, Advocatum habemus ac Mediatorem apud Patrem, JESUM Chriſtum Juſtum, *1. Joh. 2, 1.* qui pro nobis ſingulis interceſſit paulò ante mortem, *Johan. XVII.20.*

CAPUT VI.

De

FRUCTU UNIONIS ATQUE AMICITIÆ INTER DEUM ET HOMINEM COMMUNI.

§. I.

DIximus Unionem DEI atque Hominis regeniti aliam eſſe *ordinariam*, aliam Extraordinariam, & illam vel *Communem*, vel ſpecialem: Totuplices etiam ſunt fructus atque effectus graduum Societatis *θεανθρώπου*. Ordinariæ atque Communis cum omnibus Regenitis contractæ amicitiæ atque conjunctionis fructus duplex eſt, pro duplici Mentis Humanæ facultate receptiva, *Intellectu* atque *Voluntate*: Intellectus ILLUMINATIO, & Voluntatis SANCTIFICATIO: inde Fides, hinc CHARITAS, & in utraque conſervatio, augmentatio quotidiana & protectio contra hoſtes ſpirituales. Docet hoc Paulus, atque de Illuminatione Fidei in Chriſtum ait: *1. Cor.*

Illuminatio intellectus.

Cor.12. de ſpiritualibus donis notum vobis facio, quod nullus per ſpiritum Dei loquens, dicit Anathema Jeſum: neq́; poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi per Spiritū S. conf. Rom.5.c.15,13. 1.Cor.2,4.10.11. 2. Cor.3,18. Eph.1,17.c.3,16.ſq. 2.Cor.3,18. 1.Joh. 2,27. De Sanctificatione morum, *Rom.6,17.22. Gratia DEO quod obediſtis ex animo in eam, in quam traducti eſtis,* τύπον, *formam doctrinæ, & habetis fructum veſtrum in Sanctificationem, finem autem, vitam æternam. Conf. Eph 5,26.27. Rom. 8,13. 1. Cor. VI. 11.* *Sanctific. appet.*

§. II.

In his conſiſtit τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, *affectus ſpiritus regeniti, Rom. 8,6. Eph.3,16. ſqq. c.IV.23.24. c. V. 8.9.* qui & ipſe *ſanctus* vocatur *ſpiritus 2. Cor. VI. 6.* & Spiritus δυνάμεως, καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ, h. e. *fiduciæ* erga DEUM, *dilectionis* erga proximum, & *ſobrietatis* in ſeipſum, *2. Tim. 1, 7.* Atque hic fons eſt omnium Virtutum Spiritualium, quæ ſunt hominum πνευματικῶν, *Gal. 6, 1.* quæque uno *Obedientiæ* nomine & obſervatione præceptorum ac Voluntatis divinæ veniunt *Johanni*, qui ex ea tanquam effectu proprio, cauſam ſuam h.e. Unionem hominis cum DEO, demonſtrari & qui apodicticè ſciri poſſe docet *1. Ep.2,3.5. per hoc, ſi juſſa illius obſervamus, ſcimus, quod in ipſo ſumus & ipſum cognoſcimus.* *Sapientia Chriſtiana. Obedientia. demonſtratio unionis cū DEO per effectum proprium.*

§. III.

Hæc inſtauratio Mentis atque virium illius & renovatio Imaginis divinæ emphaticis deſcribitur vocabulis *Obſignationis*, de qua & antea, *Arrhæ item Unctionis, Adoptionis.* Paulus *2. Cor. 1,21. qui confirmet nos unà vobiscum in Chriſtum & qui unxit nos, DEUS eſt: qui etiam obſignavit nos, deditq́; arrham ſpiritus in cordibus noſtris.* Obſignabant veteres domi omnia & contra ſervorum *Reparatio imag. div. obſignatio*

furta

furta cuſtodiebant. Et quidem annulo ſignatorio, qui certum *characterem* habebat. Plinius *33:1. At nunc cibi quoq; & potus annulo vindicantur à rapina.* Plaut. *Caſin. 2:1. obſignate cellas, referte annulum ad me.* Dominus etiam ac Salvator noſter nos ſignavit in frontibus noſtris, ne noceant nobis Angeli noxii *Apoc. 7,3.* Hæc obſignatio atque hoc ſigillum, in SS. Baptiſmate nobis imprimitur, unà cum oleo unctionis infuſo, *1. Joh. 2,20.* quod manet in nobis, *v. 27.* hoc eſt illud *σπέρμα θεοῦ*, quod in regenitis manet, *1. Joh. 3,9.* ne peccent ad mortem, *c. 5,16.*

§. IV.

Inſpiratio Spiramen. In veteri Eccleſia Francorum & Germanorum vocatum fuit *Spiramen* & *Inſpiratio*, poſtea *Character.* Philaſtrius, Epiſcopus Brixienſis, *S.* Ambroſii coætaneus, *lib. de Hæreſib. p. 87.* ubi *Hæreſin de Anima hominis inſpirata* exponit, *Inſpirationem* ab anima diſtingvit, ac definit, *Divini Spiritus quandam gratiam & profectionem dignitatis, ut poſſit homo capax legis cœleſtis exiſtere, & pervenire eam de divino Spiritu à DEO Chriſto omnibus. Eam habentes & cuſtodientes adjectionem accipere gratiarum, ut Apoſtolos & Prophetas & omnes Juſtos: Injuſtos autem negligentes ac contemnentes amittunt tantum meritum dignitatis, ut Saul, de quo dictum: Receſſit ab eo Spiritus Domini. Et quod in malignam animam non intrabit Spiritus Sapientiæ, teſtatur ſcriptura.* Idem *p. 179.* exponens hæreſin, *de ſpiramine*, quod Adam accepit: *Alia*, inquit, *eſt hæreſis, quæ Spiramen, quod accepit Adam, putat tantum eſſe, quantum eſt à Chriſto poſt reſurrectionem conceſſum Apoſtolis: quum ignoret, quod* SPIRAMEN *eſt modicæ virtutis aliqua gratia, in audienda lege multorum primum.* SPIRITUS *autem perfectionis eſt plenitudo. Spiramen*

itaq;

itaque datur ab infantia & catechumenis. Spiritus autem in incremento doctrinæ fideiq́, & ſalutaris baptiſmi plena DEI gratia, ut intelligere & ad majorem jam poſſit ſcientiam pervenire. Ideoq́ poſt Baptiſmum ſpiritum, ut Apoſtoli jam, ſed ſpiramen non accipit, qui baptizatur in Trinitate. Commune eſt enim omnium ſpiramen: Spiritus autem paucorum eſt fidelium, atque credentium & diſcentium. Hinc appellatio CHARACTERIS Chriſtianitatis, qui baptiſatis imprimatur, originem habere videtur. Sed Eccleſia Romana in ſenſu planè diverſo & contrario eâ voce uſa fuit, ut rem & characterem contradiſtingveret, ut patet ex Innocentii *III. c.3. X. de baptiſmo*, ut neſciant Scholaſtici, quid generis aut differentiæ ſpecificæ tandem aſſignent. *D. Ziegler in Lancellot. 2:2,4. Hülſem. Breviar. X.12.* *Character.*

§. V.

Pertinet etiam ad hunc Effectum מִשְׁפָּט לְאֹהֲבֵי *jus diligentium nomen tuum, Pſal. 119,132.* ſecundum quod Jus petit David gratiam domini, h.e. ex Jure & obligatione, quæ ex Unione, conſenſu & Societate inter DEVM atque hominem regenitum oritur. Etſi enim neq; neceſſitas ulla, neque neceſſitatis vinculum h.e. *obligatio in DEUM* O. M. atque liberrimum cadit, demittit tamen ſe divina Gratia ad captum humanæ mentis, corroboraturus fidem noſtram atque fiduciam in ipſum, & ſicuti naturæ noſtræ particeps factus eſt, ita etiam non ſolus ille Mediator, ſed per eum reliquæ etiam SS. Trinitatis perſonæ, omninoq; DEVS O. M. liberrimè ſeſe non modò obligatum homini dicit, ſed etiam juramento obligatum, *Hebr. 6, 17.* ut eò certiores atque ſecuriores ſimus, de fœdere atque ſocietate inter ipſum atque homines pacta. *Jus diligentium DEUM. Obligatio DEI.*

(i) §.VI.Ex

§. VI.

Arrha. Ex eadem ratione hoc generale Redunitionis DEI atque hominis regeniti donum appellatur ab ipſo DEO *Eph.1,14.* ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως. *Eph.1,14.* *Arrhabo* non de rebus tantum, ſed de Perſonis etiam uſurpatum veteribus docet *Gellius XVII. 2.* ubi ex Q. Claudio, veteri annalium ſcriptore refert, Arrhabonem eum dixiſſe DC obſides: & id maluiſſe, quàm Pignus dicere: quoniam vis hujus vocabuli in ea ſententia gravior acriorque eſſet. Sic & apud *Terent. Heaut. 5. 3.* *Filia relicta eſt huic arrhaboni pro argento.* Idem enim eſt ibi ἀῤῥαβὼν qui *ad Hebr. 7, 22.* ἔγγυος dicitur, *Sponſor,* Gallis *Plege,* Ausrichter *obſes.* Germanicum Ausrichter / h. e. executor teſtamenti, ſcilicet, qui ſimul ſe ſpeciatim obligavit ad garantiam præſtandorum ex teſtamento, veluti fidejuſſor, Bürge. Vix aliud enim habemus in vernaculo vocabulum ſatis appoſitum. Significat omnino ſponſorem, qui ut obſes Reipublicæ, ita is nobis in ſecuritatem & certitudinem promiſſæ in teſtamento Novo Hereditatis Æternæ, traditus eſt, & ad manendum obligatus, SPIRITUS S. quanquam Salvator quoque ipſe ἔγγυος eſt, per mortem pro nobis traditus, imò & poſtea in *SS.* ſynaxi nobis exhibitus: Nimirum eleganti Metaphora utitur Apoſtolus ab re teſtamentaria, ubi cui pars hereditatis vel *legatum ſub conditione* aut in diem relictum, huic heres, vel coheres poſſeſſor, cautionē præſtare tenetur dato Fidejuſſore vel ſponſore, *l. 96. §. 3. de leg. 1. & t. t. D. ut legatorū vel fideicommiſſ. ſervandorū cauſa caveatur.* ſive ut *rubrica Eclogæ* habet. περὶ ἀῤῥαβῶνος τῆς [illegible] παρὰ τοῦ κληρονόμου τῆς διαθήκης. Ad hunc modum S. Spiritus nimirum nobis eſt arrhabo pro hereditate vitæ æ-

ternæ,

ternæ *εἰς ἀπολύτρωσιν, ut* ſive prout Gallica verſio mavult, *usque dum* redemtio plenaria ſive reſtitutio & occupatio fiat poſſesſionis quæſitæ, prædictæ hereditatis æternæ. Ἀπο-λύτρωσις enim duobus conſtat actibus, primus eſt ſolutio τοῦ λύτρου, quæ facta à Salvatore in Statu exinanitionis, alter eſt reſtitutio rei redemtæ, ex parte Redemtoris, & occupatio atque acceptatio, ex parte noſtra. Germanicè diceremus: Zur Einnehmung des wiedererlangten Eigenthums. Vel: Daß wir das durch das einmahl erlegte Löſegeld gewonnene Eigenthum daran gewiß und unfehlbar erlangen und einnehmen ſollen. *Conf. Luc. 21,28. Rom. 8,23. Eph. 4, 30.* At habet hoc ſingulare jus Salvator O. M. ut non modò Arrhabonem det Spiritum S. ſed etiam ipſe & Heres & ἔγγυος ſeu ſponſor eſſe poſſit. *2. Cor. 1,22.*

§. VII.

Pertinet etiam huc *ἀπαρχὴ πνεύματος*, *primitiæ Spiritus*, & prægustus vitæ æternæ, & cohabitationis cum Deo & tota SS. Trinitate, *Rom. 8,23.* Guſtare donum cœleſte & vim futuri ſeculi per participationem Spiritus S. *Hebr. 6,4.* Hæc eſt illa *χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, ἡ ἐστὶν ἡ βασιλεία θεοῦ, Rom. 14,17.* Eſt enim *Unio* & ſocietas noſtra cum Deo duplex, alia *primitiva* atque incepta, alia *finalis* ac completa. Et miſſi ſumus in Bonorum Poſſeſſionem Hereditatis æternæ ex parte, ita ut nondum quidem proprietatem in diem nobis relictæ hereditatis & ſub conditione perſeverantiæ fidei, nacti ſimus, ſed tamen jus pignoris & ſatisdationem. *l. 5. C. ut in poſſeſſ. legatorum ſervandorum cauſa mittatur, & quando ſatisdari debeat.* Denique appellatur etiam hoc donum univerſale *πνεῦμα υἱοθεσίας*, Spiritus & Jus *adoptionis*; nam ut Servitus ado-

Primitiæ Spiritus.

ptione tollebatur, §. *fi. J. de manumiſſ.* ita ex ſervitute & timiditate ſervili Legis Moſaicæ redemti, παῤῥησίαν habemus clamandi, Abba Pater, *Rom. 8, 14. Gal. 4, 5. 6.*

CAPVT VII.

De

FRUCTU UNIONIS ATQVE AMICITIÆ INTER DEUM ET HOMINEM SINGULARI.

§. I.

Dona Spir. Specialia.

VIdimus, quis ſit fructus atque effectus ordinarius communis omnibus regenitis atque cum Deo redunitis: videamus etiam effectus ſpeciales, & ipſos tamen ordinarios, ſed non communes omnibus. De his S. Paulus *1. Cor. 12. & 13.* præclara docet. Appellat eos φανερώσεις, *manifeſtationes* Spiritus S. h. e. Modos, quibus Spiritus S. in quolibet præſens peculiariter cognoſcitur & operatur, unde etiam ſimpliciter *Spiritus. Philaſtrius ſupra cap. præced.* itemq; ἐνεργήματα, *operationes*, διακονίας, *officia miniſteria*, quæ obeunt homines ope Spiritus S. inhabitantis & ad ea adaptantis, χαρίσματα, *1. Tim. 4, 14. Rom. 12, 6. Peucerus* inter illa vocabula differentias quærit *lib. de divinat p. 148. b.*

φανερώσεις.

§. II.

Porrò ait Apoſtolus non eadem omnibus, ſed alia aliis aſſignata eſſe dona, idque πρὸς τὸ συμφέρον καὶ καθὼς βέλ-

βούλεται Spiritus S. ſpirat enim ubi vult, *Joh. 3,8.* ut alter pro altero μεριμνῶσι & cum altero doleant ac lætentur, *1. Cor. 12,25. 26.* tanquam membra unius corporis, *v. 12. 17. 27. Rom. 12, 3. 6.* Finis ergo hujus varietatis eſt *utilitas* *Finis* tam *univerſalis* & totius Eccleſiæ, tanquam corporis Chriſti, quod non unius generis membra, ſed diverſi perficiunt: tum *ſingularis*, prout cujuslibet natura ad hoc donum & miniſterium aptior eſt, quàm ad aliud. *1. Pet. 4,10.*

§. III.

Quare concurrit cum Spiritu S. hic *Voluntas* homi- *Cauſa* nis regeniti, ut patet ex Apologo Chriſti de talento defoſſo. Aſſiduitas enim precum & Meditationum quærentium & indagantium hic requiritur, exemplo Chriſti pueri *Luc. 2,46.* Philaſtrius *lib. de Hæreſ. p. 177.* in Hæreſi de uxoribus & concubinis Salomonis ait: *Ex voluntate juxta quod quisque deſiderat, ita à DEO Chriſto ei tribuitur atque impertitur quotidie.* Poſtea Salomonis LX Reginas, LXXX concubinas & juvenculas innumerabiles anagogicè explicat de tribus claſſibus Chriſtianorum, ut alii perfecti, alii ſequentes, alii poſtea ſecuturi demonſtrarentur, *non in uno,* inquit, *modo dignitatis i. e. regni cœleſtis inveniendi, ſed ſecundum fidem & laborem eorum atque diverſa certamina mercedem congruam adepturi, dicente domino: Multæ manſiones ſunt apud Patrem meum.* *Ideò & David animam ad regimen vocatam modis omnibus collaudat, edocens: Adſtitit Regina à dextris tuis. Aliam etiam ſequi hortatur: Audi filia & vide & obliviſcere domus Patris tui, & concupiſcet Rex ſpeciem tuam. Ut ergo eſt rationis, convenit cognoſcere, quod alii in Regnum, alii in Paradiſum, alii in Vitam atque remiſſionem peccatorum in*

 futuro

futuro erunt deputandi. quod non negatur currentibus ac volentibus nunc ut oportet: diſſimulantibus autem & non rectè currentibus à Domino hæc non erunt conferenda: hæc Philaſtrius.

§. IV.

Effectus Qui ſimul innuit, ad dona hæc hujus vitæ diſtributum iri Præmia futuræ: id quod jamtum Daniel pro-*Premia* didit, eos, qui multos docuere viam juſtitiæ, fore velut *V. Æ.* aſtra in cœlo. *1. Cor. 15, 42.* Nam Gloria ſeu ſalus Futuræ vitæ ita differt à Gradibus Gloriæ, ut alius de aliis cauſis proximis detur. *Poſt Thomam Hulſm. Brev. Suppl. c. XVI. ſ.* *Septiformis Spir.* Vulgò Septem dona Spiritus S. prædicari ſolent, & *Spiritus Septiformis* dici, in Gaben ſiebenfalt/idque ex *Eſa. 11, 2.* ſed minus accuratè, quod inſpicienti textum facilè patet. In *Apocalypſi* verò Spiritus Septem de Spiritus S. donis ſpecialibus dicuntur, ſed non excluſivo ſenſu, verum eo, quo numerus ſeptenarius Perfectionis habetur.

§. V.

1. *Sapientiæ* Quæ S. Apoſtolus recenſet, ſunt iſta: λόγος σοφίας, *v. 8. Eſa. 11, 2.* quâ quis novit Myſteria omnia, *c. 13. v. 2. c. 15.* & ea explicare poteſt. Etſi enim Articulos Fidei & omnia creditu neceſſaria quilibet Chriſtianus noſſe debet, ea tamen docere, explicare & adverſus impugnatores aſſerere cum fructu poſſe, hoc peculiare eſt donum Sapientiæ, unde & ἀποκάλυψις dicitur *c. 14, 6. 36. Eph. 3, 2.* Acquiritur *mod. acquir.* aſſiduis precibus, *Prov. 2, 9. Jac. 1, 5.* ut & Meditationibus ac lectionibus, *Prov. 2, 10. Sir. 6. fin. c. 15. & paſſ. 1. Tim. 4, 14. 15. 16.* Id neglexere Judæi ac Phariſæi imprimis, licet videri vellent aliis doctrinâ & diſciplinâ præcellere. Ejus notabile exemplum *S. Johannes* retulit *cap. 1, 24.* ubi Synedrium Hieroſolym. per Phariſæos inquirit in doctrinam Johan-

Johannis Baptiſatoris. Etſi verò hic ſatis apertè ſeſe confiteretur Præcurſorem Meſſiæ, intermiſſa tamen ulteriore inveſtigatione tum in SS. Scripturas, cum in rem præſentem, occœcati permanſerunt iſti Theologaſtri in ſuâ ſtultitia.

§. VI.

Quid quod idem diſcipulis Meſſiæ accidit paulò ante Paſſionem adhuc, prout recitat *Lucas cap.18, 31.* ubi cum Salvator de Medio Salutis humanæ h. e. Fide in Meſſiam jamjam paſſurum & ſatisfacturum pro genere humano diſſereret, diſcipuli nihil eorum intellexerunt, & fuit verbum iſtud abſconditum ab eis, nec intelligebant, quæ dicerentur, ſicut emphaticè Evangeliſta ſupinam mentis cœcitatem deſcribit. Ex quo conſtat, miſeriæ humanæ cauſam potiſſimam eſſe *Ignorantiam* Medii Salutis, & negligentiam meditationis & remotionis tenebricoſæ ac *pravæ diſpoſitionis.* Unde Salvator non modò ſummè inculcat τὸ Ἐρευνᾶν, ſed etiam ſtatim datâ iſtâ occaſione per anagogicam inſtitutionem docet modum medendi cœcitati mentali, in Bartimæi curatione. Ut enim hic qvum audiret, interrogaret, clamaret, & clamando inſtaret, viſum corporis recipiebat, ita cœcitas mentalis removetur, & Sapientia acquiritur, Auſcultatione ac Meditatione, Scrutatione & Oratione, conſtantiaque in adverſis & & tentationibus. *V. 2. Tim. 3, 14. Dan. 1.* *Luc. 18, 31.*

§. VII.

Sequitur *Λόγος γνώσεως, c. 11, 8. c. 12. c. 13, 2. πᾶσα γνῶσις* quæ abolebitur, *v. 8.* quia imperfecta eſt, *v. 9. 10.* Verſatur circa Agenda, pars *Theologiæ Practicæ,* ſeu Moralis, ut vocant, informans Conſcientiam in omnibus caſibus, id quod *II. Prudentia.*

quod dicitur *λαλεῖν ἐν γνώσει* *1. Cor. 14,6.* cujus profeſſio in Futuræ Vitæ perfectione non amplius requiretur. Huc etiam pertinet *Prudentia Civilis* & Judiciaria Chriſtiana, die Weißheit Gottes Gericht zu halten / Sapientia Dei ad faciendum judicium, quæ in Salomone, extra ordinem, erat *2. Reg. ſi. 1. Cor. 6,5.* De ea *Plato in Theage* præclara docet, atque addiſci quidem eam ſapientum uſu & conſuetudine, veram tamen efficacemque illius conſequendæ rationem pendere à DEO, qui unus nimirum efficiat, ut illa etiam hominum prudentum conſuetudo poſſit eſſe fructuoſa: *ἐὰν μὲν τῷ θεῷ φίλον ᾖ, πάνυ πολὺ ἐπιδώσεις καὶ ταχύ. εἰ δὲ μή, οὔ.* *Si DEO gratum eſt, permultum quidem & brevi proficies: ſin contra, minime.* addas quoque

Prud. & Phil. Mor. ejuſdem Epinomidem. Ex quo apparet origo & dignitas tum Philoſophiæ Moralis, tum totius Prudentiæ Civilis ac Jurisprudentiæ, quam vocant, veræ illius, non ſimulatæ. De qua alias diximus.

§. IIX.

III. Prophetia Tertio loco venit *προφητεία*, *1. Cor. 12, 10. 28. C. 13, 2. 14,6.* quæ & ipſa imperfecta eſt in hoc ſeculo, & abolebitur, *v. 8. 9.* commendatur nihilominus præ cæteris donis, *C. 14,1. 5. 39.* propter ejus finem & effectum, qui eſt: Ædificatio, doctrina, exhortatio, morum emendatio, conſolatio, *v. 3. 4. 24. 31. Rom. 12,6. 7. 8.* ubi *παράκλησις* etiam ſpeciatim recenſetur: alius enim excellit magis vi conſolandi, alius docendi, alius exhortandi, licet omnes unius muneris partes ſint. Cujus omnes capaces ſunt, cæteris paribus, *v. 24. 31.* præter mulieres *v. 34.* Convenit cum

διδαχὴ Διδαχῇ quoad finem *c. 14, 31.* unde *1. Cor. 12, 10.* omiſſum donum *διδαχῆς* ſub Prophetiæ nomine venit, ut & *cap. ſeq. 13.*

1. Pet.

1. Pet. 4, 11. generatim appellatur λαλεῖν. diſtinguitur tamen ab eadem *d. c. 12, 28.* δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους. & *v. ſq. 29. cap. 14, 6.* ἢ ἐν προφητείᾳ ἢ ἐν διδαχῇ & *v. 26.* ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει, διδαχὴν ἔχει, γλῶσσαν ἔχει, ubi notabilis obſervanda differentia doni προφητείας καὶ διδαχῆς. Prophetæ ψαλμοὺς ἔχουσι, διδάσκαλοι διδαχήν.

§. IX.

Prophetæ igitur ſpeciatim ſunt Doctores Eccleſiæ, οἱ λαλοῦντες ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ψαλμοῖς, ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, *Eph. V. 8.* qui facultatem benedicendi ſacerdotalem internam, & accedente vocatione & conceſſione poteſtatis externâ, etiam jus habent χειροτονίας, manus imponendi h. e. ordinandi alios Doctores Eccleſiæ, *1. Tim. 4, 14. c. 1, 18. 2. Tim. 1, 6. 1. Theſſ. ult. 20.* uno verbo *Presbyteri*, quo nomine & *Epiſcopus* velut caput Presbyterii cujusque Eccleſiæ continetur, quanquam poſtea peculiari titulo κυβερνήσεως venire videtur. Horum eſſentialis poteſtas qui & *character* dicitur, eſt *unus & idem*, ut latius deduxit jamtum *Marſilius Patavinus in defenſ. Pacis P. 2. c. XIV.* Διδάσκαλοι ſunt reliqui, qui donum docendi habent citra receptionem publicam in Presbyterium cujusque Eccleſiæ, quales hodie ſunt Candidati miniſterii Eccleſiaſtici, & Doctores Theologiæ & qui generalem acceperunt *ſine titulo ordinationem.*

Presbyteri, *Doctores*

§. X.

Cæterum fuit jam tum olim in Eccleſia V. T. frequens docendi ratio per *Pſalmos* & carmina, quam profitentes artem, *Prophetæ* dicti, peculiaria habentes Collegia, *1. Sam. 10, 5. 6. c. 19, 20. Jer. 26, 7. ſqq. c. 29, 1.* Hi majori in dignitate fuiſſe videntur, quam cæteri Doctores, unde & ab Apoſtolo τοῖς διδασκάλοις prælati. Quod doctrinæ *Prophetæ.*

genus priſcis ſapientibus maximè omnium frequentatum, etiam apud Barbaros & Gentiles. Atque etſi utrique & Philoſophi & Poëtæ honeſtatem naturalem & rerum principia docebant, quia tamen illi prorsâ, hi carmine, diſtinctio erat, & Poëtæ etiam Gentilium nomine Prophetarum ab Apoſtolo decorantur ad *Tit.1.*

Poeta.

§. XI.

Porrò Prophetia N. T. non tantum confectionem novorum Pſalmorum, ſed & priſcorum Prophetarum interpretationem continet. Hoc eſt, quod Apoſtolus *c.14, 30.* ἀποκαλύπτεσθαι appellat, quando in congregatione Eccleſiaſtica uno Prophetâ ſive Presbytero prophetante, alteri adſidenti reveletur & in mentem veniat alia elegantior Veteris Scripturæ Propheticæ interpretatio, quo casu, prior ille modeſtè admonitus, deſinens & ipſe auſcultare tenetur. Hodie hoc donum Prophetiæ maximè illhoc interpretationis genere, & *Oratoriâ Eccleſiaſticâ* cenſetur, & Jure *Liturgiæ* Sacræ celebrandi & *Benedicendi* tum in SS. Sacramentis adminiſtrandis, tum in nuptiis, exequiis & Miniſtrorum ordinationibus. Porrò appellatur Prophetia etiam καθ' ἐξοχὴν πνεῦμα *1. Cor. 14, 12. & 32.* Pſeudoprophetæ, *ſpiritus* AntiChriſti, *1. Joh. 4.*

IV. Diſtinctio ſpirituum

Hinc Quarto loco recenſet Apoſtolus διακρίσεις πνευμάτων, *1. Cor. 12, 10. & d. 1. Joh. 4.* Hi judices ſunt ipſi quoque Prophetæ *c. 14; 29. 32.* Vnde *in fin. cap. XII.* non recenſentur peculiariter, ſed ſub Prophetis continentur.

V. Donum Lingv.

§. XII.

Quintum eſt donum *Lingvarum* & Interpretatio: quod quamvis Apoſtolorum ætate extra ordinem collatum, ordinarium tamen quoque eſt, & quod ſtudio atque operâ propriâ etiam peculiariter acquiritur; ſuppeditatq;

Il-

Fidelibus majorem DEVS ſucceſſum & altiorem ſcientiæ gradum, quàm qui ſolius naturæ opibus confidunt, *Dan. 1, 17. pen.* Hoc qvum ſit dono interpretandi ſcripturam ſacram inferius, docente Apoſtolo *C. 14. ad Corinth. 2.* conficitur, Juris divini eſſe, ut in lingva populo vernacula cultus celebretur divinus, quippe qui dono potiori celebrari meretur. Sexto quæ refertur Ἀντίληψις *VI. Diacon.* ſeu in numero multitudinis, ἀντιλήψεις, *ſubſidia 1. Cor. 12, 28.* ordinariè eſt altera Miniſterii Sacri functio poſt Presbyteros, & ad eam aptitudo intrinſeca, citra quam externum miniſterium Deo nec curæ nec cordi eſt, ἡ Διακονία, διακονεῖν, *1. Pet. 4, 11. Rom. 12, 7.* cujus ſpecies τὸ μεταδιδόναι, *v. 8.* θλιβομένοις ἐπαρκεῖν *afflictis, pauperibus ſubminiſtrare, 1. Tim. 3, 8. c. 5, 10.* Erant enim *Diaconi* ad hoc conſtituti, ut curam pauperum & infirmorum gererent, *Act. 6.* Sed erat tum in non paucis donum quoque extraordinarium, & Heroicum, quò pertinet *1. Cor. 13, 3.* omnem ſeu potiſſimam ſubſtantiam ſuam inſumere in alimoniam pauperum: & cum periculo vitæ aliorum vitæ vel fortunis ſuccurrere.

§. XIII.

Septimum donum ſingulare dicitur Apoſtolo Κυβέρνησις, Facultas gubernandi Eccleſiam, *1. Cor. 12, 28.* eſt *VII. Epiſcop.* Presbyterii propria, *1. Tim. 5, 17.* οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι, hi ſunt αἱ κυβερνήσεις, EPISCOPI ſpeciatim poſtea vocati ſunt, ἐπιμελοῦντες Ἐκκλησίας Θεοῦ, *1. Tim. 3, 5.* quorum alii erant ſimpliciter tales, Inſpectionem tantum gerentes Eccleſiarum; quoad perſonas atque res; Alii etiam laborabant ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ *1. Tim. 5, 17.* h. e. ſimul Prophetarum & Doctorum munere fungebantur, adeoque duplex munus duplici honore dignum. *H. Gro-*

tius de Pot. circa Sacra, nodum in ſcirpo quærens, negat diverſitatem horum officiorum contra expreſſum hunc textum. *conf. 1. Theſſ. ult. v. 12. Rom. 12. 8.*

CAPUT IIX.

De

FRUCTU UNIONIS ATQVE AMICITIÆ INTER DEUM ATQVE HOMINEM EXTRAORDINARIO.

§. I.

Ordinaria olim extra ordinem data. Cum in principio Eccleſiæ Chriſtianæ non tantum Apoſtolis atque Diſcipulis Chriſti, ſed & horum porrò diſcipulis dona aliàs *Ordinaria modo* etiam *extraordinariè* à Spiritu Sancto conferrentur, factum eſt, quod Apoſtolus *1. Cor. 12.* Ordinaria & Extraordinaria mixtim recenſuerit, ex quibus tamen hæc ab illis facilè poſſunt diſcerni, poſtquam *Extraordinaria ferè deſierint*, idque tum propterea, quod Eccleſia fundanda illa requirebat, quæ Eccleſiæ fundatæ neceſſaria non ſunt, tum quod rari fructus ordinarii rariores producant extraordinarios. Cæterum *Prophetia* inter hos primò eſt *Prophetia* h. e. Revelatio futurorum; quò etiam onirocritia pertinet *Dan. 1, 17.* Philaſtrius quidem in *de Hæreſibus p. 60.* ait: *Sunt nonnulli, qui Prophetas quotidie aſſerunt, & Prophetias fieri prædicant, ignorantes, Legem & Prophetas usque ad Johannem fuiſſe Baptiſtam,*

finem-

finemq́; Legis & Prophetarum in Chriſti præſentia completum atque conſummatum.

§. II.

Verum nihil impedit, quò minus hodieque DEUS, poſſit ſuis Futura revelare: atque revelavit talia etiam poſt Johannem Bapt. Agabo Prophetæ, de quo in Actis Apoſt. & Johanni Theologo Apocalypſeos ſcriptori. Nam dictum illud loquitur tantum de Prophetis Meſſiam annunciantibus, quales non poſſunt poſt Johannem Meſſiâ jam præſente, exiſtere. *V. Cent. Magd. Cent 2: 7. p. 127. Gibb. de Burgo de Luth. Calv. reconcil. D. IV. Q. 1. §. 7. th. 9. ſeqq.* Exempla *apud Gregor. Tur. l. 6. c. 6.* Wittichind. *Corbeienſ. l. 2. Annal.* de Hildeberto Archiepiſc. Mog. *Qui inter cætera gratiarum dona Spiritum Prophetiæ accepiſſe prædicatur.* *hodie*

§. III.

Cæterum de hoc & aliis extraordinariis donis obſervandum, ea à DEO quandoque collata fuiſſe quadantenus *Infidelibus*; veluti divinum ſomnium immiſſum fuit ethnicæ fœminæ Pilati *Matth. 28, 19.* Vaticinium de Meſſia Bileamus reddidit. *conf. 1. Sam. 19, 23. Matth. 7, 22. Joh. 11, 51. 1. Cor. 13, 1. 2.* Eoque referunt *Sibyllarum* Carmina: Virgilii Pollionem, alia. Eoque pertinet, quod *Cicero l. 2. de Divin.* de Sibyllæ Interprete refert, *is*, inquit, *nuper falſa quadam, hominum famâ dicturus in Senatu putabatur: Eum quem revera Regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem, SI SALVI ESSE VELLEMVS.* addens: *Cum Antiſtibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris, quàm Regem proferant, quem Romæ poſthac nec dii nec homines eſſe patientur.* Contigiſſe id anno ante N.C. 44. videtur, quo Cæſar dictator Perpetuus creatus, & bien- *Infidelib9 collata.*

nio poſt hic liber de divinatione à Tullio ſcriptus. Falſus autem fuit Cicero etiam ſecundum ſuam ipſius ſententiam, Imperio ſeu Regno mox ab Octavio Auguſto occupato. Divinus alias, Romam non paſſuram Eum, quem revera REGEM, Meſſiam, habemus. Nimirum fuit iſta divinatio de Futuro Rege Meſſia, cujus adventus jam inſtabat, interpretanda. Cæterum hujus rei Rationem reddit idem Gibbon, quod præcipuè hæc dona à DEO conferantur non ad commodum eorum, quibus dantur, ſed ad proximorum ſalutem: Et poſſe hæc dona ſejungi à Charitate & vera fide proba ex verbis Apoſtoli *1. Cor. XIII. 1.* [illegible]

§. IV.

Miracula. Cognatum eſt huic donum MIRACULORUM, *1. Cor. 12, 9.* quo & montes loco dimoventur, *c. 13, 2.* Sed etiam hæc vis quandoque per Infideles exercetur. Unde hîc maximè *διάκρισις πνευμάτων* ab Eccleſia adhibenda eſt. Quo facit, quod Alexander III. Papa *cap. 1. de Reliquiis.* ait: *Cum etiamſi per eum* (defunctum) *miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro ſancto abſque autoritate (Romanæ) Eccleſiæ venerari.* Rationem addit Gloſſa: *Quoniam miracula fiunt quandoque per malos, cau. 1. q. 1. c. teneamus. Ideò non debet venerari pro ſancto, quisquis miracula facit, niſi ab Eccleſia (Romana) prius fuerit per teſtes legitimos approbatus, ut hîc dicit. & inf. c. prox. & de teſtib. c. venerabili.*

c. 1. X. de reliq.

§. V.

Medium Supernat. Hujus doni Species eſt Donum *Sanationum miraculoſarum, χάρισμα ἰαμάτων 1. Cor. 12, 9. 28.* cujus medium quandoque fuit Oleum *Jac. ult. 14. 15.* Huc etiam Virtus

& Potentia ſupernaturalis in aliis caſibus, ut *Act. 5, 9. 12. c. 13, 9.* Ejectiones dæmonum, & alia σημεῖα καὶ τέρατα, ut *2. Cor. 12, 12.* vocantur Itemque Donum Linguarum, γένη γλωσσῶν, *1. Cor. 12, 10. 28. 30. c. 13, 1. 8. c. 14, 2. 14. 4. 6. 13.* Et Ἑρμηνεία γλωσσῶν, *1. Cor. 12, 10. 30. C. 14, 13. 26. 27. 28.* **Exorciſmus.** **Linguarũ Don.**

§. VI.

Denique Poteſtas APOSTOLICA, *Act. 13, 2. Rom. 15, 16. 19. 1. Cor. 7. fi. c. 12, 28. 29. 1. Theſſ. 4, 8. 2. Cor. 10.* Quæ reliqua dona omnia una complectitur, ſed ἐν λόγῳ σοφίας καὶ γνώσεως extra ordinem collato, quàm maximè cernitur, *conf. 1. Cor. 12, 8. & 28.* itemque in poteſtate tradendi excommunicatum Satanæ *1. Cor. 5. Dorſch. Qu. XII.* Hujus auctoritatis ac characteris nullam fuiſſe inter Apoſtolos *prærogativam*, non obſcurè docet S. Paulus *ad Gal. 2.* & pluribus deduxit *Marſilius Patavin. Defenſ. Pac. 2. c. XV.* ubi etiam fictam *Plenitudinem Poteſtatis* jure optimo rejicit. **Apoſtolatus.**

§. VII.

Cæterum obſervatu dignum eſt, inter hæc donorum variorum genera, nusquam à Paulo referri *Donum Continentiæ,* quod dicitur, ſive Virginitatis. Peculiare porrò donum eſſe DEI idem teſtatur *1. Cor. 7, 7.* & Salvator docet *Matth. 19, 11.* ſed & poſſe quem, qui ſui juris, Virginitatem vovere, idem Apoſtolus tradit *d. c. VII. 37.* & Chriſtus *d. c. XIX. 12.* Interim Legem & *præceptum* de eligendo cœlibatu non audet dare Apoſtolus *d. c. VII. 25.* & talem legem βρόχον vocat, *v. 35.* & dogma dæmoniorum, *1. Tim. 4, 3.* ejusque generis, quæ μόρφωσιν εὐσεβείας habent, non verò τὴν δύναμιν, *2. Tim. 3, 5.* Qvum verò Dona à ſe recenſita Apoſtolus ſectanda eſſe jubeat, *1. Cor. 12. fi. 2. Tim. 1, 6.* **Don. Continentiæ.**

1,6. igitur ad evitandam omnem occaſionem futuris ſeculis, ne præcepti eſſe perſuadeatur, *Vovere caſtitatem*, & ne temerè ſub μορφώσει τῆς ευσεβείας & perfectionis *periculo tentationis Satanicæ* fideles exponantur, ſtudiosè ſpiritus ſanctus in catalogo donorum hoc omiſit. Non quod non ſit donum, & altꝰ perfectionis gradus, ſed quod ſit rarum, & ejus ſectatio *periculoſa*, διὰ τὴν ἀκρασίαν congenitam, quâ Tentator abuti ſolet *1. Cor. 7,5.* *Votum* igitur & individualis obligatio ad hunc perfectionis gradum tuendum nonniſi ſummâ prudentiâ & cautione ſuſcipiatur, oportet, nec ante, quàm *moraliter certus* eſſe poteſt vovens, quod *absque periculo illo* tentationum Satanicarum & uſtionum carnaliumſervari & impleri poſſit. Hæc autem certitudo haberi neque in adulta jam ætate commodè poterit, qvum ἀκρασία illa variis mutationibus ſubjecta ſit. *Lex* denique hujusmodi obligationem etiam invitis inducens eſt planè adverſus mentem LLatoris divini, & obligatis laqueos injicit, quibus Tentationibus Satanæ irretitus, facilè poteſt perire. Planè ſectandum eſt hoc donum, quantum pote, ſed rectius absque obligatione ſpeciali individui perpetua ut uſtionibus legitimo remedio occurrere ſemper integrum ſit. Contractâ autem ſemel obligatione non coactus, frangens fidem κρῖμα quidem ἔχει *1. Tim. 5,12.* culpâ non carens, ad imprudentiæ pœnam obligatus, & levitatis, *conf. Jerem. 26,16. c. 49,12.* damnationem tamen æternam ob id non incurrit pœnitens.

CAPUT

CAP. IX.

De

MODO CONSERVANDI UNIONEM ATQVE AMICITIAM HOMINIS CUM DEO.

§. I.

GRaviter monet Apoſtolus *Epheſios c. 5, 18.* πληρῦσθε ἐν πνεύματι, h. e. ut ſtudeant, quibus modis ſemel acceptus Spiritus S. cum ſuis donis ac operationibus in nobis conſervetur, & magis ac magis nobiſcum uniatur, & noſtra cum ipſo unio ejusque fructus quotidie creſcat atque augeatur. Hæc eſt *Perſeverantia* in Statu renovationis, & exercitatio virtutum & bonorum operum, prout cuiq; Spiritus dotes ſuggerit, & ſtationem Vocationis functionisque aſſignat. Idque vocat idem Apoſtolus *2. Tim. 1, 6.* ζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, eodemque pertinet, qvum *Theſſalonicenſes* admonet *Ep. 1. c. ult.* τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, *Spiritum ne extinguatis.*

Perſeverantia unionis.

§. II.

Simile quid & Philoſophia Stoica monuit. Imp. Antoninus *lib. 3.* εἰς ἑαυτόν. §. *XIV.* tres facit hominis partes, σῶμα, ψυχὴν, νοῦν. σώματος, αἰσθήσεις, ψυχῆς ὁρμὰς, νοῦ δόγματα. τὸ δὲ ἔνδον ἐν τῷ στήθει ἱδρυμένον δαίμονα μὴ φύρειν, μηδὲ θορυβεῖν ὄχλῳ φαντασιῶν, ἀλλὰ ἵλεων διατηρεῖν, κοσμίως ἑπόμενον ὡς θεῷ. i. e. *in pectore collocatum genium non miſcere, neque turbâ viſorum ſeu Phantaſiarum perturbare*

 bare

bare, ſed quietum ſervare, eiq; decenter tanquam DEO obſe-
Sapientia Veterum *qui.* Exhinc *Veterum Sapientiæ* fundamentum apparet: ſed quum iis deficeret Fides divinitus factæ revelationi de Dei voluntate circa Salutis Media, & gratia divina Spiritus Sancti illuminans & ſanctificans, & omne opus bonum producens, ideò longè perfectior eſt *Chriſtiana Sapientia*, ſi rectè excolitur.

§. III.

Studium Sap. neceſſariũ Ad hoc Sapientiæ ſtudium nos manuducit Salvator prolixo ſermone *Matth. 7, 24.* & modò admonet Apoſtolus *d. c. V. ad Eph.* Βλέπετε πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοί. Sed etiam *rationem* adjicit à neceſſitate temporis petitam, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι. Porrò idem definit: Διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες, τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου. *Conf. Manuduct. Phil. Mor. ad JPrud. C. IX.* *in quo conſiſtat.* Denique & Modum aperit, quo Sapientia hæc acquiratur, *ſi impleamini Spiritu.* *Modi acquirendi.* Quibus tandem *modis* Spiritu impleamur, & augmentum Societatis Divinæ capiamus, quoque exponit: MEDITATIONIBUS Sacris intra ſeſe: PRECIBUS & Gratiarum actionibus erga DEUM: OPERIBUS Charitatis & Humilitatis erga Proximum.

§. IV.

1. Meditatio & Lectio & Imitatio De Priori ait: λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς. λαλεῖν ἑαυτῷ eſt meditari, & quaſi ſecum ſermocinari, qui λόγος internus eſt, *Pſ. 4, 5.* Ejus Objectum eſt, quoad hunc præſentem effectum, Verbum DEI à Veteribus Prophetis Carminibus & Pſalmis incluſum. Quorum Spiritum & nos æmulari debemus, & in ſimili Meditationum genere exerceri. Primum itaque hic no-

tandum: Omni Meditatione Sacrâ foveri Spiritum S. & ejus operationes exſuſcitari augerique.

§. V.

Deinde cumprimis *Pſalmorum* & Sacrorum Carminum Meditationes hunc habere effectum: Spiritus S. enim præter divinam ac ſupernaturalem gratuitamque gratiam vivificantem, etiam utitur *nativâ* illâ *vi*, quâ generatim omnis *Poëſis* divinitus pollet. *Vid. Platon. in Jone*. Quæ vis & ipſa quoque à prophanis Scriptoribus SPIRITUS dicitur. Unde *Tullius pro Archia*; Poëtam quaſi divino quodam Spiritu afflari dicit. & *Horat. l. IV. Od. VI. Spiritum Phœbus mihi dedit*. L. 2. Carm. XVI. *Spiritum Grajæ tenuem Camenæ*. Lib. IV. Carm. 3. *Quod ſpiro tuum eſt, Melpomene*. hoc eſt quod Spiritu Poëtico afflatus ſum. Ita Ovidius:

Carminum & Muſicæ vis. *Spiritus Poëticus.*

Eſt DEUS in nobis, agitante caleſcimus illo,
Sedibus æthereis Spiritus ille venit.

ubi *Spiritum* vocat, quem IV. Faſtor. *Impetum*:

Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Nimirum veriſſimum eſt, quod dicitur:

Naſcuntur Vates, non fiunt arte Poëtæ.

Natura autem duo largitur futuro Poëtæ, tum ingenii bonitatem, tum impetum, quo rapitur ad condendum carmen. *Bonitas Naturæ* dicitur Græcis εὐφυία, & eſt vis excogitandi naturâ homini inſita & innata: quæ facit, ut alii præ aliis à pueris ſint ingenii perſpicacioris atque ad fingendum & eloquendum aptioris.

εὐφυία Poëtica.

§. VI.

Altera naturæ pars eſt, quæ extrinſecus accedere creditur, *Impetus*, qui nihil aliud eſt, quàm Spiritus ille Poëticus, dictionem animans, excitatus ab uno vel pluribus ho-

Impetus Poëticus.

 rum

ejus causa rum quinque: Nempe vel à Temperie ſive acrimonia humoris *melancholici*, quem vino ſimilem facit Ariſtoteles, vel ab *Affectu*, Ira aut Amore; ut ſanctiſſimus Poëta Davides, qvum Leſſum ſuper Saulum ad Jonatham fudit, 2. *Sam.* 1. etſi pleraque omnia illius carmina θεόπνευστα ſint verè ab afflatu diviniori. Tertiò à *Vino*, quod liberalius ſumtum, excutit ingenii torporem. *Horat.* 3. *Carm. XXV.* & 3. *Carm. XIX.* Contra immoderatus ejus uſus & Rectæ Rationi atque Ingenio & Spiritui ſancto officit, unde & Apoſtolus *d.c.V. ad Eph.* ab eodem dehortatur, μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἀσωτία. ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι. Quartò ab excellentium Poëtarum *lectione* & imitandi ſtudio, quod ex illa concipimus, quo de *Horat. l. 2. Od. 16.*

1. Melancholia · *2. Affectus* · *3. Vinum* · *4. Lectio.*

> *Spiritum Grajæ tenuem Camenæ*
> *Parca non mendax dedit.*

5. Musica Quintò ab inſtrumentis muſicis, & omni *Muſica* etiam vocali, quam natura τοῖς ἀλόγοις quoque ſuppeditavit, & ex quorum modulatione & concentus ſuavitate incitati primi homines paſtores ad artes & poëticam & muſicam non immeritò creduntur. Atque omnino vis carminum tam in civilibus, quàm ſpiritualibus ac divinis dependere mihi non aliunde quàm ab ipſa Muſica videtur, omne enim Metrum hanc potentiâ in ſeſe continet, unde & *Carmen* apud Romanos nomen habere creditur, quaſi quod cani poſſit.

§. VII.

Ejus effectus triplex. Quod porrò & Spiritus S. vi muſicâ velut inſtrumento uti ſoleat, vel exemplo Saulis patet, conf. etiam *1. Sam. 10, 5. 6.* & *2. Reg. 3, 15.* Appoſitè huc facit, quod Muſices effectus tres conſtituit Ariſtoteles *8. Pol. 5.* & *ult.* ἡδονὴν, παι-

παιδείαν καὶ κάθαρσιν. *conf. Gell. 1: XI. & 4: XI. Lact. 6: XXI.* Atque cum *Muſica* cum *Igne* multum conveniat ut docet *S. Petit. V. Miſcell. c. IV. p. 86.* hinc & Spiritum S. Ignis ſpeciem aſſumſiſſe, non incognitum Chriſtianis. Muſica igitur etiam in Eccleſiis & Liturgiis optimo inſti- *Vetus mo-* tuto vetuſtiſſimoque recepta & ſervata eſt. Sed vera eſt *tior.* *Boëthii* obſervatio: *Verè pudens & modeſta Muſica fuit, dum ſimplicioribus organis ageretur: ubi verò variè permixteq́ tractata eſt, amiſit gravitatis atque virtutis modum, & penè in turpitudinem prolapſa minimum antiquam ſpeciem ſervat.* conf. *Cic. 2. LL. 177.* Et *Pancirollus* Muſicam *hodiernam* barbaram videri ait, præ veteri, quippe in qua nihil præter clamores, in priſca ſecus, *V. 2. Paral. 5. 13.* Sed & ſpiritus malignus hac vi abutitur, quo pertinet genus muſicæ, qvam *Sarabandam* vocant, Cinœdicam & mutam turpitudinem *Clemens. Alex. l. 2. c. 10* Flabella ventorum, quibus incendium concupiſcentiæ accenditur, *Chryſoſt. Homil. LX. in Geneſ.*

§. IIX.

Atque hæc de primario Objecto Meditationis, quâ *Hiſtoria-* ſapientia ſpiritualis augetur, ſub quo cætera omnia conti- *vis.* nentur. Inter quæ excellit lectio & meditatio *Hiſtoriæ Sacræ* & Eccleſiaſticæ. Nam ſicut Civilis Veterum Sapientia maxima ex parte inde fuit quæſita; unde *Dionyſius Halicarn. Proœm. Antiqv. Roman.* ait, Ἐν ἱστορίαις καθιδρῦσθαι τὴν ἀλήθειαν πάντες ὑπολαμβάνομεν, ἀρχὴν φρονήσεως τε καὶ σοφίας οὖσαν: *In Hiſtoriis Veritatem ac Prudentiæ Sapientiæque principia recondita omnes credimus.* Ita Sapientia quoque Chriſtianorum perfectior ex ſacris petitur Hiſtoriis & Eccleſiaſticis, ex quibus ſtatus atque fa-

ta tum Eccleſiæ omnis, tum ſingulorum Fidelium cognoſcuntur & cavenda agendaque addiſcuntur, inſtitutâ diligenti comparatione veteris ac hodierni Status tum publici tum privati.

§. IX.

II. Oratio & Converſatio cum Deo.

Alter modus conſervandæ unionis divinæ & augendæ ſapientiæ eſt ORATIO, ait Apoſtolus: ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ Κυρίῳ εὐχαριστοῦντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ Θεῷ καὶ πατρί. Nec ſola verbalis Euchariſtia ſufficit, ſed accedat & realis SS. Euchariſtiæ uſus frequens. Atque cum Perſeverantia in bono ſit ſpeciale donum DEI confirmantis, *Jerem. 32, 40.* ideò oratione & ſollicitatione, imò & interceſſione alterius pro altero opus eſt pro continuandâ gratiâ, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, *Luc. 22, 32. Joh. 12, 20. Matth. 26, 41. Philipp. 1, 9. Coloſſ. 1, 9. 10. Jud. v. 20. 21.* S. Auguſtinus *Serm. XVII. de Temp. & in Pſ. 85. Qui vult ſemper cum DEO eſſe, frequenter debet orare & legere. Nam quum oramus ipſi, cum DEO loquimur. DEUS autem nobiſcum loquitur, cum legimus. Ille verò beatiſſimus, qui Scripturam vertit in opera.*

§. X.

III. B. O.

Atque hoc ipſum quoque eſt tertium fortiſſimumque vinculum unionis conſervandæ inter Spiritum S. & hominem fidelem, nempe Exercitatio *charitatis* fraternæ, Unde *Gregorius M. l. V. Ep. CXXIX.* rectiſſimè de Mariniano Epiſcopo: *Non ſibi credat ſolam lectionem & orationem ſufficere, ut remotus ſtudeat ſedere, & de manu minimè fructificare, ſed largam manum habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam inopiam ſuam credat. Quia*

ſi

ſi hæc non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet. Ea verò conſiſtit ſummariè in hoc, ut alter alteri ſubſit, ait Paulus: ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Θεοῦ. h. e. ſe minorem altero judicet, nullam occaſionem alteri inſerviendi omittat, imò eandem mercetur, ἐξαγοράζῃ, ut loquitur hic Apoſtolus, h. e. non gratis, ſed oneroſo titulo acquirat occaſionem, nullam exſpectans compenſationem aut mercedem à proximo, ſed provocantes alter alterum ad charitatem & B. O. *Ebr. X. 24.* ſecundum regulam Perfectionis Chriſtianæ à Salvatore nobis relictam. *Matth. V. & VI.*

§. XI.

Hæc praxis & applicatio eorum, quæ ex Meditatione & Lectione addidicimus, anima & vita eſt omnis Sapientiæ, omniumque & meditationum & orationum Scopus debet eſſe præcipuus. Quibus vel imprimis quotidiana *mortis meditatio* accenſenda. *Pythagorei* aſſeruerunt tribus modis ſeipſo hominem fieri meliorem, primò *cum diis colloquendo*, τῇ ὁμιλίᾳ πρὸς τοὺς θεούς. Accedentem enim ad eos tunc potiſſimum ab omni ſe maleficio abſtinere neceſſe eſſe, & quoad ejus fieri poſſit, DEO aſſimilari. Deinde ἐν τῷ εὐποιεῖν, *bene de aliis merendo.* DEI enim hoc proprium eſſe, in eoque DEUM nos imitari. Denique ἐν τῷ ἀποθνήσκειν, *moriendo.* Sic enim animum, qui in vita ipſa eſt vitæ cauſa, paululum à corpore ſeparatum ſeipſo meliorem reddi, ſiquid in ſomnis per inſomnia, & in ecſtaſibus morborum, divinator ſit, multo ſanè tunc præſtantiorem ſeipſo futurum, cum jam poſtremò è corpore migraverit. *Photius Biblioth. p. 455. Gr. 712.*

CAPUT

CAP. X.

De

PERFECTIONE CHRISTIANA.

§. I.

De jure & privilegiis regenitorum transitus ad eorum obligationem & perfectionem. Præceptũ obligans.

VIdimus *jura* atque *commoda*, quibus Regeniti in novo Gratiæ & cum DEO reparatæ amicitiæ ſtatu, gaudent: reliqvum eſt,ut etiam de *onere* ac *obligatione* diſpiciamus, quâ Regeniti neceſſitate quadam devinciuntur agendi ſecundum voluntatem Dei. *1. Pet. 4,1. 2.3. 1. Joh. 1,6. c.3,23.24. Epiſt. Joh.3. Matth.5,19. c.7,21.* Inculcat hoc S. Paulus cum magna obſecratione omnibus Regenitis: παρακαλῶ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ θεοῦ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὸ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. *Rom. 12, 1.2.* Et hæc vocat *præcepta* & παραγγελίας, quas dediſſet διὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, *ab ipſo Mediatore noſtro Jeſu*, *1. Theſſ. 4,1.2.* quippe qui hanc ἐντολὴν καινὴν, & τὴν ἐντολὴν τὴν ἐμὴν appellat *Joh. 13,34. c.15,12.* eamqúe prolixè exponit, atque expoſitam perfectè obſervari præcipit *Matth. V. VI. VII.* Id eſt, quod ὀφειλέτας *debitores* nos vocat Apoſtolus *Rom. 8,12.* non carnis, ſed *Spiritûs*.

§. II.

R. dub. 1.

Ais: *Perfectionem* in ſtatu imperfecto non poſſe quæri,qvum vires & intellectus & voluntatis ita reparentur à ſpiritu regenerante, ut & cogitationes & ſermones & actiones quantumvis bonæ, tamen perfectæ dici non poſſint, qvum vires mentis non ita perfectè inſtaurentur,atque fuerunt

ſuerunt in ſtatu primævo perfectionis, unde etiam multum imperfectionis actionibus eſt admixtum, nec hæ ad normam juſtitiæ originalis & concreatæ exactè conformes fieri queunt. Verum eſt, quod objicis, ſed tamen negari nequit, & modò fuit demonſtratum, *ſtudium perfectionis* Chriſtianæ tum à Mediatore noſtro O. M. tum ab ejus Apoſtolis non commendari, ſed *præcipi*. Et ratio facit, qvum non poſſimus non ad id obligari, quod lex præcipit divina. At præcipit Chriſtus, ut ſtudeamus perfectioni & conformitati cum voluntate Patris noſtri cœleſtis. *R. dec.*

§. III.

Neque eſt, quod dicas, finem, qui impetrari non poteſt, fruſtra præcipi: Unde veriſimilius eſſe, non præcepta, ſed *conſilia* dari à Chriſto & Apoſtolis. Nam imò finis impetrari poteſt, & obligationi ad gradum perfectionis, ad quem quisque Regenitus obligatur, ab eodem „ſatisfieri per Gratiam Spiritus S. cuique impertitam: quæ qvum varia ſit nec eâdem menſurâ ac gradu omnibus conceſſa, igitur & inde dependens obligatio variat, & alius ad alium perfectionis gradum obligatur, omnes in quantum per datam gratiam valent. Ais denique, Obligationem iſthanc legis eſſe, iſtâ autem teneri Chriſtianos, cum horum libertate pugnare. Sed ne erres, ſciendum, & Lege primævâ atque per *Moſen* repetitâ hominem teneri ad perfectionem, & doctrinâ *Evangelicâ* ſeu lege charitatis Chriſtianæ. *R. dub. 2. Conſilia Evangel. R. dec. R. dub. 3. R. dec.*

§. IV.

Hæc *duplex obligatio* qvum probè diſcreta omnes dubitationis nebulas tollat, attendendum eſt, ad earum differentias, & primò quidem ratione *Cauſæ Efficientis* res eſt in propatulo, qvum altera à Lege DEI Creatoris primi- *Diff. inter obligationem Legis & Evangelii 1. Cauſ. Eff.*

genia homini in *ſtatu* perfecto poſitâ dependeat; altera eandem quidem Legem primævam pro Norma ſua agnoſcat, ſed non ἀμέσως & immediatè ab illa emanet, verum ab Evangelio & doctrina de Mediatore Chriſto in ſtatu reparationis & Gratiæ.

2. *Formâ* *Formâ* autem & ipſâ ita quidem differunt, ut obligatio Legis ſit neceſſitas abſoluta, quippe quæ *abſolutè* exigit actiones hominis etiam non regeniti tam internas quàm externas ad normam facultatis ac juſtitiæ originalis & concreatæ, ut ſalus obtineatur: At Obligatio Evangelica neceſſitat regenitum *ſecundum quid & hypotheticè*, ſcilicet ſecundum menſuram gratiæ & facultatis per regenerationem cuilibet datæ. Hanc Chriſtus parabolicè exponit *Matth. 25, 14. ſqq.* comparans eam obligationi ſervorum, quibus dominus diverſas diſtribuit ſummas, ut fœnori eas dent, & ſortem cum uſuris domino reſtituant. Ait: *Et huic quidem dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum;* ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν, *unicuique ſecundum propriam facultatem fœnerandi.* Et poſtea: ἔδει οὖν σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις, καὶ ἐλθὼν ἐγὼ ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ. Planè non abutatur quis hac ſententiâ ad ignaviam, quaſi ſibi non datum ſit à DEO eò perfectionis pervenire. Audiamus hic Salvianum *l. 2. adv. avaritiam, p. 250.* ait: *Nemini ad vitam perennem ſat eſt, ſi putet ſe habere quod non habet. Stultæ enim præſumptiones perditionis cauſæ ſunt, non ſalutis.* Nam qui ſe, *inquit Apoſtolus,* exiſtimat eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ſeipſum ſeducit. *Niſi fortè tibi, quæcunque illa es, revelatus à Deo modus ſit largitatis, & præſcriptos à Spiritu Sancto donandi terminos habeas, quos excedi piaculum putes, ac transgreſſionis quodammodo genus judices, ſi religioſior fueris quàm à DEO*

eſſe

eſſe jubearis. Si ita eſt, non prohibeo quin utaris ſcientia à divinitate conceſſa. Quòd ſi tam falſum eſt hoc quàm frivolum; quæ inſania eſt ut non quanta potes omnino facias per cautam & timidam proviſionem, cùm ignores penitùs quid tibi competat ad ſalutem?

§. V.

Denique & fine atque effectu cernitur differentia. 3.
Cum enim utrumq; & præmium obedientibus, & pœna inobedientibus proponat, *præmium* quidem *Legis*, impletâ obligatione, felicitas eſt & hujus & futuræ vitæ in ſtatu perfecto. *Fine & Effectu. præmiis* Iſta enim Lex vivificare poterat, & morti tradere, *Gen. I.* Sed qvum ex hoc ſtatu exciderit genus humanum, nemo finem hunc impetrare poteſt, nec obligationi iſti ſatisfacere. *Evangelium* verò præterquam quod docet aliud ſalutis æternæ Medium, Fidem in Mediatorem Chriſtum, etiam obligationis impletioni præmium poſuit, non Salutem ipſam, ſed *gradus gloriæ* in ſtatu futuro, in præſenti verò *gratiæ augmentum*, unde Paulus *1. Theſſ. 4, 1. accepiſtis à nobis*, τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν θεῷ, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον, ut abundetis magis. Et Salvator ipſe in parabola laudata: *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem. Omni enim habenti* (lucrum) *dabitur* (augmentum ſortis, gratiæ) *& abundabit: qui verò non habet* (lucrum) *etiam id* (ſors) *quod habet auferetur ab eo.* Eo ſenſu intelligendus ni fallor, Salvianus *l. 2. adv. Avarit. p. 256. Si opes non damus ob peccatorum redemtionem, demus ſaltem ad emendam beatitudinem; ſi non damus, ne damnemur, demus ſaltem ut remuneremur.*

§. VI.

At *pœnam* ob ſui contemtum *Lex* infligit miſeriam *Pœnis.*

& temporalem & æternam, hanc in ſtatu futuro certiſſimam: præſentis verò vitæ miſeriam per prudentiam humanam poſſe mitigari, & Salvator docet per parabolam mali diſpenſatoris, *Lucæ 16, 8.* & experientiâ quotidianâ conſtat, unde crebræ Bonorum querelæ de Malorum felicitate, *Pſ. LXXIII.* Contra Evangelii obligatio poſthabita ſive per neglectum gratiæ impertitæ & oſcitantiam in fide & charitate, ſive per defectionem temporariam, tum ærumnas atque caſtigationes temporales auget, *1. Cor. XI. 30.* tum minorem gradum gloriæ æternæ confert: Ad Gehennam verò ne ſaucia conſcientia transmittatur, ſuppetit remedium Pœnitentiæ & Renovationis quotidianæ. Porrò *apoſtaſia* plenaria & finalis ab Evangelio, id quod peccatum in Spiritum S. dicitur, æternam producit miſeriam, *Matth. XXV. v. 30.* Ex his igitur nunc liquidum eſt, Regenitos utique eſſe liberos ab obligatione primæva Legis Naturæ & Moſis, ad perfectionem primigeniam & concreatam, *Joh. 8, 32. Act. 15, 28. Gal. 2, 4. c. 5.* non item ab obligatione Evangelicæ doctrinæ de perfectione Christiana, neque hæc cum libertate Christiana pugnat, ſed imò ejus eſt effectus, *1. Cor. 11, 9. 10. c. 10, 32. Gal. 5, 6. Rom. 6, 22. 2. Pet. 2, 19.*

Miſeria vitæ hujus — *Crux* — *Libertas & Obligatio Chriſtiana compatib.*

§. VII.

Obligatio utraque in V. T.

Denique intercedit quoque circa utrumque obligationis genus differentia in utriusque Fœderis comparatione. In *Veteri* ſiquidem *Teſtamento* & Eccleſia Judaica urgebatur utique *obligatio Legis*, ſed non ad hoc, ut per eam quisquam primævum ejus finem, Salutem animæ, acquirat, *Gal. 3, 21.* nam & Veteres illos Fideles non niſi fide in Meſſiam ſalvatos docet Scriptura & *vid. Auguſtin.*

l. X.

l. X. de C. D. c. XXV. Verum ut agnitâ exinde imperfectione congenitâ manuduceremur ad quærendum Mediatorem & agnoſcendum Meſſiam, *Gal. 3, 23.* Quare nec defecit tum *Obligatio Evangelii* & *Gratia* regenitis, per circumciſionem impertita, de qua *totus Pſ. CXIX.* ſed *minor* per omnia *regulariter:* hinc conniventia Dei propter σκληροκαρδίαν, in Polygamia, Divortiis & aliis.

§. IIX.

Contra ea in *Novi Fœderis* ſtatu ceſſat *Obligatio Legis*, & abolita eſt, quatenus impletus finis ille in V. T. à Deo ſecundo intentus, Manuductionis ad venturum Meſſiam. *Gal. 3.* Atque hæc eſt ipſa libertas Chriſtiana. Cæterum *Obligatio Evangelica* hic major, quia & Gratia regulariter major, major intellectus illuſtratio, clariorque revelatio, fortior Spiritus S. aſſiſtentia in Voluntate contra σκληροκαρδίαν. hinc ceſſatio conniventiæ divinæ in Polygamiis, divortiis, fornicationibus &c. Chryſoſtomus *de Virgin. c. 44. Duas eodem tempore uxores habere, lex ſinebat, multaq; & in his & in aliis rebus erat temporum illorum indulgentia. At poſt Chriſti adventum multo arctior facta eſt via.* Et *cap. 94. Major nunc virtus oſtendenda eſt, quia multa nunc Spiritus oſtendenda Gratia & ingens donum eſt Chriſti.* Salvianus *l. 2. adv. avarit. p. 246. ſed quærit fortaſſe aliquis, quid ſit iſtud, quod nunc plus exigat Deus à Chriſtianis per Evangeliũ quàm à Judæis antè per Legem? Aperta iſtius rei ratio eſt. Ideo enim majora nunc Domino noſtro ſolvimus, quia majora debemus. Judæi quippe habebãt quondam umbram rerum, nos veritatem: Judæi fuerunt ſervi, nos adoptivi: Judæi acceperunt jugum, nos libertatem: Judæi maledicta nos gratiam: Judæi literam interficientem, nos ſpiritum vivificantem: Judæis ſervus magiſter miſſus eſt, nobis filius: Judæi per mare tranſierunt ad ere-*

in N. T.

mnum, nos per baptiſma introimus in regnum: Judæi manna manducaverunt, nos Chriſtum: Judæi carnes avium, nos corpus Dei: Judæi pruinam cœli, nos Deum cœli: qui cum, *ut Apoſtolus ait,* in forma Dei eſſet, humiliavit ſemetipſum usque ad mortem, mortem autem crucis: *non contentus ſcilicet ſimplicem pro nobis ſubire mortem, niſi ipſam voluntariæ necis ſuſceptionem ſummorum ſuppliciorum perpeſſione cumulaſſet. Pro hoc ergo ſolo quid ſolvere homo poterit, cui ſe per ultimam pœnarum acerbitatem Chriſtus impendit? Aut quid pro ſe dignum Domino repenſabit, qui ipſum Deo, à quo redemptus eſt, Deum debet? Hæc ergo cauſa eſt qua devotiores eſſe nos Dominus ſibi velit, quia tam magno devotionem noſtram pretio comparavit. Et ideo ait beatiſſimus Paulus:* Quis ergo, *inquit,* nos ſeparabit à caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? *Non Apoſtolus ſolam pecuniam nec ſolas debere à nobis divitias Deo dicit, ſed tribulationem, anguſtiam, famem, gladium, paſſionem, effuſionem ſanguinis, animæ exhalationem, mortem denique omni pœnarum genere conditam. Unde intelligant omnes religioſi, non ſatis ſe Deo reddere, etiamſi univerſas dederint facultates: quia licèt ſua cuncta diſpenſent, ipſos ſe tamen debent. Et ideo, ſicut ſuprà dicere cœperamus, ſi vidua eſt quſpiam, nequaquam ſibi ſufficere ad æternam ſalutem nomen viduitatis putet; ſed videat qualem eſſe in Apoſtolo viduam Deus jubeat, dicens:* Quæ verè vidua eſt, deſolata ſperat in Domino, inſtat orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis agit, vivens mortua eſt. *Uno eodemque præcepto duas Apoſtolus formas viduitatis expreſſit, unam vitæ, alteram mortis, cùm in deliciis mortem poſuit. Ergo abſque dubio divitem eſſe non vult*

quam

quam delitioſam eſſe non patitur, quia omnis fructus divitiarum in uſu eſt poſitus delitiarum. alioqui remoto uſu delitiarum, cauſæ opum non reliqvuntur. Cùm itaque Apoſtolus in delitiis viduæ mortem eſſe memoraverit, promptum eſt quòd ad vitæ æternæ fructum vult univerſa diſtribui, qui non vult ad mortis uſum aliqua reſervari. Et ideo dicit: Quæ verè vidúa eſt, deſolata ſperat in Domino. *docens ſcilicet parum eſſe ſi non ſit vidua delitioſa, non dives, niſi fuerit Deo adhærens, niſi orationi dedita, niſi à cunctis mundi inlecebris deſolata, & per hæc omnia verè vidua. Quod ſi ita eſt, quæcunque ſe vitæ cupit eſſe, non mortis, nequaquam ſufficere ſibi æſtimet ſi & delitias ſibi ob Deum & divitias abnegarit, niſi & oratione & labore id promeruerit, ut verè vidua Dei eſſe videatur. Quia non eſt dubium quòd quemadmodum quis in hoc ſeculo Chriſto adhæſerit, ita in Chriſti corpore permanebit, ſecundùm illud:* Adhæſit anima mea poſt te, me autem ſuſcepit dextera tua. *Quo declaratur quòd eam tantùm animam, quæ Deo adhæſerit in hoc ſeculo, dextera Dei ſuſcipiet in futuro. Hæc ergo viduitatis eſt regula. Nam de conjugibus continentiam profeſſis & ſpiritu Dei plenis dubitare quis debeat quin ſua heredibus mundanis ſervire nolint qui ſe ipſos mundo eliminaverint? Quomodo enim ad ſe pertinentia aliis addicant, qui ipſos ſe ſibi denegant? Tam nova enim virtute præditi, conceſſasque &, quod majus eſt, expertas corporum voluptates admirabili continentiæ auſteritate calcantes, quemadmodum aliquid rerum ſuarum non Deo voveant, qui ipſum intra ſe Deum eſſe fecerunt? Vt meo quidem judicio etiam de tali conjugio rectiſſimè dici poſſit:* Lætare ſterilis quòd non paris, erumpe & exclama quòd non parturis: quia multi filii deſertæ magis quàm ejus quæ habet virum.

Et

Et ſterile namque eſt quod non parit, & deſertum quod ab omnibus ſe mundi illecebris ſeparavit, & ſine viro quod ſine viri uſu ita virum habet, ut non habere videatur. Hos ergo conjuges tales quis dubitet, & dum vivunt, ſicut in ſe, ita etiam in ſuis ſubſtantiis Deo vivere, & cùm è vita exeunt, cum ſua ad Deum, cui vixerint, facultate migrare? Aliter enim quilibet horum, ſi res ſuas ſeculo dederit, atque ipſi ſeculo dereliquit, fruſtra ſibi nomen religionis inſcripſit, eique videtur ſemper vixiſſe cui moritur. De conjugibus itaque iſta ſufficiunt. Tranſeamus ad ſacras virgines, quibus legem devotionis Salvator ipſe præſcripſit; exemplo ſcilicet decem virginum, ex quibus fatuarum numerum puellarum ideo tantummodo dicit pœnis perennibus dandum, quia ſcit eis opus miſericordiæ defuturum. Quo dicto evidenter ſine dubio docuit quanti pretii judicarit largam miſericordiam, ſine qua dixit nec integritatem quidem ipſam virginum profuturam. Sed blandiuntur ſibi fortaſſe quædam, & ſufficere ſibi æſtimant, ſi, cùm multa ac magna in facultatibus habeant, ſaltem exigua largiantur. Nec ego abnuo, ut ſi ita ratio eſt, ita eſſe credatur. Parum detur, ſi parum dediſſe ſufficit. Sed ego ſufficere parum neſcio. Immo parum non ſufficere certò ſcio. Si aliter ipſæ ſciunt, apud ſe ipſæ ſciant. Ego unum ſcio, quòd Deus dicit extinctas fatuarum virginum lampadas, operum bonorum oleum non habentes. Sed tu, quæcunque es, habere te oleum abundè putas? Et illæ profectò, de quibus dixi, ſtultæ virgines ſic putabant. Niſi enim habere ſe credidiſſent, providiſſent ut haberent. Nam cùm poſtea, ut ait Dominus, mutuari velint, & omni ſtudio atque ambitione perquirant, abſque dubio etiam antè quæſiſſent, niſi eas habendi fiducia decepiſſet. Et tu itaque, quæcunque virgo es, vide ne ſic non habeas, licet habere te credas.

das. Ejuſdem enim nominis cujus illæ, ejuſdem profeſſionis es. Tu virgo es, & illæ virgines erant: tu præſumis te eſſe ſapientem, & illæ ſe eſſe fatuas non putabant: tu lumen habere lampadem tuam judicas, & illæ profectò lumen præſumptione futuri luminis perdiderunt. Nam & deo ſcribuntur aptaſſe lampades ſuas, quia illuminandas eſſe credebant. Et quid plura? Etiam emicuiſſe in eis quiddam luminis puto. Cùm enim ipſæ, ut legimus, extinguendas fortè lampadas ſuas reformidarent, habebant profectò aliquid quod verebantur extingui. Nec falſa opinio metuentium fuit. Extinctæ ſiquidem & obcœcatæ ſunt. Nihil enim profuit illi integritati quòd in ea lumen virginitatis apparuit, quòd ſubſtantia olei non ſuppetente defecit. Ex quo intelligimus id quod parum eſt quaſi nihil eſſe: quia non ſatis prodeſt illico extinguendum lumen accendi, nec juvat aliquid inluceſcere quod in ipſo ortu habeat occaſum, & ad hoc tantummodo habere initium viventis, ut poſſit finem habere morientis. Planè itaque lucerna opus eſt, ut lumen poſſit eſſe diuturnum. Nam ſi in lychnis ipſis, quibus ad breve tempus utuntur homines, langueſcit lumen ac deficit, niſi oleum largè fuerit infuſum; quanta tibi, quæcunque illa es, quanta tibi olei abundantia opus eſt, ut lucerna tua luceat in æternum? Nemini itaq; ad vitam perennem ſat eſt, ſi putet ſe habere quod non habet. Stultæ enim præſumptiones, perditionis cauſa ſunt, non ſalutis. Nam qui ſe, *inquit Apoſtolus*, exiſtimat eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ſeipſum ſeducit. *Niſi fortè tibi, quæcunque illa es, revelatus à Deo modus ſit largitatis, & præſcriptos à Spiritu ſancto donandi terminos habeas, quos excedi piaculum putes, ac transgreſſionis quodammodo genus judices, ſi religioſior fueris quàm à Deo eſſe jubearis. Si ita eſt, non prohibeo quin utaris ſcien-*

tia à divinitate conceſſa. Quòd ſi tam falſum eſt hoc quàm frivolum, quæ inſania eſt ut non quanta potes omnino facias per cautam & timidam proviſionem, cùm ignores penitùs quid tibi competat ad ſalutem? Atque hæc eſt Perfectio illa Chriſtiana, ad quam pervenire poſſumus, & hæc eſt Societas, in qua omnia inſunt, quæ putant homines expetenda: honeſtas, gloria, tranquillitas animi atque jucunditas, ut cum hæc adſint, Vita Beata ſit, & ſine his eſſe non poſſit, ut *Tullii* verba *in Lælio* noſtra faciamus.

CAPVT XI.

PERFECTIONEM CHRISTIANAM NON CONSISTERE IN OBSERVATIONE LEGIS ETIAM MOSAICÆ.

§. I.

Syncretiſmus.

CUm Zelotæ Judæi non ceſſarent perſequi Chriſtianæ religioni addictos, inventi fuerunt de ſecta præſertim Phariſæorum, Chriſtianam amplexi religionem, qui docerent: Fidei Chriſtianæ obſervationem Legis Moſaicæ eſſe conjungendam, ſi ſalvus quis eſſe velit, *Act. XV.* ut ſic effugerent perſecutionem Judæorum, quos propterea inimicos crucis Chriſti Paulus vocat, *Phil. 3, 18.* aſſentatores & blandiloquentes, *Rom. ult. 18.* Superiori ſeculo hi, qui duas diſcrepantes doctrinas conciliare in unam nitebant-

bantur, *Interimiſtæ*, hodie *Syncretiſtæ* vocari conſveverũt. Etſi verò *Syncretiſmus* propriè de illo Cretenſium perpetua diſſidia domeſtica inter ſeſe alentium, contra externos tamen hoſtes ſubinde conſpirantiũ more, dictus olim, teſte *Plut. de Fratern. Amor.* Μιμούμενον αὐτό γε τοῦτο τῶν κρητῶν, οἱ πολλάκις στασιάζοντες ἀλλήλοις, καὶ πολεμοῦντες, ἔξωθεν ἐπιόντων πολεμίων, διελύοντο, καὶ συνίσταντο. καὶ τοῦτο ἦν, ὁ καλούμενος ὑπ' αὐτῶν Συγκρητισμός. *imitantem hoc Cretenſes; qui, ſæpe ſeditionibus, ac bellis civilibus, agitati ſi invadant hoſtes externi, pacem faciunt, ac ſe jungunt. Et eſt iſte, qui ab ipſis Syncretiſmus dicebatur.* tamen *abuſivè* de confuſione & commixtione, novâ vocabuli etymologiâ, dici nuper cœpit, non tam à Cretenſibus, quàm à συγκεράσει & commixtione: quomodo enim ἄκρατος, ἀκρατίζω, ἀκρατισμὸς dicitur, pro ἄκρατος porrò apud Homerum etiam ἄκρητος. ita & pro σύγκρατος, σύγκρητος, & inde συγκρητίζω & συγκρητισμὸς, *confuſio, commixtio, temperatura*, Analogiâ Grammaticâ haud invitâ dici potuit. Phil. Melanchth. *ad Camerar. A. 1531. Non. Mart.* ſcribit: *De Concordia Taurica etiam arbitror iſthic ſermones parum commodos ſeri. Integra nobis res eſt, & illum fucatum & ementitum* συγκρητισμὸν, *ſic enim videbatur, ſcias nos non accepiſſe, hoc te velim Spenglero dicere.*

§. II.

Porrò ut Deus Spiritus eſt puriſſimus, ita Formulam ſalutis homini ſemel revelatam, puram vult ſervari, *1. Joh. 3,3.* nihilque ex adverſarii ſui principiis admiſceri, *2. Cor. XVI 14. ſqq. Luc. XVI. 13.* Igitur interpretationes & Abuſus Formulæ in Scripturis S. revelatæ originem, aut ſcopum habentes ἢ ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς, ἢ τὴν τῶν ὀφθαλμῶν ἢ τὴν ἀλαζονείαν τοῦ βίου, nefas eſt admiſceri, *1. Job.*

2,16. ſub crimine Idololatriæ *Rom. 16,18.* id enim eſt *fœdus facere cum diis alienis, Exod. XXIII.* graviusque peccatum ſimplici Gentilium idololatriâ, *Ezech. V. 6. c. XIV. 4. c. XX. 39. c. XLIII. 8.* Et quamvis in impura fieri poſſit, ut Salus quoque obtineatur, id tamen primò non fit niſi ὡς διὰ πυρὸς tanquam ex periculoſiſſimo incendio qvum quis eripitur, *1. Cor. 3, 12-15.* deinde ex pura in impuram tranſire velle propter bonum iſtud mundi triplex, eſt amare periculum, & duobus dominis ſervire velle. Quamobrem conficitur, Religionem impuram omnibus eſſe vitandam modis. Id quod & Domini eſt voluntas *Matth. VII. 15. ſqq.*

§. III.

Gal. 3, 23. ſqq. Cum igitur & *Galatarum Eccleſia*, à S. Paulo in Religione orthodoxè informata, à Syncretiſtis Judaicis ſeduci ſe ferè paſſa fuiſſet, Apoſtolus eam inde per Epiſtolam graviſſimè revocat, demonſtrans Eccleſiam Chriſtianam ad religionem Judaicam & Legem Moſis obſervandam, obligatam non eſſe. Rationem duplicem affert, unam *è natura Obligationis* petitam, alteram à forma & inſtitutis Legis Moſaicæ. De illa ait: *Obligationem ad obſervandam*
v. 24. *Legem Moſaicam* quatenus παιδαγωγὸς hæc eſt, *fuiſſe temporariam*, quippe cujus finis non fuerit Salutis acquiſitio ex illa, ſed cuſtodia, pædagogia, & manuductio ad Religio-
v. 23. nem Chriſtianam & Fidem de Meſſia jamtum nato; ita ut hinc conficiatur: quæcunque Religio & ad eam obligatio, non propter ſe, ſed propter aliam eſt inſtituta, ut qui in iſta inſtituuntur, ad hanc præparentur, illa ceſſat ſimul atque officio ſuo functa eſt, & ad poſteriorem ac perfectiorem religionem auditores perducti ſunt. Qvum autem Religio Judaica & obligatio Legis Moſaicæ talis ſit,

igitur

igitur eatenus jam ceſſet, neceſſe eſt, poſtquam Fides venit, & Religio nova de nato jam Chriſto inſtituta eſt: itaque Chriſtiani non obligantur amplius ad illam eatenus obſervandam, ſed omnes ſunt à DEO per Fidem & Baptiſmum, non per Legem & circumciſionem ſine omni discrimine, Judæorum & Gentium, Chriſto inſerti & heredes Promiſſionis de Salute æterna redditi. *v. 25.* *v. 26. 27.*

§. IV.

Altera decidendi ratio petitur *ex natura Legis Moſaicæ & Evangelii;* In qua Religione diverſo jure veniunt Judæi & Græci ſive aliegenæ, ſervi & liberi, mares ac fœminæ, illa non poteſt miſceri religioni iſti, quæ talem diverſitatem non admittit. Qvum porrò manifeſtum ſit, talem eſſe Religonem Moſaicam, conſequens eſt, eam cum Religione Chriſtiana ſtare ſimul non poſſe. Illud obſerves: Quod hodie in Eccleſia Chriſtiana dicimus *Uſum Legis pædagogicum*, non idem eſt, quod hîc Paulus ait, Legem Moſis eſſe pædagogum & abrogatam: ille enim uſus conſtabat in obſervatione & actione ſive *praxi* maximè Ceremonialis atque Typorum, & ceſſavit inſtitutâ Religione novâ Chriſti nati; hic verò uſus Legis, & quidem Moralis, *theoricus* eſt, & adhuc durat & ducit ad agnitionem peccatorum, eſtque pars theorica ejus de quo Apoſtolus. *v. 28.* *Uſus Legis pædagog. hodie.*

CAPUT XII.

PERFECTIONEM CHRISTIANAM CONSISTERE IN OBSERVATIONE HONESTATIS EX NATURALI ET REVELATO LUMINE DIVINO COGNITÆ.

§. I.

Cap. XII. ad Rom. reſol. & cum Cic. de off. collat.

1. Virt9 erga Deum & ſeipſum

ID quod Paulus *ad Rom. XII.* divinè planè expoſuit. Cum enim capitibus ſuperioribus luculentè admodum pertractaſſet dogmata Fidei & theoriam Chriſtianam, *cap. XII.* ad alteram pergit partem Prudentiæ Chriſtianæ, Practicam & Moralem, de Officiis Chriſtianis, atque quatuor Virtutes Cardinales Chriſtianas proponit. Ac primò quidem Virtutem erga Deum ac ſeipſum. *v. 1-8.* h. e. Pietatem & Cultum divinum practicum, atque Modeſtiam ac *Decorum Chriſtianum.* Equidem egregia ſunt præcepta, quæ *M. Tullius* ex Naturæ lumine hauſta *de officiis* vitæ civilis conſcripſit, ſed cum verum Dei cultum & cum Deo amicitiam Gentilis ignoraſſet, manca hic eſt ejus doctrina & capite ipſo minuta. Specioſa erant, quæ Chriſtiani Judaiſantes de retinenda Lege Moſaica, ut antea diximus, contendebant, & de non abjiciendo Cultu Divino Levitico, utpote ab ipſo Deo ſolenniſſimè inſtituto & in æternum manſuro, *Jerem. XXXIII. 18. 21.* diſputabant.

Sed

Sed refutatâ hac hæreſi, Apoſtolus aptiſſimâ συναφείᾳ graviſſimè adhortatur non fulminando, inſtar Moſis, ſed ut decet Doctorem Evangelii, obſecrando per infinitas DEI miſericordias & beneficia, quibus homines ad ſe rectè colendum allicit, ad verum Cultum divinum, qui non conſtet, ut Gentiles & Judaiſantes opinati, in Victimarum oblatione, quæ Fide deſtituta ac Promiſſione divinâ, ab objecto, & Materia, Fineque verè Irrationalis cultus cluit: ſed in hoc, ut ſit mens ſancta in corpore Sancto. h. e. ut mens regenita corpus offerat DEO, tanquam hoſtiam incruentam, ita ut Spiritus S. Menti unitus per corpus ſanctum ſancta opera exercere queat, quam λογικὴν λατρείαν appellat & Chriſtianis propriam.

§. II.

Cum igitur in Cultu Dei vero indagando non conformitatem & σύγκρασιν aliquam cum opinionibus ſeculi hujus, quæ ex ratione corrupta & à Deo abalienata originem trahunt, quærere habeamus, itaque docet Apoſtolus divinitus Normas duas, ad quas ſi actiones noſtras compoſuerimus, pro gratia in regeneratione conceſsâ, Deum iis ſemper ritè colemus. Quo ipſo porrò non tantum modum oſtendit, quomodo erga Deum nos rectè geramus, ſed etiam quâ ratione erga noſmetipſos, in illa quidem parte Honeſtatis, quam DECORUM appellant Philoſophi ſaniores, in qua verecundia & quaſi quidam ornatus vitæ, temperantia & modeſtia, omniſque ſedatio perturbationum animi & rerum modus cernitur, ut loquitur *Cicero I. de off.* Atque ut hic idem paulopoſt, *decori* hujus deſcriptionem duplicem exponit, nam & *generale* quoddam *Decorum*, ait, *intelligimus, quod in omni Honeſtate*

v. 2.

Decorum

te

te verſatur, & quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differat: & ſpeciale, quod pertineat ad ſingulas partes honeſtatis, & ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio & temperantia appareat cum ſpecie quadam liberali: Ad eum ferè modum etiam Apoſtolus τὸ πρέπον Chriſtianum duplex eſſe innuit, unum generale, quod in omnibus actionibus tam erga Deum, quàm in noſmetipſos & proximum obſervandum: alterum ſpeciale, quod in ſingulis vitæ Chriſtianæ officiis moderationem facit cum ſpecie quadam liberali, Deoque grata.

§. III.

Voluntas bona placens perfecta.

Quod Philoſophi Naturam & Rationem, præſtantiamque, quâ antecellimus beſtiis, in Decoro, ut ita dicam, Humano, appellant, id in Decoro Chriſtiano dicimus τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν, τὸ εὐάρεστον, τὸ τέλειον, cujus quippe cognitione non beſtiis, ſed hominibus cæteris longè antecellimus. Ut enim ſecundum Philoſophos, duabus quaſi à Natura induti ſumus *perſonis*, quarum una eſt *communis*, ex eo, quod omnes participes ſumus rationis, à qua omne honeſtum decorumque trahitur; altera autem quæ propriè *ſingulis* eſt attributa: ita etiam Regeniti & renovatâ per SS. Spiritum mente transformati in alios quaſi & novos homines, duabus à Deo regenerante induti ſumus perſonis, quarum una communis eſt, ex eo, quod omnes Regeniti participes ſumus revelatæ divinæ voluntatis, à qua omne honeſtum decorumque Chriſtianum trahitur: altera autem, quæ propriè ſingulis eſt attributa, prout cuique Deus partitus eſt μέτρον πίστεως dona Gratiæ peculiaria.

§. IV.

Generalis igitur hæc de priori tenenda eſt præceptio: Omnis regenitus Deum rectè culturus, in omnibus actionibus ſuſcipiendis ante omnia debet probare, quæ ſit voluntas divina circa tale negotium, num iſthæc actio & iſte modus agendi, quem intendit, conformis ſit divinæ voluntati. In hoc enim conſiſtit Prudentia Chriſtiana, *Eph. V. 7.* Porrò τὸ θέλημα θεοῦ *triplex* quaſi conſtituit Apoſtolus, non quaſi Voluntas Divina ſimpliciſſima totidem diſtinguatur differentiis, ſed quod objecta & actiones, ad hanc normam dirigendæ, totidem recipiant *gradus*, usque ad perfectionem Chriſtianam perveniatur. Eſt enim, quod *per ſe* divinæ voluntati eſt *conforme* quidem, ut matrimonium, Miniſterium ſacrum Magiſtratus &c. atque hoc appetere, ἀγαθὸν eſt & καλὸν, *1. Tim. 3, 1. add. Cic. 1. off. 15.* Sed qvum non ſatis ſit, ut hoc fiat, ſed requiratur quoque, ut rite, & eo, quo Deo placet *modo* fiat, vero fine, & mediis honeſtis, ideò etiam indagandum eſt τὸ εὐάρεστον. Denique qvum plura *liceant*, quæ tamen non expediunt, & multa affectemus, à quibus imbecillitate humanâ & carnali reſilimus, hinc attendendum tandem etiam eſt τὸ τέλειον ſecundum divinam voluntatem. Eſt enim hæc perfecta virtus, *& licitis abſtinuiſſe bonis. conf. Matth. V. 39. 1. Cor. VII. 35. ſqq. Rom. IX. 18. 1. Cor. X. 23.* 1. *Reg.*

§. V.

Ex generali hac norma ſequitur porro *Specialis*, de cujusque Fidelis *dono* & officio *particulari*, quod varium eſt & multiplex. Unde hæc præceptio: Omnis regenitus Deum rectè culturus, in omnibus rebus gerendis & obeundo munere ſuo, indagare & explorare debet, quan- *v. 3.* 2. *R.*

tum Deus ipſi partitus ſit gratiæ & donorum ad hoc illudve præſtandum. Ait Apoſtolus: λέγω γὰρ, quæ particula connectit generale & ſpeciale. διὰ τῆς χάριτος τῆς &c. adhortatur non generatim per Miſericordiam Divinam, quæ communis omnibus, ſed vi ac virtute Apoſtolicæ poteſtatis & gratiæ extraordinariæ. atque ad hanc provocare opus erat in re tum temporis in Eccleſia controverſa. Cum enim omnes Gratiam generalem accepiſſent, ſingulos etiam ad ſingula munia aptos eſſe, erant qui contenderent, *1. Cor. XII. 3. 4.*

§. VI.

Dona Specialia. Ait: ἑκάστῳ, de ſingulorum enim donis peculiaribus loquitur. Diſtinctio enim utique adhibenda eſt inter donum generale Fidei & Charitatis, & ſpecialia, quæ diverſimodè diſtributa cernuntur, qua de re ſuperius. Qui ergo omnia dona ſe habere & in omnibus æquè excellere ſe putat, atque ut πολυπράγμων in quævis officiorum genere ſeſe intrudit, is arroganter de ſe ſentit, & ſupra quàm oportet. Quilibet itaque de ſe ſentire debet modeſtè, & quod non unus omnia acceperit dona: Enimverò Chriſtus ſine menſura accepit dona à Patre, ſed Chriſtiani ſinguli ſecundum *menſuram* doni à divino beneplacito de-

v. 4. pendentis, *Eph. IV. 7. 1. Cor. XII. 7. 11. 18. 25, 26.* Ut enim in donis naturæ non omnia poſſumus omnes, & ut *Tullius 1. off. 21.* ait: *Ut in corporibus magnæ diſsimilitudines ſunt, alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere; itemque in formis aliis dignitatem ineſſe, in aliis venuſtatem:* Sic in animis exiſtunt etiam majores varietates. καὶ ὁ μὲν πρὸς πολιτείαν, ὁ δὲ πρὸς πόλεμον εὐφυέστερος, *ait Plut. in Præceptis Polit. conf. Lipſ. 3. Pol. 10, 14.*

§. VII.

§. VII.

Atque veluti in uno corpore, quæ verba Apoſtoli h. l. ſunt, membra multa habemus, ſingula autem non eidem negotio à natura deſtinata ſunt: Ita etiam Regeniti, qui plures ſumus, unum corpus Chriſti myſticum & unam Eccleſiam internam conſtituimus, ſinguli porrò invicem rationem membrorum, alius ad alium, habemus: Excellimus autem non omnes eodem dono, ſed variis atque diverſis, prout divinæ gratiæ fuit viſum, cui nihil attinet repugnare, nec quicquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Suum igitur quisque noſcat ingenium, acremque ſe & bonorum & vitiorum ſuorum judicem præbeat: ne ſcenici plus quàm nos videantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatas fabulas eligunt. Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, tam gratià, quàm natura, in iis potiſſimum elaborabimus, ut rurſus cum *Tullio* loquamur, atque ita & voluntatem divinam ſpecialem, ratione ſuæ quisque perſonæ ſtudiosè inveſtigabimus.

v. 5. *v. 6.*

§. IIX.

Dona porrò ſpecialia recenſens Apoſtolus, adjicit cuilibet τὸ πρέπον & genuinam Deoque gratam & proximo expedientem attemperationem. Dono *Prophetiæ* qui excellit, h.e. interpretandi Sacram Scripturam, ſenſum genuinum eruendi, & heterodoxiam diſcernendi, de quo *Cap. VII.* is ita ſe gerat, ut ſecundum *analogiam Fidei*, & Formulam divinitus ſemel revelatam, tanquam ad normam divinam, intérpretatio fiat, & eloquatur Scripturam non ut hominum ſermones, ſed ὡς λόγια θεοῦ, ut S. Petrus hanc rem effatur *1. Ep. IV. 11.* Luculentius Paulus *1. Tim. I. 13.* explicat, ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ ἐν X. I. Quod h. l.

Prophetia. *Norma interpr. S. Script.*

Fidem appellat, id illic ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, formã & modulum ſanorum ſermonem, quos ipſe docuerat, quorum ſumma: *Fides in Chriſtum & Charitas*. Id. *1. Tim. VI, 3.* τὴν κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίαν, *Sobriam Theologiam* vocat. & *ad Tit. 1, 19.* τὴν διδαχὴν appellat hanc normam κατ' ἐξοχὴν, ait, Epiſcopum oportere eſſe ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ῇ καὶ παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Fundamentum igitur & Norma ſobriæ interpretationis S. Scripturæ eſt Doctrina Evangelica & Apoſtolica de Fide in Chriſtum & Charitate Chriſtiana. Quæ huic normæ non eſt analoga & conformis, illâ Deus non colitur, ſed arrogantis eſt imperiti, inſanientis circa diſputationes ſcholaſticas & otioſas, & quæ nil niſi invidias pariant & maledicentias, *1. Tim. VI. 4. 5.* Perſpicitur hinc ſat clarè, quàm non ſit ſatis, ſi Theologi orthodoxam doctrinam contra adverſarios propugnant ſcriptis ſat multis, id quidem per ſe ἀγαθὸν, ſed tamen non ſtatim εὐάρεστον coram Deo, niſi fiat ſecundum analogiam Doctrinæ Apoſtolicæ; quæ verò non de Fide ſolà, ſed & de Chritate agit & ut refutatio κατ' εὐσέβειαν fiat, requirit: Si ergo ſic ſe gerunt, ut ſcripta eorum contentiones augeant, maledicentias, & ſcurrilitates foveant, non placent Deo, & habentur pro his, qui Pietatem πορισμὸν judicant, *1. Tim. VI.*

Confert. de Diſp. Theol.

§. IX.

v. 7. *Διακονία.*

Sed ad textum. Ait: εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ. Eadem vox ſemel munus notat, deinde dexteritatem peculiarem illud obeundi. de quo *Act. VI. 1. Tim. V.* Hoc munere ornatus, ὑπηρέτης vocatur *Act. XIII, 5. XV. 37. 38. 2. Tim. IV. 11.* isque ita ſe gerat, ut non titulotenus, ſed re-

ipſa

ipſa & ſedulò officio incumbat ſuo, ex virtute, quam ſuppeditat Deus. *1. Pet. IV. 11.* ne numerus ſit inter κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Pariter & ὁ διδάσκων, qui dono docendi & catechiſandi pollet, *1. Cor. XII. 28. 29. c. XIV.* ἐν διδασκαλίᾳ, in ipſo obeundo munere ſimilem ſe præſtet.

§. X.

Ait: εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν τῇ παρακλήσει. ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι. ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ· ὁ ἐλεῶν ἐν ἱλαρότητι.

Ὁ παρακαλῶν, qui peculiari Exhortandi, excitandi, conſolandi dono inſtructum ſe ſentit, in eo ſe exerceat, & ſtrenuè ſe gerat, nullam occaſionem de proximo ſic demerendo omittens. ὁ μεταδιδοὺς, qui non minus fortunis, quàm animo liberali præditus eſt præ aliis, elargiatur in ſimplicitate, non pompâ Phariſaica, *Matth. VI. 1.* εὐμεταδότους tales appellat Apoſtolus *1. Tim. ult. 18.* Ὁ προϊστάμενος, qui facultate & munere gubernandi alios gaudet, quæ κυβέρνησις dicitur *1. Cor. XII. 28. 1. Tim. V. 17. 1. Theſſ. ult. 12.* ἐν σπουδῇ; ad rem gerendam enim, qui accedit, caveat, ne id modò conſideret, qvàm illa res honeſta ſit: ſed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipſo conſiderandum eſt, ne aut temerè deſperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus negotiis priusquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens. Ὁ ἐλεῶν. miſeremur & miſeris, & his, qui offensâ pœnas debent. Hoc manſuetudinis, illud Liberalitatis ſpecies eſt, quæ *Officioſitas* dicitur à τῷ μεταδιδόναι diverſa. Beneficentiæ enim duplex ratio eſt, nam aut *operâ benignè fit* indigentibus, aut pecuniâ. Facilior eſt hæc poſterior, locupleti præſertim: ſed illa lautior, &

Solator. *Liberalis.* *Imperans* *Cic. I. off.* *2. Off.* *Officioſus.*

ſplendidior, & viro forti, claroque dignior. Hæc igitur cum non ex arca, ſed ex virtute depromatur, non moroſo aut invito animo, ſed ſerenâ fonte fieri debet.

§. XI.

Clemens. Porrò ſunt etiam quædam officia adverſus eos ſervanda à quibus injuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus, atque haud ſcio, *præclare inquit Tullius*, an ſatis ſit eum, qui laceſſierit injuriæ ſuæ pœnitere: ut & ipſe ne quid tale poſthac committat, & cæteri ſint ad injuriam tardiores. Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementiâ. In liberis verò populis, qualis eſt Chriſtianorum, & in juris æqualitate exercenda etiam eſt facilitas & altitudo animi, quæ dicitur, ne, ſi iraſcamur aut intempeſtivè accedentibus aut imprudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem & odioſam incidamus. *Matth. V. 5. ſqq. 22. ſqq.*

§. XII.

Atque ita tam generatim, quàm ſpeciatim docuit Apoſtolus, quomodo divinus cultus ritè & ad placitum DEI O. M. in omnibus actionibus inſtituendus ſit. *Magnanimus.* Quò etiam pertinet, quomodò τὸ πρᾶον *in rebus adverſis* ſectemur, & tam erga noſmet, quàm erga DEUM nos *Phil. 4, 6.* geramus: id cumprimis Apoſtolus *ad Phil. IV. 4. 8.* exprimit, & quaſi ſummam quondam officiorum Chriſtianorum docet: ſemper & continuo in DOMINO eſſe gaudendum & rectè factorum ſuorum conſcientiâ, neque de ulla re adverſa aliter ſollicitos eſſe debere, niſi hactenus, ut verâ fiduciâ Deo noſtro rem exponamus, ejusque directioni committamus, adjectâ peccatorum deprecatione & beneficiorum anteriorum repetitione: Hac re fore, ut conſcientia in Deo pacifica & tranquilla contra

omnes

omnes intellectum obtenebrantes caſus perduratura ſit, & Deus directurus & ſervaturus ſit intellectum & voluntatem, omnesque cogitationes & actiones noſtras in vera via regiâque. Μηδὲν μεριμνᾶτε, ἀλλ' ἐν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ μετ' εὐχαριστίας τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν θεόν, καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν χριστῷ Ἰησοῦ.

§. XIII.

Sequitur doctrina de virtutibus *erga Proximum*, potiſſimum: & primò omninum de *Charitate Chriſtiana* ait: ἡ ἀγάπη, ἀνυπόκριτος. *Dilectio ſit non ſimulata.* Ut enim ex naturæ lumine docemur, quod ſit quædam latiſſimè quidem patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes ſocietas: in qua omnium rerum, quas ad communem uſum hominum natura genuit, eſt ſervanda communitas, ut quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur cuique, vel ignoto: Ita hoc ipſum maximè inculcat Chriſtiana Religio, ut proximum non tantum diligamus, ſed & ſincerè & ſine hypocriſi. *Proximus* autem quilibet, qui noſtrâ ope & amore indiget, vel ignotus & à Fide alienus, ut Samaritanus in Evangelio. Atq; h.e. τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν quod πᾶσιν ἀνθρώποις reapſe innoteſcere debet, *Phil. 4, 5.* Ait: ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ. Charitati contraria eſt Hypocriſis, Diſſimulatio & machinatio malitioſa ad ſubdolè fraudandum proximum, ἡ πονηρία, *Matth. XXII. 18. Luc. XI. 39.* ex qua & levitas *jurandi*, & dicta ſua ſpontè jurej. confirmandi, aut at jusj. facilis oblatio, *Matth. V. 33.* quæ Chriſtiano fugienda, contra verò Cha-

II. de Charitate communi.

Diſſimul. fraudul.

Charitati,ut dono optimo maximo *1. Cor. XII. & ſqq.* velut agglutinatis adhærendum.

§. XIV.

Charit. Frat. *Cic. I. Off.* Porrò de Charitate communi ad *Charitatem Fraternam* pergit: τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι. Cum omnia ratione animoque luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior,nulla charior,quàm ea, quæ cum Republ. eſt unicuique noſtrum. Chari ſunt Parentes, chari liberi, Propinqui, Familiares: ſed omnes omnium charitates Patria una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere,ſi ei ſit profuturus? In ipſa autem communitate ſunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique præſtet,intelligi poſſit: ut prima Deo immortali, ſecunda Patriæ,tertia Parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur. Certè non multum diſſona à Fide Chriſtiana ſunt illa,quæ M. Tullius hic diſſerit: Nam etiam Fides noſtra præcipit, Parentes aut liberos non eſſe præ Chriſto amandos, *Matth. X.37. Luc. XIV.26.* & præ Chriſti Eccleſia,*communi Patria Spirituali*, cujus *lex fundamentalis* eſt de Charitate mutua Fidelium inter Fideles, *Joh. XIII.34.* Ad hanc ſecundo loco adhortatur Apoſtolus, non quod non ſit prior Charitate communi,ſed quia reſtrictior. Et qvum Patriæ atque Parentum liberorumve charitas maxima ſit, hujus proprium appellamentum φιλοστοργίας huic Fraternæ charitati bellâ cum emphaſi vindicat. Ait: τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι. Charitatis fraternæ tum multæ variæque ſunt ſpecies, tum communis & neceſſaria maximè, ut honore alius alium præveniat, vel ut S. Petrus loquitur *1. Ep. V.5.* ut omnes alius alii viciſſim ſubjiciamini. Maximè,*inquit Tullius*, curandum

cum, ut eos, quibuſcum ſermonem conferimus,& vereri & diligere videamur.

§. XV.

Pergit Apoſtolus de Sedulitate in officio: τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί. τῷ πνεύματι ζέοντες. Studio in obeunda functione ſeduli ſunto, ferventes ſpiritu,& flagranti pectore fungentes officio. Cum enim hoc pendeat à ſingulari cujusque dono,regulariter natura quidem illud incipit, ſed gratia Spiritus divini inhabitans dirigit,& exercitatio ſedula perficit; quare Apoſtolus vetat, Spiritum extingui, *1. Theſſ. ult. 19.* Ait: τῷ καιρῷ δουλεύοντες. Potiſſimum hujus officii in captanda occaſione & diſcernendis temporibus poſitum eſt. Incidunt ſæpe tempora, cum ea, quæ maximè videntur digna eſſe juſto homine, eoque, quem Virum Bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria. Itaque nec iidem erunt neceſſitudinum gradus, qui & temporum; ſic multa, quæ natura honeſta videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta. Redimenda igitur tempora ſunt, *Eph. V. 16. Gal. ult. v. 10.* ut officio noſtro nullo unquam tempore defuiſſe videamur, *Col. IV. 5.* Nullum enim eſt tempus,quod juſtitia & B. O. vacare debeat. Aliquot Codd. MSS. pro καιρῷ legunt κυρίῳ. Verum de cultu divino in prima capitis parte jam ſatis dictum,quare & Lectio veterior, verior. Contraria tamen ab interprete Gallico recepta.

Sedulitas.

Captatio temp.

Cic. I. Off.

§. XVI.

Τῇ ἐλπίδι χαίροντες. τῇ θλίψει ὑπομένοντες τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες. ταῖς χρείαις

τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες. τὴν φιλοξενίαν διώκοντες.

Magnanimitas. De *magnanimitate*, fortitudine & liberalitate Chriſtiana præcipit. Intelligendum eſt enim tum in omni viro Bono, tum maximè, in homine Regenito, ſplendidiſſimum videri, quod animo magno elatoque, humanaſque res deſpiciente factum ſit. *Cic. I. Off.* Omnino autem fortis animus & magnus duabus rebus maxime cernitur, quarum una in rerum *externarum deſpicientia* ponitur: altera ut res *geras* magnas illas quidem & maximè utiles, ſed vehementer *arduas* plenaſque periculorum. Illud porrò prius in duobus cernitur: Nam & ea, quæ eximia plerisque & præclara videntur, ut ſunt omnia *præſentis ſeculi bona*, parvi ducere, eaque ratione ſtabili firmaque *contemnere:* contra ea, futuris venturi ſeculi bonis ſpe gaudere, fortis animi, magnique ducendum. Ea verò, quæ videntur *acerba*, quæ multa & varia in Chriſtianorum vita, fortunaque verſantur, ita *ferre*, ut nihil à ſtatu gratiæ diſcedas, nihil à dignitate Regeniti, hoc robuſti animi eſt, magnæque conſtantiæ. *Matth. V. 10. 11-16.* Quam ipſam denique ob rem valdè neceſſarium Chriſtiano, aſſiduæ invocationi pro divina aſſiſtentia ac propugnantia, inſtare.

§. XVII.

v. 14. *Volupt.* *Avaritia* Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangitur, eum frangi *cupiditate:* nec qui invictum ſe à labore præſtiterit, vinci à voluptate. Quamobrem & hæc vitanda ſunt, *Matth. V. 27.* & pecuniæ fugienda cupiditas. *Cic. I. Off.* *Matth. VI. 19. ſqq.* Nihil eſt enim tam anguſti animi, tamque parvi, quàm amare divitias: nihil honeſtius, magnifi-

gnificentiusque, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Sed in collocando beneficio hoc maximè officii eſt, ut quisque maximè opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari. Quod contra fit à plerisque. à quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſerviunt. Optimè autem ſocietas hominum conjunctioque ſervabitur, ſi, ut quisque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed cum omnium ſocietatum nulla præſtantior, nulla firmior, quàm cum viri boni, moribus ſimiles, familiaritate conjuncti ſunt, utique firmiſſima omnium ſocietas & communio Sanctorum inter Sanctos, Spiritu SSancto conjunctorum iisdemque moribus divinis conſociatorum eſt.

§. XIIX.

Atque cumprimis hic conſpicua eſt *Hoſpitalitas*. Sicut enim, ut *Tullio* viſum noſtro, valdè decorum eſt, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus: ita etiam Chriſtianorum, Chriſtianis, qui veri Illuſtriſſimatus dignitate divinitus decorati φαίνονται ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ. *Phil. 2,15*, atque ut illud Reip. etiam eſt ornamento, ita hoc Eccleſiæ. Et utrumque valdè utile eſt hactenus iis, qui honeſtè, & in ſalutem Reip. & Eccleſiæ multa poſſe volunt, per hoſpites apud exteros valere opibus & gratia. Legimus eâ ratione quosdam etiam inſcientes in Angelos hoſpitales fuiſſe, *Ebr. XIII. 2.* & apud Deum ipſum gratiâ & intercesſione plurimum valuiſſe, *Gen. XVIII. XIX.* Immeritò autem hîc *Lactantius* Tullium caſtigat *lib. VII. Inſt. Div. c. XII.* quaſi omnia ad privatam utilitatem referat. Sed ad rem. *Hoſpital.*

§. XIX.

v. 14. Εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς· εὐλογεῖτε, καὶ μὴ καταρᾶσθε.

Manſuet. Inter Judaicas heterodoxas traditiones etiam hanc recenſet Salvator *Matth V. 43.* μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου. Sed præceptis divinis hoc non erat conſonum, quæ inculcant inimicis benefaciendum eſſe, *Exod. XXIII. 4.* Imò nec Legi Naturæ. Neque eim audiendi ſunt, *ait Tullius* qui graviter iraſcendum inimicis putant, idque magnanimi & fortis viri eſſe cenſent. Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. Quare Apoſtolus præcipit, ut etiam bene loquamur de inimicis, nec iis maledicamus. Sed cum hoc naturæ corruptæ valdè ſit adverſum, & proinde ab impiis Judæorum dogmatibus improbatum, ideò repetitione ſeverâ utitur Apoſtolus. Sed pergit:

§. XX.

v. 15. χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων.

Cum magnus Chriſtianorum animus maximè in deſpicientia rerum humanarum & in aliqua adverſus illas *indifferentia* conſiſtat, à perturbationibus animi maximè cavendum, ſed tamen ita, ut neque Democritum, neque Heraclitum ſemper agamus, ſed imò talis ordo actionum adhibendus, monente Tullio, ut ad eorum approbationem, quibuſcum vivimus, dirigantur, & omnia ſint apta inter ſe & convenientia. Turpe eſt enim valdeque vitioſum in re ſevera, convivio dignum aut delicatum aliquem inferre ſermonem. *Tanta vis eſt & temporis & loci.*

loci. Gaudendum igitur cum gaudentibus & flendum cum flentibus.

§. XXI.

Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλυς φρονῦντες· μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμϑμοι. *v. 16.*

Nobis enim cum à natura non tantum, ſed & à gratia divina Conſtantiæ, Moderationis, Temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint, qvumque eadem Natura atque Gratia omnes doceant, quemadmodum nosmet adverſus homines geramus; efficitur, ut eodem animo alter erga alterum ſit affectus, & quod quisque ſibi fieri non vult, alteri nec faciat. Ut enim pulchritudo corporis aptâ compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes quodam lepore conſentiunt: Sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine & conſtantia, & moderatione dictorum omnium & factorum. Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines, & optimum quemque & reliquos. Nam negligere, quid de ſe quisque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Ait, *Cic. l. Off.*

Μὴ γίνεσϑε φρόνιμοι πὰρ ἑαυτοῖς. *Humilitas*

Non arroganter de ſeſe quis ſentiat, ſed humilibus ſeſe accommodet, & fiduciâ ſui humilitate humanæque imbecillitatis agnitione temperetur, & obſervet monitum divinum, quod & Philoſophis non ignotum, ut, quantò ſuperiores ſimus, tantò nos ſubmiſſius geramus, ne nobismetipſis præfidentes, in gyrum rationis & doctrinæ duci nos oporteat, ut perſpiciamus rerum humanarum imbecilli-

cillitatem varietatemque fortunæ, quamque inflati opinionibus in maximis verſemur erroribus.

§. XXII.

v. 17. Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες. προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων.

Vindicta priv. De vindicta privata & de ſtudio bonæ famæ præcipit. Cum ſupra monitum, magnanimi maximè eſſe condonare, inculcatur iterum, ne cuiquam malum pro malo reddamus: Fortes enim ſunt, non qui faciunt, ſed qui propulſant injuriam: idque aut contemnendo, ſi famam non lædit, *Matth. V. 11. 38. ſqq.* ἀνεχόμενοι ἀλλήλων, καὶ χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, ἐάν τις πρός τινα ἔχῃ μομφήν, καθὼς καὶ ὁ χριστὸς ἐχαρίσατο ὑμῖν, οὕτω καὶ ὑμεῖς. *Coloſſ. 3, 13.* aut rite per Magiſtratum propulſando. *Famæ* ſiquidem *ſtudium* negligere, abjecti & vilis animi eſt. Quare & hic & *1. Cor. VIII. 21.* ſtudium bonæ famæ æquè ac Bonæ Conſcientiæ præcipit Apoſtolus. *conf. 1. Cor. IX. 15. Rom. 2, 7. Auguſtin. de C. D. lib. V. c. 18. 19.* Unde & modus conciliandæ *auctoritatis* & evitandi contemtus dependet, *Malach. 2, 9. 10.* Nam patientem quidem eſſe oportet, ſed cum ingenio, ne contemtibilis videare, monuit Ulpianus *l. 9. §. 2. de Off. Procoſſ.*

§. XXIII.

v. 18. Εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες.

Ut *læſæ famæ reſtitutionem* poſtulare, non prohibet Apoſtolus, ita modum tamen temperamentumque præſcribit, ut videamus, ne ipſi cauſam injuriis dederimus, atque ut nihilominus redintegrationem amicitiæ & concordiæ intendamus, ſed & interim pendente actione, ab

omni

omni animi perturbatione atque rancore liberi ſimus. Quoniam in omni vita rectiſſimè præcipitur, ut *perturbationes* fugiamus, i. e. motus animi nimios rationi non obtemperantes: ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut aliquid tale appareat. Maximeque curandum eſt, ut eos, quibus cum ſermonem conferimus, & vereri & deligere videamur. *Objurgationes* etiam nonnunquam incidunt neceſſariæ: in quibus utendum eſt fortaſſe & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Id agendum etiam eſt, ut ne facere ea videamur irati, ſed ut urendum & ſecandum medici veniunt, ſic ad hoc genus caſtigandi raro invitique veniamus: nec unquam niſi neceſſariò, ſi nulla reperietur alia medicina. Sed tamen *ira* procul abſit, cum qua nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. Magna autem ex parte clementi caſtigatione licet uti, gravitate tamen adjunctâ, ut & ſeveritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atque etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius id causâ, qui objurgetur, ſuſceptum eſſe. Rectum denique eſt etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiamſi nobis *indigna audiamus*, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec iis, qui adſunt, approbari. *1. Off.*

§. XXIV.

Privata igitur *vindicta*, quæ non eſt propulſatio, ſed mutua illatio injuriæ, omni jure eſt illicita, præſertim divino, Deoque ipſi injuriam arroganter infert, qui ſeſe vindicat. *DEO* enim ſummo Judici ac Vindici competit *v. 19.* *Vindicta Dei eſt*

jus

jus vindicandi & puniendi ſontes, *Deut. XXXII.35.* & cui is illud communicavit, vicario, *Magiſtratui* ſeu Poteſtati Civili. Contrà verò ſi quis nos læſit, præter famæ reſtituendæ officium, pro injuriis reddenda beneficia, quod ex Hebræorum Sapiente monet Apoſtolus. Id quod maximè eſt viri magnanimi & res arduas molientis. Davides, Regno deſtinatus, à Saule ejectus & agitatus *1. Sam. XXIV. 18.* occaſionem nocendi necandique precibus ac votis commutabat, quo fiebat, ut Saul conſcientiæ morſibus, quos *prunas* vocat Salomon, candidè crimina confiteretur ſua atque injurias, emendationemque promitteret. Atque ad hunc modum malum bono vincendum: Si malo malum rependis, vinceris à malo: eſt enim inſtar peſtis, cedendo vincitur.

v. 20. Beneficia pro injur. Prov. 25, 21.

v. 21. Officium puniendi.

§. XXV.

Denique etiam vicario Dei, quem diximus, ita probanda eſt *ſeveritas*, ſine qua adminiſtrari Civitas non poteſt, ut omnis animadverſio & caſtigatio, contumeliâ vacet, neque ad ejus, qui punit aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad Reip. & Eccleſiæ utilitatem referatur. Optandum enim eſt, ut ii, qui præſunt Eccleſiæ & Reipub. Legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum *non iracundiâ*, ſed æquitate ducuntur. *Qui mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum atque Leges: qui verò jubet hominem, adjungit & beluam. Cupiditas enim hujuſmodi quiddam eſt: & ira eos, qui imperium habent, & optimos etiam viros, diſtorquet.* ait Ariſt. *3. Pol. ult.*

Cic. I. Off.

CAPUT XIII.

QVIBUS MODIS SOLVITUR SOCIETAS HOMINIS CUM DEO.

§. I.

DIvino CHRISTI Regno Tyrannicum ſibi ſuum contraſtabiliens humani generis hoſtis veterrimus & internecinus, *Satanas* & *Antichriſtus*, cum angelis apoſtatis, quemadmodum *primævam* hominis cum DEO Creatore *Societatem* callidâ primæ mulieris ſeductione diſſolvit, ita quoque *reparatam* ſocietatem, & amicitiam reconciliatam iterum diſcindere annititur. Etſi enim Princeps mundi jam judicatus eſt, *Joh. XV. 11.* & projectus quoque eſt de cœlo, necdum tamen in abyſſum, ſed in terram, ut faceret prælium cum his qui cuſtodiunt mandata DEI & habent teſtimonium Jeſu Chriſti, *Apoc. XII. 8. 13. 17.* Et qvum *univerſam eam*, CHRISTO Mediatore generis noſtri, morti quidem tradito, ſed mox reſuſcitato, impedire *ne fundaretur, fruſtra* tentaſſet: aggreſſus fuit *fundatam*, & qvam ex univerſo humano genere colligebat ſibi Eccleſiam Salvator, eam graviſſimis perſecutionibus & hæreſibus in prima quaſi *herba peſſumdare* hoſtis laboravit; verum qvum & hic temerarius eſſet auſus, & portæ Inferorum non valerent adverſus Eccleſiam in univerſum, rem reliquâ aggreſſus eſt viâ, & præter ſummam, quæ in cæteras regimen univerſale ſumſerat, Eccleſiam, cujus cum Interno Chriſti Regno connexionem labefactavit, an dirupit?

Hoſtis hum. gen. Satanas.

rupit? etiam *Singulorum* internam cum Deo ſocietatem diſſolvere totâ die occupatur.

§. II.

Socii Ea in re ſocios ſibi cooptavit primò Naturam hominis corruptam, & quem *Veterem Hominem* aut *Carnem*

Caro S. Scriptura vocat, nempe inſitam inclinationem ad malum, quam & in intellectu, & in voluntate, maximeque in ſenſuali natura, phantaſiâ & appetitu, deprehendere eſt.

Mundus Deinde utitur quoque hominibus ipſis adverſus homines, infidelibus & apoſtatis aut Pſeudo Chriſtianis & falſis fratribus, adverſus fideles, aut vi, aut exemplo, id quod *Mundi* vocabulo Spiritus S. indigitat. Hinc hoſtium acies intelligitur, quos Apoſtolus *ad Epheſ. II. 2. & VI. 12. Col. II. 15.* appellat *Principatus, Poteſtates, Mundi dominos* ſeu κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.

§. III.

Illorum hæc eſt *intentio*, ut, quemadmodum divina Societas Fide & Charitate inſtaurata viget, ſic his in contrarium actis eadem diſſolvatur. *Aſſultum* ipſum hunc

Tentatio ſpiritualem ſeu aggreſſionem & μεθοδείας τοῦ διαβόλου vocamus TENTATIONEM, quam conſpirante Carne

Objectum Fides. noſtrâ plerumque perficit. *Fidem* Judæ ſi nomen Fidei meretur, ſollicitaſſe videtur Satanas, ut is temerè crederet, Salvatorem noſtrum etiamſi ab ipſo proditum ac traditum hoſtibus, ex manibus eorum elapſurum eſſe. Fidem Petri ſollicitabat, ut contra abnegaret Salvatorem. Fidem Ananiæ, ut non crederet Spiritum S. omniſcium præſidere Collegio Apoſtolorum, *Act. V. 3.* Fidem Simonis, ſi ita dicen-

dicenda, ut exiſtimaret dona Spiritus S. pecuniis comparari, *Act. VIII.* *Charitatem* porrò per cætera peccatorum genera labefactans Tentator, ſimul & Fidem, & vinculum Divinæ Societatis labefactat; qvum notitia absque charitate ſit Fides æquivoca, & mortua, *Jac. 2.* *Charitas.*

§. IV.

Gradus verò certi ſunt, per quos ad diſſolutionem Societatis hujus non rarò Adverſarius penitrat. *Primò* enim laxatur vinculum noſtræ cum DEO amicitiæ per lapſus & *offenſas quotidianas.* His per *quotidianam pœnitentiam* & renovationem amicitiæ, offenſæque deprecationem niſi remedium quæritur, oritur *alter* diſſolvendæ Societatis gradus, *continuatione* peccatorum ejusdem generis, quæ SECURITAS dicitur Carnalis, ſoletque cum animi deſtinatione eſſe conjuncta, conſcientiam ſauciare. Eoque gradu tantum proficit Adverſarius, ut quia homo à lapſibus quotidianis non reſurgit, ſemel victus, prehendatur jam & captivus obſideatur, quæ OBSESSIO *Spiritualis* dicitur, quæ ſi monitiones & reprehenſiones admittit nullas, ſed imò defendi ac juſtificari præfractè incipit, OBSTINATIO eſt, Contumacia & OCCOECATIO; *Ez. 1.* quà ut hactenus charitas, ita nunc Fides etiam labefactatur: quod ſi ita, ut fieri ſolet, perdurat usque ad vitæ hujus finem, *totalis* eſt *Apoſtaſia* & Societatis diſſolutio æterna, cui ſi accedit Fidei impugnatio pertinax & blasphema, dicitur *PECCATUM IN SPIRITUM Sanctum* & irremiſſibile. *Matt. XII. 31.*

Gradus. *1. peccat. venial.* *2. peccat. regnans, mortale.* *3. Apoſtaſia.* *4. In Sp. S.*

§. V.

Illo peccatorum gradu quo reclamans conſcientia non auditur, λυπεῖται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *contriſtatur Spiritus S.* inhabitans in nobis, ut in templo ſuo, *Epheſ. IV. 30. 1. Cor. III. 16.* adeò, ut ſi ita pergitur, templum hoc prophanetur, & Spiritus lumenve in mente accenſum extinguatur, *1. Theſſ. ult. 19.* Cæterum non recedit ſtatim Spiritus S. ſed remanet adhuc, velut *DEUS in Templo Hieroſolymitano* licet idololatriâ jam deturpato aliquandiu remanſit. Et ſicut *Reges uncti*, licet recedentes à DEO, Regium tamen *characterem* retinebant, quem veritus David; Chriſtiani autem omnes uncti ſunt, *1. Joh. II. 27.* ita remanet Spiritus S. gratia in Regenito peccante & peccato immorante, tam diu, quàm diu lucta datur Spiritus adverſus carnem, non ex toto, ſed ex parte, actu ſecundo non primo *Gal. V. 16. 17.* Donec apoſtaſia & *Deſperatio finalis* accedit. Ut enim in civilibus ſocietatibus contingit, ut v. g. inter conjuges ortis jurgiis, atque injuriis, mutua *Societas* non tollitur, etſi amor atque officia *amicitiæ* & τῆς εὐνοίας ſuſpendantur, & ipſæ quoque perſonæ ad tempus ſeparentur: Ita etiam in hac divina ac ſpirituali conſociatione per regenerationem & nuptias ſpirituales non ſtatim plenaria diſſociatio oritur, offenſarum quantumvis continuatione. Atque hoc eò magis, quod Spiritus S. regenitis *Obſes* datus eſt, & *arrhabo*, eoque ipſo in permanentiam conſenſum fuit.

Quousq; recedat Gratia div.

§. VI.

Media cõtra Securitat. & Obſeſſ. Spir.

. Hæc porrò arma ſunt Satanæ, quibus Templum Regeniti oppugnat: *Repræſentat* rem honeſtam ſub ſpecie mali, turpis; & viciſſim rem turpem ſub ſpecie boni at-

que

que liciti: inde excitatur in *appetitu* perverſus amor, perverſum odium; reſtat *occaſio* appetitui explendo; eam offerre & Satanas occupatur, & conſpirans Caro atq; Mundus facilè invenit. Crimine jam perpetrato, ſi à præſidio Spiritus Sancti in Conſcientia motus atque *pugna* oritur, adhibet hoſtis, mediante Carne, applaudente Mundo, *media palliativa*, ſpecioſa, quibus Conſcientiam *Securitatis* ſopore torpidam reddere contendit. DEUS ipſe hâc emphaſi rem effert ad Cainum, *Gen. IV. 7. ſi malè feceris, ad oſtium peccatum cubat, & ad te erit deſiderium ejus.* Primus aſſultus nimirum fit in ſenſus & *appetitum* utrumque, iram vel cupiditatem. His occupatis tentatur *Voluntas*, hâc in conſortium attractâ, adhuc repugnat Spiritus & mentis intellectus ſive Conſcientia. Denique & *Intellectus* ſollicitatur, & recta principia agendorum falſis limitationibus & ampliationibus *falſæ* Philoſophiæ & *Doctrinæ Moralis* pervertuntur, & ſic luctâ ſublatâ fermè omni, ſumma introducitur Securitas. Idque non fit ſolum in ſingulis, ſed etiam in univerſis ſæpe, id quod figurâ *Voluminis Volantis* repræſentatur *Zachariæ V.* Atque hic ſæpe ſe in angelum lucis figurat Satanas. Aſſumuntur *Preces*, adhibentur *Eleemoſynæ*, quibus DEUS offenſus *continuatis criminibus* tamen reconcilietur facilè. Et ita in *exceſſu Fiduciæ* adverſus DEUM peccatur, & abutitur regenitus gratiâ & amicitiâ DEI ad peccatum. Dumque non eam, quam debebat, filialem fiduciam cum metu reverentiali conjunctam in DEUM collocat, ſed in ſe, & ſuas vires, in amicos, patronos, opes, aut fortem fortunam, omnium rerum incurius, tam quoad animum quàm corpus, id unicum urget, quod ſemel ſit regenitus, quod templum Spiritus S. Pariter ac Synagoga Judaica: *Hic eſt tem-*

Securitatis ſtatus.

plum Domini, hic eſt templum Domini. Interea à peccatis ſemel cœptis non deſiſtitur.

§. VII.

Apoſtaſia capta

Hoc in *Securitatis ſtatu* poſitus Regenitus dicitur *Apoſtata*, & facilis eſt occupatu, atque eo ipſo occupatus eſt, & certatur inter Spiritum S. & malignum. Hæc eſt OBSESSIO *Spiritualis* ſeu mentalis, cujus eſſentia conſiſtit in Occupatione & poſſeſſione animæ *partiali primò*, qvum Spiritus Sanctus ipſe adhuc animam ex parte intellectuali præcipuè, & quoad judicium conſcientiæ repugnantis, poſſideat, nec in Regenitis poſſeſſionem vacuam Satanæ relinquere præſumatur, niſi per plenariam apoſtaſiam, & extinctâ luctâ Spiritus contra carnem plenè excedens, *de quo ipſo autem vivo homine regenito, judicare nefas.* Res enim ſe habet ſicut in obſeſſione caſtelli, cujus præſidium ſi quà recedere cogit hoſtis externus & civis conſpirans, ex uno alterove propugnaculo, vel etiam ex majori caſtelli parte ab hoſte occupatâ, poſſeſſionem tamen vacuam nondum habere hoſtis dicitur. Sic Obſesſio Spiritualis eſt occupatio animæ regenitæ & cum Spiritu S. munitæ à Satana & conſpirante Carne facta.

§. IIX.

Eſtque primò Partialis & fit quaſi ad gradus, conjuncta cum perpetua pugna carnis & Spiritus, adeoque ſemper hactenus ſpes eſt reſipiſcendi, quia Spiritus S. nondum in totum receſſit, quod ubi fit, *Totalis* eſt obſeſſio. Atque hinc apparet, quàm longè periculoſior ſit *Obſeſſio Spiritualis*, quàm *Corporis*, qvum illa fiat cum conſenſu & conſpiratione Obſeſſi, hæc non item, & illa ex habitu frequen-

tium

tium actuum conſtet, hæc merâ vi. Unde iſta difficulter mobilis eſt, docente Salvatore *Matth. XII. 31-54. Luc. XI. 24. 2. Pet. II. 20. 21. Ebr. VI. 4. 5. 6. c. X. 26.* ubi vocabula ἑκουσίως, παραπεσόντας, πάλιν ἐμπλακέντας ἡττῶνται *ultimum Securitatis gradum* notant, cujus coronis *deſperatio*, ad quam tandem animam Satanas obſeſſor ab uno Securitatis extremo ad alterum redigere ſolet, ut ſic tandem fiduciæ nimietas in defectum totalem ejus deſinat.

Deſperatio Apoſtaſia finalis.

§. IX.

Media Præſervativa.

Cognitis modis atque gradibus, quibus Societate regeniti cum DEO inita diſſolutâ, homo in ſtatum pejorem, quàm is erat, ex quo in hanc Societatem venerat, incidit, ſibi cumulans iram vindictæ divinæ in die Judicii; ad duo attendendum monet Prudentia Spiritualis, primò ad *Media* Præſervativa, deinde etiam ad Media expellendi Spiritum Malignum obſidentem. Ad *præſervantia* faciunt ea, quæ antea de Modis conſervandi unionem DEI atque hominis expoſuimus. Summatim hæc ſunt Media præſervativa & caventia, ne ſecuritate hoſtis obrepat
& partem noſtri occupet; Primum eſt *Examen* ſingulo- 1.
rum actuum noſtrorum quotidianum, diurnum, nocturnum: hæc eſt illa *caſtigatio Renum* & Cogitationum, quam etiam de nocte inſtituebat David, *Pſ. XVI. 7.* & Veritas in renibus, quam DEUS amat & requirit, *Pſ. LI. 8.* atque Enarratio viarum ſuarum, de qua idem *Pſ. CXIX. 26.* Vias meas enarravi, & reſpondiſti mihi. Hæc eſt illa prudentia obſervandi viam ſuam, *Prov. XIV. 8. 15. Cap. XIX. 16. c. XVI. 20. Deut. IV. 6. Joſ. I. 7. 8. 2. Sam. V. 12. 2. Reg. II. 3. 2. Par. XXX. fi. 1. Sam. XIII. 13. Phil. II. 12.*

τὸ με-

τὸ μεριμνᾷν ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας αὐτοῦ, ſollicitum eſſe pro peccato ſuo, *Pſ. XXXIIX. 19.*

§. X.

2. Alterum, *Pœnitentia quotidiana* & Renovatio mentis in Spiritu S. *2. Pet. 2. Pet. 1,4.5.6. de qua Cap. IV.* idque eſt τὸ πνεῦμα ἀναζωπυρεῖν, *Spiritum ſuſcitare, non extinguere, 1. Theſſ. V. 19. 2. Tim. I. 6.* id enim certiſſimum, quod qui in Chriſtianiſmo non progreditur, is regrediatur.

3. Tertium, *Preces*, & ſtudium operaque pro conſervanda tuendaque unione cum Spiritu S. Imprimis aſſidua *meditatio Verbi* Divini, & frequens ac verus uſus *S. S. Cœnæ. V. cap. IX.*

4. Quartum, Urgere *bonum propoſitum. Hæc exerce, in his eſto: ut tuus profectus manifeſtus ſit in omnibus* ait S. Paulus *ad Timoth. 1: 4, 15. & ad Philipp. IV. 8. quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque juſta, quæcunque pura, accommoda, ſi quæ eſt virtus, hæc cogita.*

5. Quintum: Vitare Securitatis *occaſionem* omnem & nimiam cum Mundo converſationem. Quò etiam pertinet *lectio librorum turpium*, auſcultatio *cantilenarum cinædicarum*, *adſpectatio* ludorum ſcenicorum.

6. Et quanquam omnis converſatio cum hominibus de Mundo vitari non poteſt, tamen id tandem cavendum, ne pravis exemplis, *ſcandaliſemur* & ſeducamur. Ne amicitiam cum Mundo contrahamus, quæ eſt inimicitia cum DEO. *Jac. IV. 4. 1. Joh. II. 15.*

§. XI.

Media expell. Media denique *expellendi Spiritum obſidentem* violenta ſint oportet, propter continuatam animæ obſeſſæ repugnan-

repugnantiam & ſecuritatem. Neque tamen ſummo adverſus eam rigore unoque impetu procedendum videtur, ne ad alterum Extremum, Deſperationem redigatur: Exemplo ipſius DEI, qui Caino pœnam ordinariam homicidii non irrogavit, certior quantumvis de finali ejus impœnitentia & deſperatione: Multò ergo magis homo cautus hîc eſſe debet, qui incertus eſt de alterius impœnitentia finali, & ſemper verendum, ne ſummum jus, ſumma foret injuria. Atque ſi præter Appetitum ſenſitivum voluntatem etiam & Intellectum Satanas jam occupavit, remedia ferè hæc ſuppetunt.

§. XII.

Primò omnium hîc *Spiritus S.* gratia in regeneratione ſemel accepta *motus* quosdam *extraordinarios* edere poteſt, quibus mens ſeſe recolligens torporem excutit, & pœnitentiam agit, veluti in latrone crucifixo exemplum præſto eſt, & Paulus de ſeſe confitetur *Epheſ. 2, 3.* & de Judæis generatim ſperat *Rom. XI. 23. conf. Eſa. XLIII. 17.* Deinde ejusmodi motus extraordinem ſolere DEUM per *ſomnum* etiam immittere, quippe quo mens phantaſiis minus turbatur, videtur amico *Jobi c. XXXIII. 15. Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines & dormiunt in lectulo, Tunc aperit aures virorum, & ad diſciplinam eorum terret eos, ut avertat hominem ab his, quæ facit, & liberet eos de ſuperbia, Eruens animam ejus à corruptione & vitam illius, ut non tranſeat in gladium.* Tale ſomnium *Nabuchdonoſor* expertus, ſe fatente *Dan. IV.*

1. Spiritus S. motus.

2. Somnia.

§. XIII.

3. Morbus. Tertium remedium *eodem Jobi capite* ſubjungitur, quod fit per immiſſionem morbi & corporis afflictionem *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa ejus vehementer affligit. Abominabilis ei fit in vita ſua panis, & animæ illius cibus antè deſiderabilis. Tabeſcet caro ejus & oſſa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima ejus, & vita illius ad mortuos.* Quæ

4. Angeli. ſequuntur videntur pertinere ad *Angeli* cuſtodis & imprimis Angeli magni conſilii, admonitionem: *Si fuerit autem cum eo Angelus interpres, unus de millibus, qui annunciat homini rectitudinem ejus. Miſerebitur ejus, & dicit: Libera eum, ut non deſcendat in corruptionem.* Et quæ ſequuntur.

§. XIV.

5. Doctores. Sed quamvis non Angeli ſpirituales hic fortè frequenter adhibentur à DEO, præſto tamen ſunt Angeli viſibiles, Interpretes divini, Presbyteri & *Doctores*, qui non modò excitare debent torpidos ejusmodi; Graviter Paulo *Ebræos c. 1, 13.* monente: *Videte, fratres, ne quando ſit in ullo veſtrum cor pravum, obnoxium incredulitati, ut deſiſcat à DEO vivente: Sed exhortamini vos invicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus: ne quis ex vobis induretur ſeductione peccati.* Sed etiam Preces & *Interceſſiones*

6. Interceſſ. pro ipſis ad DEVM fundere, ut illuminet eos iterum & liberet animas, ne pergant in interitum. Hoc monet Johannes *1. Epiſt. ult. 16. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat: & dabitur ei vita.* & *Jacobus cap. ult. Confitemini invicem alius alii delicta, & orate* pro

pro vobis invicem, ut ſani ſitis. Fratres ſi quis inter vos erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſciat, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſalvam faciet animam ex morte, & operiet multitudinem peccatorum.

§. XV.

Quod medium & Simon Magus deſiderat ab Apoſtolis *Act. VIII. 24.* quanquam fruſtra, quoniam hoc ſolum efficax non eſt, niſi *pœniteat* recepti hoſtis, & *deſideretur* Dominus noſter verus, quo ipſo novi Spiritus S. motus, per interceſſionem Piorum impetrati de novo, poſſunt locum invenire. Sed quum & iſta præparatio ad recipiendum Spiritum Sanctum plenè obſeſſo ſpiritualiter difficillima ſit, & ipſum quoque hoc opus homo naturalis ex ſeſe vix ſine peculiari DEI gratia facere poſſit, ideò ſemper in animo habeamus monitum Apoſtolicum: Μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας; *cum timore ac tremore veſtram ipſorum ſalutem operemini: Nam DEVS eſt, qui agit in vobis, & ut velitis, & ut efficiatis, pro beneplacito. Phil. 2, 12.* Monitum.

§. XVI.

Hoc enim ſciendum, non æquè omnibus regenitis & poſtea apoſtatis promiſiſſe DEVM renovationem & reſtitutionem petulanter repudiatæ gratiæ, quemadmodum nondum regenitis omnibus & ſingulis oblationem gratiæ promiſit, ut omnes ſalvi fierent. Nam *qui ſemel erepti coinquinationibus mundanis, per agnitionem Domini*

noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti, rurſus iis implicantur & ſuperantur, his poſteriora longè pejora ſunt prioribus, 2. *Pet.* 2, 20. Timeamus igitur, ne relictâ promiſſione introeundi in requiem ſempiternam, quisquam ex nobis, quibus prædicatum eſt Evangelium, deficiat ab ingreſſu: quemadmodum plerique eorum exciderunt ab introitu requiem, quibus prius prædicatum erat, *Ebr. IV.* 1. 3. 6. *cap. VI.* 4. 5. *cap. X.* 26. *Matth. XXV.* 9. 10. *Joh. XII.* 35. *Jerem. III.* 1.

Faxit DOMINVS, ut nemo noſtrum
pereat!
A M E N!

SOLI DEO GLORIA.

INDEX

Index Capitum.

Cap. I. *Quod detur finis ulterior, quam Beatitudo Civilis.* pag. 1.

Cap. II. *De naturæ humanæ ac divinæ difformitate, ac ſtatu hominis corrupto.* p. 25

Cap. III. *De Mediis, quibus finis ultimus & ſalus æterna obtinetur.* p. 35

Cap. IV. *De novo hominis ſtatu.* p. 53

Cap. V. *De Unione & Conſociatione hominis cum DEO.* p. 58

Cap. VI. *De Fructu Unionis atque amicitiæ inter DEUM & hominem communi.* p. 62

Cap. VII. *De fructu Unionis atque amicitiæ inter DEUM & hominem ſingulari.* p. 68

Cap. VIII. *De fructu Unionis atque amicitiæ inter DEUM atque hominem extraordinario.* p. 76

Cap. IX. *De modo conſervandi Unionem atque amicitiam hominis cum DEO.* p. 81

Cap. X. *De Perfectione Chriſtiana.* p. 88

Cap. XI. *Perfectionem Chriſtianam non conſiſtere in obſervatione Legis etiam Moſaicæ.* p. 98

Cap. XII. *Perfectionem Chriſtianam conſiſtere in obſervatione honeſtatis ex naturali & revelato lumine divino cognitæ.* p. 102

Cap. XIII. *Quibus modis ſolvitur ſocietas hominis cum DEO.* p. 121.

INDEX RERUM ac VERBORUM.

Prior numerus Caput, alter §.

A.

Acceptilatio. III, 16. & 17.

Actiones humanæ. II, 12.

Ætates ſpirituales. IV, 6.

Agnitio debiti. III, 25.

Amor DEI. II, 1.

Amor, fundamentum Societatis Div. ibid.

Apoſtaſia. XIII, 4. Apoſtaſia cœpta. ibid. 7. finalis, ib. 8.

Apoſtolatus. VIII, 6.

Arrha. Arrhabo, ibid.

Avaritia. XII. 7.

Aurum Judaicum. II. 5.

Ausrichter. *II, 6.*

B.

Beneficia pro injuriis. XII, 24.

Bona Opera. IX, 10.

C.

Captatio temporis. XII, 15.

Cap. XII. ad Rom. reſolutum, & cum Cicer. de Offic. collatum. XII, 1. & ſeqq.

Carminum & Muſicæ vis. IX, 5.

Certitudo ſalutis in individuo. III, 21.

Character. VI, 4.

Charitas communis. XII, 13. fraterna. ibid. 14.

Chriſtianorum quorundam error. III, 3.

Clemens. XII, 11.

Conceptio. IV, 3.

Conſilia Evangel. X, 3.

Continentiæ donum. VIII, 7.

D.

Decorum. XII, 2.

DEI obligatio. VI, 5.

Delegatio expromiſſoris. III, 15.

Deſperatio. XIII, 8.

Diacon. VII, 12. Διακονία. *XII, 9.*

Διδαχὴ *VII, 8.*

Diligentium Deum Jus. VI, 5.

Diſpp. Theolog. XII, 8.

Diſſimulatio fraudul. XII, 13.

Doctores. VII, 9. XIII, 14.

Dona ordinaria olim extra ordinem data. VIII, 1. hodieque. VIII, 2. infidelibus collata. VIII, 3. Dona Spiritus ſpecialia. VII, 1. & XII, 6.

E.

Eccleſia, I, 21. Extra Eccleſiam non eſt ſalus, I, 24.
Epiſcopi. VII, 13.
Exorciſmus. VIII, 5.
Expromiſſio. III, 14.

F.

Felicitas publica & privata differunt. I, 3.
Fœdus DEI cum Abrahâ. III, 11.

G.

Galatarum Eccleſia. II, 3.
Gratia Div. quousque recedat. XIII, 5.

H.

Hiſtoriæ vis. IX, 8.
Homo novus. IV, 3.
Hoſpitalitas. XII, 18.
Humilitas. XII, 21.

I.

Jeſum Mariæ filium eſſe Meſſiam contra Judæos hod. III, 19. & 20.
Imaginis Div. reparatio. VI, 3.
Imperans. XII, 10.
Imperfectio & difformitas hominis non poteſt plane tolli. III, 4.
Imputativ. ibid. 16.
Infantum fides. IV, 5. mors. II, 9.
Inimicitia DEI. II, 12.
Inſpiratio. VI. 4.
Intellectus. II, 12. illuminatio intellectus. VI, 1.
Interceſſio Sanctorum viventium. XIII, 14.
Judæorum error. III, 3.
Jurisprud. & Philoſ. Moral. origo. VII, 7.

L.

Legis inter & Evangelii obligationem differentia. X, 4.
(1.) causâ effic. ibid.
(2.) Formâ. ibid.
(3.) Fine & effectu: præmiis. X, 5.
pœnis. X, 6.
Legis uſus pædagog. hodie. XI, 4.
Liberalis. XII, 10.
Libertas & obligatio Chriſtiana compatib. X, 6.
Linguarum donum. VII, 12. & VIII, 5.

M.

Magnanimitas. XII, 16.
Magnanimus. ibid. 12.
Malum legale, & inde obligatio

gatio ad pœnam quandam. II, 8. & 9.
Manſuetudo. XII, 19.
Meditatio mortis quotidiana. IX, 11.
Medium ſupernatur. IIX, 5.
Meſſiam pro me ſatisfeciſſe, unde conſtet. III, 21.
Miracula. IIX, 4.
Morbus, medium contra obſeſſ. ſpirit. XIII, 3.
Muſicæ vis. IX, 5. & 6.
ejus effectus triplex. IX, 7.
vetus melior. ibid.
Myſterium ex conjugio. V, 4.

N.

Natura hominis immortalis, quia intellectualis ſeu mentalis. I, 4.
Naturalis hominis corrupta. II, 2.
Sententia Philoſ. Gentil. ibid. 3.
Norma interpretandi S. Scripturam. XII, 8.

O.

Obedientia. VI, 2.
Obligatio generis humani. III, 13.
Obligatio utraque (Legis & Evangelii) in V. T. X, 7.
in N. T. X, 8.
Obſeſſio ſpiritualis. XIII, 4. 7. & 8.
media contra illam. ibid. 6.
media præſervativa. ibid. 9. & 10.
media expellentia. ibid. 11.
Obſignatio Spiritus S. III, 18. VI, 3.
Officioſus. XII, 10.

P.

Φανερώσεις, manifeſtationes. VII, 1.
variæ. ibid. 2.
finis. ibid.
cauſæ. ibid. 3.
effectus. ibid. 4.
Peccati imputatio. II, 10.
Peccatum originale. ibid. 7. & 11.
regnans, mortale. XIII, 4.
in Spirit. S. ibid.
veniale. ibid.
Perfectio Christiana. X, 1.
Philoſophorum Gentilium ſententia de Natura hominis corrupta. II, 3.

eorum ignorantia vincibilis. ibid. eorum error. III, 2. & 3.
Poeta. VII, 10.
εὐφυΐα poetica. IX, 5.
Impetus poeticus. ibid. 6.
ejus cauſa: (1.) Melancholia. (2.) Affectus. (3.) vinum. (4.) Lectio. (5.) Muſica. ibid.
Spiritus poeticus. IX, 5.
Præceptum obligans. X, 1.
Presbyteri. VII, 9.
Primitiæ ſpiritus. VI, 7.
Prophetæ. VII, 10. & 11.
Prophetia. VII, 8. VIII, 8. XII, 8.
Providentia DEI. II, 1.
Prudentia alia Civilis, alia Divina & ſpiritualis. I, 25.
hujus partitio. ibid.
Prudentia Civilis. VII, 7.
Prudentia Civil. primario intendit finem communem non ſingulorum. I, 1.
Prudentiæ humanæ defectus. I, 3.
Prudentia humana in utraque ſocietate finem intendit ſuum. I, 7.
Finis Prudentiæ humanæ ultimus, felicitas ſingulorum poſt hanc vitam. I, 10.
Puniendi officium. XII, 24.

R.

Regeneratio. IV, 3.
Renovatio quotidiana. IV, 7.
Respubl. Hebræorum. III, 11.
Revelatio Div. de medio ſalutis. III, 6.
apud Hebræos & Chriſtianos unice & vere. III, 7.
Veritatis probatio externa. 1. ex antiquitate ibid. 2. ex harmonia: 3. vaticiniorum eventu. III, 8. 4. Majorum ſententia. III, 9.
& probabilis. ibid.
interna & infallibilis. ib.
circumſtantiæ revelatæ. III, 11.

S.

Sacerdotum finis in Republ. I, 13.
Sacramenta. IV, 4.
Sacrificia. III, 10.
Salutis certitudo. III, 18.

τὸ μεριμνᾷν ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας αὐτοῦ, ſollicitum eſſe pro peccato ſuo, *Pſ. XXXIIX. 19.*

§. X.

2. Alterum, *Pœnitentia quotidiana* & Renovatio mentis in Spiritu S. *2. Pet. 2. Pet. 1,4.5.6. de qua Cap. IV.* idque eſt τὸ πνεῦμα ἀναζωπυρεῖν, *Spiritum ſuſcitare, non extinguere, 1. Theſſ. V. 19. 2. Tim. I. 6.* id enim certiſſimum, quod qui in Chriſtianiſmo non progreditur, is regrediatur.

3. Tertium, *Preces*, & ſtudium operaque pro conſervanda tuendaque unione cum Spiritu S. Imprimis aſſidua *meditatio Verbi* Divini, & frequens ac verus uſus *S. S. Cœnæ. V. cap. IX.*

4. Quartum, Urgere *bonum propoſitum. Hæc exerce, in his eſto: ut tuus profectus manifeſtus ſit in omnibus* ait S. Paulus *ad Timoth. 1: 4, 15. & ad Philipp. IV. 8. quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque juſta, quæcunque pura, accommoda, ſi qua eſt virtus, hæc cogita.*

5. Quintum: Vitare Securitatis *occaſionem* omnem & nimiam cum Mundo converſationem. Quò etiam pertinet *lectio librorum turpium*, auſcultatio *cantilenarum* cinædicarum, *adſpectatio* ludorum ſcenicorum.

6. Et quanquam omnis converſatio cum hominibus de Mundo vitari non poteſt, tamen id tandem cavendum, ne pravis exemplis *ſcandaliſemur* & ſeducamur. Ne amicitiam cum Mundo contrahamus, quæ eſt inimicitia cum DEO. *Jac. IV. 4. 1. Joh. II. 15.*

§. XI.

Media expell. Media denique *expellendi Spiritum obſidentem* violenta ſint oportet, propter continuatam animæ obſeſſæ repugnan-

repugnantiam & ſecuritatem. Neque tamen ſummo adverſus eam rigore unoque impetu procedendum videtur, ne ad alterum Extremum, Deſperationem redigatur: Exemplo ipſius DEI, qui Caino pœnam ordinariam homicidii non irrogavit, certior quantumvis de finali ejus impœnitentia & deſperatione: Multò ergo magis homo cautus hîc eſſe debet, qui incertus eſt de alterius impœnitentia finali, & ſemper verendum, ne ſummum jus, ſumma foret injuria. Atque ſi præter Appetitum ſenſitivum voluntatem etiam & Intellectum Satanas jam occupavit, remedia ferê hæc ſuppetunt.

§. XII.

Primô omnium hîc *Spiritus S.* gratia in regeneratione ſemel accepta *motus* quosdam *extraordinarios* edere poteſt, quibus mens ſeſe recolligens torporem excutit, & pœnitentiam agit, veluti in latrone crucifixo exemplum præſto eſt, & Paulus de ſeſe confitetur *Epheſ. 2,3.* & de Judæis generatim ſperat *Rom. XI. 23. conf. Eſa. XLIII. 17.* Deinde ejusmodi motus extraordinem ſolere DEVM per *ſomnum* etiam immittere, quippe quo mens phantaſiis minus turbatur, videtur amico *Jobi c. XXXIII. 15. Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines & dormiunt in lectulo, Tunc aperit aures virorum, & ad diſciplinam eorum terret eos, ut avertat hominem ab his, quæ facit, & liberet eos de ſuperbia, Eruens animam ejus à corruptione & vitam illius, ut non tranſeat in gladium.* Tale ſomnium *Nabuchdonoſor* expertus, ſe fatente *Dan. IV.*

1. Spiritus S. motus.

2. Somnia.

§. XIII.

3. *Morbus.* Tertium remedium *eodem Jobi capite* ſubjungitur, quod fit per immiſſionem morbi & corporis afflictionem *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa ejus vehementer affligit. Abominabilis ei ſit in vita ſua panis, & animæ illius cibus antè deſiderabilis. Tabeſcet caro ejus & oſſa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquabit* 4. *Angeli.* *corruptioni anima ejus, & vita illius ad mortuos.* Quæ ſequuntur videntur pertinere ad *Angeli* cuſtodis & imprimis Angeli magni conſilii, admonitionem: *Si fuerit autem cum eo Angelus interpres, unus de millibus, qui annunciat homini rectitudinem ejus. Miſerebitur ejus, & dicit: Libera eum, ut non deſcendat in corruptionem.* Et quæ ſequuntur.

§. XIV.

Sed quamvis non Angeli ſpirituales hic fortè fre-5. *Doctores.* quenter adhibentur à DEO, præſto tamen ſunt Angeli viſibiles, Interpretes divini, Presbyteri & *Doctores*, qui non modò excitare debent torpidos ejusmodi; Graviter Paulo *Ebræos c. 1, 13.* monente: *Videte, fratres, ne quando ſit in ullo veſtrum cor pravum, obnoxium incredulitati, ut deſciſcat à DEO vivente: Sed exhortamini vos invicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus: nequis ex vobis induretur ſeductione peccati.* Sed etiam Preces & *Intercesſiones* 6. *Interceſſ.* pro ipſis ad DEVM fundere, ut illuminet eos iterum & liberet animas, ne pergant in interitum. Hoc monet Johannes *I. Epiſt. ult. 16. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat: & dabitur ei vita.* & *Jacobus cap. ult. Confitemini invicem alius alii delicta, & orate*

pro vobis invicem, ut ſani ſitis. Fratres ſi quis inter vos erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſciat, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſalvam faciet animam ex morte, & operiet multitudinem peccatorum.

§. XV.

Quod medium & Simon Magus deſiderat ab Apoſtolis *Act. VIII. 24.* quanquam fruſtra, quoniam hoc ſolum efficax non eſt, niſi *pœniteat* recepti hoſtis, & *deſideretur* Dominus noſter verus, quo ipſo novi Spiritus S. motus, per interceſſionem Piorum impetrati de novo, poſſunt locum invenire. Sed quum & iſta præparatio ad recipiendum Spiritum Sanctum plenè obſeſſo ſpiritualiter difficillima ſit, & ipſum quoque hoc opus homo naturalis ex ſeſe vix ſine peculiari DEI gratia facere poſſit, ideò ſemper in animo habeamus monitum Apoſtolicum: Μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας; *cum timore ac tremore veſtram ipſorum ſalutem operemini: Nam DEUS eſt, qui agit in vobis, & ut velitis, & ut efficiatis, pro beneplacito. Phil. 2, 12.* Monitum.

§. XVI.

Hoc enim ſciendum, non æquè omnibus regenitis & poſtea apoſtatis promiſiſſe DEVM renovationem & reſtitutionem petulanter repudiatæ gratiæ, quemadmodum nondum regenitis omnibus & ſingulis oblationem gratiæ promiſit, ut omnes ſalvi fierent. Nam *qui ſemel erepti coinquinationibus mundanis, per agnitionem Domini*

noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti, rurſus iis implicantur & ſuperantur, his poſteriora longè pejora ſunt prioribus; 2. Pet. 2,20. Timeamus igitur, ne relictâ promiſſione introeundi in requiem ſempiternam, quisquam ex nobis, quibus prædicatum eſt Evangelium, deficiat ab ingreſſu: quemadmodum plerique eorum exciderunt ab introitu requiem, quibus prius prædicatum erat, *Ebr. IV. 1. 3. 6. cap. VI. 4. 5. cap. X. 26. Matth. XXV. 9. 10. Joh. XII. 35. Jerem. III. 1.*

Faxit DOMINVS, ut nemo noſtrum pereat!

A M E N!

SOLI DEO GLORIA.

INDEX

Index Capitum.

Cap. I. *Quod detur finis ulterior, quam Beatitudo Civilis.* pag. 1.
Cap II. *De naturæ humanæ ac divinæ difformitate, ac ſtatu hominis corrupto.* p. 25
Cap III *De Mediis, quibus finis ultimus & ſalus æterna obtinetur.* p. 35
Cap. IV. *De novo hominis ſtatu.* p. 53
Cap. V. *De Unione & Conſociatione hominis cum DEO.* p. 58
Cap. VI. *De Fructu Unionis atque amicitiæ inter DEUM & hominem communi.* p. 62
Cap. VII. *De fructu Unionis atque amicitiæ inter DEUM & hominem ſingulari.* p. 68
Cap. VIII. *De fructu Unionis atque amicitiæ inter DEUM atque hominem extraordinario.* p. 76
Cap. IX. *De modo conſervandi Unionem atque amicitiam hominis cum DEO.* p. 81
Cap. X. *De Perfectione Chriſtiana.* p. 88
Cap. XI. *Perfectionem Chriſtianam non conſiſtere in obſervatione Legis etiam Moſaicæ.* p. 98
Cap. XII. *Perfectionem Chriſtianam conſiſtere in obſervatione honeſtatis ex naturali & revelato lumine divino cognitæ.* p. 102
Cap. XIII. *Quibus modis ſolvitur ſocietas hominis cum DEO.* p. 121.

INDEX RERUM ac VERBORUM.

Prior numerus Caput, alter §.

A.

ACceptilatio. III, 16. & 17.

Actiones humanæ. II, 12.

Ætates ſpirituales. IV, 6.

Agnitio debiti. III, 25.

Amor DEI. II, 1.

Amor, fundamentum Societatis Div. ibid.

Apoſtaſia. XIII, 4. Apoſtaſia cœpta. ibid. 7. finalis. ib. 8.

Apoſtolatus. VIII, 6.

Arrha. Arrhabo. ibid.

Avaritia. XII. 7.

Aurum Judaicum. II. 5.

Ausrichter. *II, 6.*

B.

Beneficia pro injuriis. XII, 24.

Bona Opera. IX, 10.

C.

Captatio temporis. XII, 15.

Cap. XII. ad Rom. reſolutum, & cum Cicer. de Offic. collatum. XII, 1. & ſeqq.

Carminum & Muſicæ vis. IX, 5.

Certitudo ſalutis in individuo. III, 21.

Character. VI, 4.

Charitas communis. XII, 13. fraterna. ibid. 14.

Chriſtianorum quorundam error. III, 3.

Clemens. XII, 11.

Conceptio. IV, 3.

Conſilia Evangel. X, 3.

Continentiæ donum. VIII, 7.

D.

Decorum. XII, 2.

DEI obligatio. VI, 5.

Delegatio expromiſſoris. III, 15.

Deſperatio. XIII, 8.

Diacon. VII, 12. Διακονία. *XII, 9.*

Διδαχὴ *VII, 8.*

Diligentium Deum Jus. VI, 5.

Diſpp. Theolog. XII, 8.

Diſſimulatio fraudul. XII, 13.

Doctores. VII, 9. XIII, 14.

Dona ordinaria olim extra ordinem data. VIII, 1. hodieque. VIII, 2. infidelibus collata. VIII, 3. Dona Spiritus ſpecialia. VII, 1. & XII, 6.

Eccle-

E.

Eccleſia, I, 21. Extra Eccleſiam non eſt ſalus, I, 24.
Epiſcopi. VII, 13.
Exorciſmus. VIII, 5.
Expromiſſio. III, 14.

F.

Felicitas publica & privata differunt. I, 3.
Fœdus DEI cum Abrahâ. III, 11.

G.

Galatarum Eccleſia. II, 3.
Gratia Div. quousque recedat. XIII, 5.

H.

Hiſtoriæ vis. IX, 8.
Homo novus. IV, 3.
Hoſpitalitas. XII, 18.
Humilitas. XII, 21.

I.

Jeſum Mariæ filium eſſe Meſſiam contra Judæos hod. III, 19. & 20.
Imaginis Div. reparatio. VI, 3.
Imperans. XII, 10.
Imperfectio & difformitas hominis non poteſt plane tolli. III, 4.
Imputativ. ibid. 16.
Infantum fides. IV, 5. mors. II, 9.
Inimicitia DEI. II, 12.
Inſpiratio. VI. 4.
Intellectus. II, 12. illuminatio intellectus. VI, 1.
Interceſſio Sanctorum viventium. XIII, 14.
Judæorum error. III, 3.
Jurisprud. & Philoſ. Moral. origo. VII, 7.

L.

Legis inter & Evangelii obligationem differentia. X, 4.
(1.) causâ effic. ibid.
(2.) Formâ. ibid.
(3.) Fine & effectu: præmiis. X, 5.
pœnis. X, 6.
Legis uſus pædagog. hodie. XI, 4.
Liberalis. XII, 10.
Libertas & obligatio Chriſtiana compatib. X, 6.
Linguarum donum. VII, 12. & VIII, 5.

M.

Magnanimitas. XII, 16.
Magnanimus. ibid. 12.
Malum legale, & inde obligatio

gatio ad pœnam quandam. II, 8. & 9.
Manſuetudo. XII, 19.
Meditatio mortis quotidiana. IX, 11.
Medium supernatur. IIX, 55.
Meſſiam pro me ſatisfeciſſe, unde conſtet. III, 21.
Miracula. IIX, 4.
Morbus, medium contra obſeſſ. ſpirit. XIII, 3.
Muſicæ vis. IX, 5. & 6.
ejus effectus triplex. IX, 7.
vetus melior. ibid.
Myſterium ex conjugio. V, 4.

N.

Natura hominis immortalis, quia intellectualis ſeu mentalis. I, 4.
Naturalis hominis corrupta. II, 2.
Sententia Philoſ. Gentil. ibid. 3.
Norma interpretandi S. Scripturam. XII, 8.

O.

Obedientia. VI, 2.
Obligatio generis humani. III, 13.
Obligatio utraque (Legis & Evangelii) in V. T. X, 7.
in N. T. X, 8.
Obſeſſio ſpiritualis. XIII, 4. 7. & 8.
media contra illam. ibid. 6.
media præſervativa. ibid. 9. & 10.
media expellentia. ibid. 11.
Obſignatio Spiritus S. III, 18. VI, 3.
Officioſus. XII, 10.

P.

φανερώσεις, manifeſtationes. VII, 1.
variæ. ibid. 2.
finis. ibid.
cauſæ. ibid. 3.
effectus. ibid. 4.
Peccati imputatio. II, 10.
Peccatum originale. ibid. 7. & 11.
regnans, mortale. XIII, 4.
in Spirit. S. ibid.
veniale. ibid.
Perfectio Chriſtiana. X, 1.
Philoſophorum Gentilium ſententia de Natura hominis corrupta. II, 3.

eorum

eorum ignorantia vincibilis. ibid. eorum error. III, 2. & 3.
Poetæ. VII, 10.
εὐφυΐα poetica. IX, 5.
Impetus poeticus. ibid. 6.
ejus cauſa: (1.) Melancholia. (2.) Affectus. (3.) vinum. (4.) Lectio. (5.) Muſica. ibid.
Spiritus poeticus. IX, 5.
Præceptum obligans. X, 1.
Presbyteri. VII, 9.
Primitiæ ſpiritus. VI, 7.
Prophetæ. VII, 10. & 11.
Prophetia. VII, 8. VIII, 8. XII, 8.
Providentia DEI. II, 1.
Prudentia alia Civilis, alia Divina & ſpiritualis. I, 25.
hujus partitio. ibid.
Prudentia Civilis. VII, 7.
Prudentia Civil. primario intendit finem communem non ſingulorum. I, 1.
Prudentiæ humanæ defectus. I, 3.
Prudentia humana in utraque ſocietate finem intendit ſuum. I, 7.
Finis Prudentiæ humanæ ultimus, felicitas ſingulorum poſt hanc vitam. I, 10.
Puniendi officium. XII, 24.

R.

Regeneratio. IV, 3.
Renovatio quotidiana. IV, 7.
Reſpubl. Hebræorum. III, 11.
Revelatio Div. de medio ſalutis. III, 6.
apud Hebræos & Chriſtianos unice & vere. III, 7.
Veritatis probatio externa. 1. ex antiquitate ibid. 2. ex harmonia: 3. vaticiniorum eventu. III, 8. 4. Majorum ſententia. III, 9.
& probabilis. ibid.
interna & infallibilis. ib.
circumſtantiæ revelatæ. III, 11.

S.

Sacerdotum finis in Republ. I, 13.
Sacramenta. IV, 4.
Sacrificia. III, 10.
Salutis certitudo. III, 18.

Sapientia. III, 5.
Sapientia Chriſtiana. VI, 2
modus acquirendi Sapientiam. VII, 5. & 6.
Sapientia Veterum. IX, 2.
Studium Sapientiæ neceſſarium. IX, 3.
in quo conſiſtat. ibid.
modi acquirendi. ibid.
Satanas hoſtis humani generis. XIII, 1.
ejus ſocii: caro & Mundus. ibid. 2.
Satisfactio Mediatoris. III, 13.
Securitas carnalis. XIII, 4.
media contra illam. ibid. 6.
Securitatis ſtatus. ibid.
Sedulitas. XII, 15.
Septiformis Spiritus. VII, 4.
Socialitas vera & perfecta. I, 5.
Societas hominis duplex: civilis & temporaria: Spiritualis & æterna. I, 5.
iſta huic ſubordinata. I, 6.
Societas & Synagoga Satanæ. I, 22.
in una externa ſocietate utraque interna. I, 23.
Solator. XII, 10.
Solliciti de futura vita Plato: Zaleucus: M. Anton. Imp. Ariſtot. Cicero. I, 10. & 11.
Somnia Div. XIII, 12.
Spiramen. VI, 4.
Spiritus S. motus. XIII, 12.
Spirituum diſtinctio. VII, 11.
Status peccaminoſus. II, 6.
Status novus omnium hominum converſorum: Gratiæ & Pacis. IV, 1. & 2.
Stoicorum ſapiens. II, 13.
Syncretiſmus Hebræorum. XI, 1. ſignificatio hujus vocis. ibid.

T.

Tentationis objectum Fides: Charitas. XIII, 3. gradus. ibid. 4.

V.

Veritas. III, 5.
Veterum Sapientia. II, 4.
Vindicta DEI eſt. XII, 24.
Vindicta privata. XII, 22. & 23.
Virtus erga DEUM & ſeipſum. XII, 1.

Vita

Vitæ futuræ ſollicitudo veterum Gentil. I,10. 11.
Vitæ æternæ præmia. VII, 4.
vitæ hujus miſeria. X,6.
Unio hominis & Spiritus S. IV,4.
Unionis forma realis. V,1.
gratioſa. ibid.
ordinaria: Generalis: ſpecialis: extraordin. V,2.
alia diviſio ſecundum perſonas SS. Trinit. V,3.
demonſtratio unionis cum DEO per effectum proprium. VI,2.
perſeverantia unionis. IX,1.
(1.) modus conſervandæ unionis Div. eſt Meditatio & Lectio, & Imitatio Verbi DEI. IX, 4.
(2.) Oratio & Converſatio cum DEO. IX,9.
(3.) Bona opera. IX,10.
Voluntas. II,2.
Voluntatis ſanctificatio. VI,1.
Voluntas bona, placens perfecta. XII, 3. & *ſeqq.*
Voluptas. XII,17.

F I N I S.

B. L. S.

MAnnuductionem Philoſophiæ Moralis ad Juriſprudentiam antea tibi dedimus, quæ ſi non diſplicuit, patere quæſo, ut & hujus ſcriptionis tibi ſcopum aperiam. Inculpata fuit non tantum olim à Philoſophis atque imprimis quoque ab Imp. M. Antonino, qui & ipſe Philoſophi nomen meruit, religio Chriſtiana ψιλῆς παρατάξεως *ac rudioris alicujus ſimplicitatis aut rationabilitate deſtitutæ obſtinationis: ſed etiam hodieque Prudentibus hujus ſeculi, licet imbutis doctrinâ chriſtianâ, ſordere tamen ea videtur atque ad civilis ſapientiæ compagem comparata quaſi collabaſcere: unde multis ſcandalum ortum & ad atheiſmum prona inclinatio. Quanquam verò divina Sapientia juſto conſilio veritatem noſtræ religionis noluit purpuratis incedere ſyrmatibus, nec* πειθοῖς *humanæ ſapientiæ* λόγοις *gaudere: tantum tamen abeſt, ut divina & humana ſapientia, vera illa & non ſimulata cujusque fundamentum eſt* τὸ γνῶθι σεαυτόν, *pugnent inter ſe, ut potius hæc ad illam indagandam adigat & pædagogi cujusdam munere fungatur. Atque hoc eſt, quod hic intendimus potiſſimum manuductionem Philoſophiæ & civilis ſapientiæ mancæ & imperfectæ ad Divinam illam & perfectiorem ſapientiam veramque ac ſolidam prudentiam Chriſtianam: idque methodo Prudentiæ genuinâ ac naturali communique & de moribus doctrinæ & Politicæ. Ut verò omne genus*

prudentiæ cum jure & officiis eſt conjunctà, jus porrò ex ſocialitate oriatur: ita etiam hæc circa quam verſamur, ex ſocietate hominis cum DEO immortali originem trahit, cæterisque ex principiis tum naturæ humanæ inſitis atque Jure tam Gentium quàm civili agnitis receptisque, tum verò divinitùs revelatis. Quæ ipſa ſocietas inter DEUM & hominem quum ſit fundamentum Eccleſiæ internæ, ex qua illa quæ oculis cernitur, reſultat, velut breviter in libris de Libertate Eccleſiarum Germaniæ attigi; igitur hoc argumentum in hoc libello ſingulariter pertractandum ſuſcepi; ſimulque hoc egi, ut cultum religionis noſtræ rationalem pro ſcopo noſtro indigitarem: in quo ipſo ſummam Prudentiæ Chriſtianæ verſari arbitror. Neque eſt, ut Prudentiæ vocabulum demamus habitui, quo Chriſtianus conſtituitur, Etſi enim Fides Chriſtiana in promta apprehenſione mediorum Salutis atque in obſequii gloria conſiſtat: prudentia tamen etiam in ſubditorum ſecundùm leges viventium actionibus cernitur. Unde & Salvator ipſe ad prudentiam nos cum ſimplicitate jungendam admonuit, & Apoſtolus vim ejus in tempori inſerviendo comprehendit. Omnis ſcilicet ſocietas per prudentiæ regulas tam ex parte imperantium quàm parentium regitur; maximè verò ad tot ſectarum ac religionum diſcrimina dijudicanda & ad optimam eligendam retinendamque aliisque communicandam, prudentià opus eſt. Sed de his te dubitare vix credo. Illud tantùm addo, more loquendi non Theologico, ſed Philoſophico atque Juridico uſi ſumus, qua in re ſcopum noſtrum ſequimur, h. e. ut non modò Philoſophos & Politicos ad atheiſmum inclinantes, ad viam regiam poppiſmo quaſi pertrahamus; ſed & terminos Juridicos in Divinis adhiberi ſolitos penitiùs explicemus. Bene vale & fave.

DE
FATIS
ECCLESIARUM
PER
S. JOHANNEM
DIVINITUS REVELATIS,
DISSERTATIO.

TYPIS NISIANIS.

§. I.

CUm in libris de Libertate Eccleſiarum Germanicarum, varia earum fata ſpeciatim enarrata ſint, operæ pretium fuerit, fata Eccleſiæ in univerſum conferre atque exponere, duce S. Johanne Apoſtolo atque Theologo, cui SALVATOR O. M. ea revelavit, ut is poſteris ea transſcriberet: Ut enim cujuslibet Chriſtiani eſt, ut ab ineunte ætate, Sacroſancti Codicis Lectioni innutriatur: ita ſemper ratus ſum id quidem non τῶν θεολογιζόντων παίδων, ſed & ſingulorum Chriſtianorum non ſimulatorum opus atque officium eſſe: quippe qvum non tantum ad fidei atque orthodoxias perfectionem id pertineat, ſed etiam ad veram ac ſolidam acquirendam prudentiam Chriſtianorum. Nam quod de Danielis Vaticinio Spiritus ait: *Fore plurimos, temporibus ultimis, qui magnam ſapientiam in illo inventuri ſint:* idem quoque de Apocalypſi N. T. verum eſt eo magis, quo luculentior hæc eſt, atque diductior. Et ſi non aliud, certè beatitudinis deprædicatio librum hunc imprimis commendaret, quam fecit ſummus ejus auctor: *Ecce*, inquiens, *venio velociter. BEATUS, qui cuſtodit verba prophetiæ libri hujus. Apoc. XIII, 18. XVII, 9. XXII, 7.* *Occaſio ſcripti.*

§. II.

Quod ſi igitur Q. Sept. *Tertulliano*, cauſarum Patrono, laudi ducitur, quod veritatem religionis Chriſtianæ *Excuſatio.*

adverſus heterodoxos propugnavit; Si *Socrati*, ſi *Sozomeno*, Scholaſticis, h. e. è Rhetorum ſcholis ad forum & patrocinia clientum profectis, quod hiſtoriam Eccleſiaſticam concinnaverint; nec mihi vitio verſum iri confido, ſi & veritatem religionis, & Eccleſiarum fata ex divino hoc libro, ad eum ipſum finem à Deo nobis ſanctiſſimè mandato, pro viribus, quas idem Spiritus O. M. ſuppeditat, proponam. Atque etſi omnis generis expoſitores, veteres novosque, pervolverim, non tamen id agam, ut eorum varias ac diverſas opiniones examinem aut refutem, ſed eam ſententiam, quæ verbis ac menti proferentis ex Fidei analogia & Hiſtoriæ veritate maximè conſentanea videtur, tersè ac ſimpliciter exponam.

§. III.

Scopus revelationis Porrò profundè hic latentis ſapientiæ eruendæ ſtudium non tam in temporum atque ætatum ſpatiis præcisè determinandis definiendisque, quàm in cognitione *ſtatus veræ Eccleſiæ* conſiſtere videtur, & quis iſte inde usque à tempore hujus ſcriptionis per omnes ejus ætates fuerit, atque variaverit, quisque adhuc [illegible]us ſit: & qua ratione is *à ſtatu externo corrupto* rect[illegible]ſcernendus, atque ut à pſeudoprophetis, juxta Salvatoris monitum, diligenter cavendum ſit. Summatim: Eccleſiam veram à falſa, Chriſtianiſmum verum à ficto ſimulato atque carnali & antichriſtianiſmo ſecernere, & gradus item ſimulati diſtinguere, præcipuum boni interpretis fuerit officium. Scopus itaque hujus libri divinarum revelationum hic eſt, ut præſentetur Status Eccleſiæ Chriſtianæ tam *externus* quàm *internus*, & tam is, qui tum, cum hæc Johanni in Inſula Patmo revelata, *præſens* erat, quàm qui *futurus* eſſet, usque ad conſummationem ſeculi. Id quod

cum-

cumprimis ad conſtantiam atque ſolatium Fidelium facit,ne inter tot ſcandala,ſchiſmata, ſectasque atque perſecutiones publicas privatasque, deficiant, ſed ut in fide atque patientia confirmētur,& victis tot hoſtibus cumSalvatore atq; regni conſortib' tandem triumphent. Cæterum quo tempore facta hæc revelatio aperit Irenæus vetuſtiſſimus ſcriptor,quem & Euſebius *l.3. H. E. c.XIIX. ſequitur:* οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη (ἡ Ἀποκάλυψις) ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομιτιανοῦ ἀρχῆς. *neque enim dudum, ſed noſtrâ propemodum ætate, ſub exitum ſcilicet imperii Domitiani hæc revelatio viſa eſt.* incidit autem mors Domitiani in annum Chriſti XCV. Magis itaque eſt, ut aperto teſtimonio ſcriptoris fide digni & qui mox Apoſtolorum tempora ſecutus, nitamur, quam eorum conjecturis,qui ad Claudii tempora rem referunt, & excidio Hieroſolymorum anteriorem facere laborant.

§. IV.

In duas [illegible] partes præcipuas tota hæc ſcriptio non incommode dividi poſſe videtur, quarum *prima* deſcribit ſtatum Eccleſiæ tum *præſentis* (abſurdiſſimus enim eſt,qui Apocalypſin ac revelationem ad præterita atque hiſtorias referre velit) ad hoc, ut aut futuris etiam ſeculis formam daret,aut exemplum eorum,quæ DEUS O. M. in Eccleſia reprehendat,& emendari cupiat; ut ſic poſteri haberent, ad quod ſe conformarent, quodve corrigerent, ut placeant DOMINO. *Partitio.*

Hæc pars continet ſeptem epiſtolas ad ſeptem Eccleſias Aſiæ Minoris.

Altera pars per reliqua capita *futuri* ſtatus revelatio-

nem continet, & quo propius ad finem accedit, eò diductior eſt atque explicatior, multum & ſapientiæ & ſolatii in his ultimis tempeſtatibus ſuppeditans, ut animum ſemper præſentem conſtantemque geramus, ac velut in ſpeculo lætam nobis cataſtrophen cernamus.

§. V.

Cap. 2. Status Eccleſiæ externus. Epheſus.

Etſi plures jamtum Eccleſiæ per omnem terræ orbem fuerint, ad exhibendum tamen univerſæ ſtatum elegit Spiritus Sanctus ſeptem *Aſiæ* proprie dictæ ſive minoris Eccleſias, earumque Epiſcopos, quibus Joannes apoſtolicâ auctoritate præfuit. Euſebius l. 3. H. E. c. 1. *Joanni Aſia obvenit, qui plurimum temporis in ea commoratus, Epheſi tandem diem obiit.* Et Cap. XXIII. ex Irenæi libro III. adverſus hæreſes: *ſed & Epheſina Eccleſia, à Paulo quidem fundata eſt, Joannem verò usque ad Trajani tempora habuit præſidentem.* Metropolis Aſiæ Epheſus fuit, ubi Eccleſiam S. Paulus fundavit, ad quam & Epiſtolam reliquit. *Act. XVIII, 19. XIX. 1. Cor. XV, 32. 2. Cor. I, 8.* Repræſentat autem Spiritus S. per Eccleſiam Epheſinam Statum Eccleſiæ in *doctrina* quidem *purum* & Orthodoxum; *Scio opera tua & laborem & patientiam tuam, & quod non potes ſuſtinere malos, ſed examinaſti & tentaſti eos, qui* cum ſint ex circumciſione, urgentes Legis Moſaicæ una cum Evangelio obſervationem, tamen *ſe dicunt Apoſtolos eſſe eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces;* contra quos & S. Paulus epiſtolam ad Galatarum Eccleſiam perſcripſerat, & de quibus Epheſinos Presbyteros, valedicens, monuerat *Act. XX. 29.* Porro etiam quoad *Mores*, & diſciplinam externam ab impura & ſpurca Nicolaitarum hæreſi ſeparatum innuit ſtatum: *Sed hoc habes, quod odiſti facta Nicolaitarum, quæ & Ego odi.* Verum nihilominus

nus

nus notat hunc ſtatum deficientem à perfectione Chriſtiana,& à verò atque *interno Chriſtianiſmo* ſive praxi pietatis non ſimulatæ: *Sed habeo adverſum te, quòd caritatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque unde excideris,& age pœnitentiam,& prima fac opera: ſin minus, veniam tibi citò,& movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi reſipueris.*

§. VI.

Ex his obſervatu dignum eſt, notam veræ ac puræ Eccleſiæ Chriſti eſſe Zelum atque ſtudium perfectionis in *praxi Chriſtianiſmi*, & caritate erga proximum. Deinde hanc partem à DOMINO adeò *requiri*, ut eâ deficiente, ſola Doctrinæ puritas & evitatio externorum ſcelerum, qualia Nicolaitæ committebant, non poſſit declinare interminatam *pœnam* extinguendæ lucis Evangelicæ. Enimverò ſicuti *Antichriſtus* eo progrediendi ordine uti ſolet, ut ſtudio Chriſtianiſmi practico, quod Chriſtus *Luc. VI,36.* præcipit, abolito, mentes Chriſtianorum ad meram theoriam ac diſputationes deducat ſteriles: ita *Chriſtus* hanc ipſam defectus ſpeciem punire vult etiam veræ theoriæ Chriſtianæ ac orthodoxias puræ ſublatione. Jd quod veriſſimè in hac Eccleſia Epheſina, ſicut & reliquis prædicta fata, adimpletum hodieque cernere eſſe, egregiè docent αὐτόπται Jac. Spon. & Ge. Wheler *en la Voyage du Levant & des ſept Egliſes del' Apocalypſe, fait aux années 1675. & 1676. p. 255. Au reſte il n' y a plus perſonne à Epheſe, capable d' entendre les Epîtres de Saint Paul, qu' il leur autrefoi écrites. Il n' y a aucun Chrétien dans le Village, & leur principale Egliſe dediée à Saint Jean a été convertie en Mosqué, depuis que les Turcs ſe ſont rendus maîtres de pays.*

Nota Eccleſiæ puræ.

§. VII.

§. VII.

Smyrna. SMYRNENSIS Eccleſia exhibet ſtatum *merè purum* Eccleſiæ & orthodoxiâ & diſciplinâ internaque ſanctitate ſub perſecutionibus florentis. Eſtque hic veræ Eccleſiæ militantis *character*, innuente Spiritu Sancto; *& doctrina & ſanctitate pollere, & premi adfflictionibus perſecutorum, nec tamen ſupprimi.* Cum verò perſecutores præcipuè eſſe ſoleant, qui ſimulant orthodoxiam, & dicunt ſe JUDÆOS & confeſſores orthodoxos, & tamen non ſunt, ſed Satanæ Synagoga, eo major prudentia cum precibus adhibenda, ut ſpiritus dignoſcantur. Intendebant Judæi *unionem religionis* Moſaicæ & Chriſtianæ, hujus veritate convicti, illius ob antiquitatem tenaces. Ilos refutaverat S. Paulus Epiſtola ad Galatenſem Eccleſiam perſcripta & Laodicenſem. Contra iſti eos, qui verbo & virtute reſiſtebant, opere ipſo atque tormentis ad conformitatem cogere ſatagebant. Epiſcopus Eccleſiæ Smyrnenſis *Polycarpus* ab Apoſtolis jam tum ipſis conſtitutus fuit, teſte Euſebio *lib. III. H. E. c. XXXVI.* & imperante Vero, rogo impoſitus *præcipuè Judæis alacri animo, ut ſolent, operam ſuam conferentibus*, ait idem *lib. IV. c. XV.* Atque ni fallor eò audaciæ atque calumniæ progreſſi fuerant Judæi, uti perſuaderent Jmpp. Romanis, Chriſtianos deſciviſſe à veteribus inſtitutis, quæ primi parentes eorum conſtituiſſent. Id quod Maximiani Galerii Imp. Edictum ſuggerit, quod refert Lactantius *lib. de morte perſ. c. XXXIV. Nos quidem volueramus antehac juxta leges veteres & publicam diſciplinam Romanorum cuncta corrigere atque id providere, ut etiam Chriſtiani, qui parentum ſuorum reliquerant ſectam, ad bonas mentes redirent.* Indeque enata fuerat dira DECEM ANNORUM perſecutio

cutio

cutio, quam idem ibi deſcripſit. Atque hoc permittit DOMINUS, ut exerceamur ac *probemur*, modum *terminumque* certorum dierum diabolo præfigens. Conſtantiâ igitur ac prudentiâ tentatio, DEO Servatore, vincenda & ſcandalum evitandum. De hac idem Spon. *p.239.* teſtatur: *Cette ville eſt bien peuplée, & l'on tient, qu'il y a plus de 30. mille Turcs, douze ou quinze mille Juifs, & neuf ou dix mille Grecs, qui n'y ont que deux Egliſes.*

§. IIX.

Quod ſi jam comparamus fata Eccleſiæ Epheſinæ & Smyrnenſis, iſti quidem nulla perſecutio futura dicitur, etſi defecerit à morum ſanctitate: contra Smyrnenſi Eccleſiæ imminet perſecutio & examinis rigor, cùm ſit & moribus & doctrinâ recta. Ratio diverſitatis eſt iſta, quòd quò ardentius aliquam Eccleſiam DOMINUS amat, eò exercet illam vehementiùs. *cap. III, 19.* Quamvis porrò Epheſina atque ſimiles à zelo & ſeriâ praxi Chriſtianiſmi alieniores Eccleſiæ non exercentur tentaminibus, propter DEI longanimitatem, ne ſimul ac ſemel deficiant univerſi; ſed rebus ſecundis frui permittuntur ac blanditiis minisque ad ſanctitatem ac perfectionem invitantur; At pœnitentiâ haud ſecutâ, tarditatem gravitate excidii totalis compenſat DOMINUS. *Comparatio utriusque.*

§. IX.

PERGAMENSIS Eccleſiæ Status diverſus à prioribus, præſentat Eccleſiam ſub Sede Antichriſti & Satanæ preſſam, & ſimul cum Hæreticis, Nicolaitis, commixtam: quorum priore convenit cum Smyrnenſi, poſteriore differt ab illa: utroque ab Epheſina. Character itaque veræ ac puræ Eccleſiæ eſt ſeparatio ab hæreticis. *Commu-* *Pergam.*

nio enim *cum hereticis*, in Concilio legitimo damnatis, quales erant Nicolaitæ, qui contra canonem Concilii Hieroſolymitani ſtupris cynicè indulgebant, & idolothytis veſcebantur, prohibetur à Domino ſub *pœna* gladii oris ſui, qui iſtos cædet, orthodoxis tamen atque ſanctis, qui præter ſuam voluntatem, & ex indulgentia & *conniventia Superiorum* à Deo hic improbatâ, intermixti ſunt, ſalvis. Statum hujus Eccleſiæ hodiernum Jac. Spon ita deſcribit *p. 262. Les Chrétiens de Pergame ſont en pauvre état. La ville eſt peuplée de deux ou trois mille Turcs, mais il n'y a que douze ou quinze familles miſerables de Chrétiens Grecs, qui cultiuent la terre. Il leur reſte vne Egliſe dediée à S. Theodore Euéque de Smirne ſous le diœceſe du quel ils ſont compris. Dieu les a encore conſeruez, parceque ſelon le temoignage de celuy qui parle dans l'Apocalypſe.*

§. X.

Thyatira. Status Eccleſiæ Thyatirenſis eſt proximo Pergamenſi in eo ſimilis, quòd & hæc Eccleſia *communionem* habuit *cum Nicolaitis*, ſed in eo differt, quod illa non eſt preſſa, ſed libera, & qvum per ſe eſſet pura & moribus & doctrina, impuram tamen hæreſin iſtam *concedit* intra ſeſe doceri & exerceri. Qua ipſa commixtione & adulterio ſpirituali ira excitatur divina adverſus Angelum, ſive Epiſcopum & Superiores, ſive conniventes ſive expreſsè indulgentes. *Officium Epiſcopi eſt*, inquit S. Hieronym. in Epiſt. ad Tit. *ut ſchiſmatum ſemina tollat.* Hinc *pœna*, Morbus & ægritudo ſpiritualis: afflictio magna: & nex filiorum. A quâ tamen immunes ſunt privati, qui iſtam communionem quantum ad ſe non admittunt, ſed deteſtantur ſeque ab iis ſeparant. Thyatiræ hodie à Turcis

AK-

AK-hiſſar, h. e. *château blanc*, Weiſſenburg/ vocatur, prima ſita inter ſeptem has Eccleſias, Jac. Spon: *Jls ſont tous Mahometans, & il n'ya plus en ce lieu-là de Chrétiens, ni Grecs, ni Armeniens, ſi ce n' eſt peut être quelques eſclaues, ou quelques eſtrangers qui trauaillent chez les artiſans. En un mot, il n' y a plus d' Exercice de la Religion Chrétienne en ce lieu-là, & Dieu a puni ſur eux ſelon ſa menace, les impietez de Jezabel.*

§. XI.

Eccleſiæ Sardinenſium ſpecimen eſt Eccleſiæ corruptæ, quæ vivens mortua eſt propter ſupinam *ſecuritatem*, quam vera Eccleſia ſollicitâ vigilantiâ & ſtudiis exercitiisque pietatis devitat. Obſeruamus tamen etiam in hac tâli Eccleſia ſervari *quadam membra vivida* ac pura: cæteris reſipiſcendi datâ copiâ. Idem Spon: *Jl s'y trouue quelques Chrêtiens, qui s' occupent le plû part au jardinage & qui n' ont ni Prêtre, ni Egliſe.* At contra Eccleſiæ Philadelphienſis exemplum illuſtre eſt *florentis ſtatûs* & augeſcentis acceſſione eorum, qui ex Satanæ ſchola & Antichriſti, Eccleſiam perſeqvuti; *ἰδοὺ ποιήσω αὐτοὺς ἵνα ἥξωσι, ecce, faxo, ut accedant, adigam eos, ut veniant & adorent ante pedes tuos.* Atque notandum hic: Horam tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum, ut tentet habitantes in terra, h. e. *Perſecutionem Antichriſti univerſalem*, non vaſtare omnes Eccleſias in univerſum, ſed has ad exemplum Philadelphenſiũ compoſitas, & virtute ac confeſſione puras atque conſtantes, conſervari ab iſta. Jac. Spon Philadelphiam à Turcis vocari *Allah-ſcheyr, la Ville de Dieu*, & poſt fortem reſiſtentiam à Turcis impetrâſſe Capitulationem mitiorem, quàm vicini: *On leur laiſſa quatre Egliſes, qu' ils ont encore, Pamgia, Saint George*

C. III. Sardes.

Phila-delph.

ge, S. Theodore & S. Taxiarque, qui eſt le même, que S. Michel. Jl y a dans Philadelphe ſept au huit mille habitans entre lequels on peut conter deux mille Chrétiens; ce qui nous fait voir l'accompliſſement merueilleux de le prophetie de l'Apocalypſe.

§. XII.

Laodicea. Septima denique Eccleſia *Laodicena*, Sardinenſi etiam deterior, indifferens exhibetur, cum orthodoxis pariter & hæreticis communicans, corrupta per Philoſophiæ abuſum, ſive *Sophiſticam*, ut jamtum conqueſtus S. Paulus *ad Coloſſ. II, I, 8. & c. ult. 16. 17.* quoad doctrinam, inde & moribus per ſecuritatem corrupta. Atque videtur hæc Eccleſia evitaſſe perſecutionem Judæorum & Gentilium, tali *Syncretiſmo* recepto. *Syncretiſmus Gothicus.* Similis figuræ fuit Eccleſia *Gothorum* in Italia olim & Hiſpania dominantium, & cum Arrianis & cum Orthodoxis æquè communicantium. Exemplum refert *Gregorius Turonenſis.* Jn Iris talibus primò dicitur hic deficere Fidei puritas ac certitudo; unde *Collyrio* ſpirituali opus, h. e. illuminatione Spiritus S. per diligentem Verbi revelati ſcrutationem preces atque ſanctitatem morum. Deinde & Caritas morumque probitas: quare *Veſtimenta alba* comparanda, atque *aurum πεπυρωμένον ἐκ πυρὸς*, probatum per *ignem* tentationis & perſecutionis. Hæc enim certa κάθαρσις, quâ crucis caſtigatione ſecuritas expellitur, precum ardor, morumque ſanctitas reducitur, & Doctrina atque Confeſſio ad Analogiam Fidei reformatur. Ad hos ſeptem Eccleſiarum ſtatus quælibet Eccleſia particularis cujuscunque ſeculi poterit referri, exemplumque inde vel confirmationis vel reformationis ſumi. At Laodicea his ſpretis, excidium paſſa. Jac. Spon: *Laodicee eſt appellée par les Turcs du*

voi-

voiſinage Eskibiſſar, c' eſt à dire, vieux Château; An.-ſ.-Eſt-ce vne Ville entierement raſée, & il n' y a preſentement qu vn moulin ſans autre habitation. On ne ſçait ce qu' elle eſt deuenu l' Egliſe Chrêtienne, qui êtoit autrefois à Laodicée, & la menace de celuy, qui eſt la Verité même, n' a pas manqué d' auoir ſon effect.

§. XIII.

Pergit Spiritus revelator; Poſtquam Statum Eccleſiarum externum propoſuit, exponit quoque *internum* Totalis Eccleſiæ, tam *triumphantis* quàm *militantis* ſtatum, ſub figura TEMPLI. *Cap. VII, 15.* ubi præſidet Deus O. M. Creator Orbis, Triunus. 1. ὁ καθήμενος. 2. ἡ φωνὴ. 3. τὰ πνεύματα. Numerus *ſeptenarius* Vocum & Spirituum denotat perfectionem divinitatis & operationis univerſalis. *conſ. cap. X. 3.* tum quod is fundamentum eſt revelationis futuri temporis per hebdomadas. Triumphantis Eccleſiæ Senatum repræſentant *XXIV. Seniores* coronati, Veteris ac Novi Teſtamenti. h. e. XII. Patriarchæ & totidem Apoſtoli. conf. *XXI. 12. & 14.* Populum univerſum Beatorum, Mare cryſtallinum, ſive vitreum, mixtum igni, ad quod ſtantes Fideles cantant canticum Moſis, ſicut Jſraël ad mare rubrum *Exod. XV. Vid. infra Cap. XV. 2.* Eccleſiæ militantis imagines referunt *quatuor ζῶα, animalia,* ſicuti etiam apud Ezech. *c. 1, 5. c. 10, 20. c. 41, 18. 19.* niſi quod quantum ad *Alarum* numerum differentia ſit, videlicet pernicior eſt & copioſior Eccleſia Novi quâm Veteris Fœderis. Atque ſolent etiam aliàs in hujusmodi revelationibus & figuris myſticis Animalia referre Univerſitates, veluti apud Danielem IV. Jmperia Univerſalia. Jtaque & hoc loco quatuor Animalia ſignificant collectos ex IV. mundi plagis Fidelium Univerſitates;

C. IV. Stat. Eccl. internus.

tes, ita enim ipſa *cap. V. 9.* de ſe ajunt: *Redemiſti nos DEO per ſanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua & populo & natione.* Deſcribuntur *plena oculis antè & retrò:* quo ipſo Spiritus S. illuminatio innuitur & Chriſtiana prudentia. LEO, feruidum animal, feruorem, nî fallor, atque zelum charitatis atque fidei Eccleſiæ, *per Orientem* collectæ, denotat, primogenitæ Leonis de tribu Juda, *c. V. 5.* VITVLVS augeſcentem Eccleſiam per *Occidentem*, & Univerſum Jmperium Romanum Chriſto deditum præ ſe fert. HOMO inops & imbecille maximè animalium Eccleſiam ex plaga *meridionali* Ægypti atque Africæ collectam notare videtur. AQVILA denique *Septentrionalis* plagæ Fideles, atque Eccleſiam, cujus Senecta inſtar Aquilæ rejuveneſcit reformata.

§. XIV.

C. V. Revelat. auctorit.

Porrò Revelationis hujus de futuro Eccleſiæ Statu usque ad conſummationem ſeculi, auctoritatem atque impetrationem, Mediatore JESU CHRISTO ſub figura Agni occiſi & reviviſcentis, graphicè depingit Caput V. *Cornua* Agni ſignificant poteſtatem Spiritualem Eccleſiæ Chriſti Vet. & Novi Teſtamenti: *Oculi*, dona Spiritus S. illuminantis Fideles per univerſa ſecula *ſeptem* ſive millenariorum ſive ætatum Eccleſiæ utriusque fœderis. Hic Mediator ſolus gaudet etiam hac facultate revelandi Eccleſiæ ſua fata, quæ Volumine Septem Sigillorum denotantur.

§. XV.

C. VI. Summa.

Sigilla porrò *ſeptem* revelationem futuri ſtatus per *univerſam* Chriſti Eccleſiam continent, idque *triplici* ratione,

tione, primò ſecundùm *IV. Orbis plagas* ſive partes, quatuor equites eum repræſentant: Deinde ſecundùm diverſa *hominum genera*, Chriſtianorum & Antichriſtianorum; Nam quintum ſigillum illorum, horum verò Sextum conditionem, ſummatim exhibet: tertiò ſecundum *ſpecialem enumerationem plagarum* populis antichriſtianis usque ad conſummationem ſeculi infligendarum, quæ poſtmodum per tubas atque phialas diducuntur. *Eques primus*, candido equo vectus, arcu & corona inſignitus Victor de præſenti tum, & de futuro, νικῶν καὶ ἵνα νικήσῃ, oſtenditur Apoſtolo per *Animal primum*, h. e. Leonem, quo Orbis imprimis Orientis portio denotari videtur. Videlicet revelatur hic ſtatus Eccleſiæ Chriſtianæ victorioſus per Imperium Romanum, maxime in Oriente, in quo Eccleſia primò fundata, mox undiquaque dilatata, atque unà cum Imperio Rom. victorioſos triumphos, non modò per medias perſecutiones, h. e. bella Eccleſiæ, ſed etiam partâ pace per Conſtantinum M. duxit, Eccleſiâ cum Imperio conjunctâ.

1. Sigill.

Victorioſ. Eccleſiæ & Imperii Status, ab Oriente.

Lib. 1. de L. E. G.

§. XVI.

Atque Sedem Jmperii Conſtantinus ex Occidente in Orientem tranſtulerat, Majeſtatem Orienti illuſtriorem quidem concilians, ſed eo ipſo Occidentem bellicoſis populis proſtituens; quâ re & Jmperio & Eccleſiæ turbidus ibi ſtatus contigit, qui refertur, ſecundo Sigillo aperto, per Equitem ruffo inſidentem equo, cum gladio magno, qui pacem de terra tolleret, & bella inter mortales moveret internecina. Contigerunt enim Sede Jmperiali ex Occidente tranſlata irruptiones Gothorum, Burgundionum, Saxonum, Francorum in Jtaliam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, & occupato Jmperio Occidentali, maxi-

2. Sigill.

Turbulentus ab Occidente

L. 2. de Lib. 3 G.

maximam ſtragem ediderunt etiam Eccleſiaſtico Statui ac paci Eccleſiarum. Et quamvis Gothi etiam religionem Chriſtianam amplexi tandem, itemque Franci, illi tamen Arrianiſmum cum orthodoxa religione turpiter commiſcuerunt, ut antea quoque vidimus; hi verò bellis inteſtinis & moribus corruptiſſimis res Eccleſiæ vehementer conculcarunt, qua de re conqueſtus Gregorius Epiſc. Turonenſis, itemque Gregorius M. Pontif. Rom.

§. XVII.

3. Sigill. Tertius Eques ſuper nigro equo, oſtenſore tertio animali, hominis faciem gerente, h. e. ex Africa & Ægypto *famelicus ad merid.* Arabiaque oriundus, fame non civili tantum, h. e. extincto commerciorum flore, ſed maximè ſpirituali, Orbem vaſtare intendit. Quæ omnia *Mahumetiſmo* introducto adimpleta ſunt, qui primo Eccleſias Arabiæ, Ægypti, Africæ, mox & Orientem & Occidentem quoque vaſtavit ſpirituali pariter & civili fame, ſeu barbarie. Acceſſit etiam *L. IV. de L. E. G.* peſſima *Pontificum* cura circa ſacra & negligentia reformationis Eccleſiæ tam in doctrina quàm diſciplina; Unde in media etiam Eccleſia & ſub Chriſtianis Principibus æquè famelicus Eccleſiarum ſtatus fuit. Id tamen ſolatii annectitur; Fame hac ſpirituali conſervatum iri annonam *frumenti, vini atque olei,* neque eam arctiorem fore. *Conf. Zach. 9. fi.* Manſit enim ſingulari Dei gratia uſus ſacramentorum, imprimis S. Baptiſmi, & qualiscunqe Verbi divini prædicatio aut lectio. Atque hic videmus omnia iſta, quæ antea Eccleſiis Aſiæ ſeptem erant prædicta, fuiſſe & in ipſis & in cæteris ad exemplum harum compoſitis adimpleta, translatis harum candelabris magnâ ex parte

in

in Septentrionalem terræ partem, quanquã & hanc, ob ingratitudinem ſua plaga manet, ut mox ſequitur.

§. XVIII.

Pallido equo inſidens pallida *Mors* oſtenditur à quarto Animali, *Septentrionis* ſymbolo; Mors enim non modo corporalis, ſed etiam *ſpiritualis* hanc quartam terræ partem maximopere variis modis afflixit atque perdidit, nec finis mali cernitur. Nam & Salvator, quum hæc prædixerat: *Conſurget gens contra gentem, & regnum contra regnum; & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræ motus ſingulis locis;* addit: *Hæc autem omnia ἀρχὴ ὠδίνων, initia ſunt dolorum. Matth. XXIV.* Gregor. Turon. *Lib. V. c. 1.* & *Lib. X. c. XXI.* Sanè hic Eccleſiarum Status planè *cadaveroſus* eſt, & accumulatus plagarum congerie: quo ſummum orbis Chriſtiani imperium uſurpatum in tyrannidem ſacram mutatum erat, omneſque ſtatus humanæ ſocietatis corruptos perdiderat. Atque hic ſymbolum hujus quarti Animalis admonet nos Salvatoris ſolatii *d. l.* Ubicunque fuerit *cadaver*, illic congregabuntur & *aquilæ*.

4. Sigill. Cadavero ſus ad Septentr.

L. IV. V. de L. E. G.

§. XIX.

Sigillum quintum, absque ductu IV. animalium, revelat *ſtatum animarum ſeparatarum* fidelium confeſſorum & martyrum. Τὸ πȣ̃, ubi hæ conſervantur usque ad redunitionem cum corpore, vocatur *Altare* in Templo cœleſti, quod eſt ante Thronum SS. Trinitatis, *cap. VII. 9. c. VIII. 3.* Aureum. *c. IX. 13.* Earum conditio conſiſtit in quiete, non tamen ſine *deſiderio* & expectatione redunitionis & congregationis plenariæ, approximante judicio extremo: interim ſolatio fruuntur *ſtolæ candidæ*, tranquillæ conſcientiæ ac lætæ. Id quod ipſum ſolatii causâ his

V. Sigill. Status Beator.

revelatur, qui in ultima perſecutione magna confeſſorum conſtantiam conſecuturi, horum conſortio mox aſſociandi.

§. XX.

VI. Sigill. ſtatus perſecutorũ.

Contra ſigillo ſexto repræſentatur *conditio Mundi* & mortalium deficientium à verô Chriſtianiſmo, *apoſtatarum*, & deſperantium de gratia DEI, ob apoſtaſiam & perpetratam perſecutionem Chriſti Fidelium. Idem Salvator jam tum *Matth. XXIV. 29.* vaticinatus, quum prius de perſecutione dixerat, *Tunc tradent vos in afflictionem &c. Statim autem poſt afflictionem dierum illorum; ſol obſcurabitur, & Luna &c. & plangent omnes tribus terræ, &c.* Viciſſim *Cap. VII.* deſcribitur ſtatus & conditio fidelium confeſſorum & πρακτικῶς χειμαζόντων, & quomodo in tanta rerum omnium perturbatione, omniumque ſtatuum tam publicorum quam privatorum confuſione, ita ut periculum ſit, ne deficiant & electi, hi tamen certi atque tuti eſſe poſſint. *Obſignatio* verò hæc & characteris divini impreſſio eſt promiſſio divina hic facta & revelata de aſſiſtentia & confirmatione peculiari, cuſtodiaque ſingulari, ut Electi Fideles in Fidei confeſſione, *c. XVI. 17.* & charitatis exercitio perſeverent, & Afflictionem imminentem vincant.

C. VII. Status fidelium.

§. XXI.

Tribus Iſraelis N. T.

Tribus Iſraelis non V. ſed N. T. intelliguntur, de quibus Jerem. *XXXI, 1.* Ezechielis Vaticinium, & deſcriptio novæ terræ promiſſæ & Templi: & Paulus *Rom. IX. 6.* Semen Abrahæ, qui filii ſunt non carnis, ſed promiſſionis. *Gal. IV. 28.* Diſcrimen tamen animadvertitur in nominibus tribuum. Hæc enim revelatio omittit tribum *Dan* & *Ephraim*, & ordinem quoque, qui in V. T. libris habetur, hic

hic non obſervatur, ſed alius peculiaris, præferens tribum Juda, propter primogenitum & principem ex ea ortum JESVM CHRISTVM. Ratio ceterarum obſcurior. Obſervatur tamen, *Dan* tribum, primum defeciſſe à cultu divino. *Jud.* XVII. *18.* itemque *Ephraimum*, per Jerobeamum ejusdem apoſtaſiæ participem fuiſſe. *1. Reg.* XII. *26.* Quibus tamen ſubſtituuntur *Joſeph* & *Levi*, duo teſtes JESV. Innuitur autem hac ſolenni obſignatione magna accesſio etiam ex Israële ſecundùm carnem, *Rom.* XI. *25.* *Hoſ 3, 5.* *Matth.* XXIII. *fin.* *2. Corinth.* III. *16.* *1. Theſſal.* II. *16.* in noviſſimo ſeculo futura veræ & internæ Eccleſiæ Chriſti, de qua & Salvator *eod. cap.* XXIV. *13.* *Qui autem perſeveraverit usque ad finem, hic ſalvus erit. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus gentibus.* Annectitur tandem eorundem, poſt exantlatam Afflictionem mundi, triumphans Status, & quæſita gloriæ conditio perfecta. *conf. Cap.* XXI. *4.* In numero denique adſignato CXLIV. millia. & ex ſingulis XII. Tribubus XII. millia, abſconditum latet myſterium. Eadem eſt menſura novæ Civitatis Jeruſalem *c.* XXI. *17.* Ceterum 144. conſtituunt numerum primum quadratum, cujus radix eſt 12. doctrinam duodecim Apoſtolorum innuens, radicem, fundamentum ac petram illam Eccleſiæ Chriſti.

accesſio Judaeor.

Regnum Chriſti.

§. XXII.

Septimum Sigillum revelat ſpeciatim, quæ antea in genere oſtenſa, imprimis verò deſcribit ſtatum illum cadaveroſum Eccleſiæ, primò per VII. Tubas, deinde per totidem Phialas. Tubas præcedit *Silentium in cœlo*, h. e. Eccleſia militante per ſemihorium. Id quod de reſpiratione Eccleſiæ Chriſtianæ per Conſtantinum M. Imperio conciliatæ intelligunt. Differentia autem inter *Tubas*

Sigill. VII. C. VIII.

Quies Conſtantiniana.

atque *Phialas* triplex animadverti poteſt, prima quoad *Tubæ claſſica bellorum eccleſiaſticorum.* Objectum, Tubæ nocent tertiæ parti, phialæ toti; *confer Zach.* XIII. *8.* altera quoad tempus ſucceſſivum: Tubæ enim Phialas præcedunt tempore, ut & ipſæ Tubæ alia aliam, conſidera primam & ſecundam: *c.* VIII. *7.* & IX. *4.* Tertia quoad formam, Tubæ videntur eſſe permiſſiones corruptionum & ſcandalorum, diſſidiorum, bellorum in Eccleſias pervenientium per ipſarum *Angelos*, h. e. Epiſcopos & Paſtores, qui ſtant in conſpectu DEI, ſervientes cultui divino atque ſacris; *Phialæ pœnæ.* Phialæ verò inſequentes pœnæ corruptarum Eccleſiarum, apoſtatarum & perſecutorum: Tria verò Tubicinia ultima, quæ *Væ* appellantur, utrinque participant.

§. XXIII.

Thuribulum. Antequam verò Tubicinia iſta revelantur, præmuniuntur Sancti armaturâ ſpirituali, quam Salvator *Matth.* XXVI. *41.* etiam inculcat: *Vigilate & orate, ut ne intretis in tentationem imminentem, aut ne in ea deſeramini.* *Preces Sanctor.* Atque hoc fit cum inſigni ſolamine & promiſſione de aſſiſtentia Spiritûs S. de qua Apoſtolus teſtatur, quòd ineffabilibus ſuſpiriis nos adjuvet coram DEO. Hæc ſunt illa θυμιάματα πολλὰ data precibus omnium Sanctorum pro vindicando ſanguine martyrum, & perdendis hoſtibus Eccleſiæ. Atque his ſuffitibus prunæ & *ignis* in terram dejectus, excitant *tonitrua*, *fulgura* & *terræ motus*, *atque* φωναὶ. h. e. Deus reſpondet precibus, conſvetâ voce tonitrûs, fulmine ſe ac terræ motu perdituros piorum adverſarios.

§. XXIV.

Tub. 1. Tubâ primâ oritur *Grando* & *Ignis* mixtus *ſanguine.* Effectus: Tertia pars *arborum* concremata eſt; & omne

gra-

gramen viride. Prima corruptio Eccleſiarum, cœpta in Oriente, invadit omnem orbem Chriſtianum. Ut pluvia *Pſ. LXVIII. 10.* Doctrinam divinam atque puram & orthodoxam notat, ita *Grando* doctrinam pravam & hæreticam. *Ignis* affectus atque Zelum ſine ſcientia ſignificat, quo fervent hæretici orthodoxos perſequentes, quod & ipſum *Sanguis* denotat. Talis igitur hæreſis hîc præfiguratur: ejusque vis tanta, ut tertiam arborum partem, gramen verò in totum perdat. *Gramen* vulgus notat Eccleſiæ, *Arbores* hos, qui præſunt. Angelum hunc *Arium* eſſe exiſtimo, primus, qui poſt tranquillitatem à Conſtantino M. partam, maximas turbas in Eccleſia excitavit. Vid. Sulpit. Sever. *Lib. 2. ad fin.* & Socrat. *l. 1. c. VI.* qui μέγα πῦρ magnum incendium hîc excitatum appoſitè ait, nec non Vincent. Lirinenſ. *in Commonitorio pag. 319.* Cum Eccleſiarum fata hîc deſcribi, certum ſit, itaque magis eſt, ut hæc de illis accipiamus, quàm de Reip. & Romani Imperii eodem tempore ortâ vaſtatione per Gothos, qui tamen & ipſi Arianæ ſectæ addicti erant. Atque poſt hæreſin Arianam effuſam ſtatus Eccleſiarum Imperii Romani corruptiſſimus fuit; eum depingit αὐτόπτης vir ſanctiſſimus Salvianus Maſſilienſis Presbyter *lib. IV. ſq. de gubern. DEI*, ubi *Romanam Remp. vel jam mortuam vel certè extremum ſpiritum agere* dicit, & *in eâ parte quâ adhuc vivere videatur, vitiis mori. &c.*

Arius.

L. 2. de L. Q. G. c. 1.

§. XXV.

Secundâ Tubâ factum, ut tanquam Mons magnus igne ardens projectus ſit in mare; eo effectu, ut tertia pars maris fieret ſanguis: ex quo porrò tertia pars creaturarum in mari viventium moreretur, & tertia pars navium interiret. *MONS* Monarchiam in S.S. ſignificat,

Tuba II.

Gregor. II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ita Monarchia Babylonica Mons & quidem combuſtus & dejiciendus dicitur à *Jeremia c. LI. 25. conf. Zach. IV. 7.* Hic verò non combuſtus, ſed *comburens* (nec enim extinguitur projectione) præfiguratur, projectus in mare. Monarchia igitur in Eccleſia, oriunda ad *Mare* aliquod, projecta innui videtur. Ex cujus tamen ſtabilitione tertia pars Eccleſiæ *ſanguinolenta* & bellis ac perſecutionibus implicita: tertia quoque pars *viventium in mari*, populi chriſtiani morte ſpirituali, & tertia pars *navium* h. e. Eccleſiarum peritura. Angelus hic Epiſcopus videtur Monarchiam occupans id quod à *Gregorii II. P. R.* inde usque temporibus cœpiſſe dici poterit. Qua Eccleſiæ pars tertia, h.e. Occidentalis graviſſimis bellis intricata fuit, & tertia pars Eccleſiæ, Occidentalis, moribus Chriſtianis ac charitatis priſtinæ Zelo orbata periit.

Affectatio Monarchiæ. *De Lib. E. G. l. 2. c. 7. ſqq.*

§. XXVI.

Tub. III. Tuba Tertia *Stellam* magnam ardentē tanquam faculā, ſive Cometē, de cœlo detrahit in tertiam partem *fluminum* & in *fontes aquarum*: quo fit, ut tertia pars eorum in *abſinthium*, id enim nomen & vis ſtellæ eſt, verteretur, & ex amaritudine illa multi homines morerentur. Cometes hic notat Scholam Doctorum, moribus ac doctrinâ Evangelii puritatem ac dulcedinem corrumpentium, & amaritudine afficientium: carnificinam conſcientiarum fabricantium, & laqueos nectentium. *conf. Jerem. IX. 15. Ezech. XIII. 19. Judæ. 13.* Cecidit hæc ſtella in Eccleſiam quum dogma de cultu Sanctorum Imaginum Eccleſiæ obtruderetur. *V. L. 2. de L. E. G. c. X.* Id quod ſeculo ſexto & ſeptimo contigit. Alii *Mahometem* hic intelligunt.

Cultus Sanctor. Imag. *Mahomet.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Tubâ quartâ percutitur Solis, Lunæ & *ſiderum pars tertia obfuſcatione*, ut nec die nec noctu luceret. Ingruentes hîc tenebræ in Eccleſiam poſt fundamentũ ſupra dictæ ſuperſtitionis ſemel poſitum per hanc eclipſin Eccleſiæ denotari videntur, & introductio inſignium *abuſuum* & barbariei tam in doctrina quàm diſciplina. Huc origo abuſus Indulgentiarum, *Lib. 3. de L. E. G. c. 1. §. 2.* Nec quisquam erat, qui Reformationem & abrogationem iſtorum maſculè defenderet, maximè inter clericos, ſidera illa Eccleſiæ, inde à Ludovico Pio usque ad Henricum IV. poſt quem vis hæc tenebrarum fortior eſſe cœpit & ferè inexpugnabilis. *Tub. IV.* *Barbaries in doctrina & morib.*

§. XXIIX. *C. IX.*

Sequentia Tubicinia tria complementa malorum continent, unde Angelus clamitans: *Væ, Væ, Væ habitantibus in terra propter reliqua Tubicinia trium Angelorum.* Primum itaque Væ quinti Tubicinii eſt ἀςὴρ πεπτωκώς, ſtella, quæ de cœlo ceciderat jam tum ſub antecedentibus tubiciniis, imprimis tertio; huic jam data fuit clavis putei abyſſi, quo recluſo, adſcendit fumus ſicut magnæ fornacis, obſcurans aërem & ſolem. Ex eodem fumo enatæ locuſtæ, loricatæ, cataphractæ, coronatæ, humanâ facie præditæ, capillitio muliebri & dentibus leoninis, & alis, quarum ſtridor inſtar curruum falcatorum ad prælium currentium, caudis quoque inſtar ſcorpionum aculeatis, quibus vim ſcorpionum exercent adverſus infideles ſeu non-electos, ut eos crucient per quinque menſes, adeo ut hi mortem ſibi optent: Ceterum immunes ab eorum veneno omnes arbores & omnis planta viridis. Rex Locuſtarum Angelus Abyſſi, *Abaddon* ſive *Apollyon*, Perditor. *Tub. V.* *Væ I.*

§. XXIX.

§. XXIX.

Dictatus Hildebr. Stella hæc, Epiſcopus eſt apoſtata, à prima charitate
& Zelo fidei non ſimulatæ, qui defecerat jam tum, abuſi-
bus in Eccleſiam variis introductis auctoritate ſummâ,
quam in Eccleſia & per occidentem cumprimis gerebat.
Is loco clavium Regni cœleſtis, accepit clavem putei abys-
ſi, *conf. 2. Petr. 2, 4. & 17. Judæ 5. & 13.* ex quo Beſtia ad-
ſcendit, quæ *Cap. XI. 7.* deſcribitur. De Locuſtis confer.
Lib. IV. de L. E. G. *Nahum. ult. 17.* Huc pertinere videntur DICTATVS
Hildebrandini, qui obnubilarunt Solem S. Majeſtatem
Imperatoriam, atque aërem omnem poteſtatem ſecula-
militia Cruciata. rem. Eâ ex doctrina etiam orti ſunt *milites Cruciati*,
à prædicatoribus crucis undique coacti, viri ac mulieres,
ad bellum ſacrum contra Saracenos, ut videbatur, deſti-
L. VI. de L. E. G. c. IV. 6. nati; revera autem ut vires Imperii ac Regni obnitentes
Eccleſiaſticæ Monarchiæ infringerentur. Non conceſ-
ſum porrò iſtis prædicatoribus, ſeducere niſi homines
Spiritu S. non obſignatos, ſed ſuperſtitioni deditos; neque
tamen ut eos occidant, ac penitus tollant ex Eccleſia, ſed
ut crucient tantùm ad tempus determinatum. Deſie-
runt itaque tandem hæ Locuſtæ poſt *menſes quinque*,
h. e. poſt quinque tricennalia quæ CL. annos continent.
Quod non de *continuo*, ſed de *utili* tempore intelligen-
dum, opinor, quia & crux per intervalla prædicata. Alii
Mahometanæ religionis propagatorem armatum ma-
lunt interpretari. TVRCA expoſitore Chalcondylâ,
Vaſtatorem ſignificat. Atque imperii Turcici primor-
dia ſeculo XI. jecit Zadoc vel Tangrolipax, condito regno,
quod annos CL. duravit, cujus milites omnem Orientem
devaſtarunt. Hos excipiunt quatuor populi ad Euphra-
tem ingruentes in Europam & Occidentem.

§. XXX.

§. XXX.

Tubicinium Sextum ſoluit *quatuor angelos* perditores, alligatos hactenus ad *Euphratem:* hi cum immenſo exercitu occidunt tertiam partem hominum idololatricorum, per horam, diem, menſem, & annum: igne, fumo atque ſulphure. Hi ſunt ad Euphratem oriundi *Mahommedani Reges*, Saracenorum, Perſarum, Tartarorum & Turcarum, qui & doctrina & diſciplina & tyrannide tertiam partem mortaliū morte occiderunt & corporali & ſpirituali: Cæteri qui non ſunt amplexi hanc doctrinam, manſerunt in vita & doctrina nihilominus corrupta & idololatrica; quales ſunt ferè Eccleſiæ ſub Imperio Turcico & Perſico. *Annus* intelligitur Angelicus, h. e. annorum civilium 365. *Menſis* 30. annos continet: *dies* annum unum, & *hora* ſemimenſem. Igitur imperium Turcicum ultra 400. annos innuitur non extendi. Cujus periodi initium in XIII. ſeculum incidit, ni fallor: *Vid. lib. VI. de L. E. G. cap. IV. §. 3.* *Tub. VI. Imp. Turcic.*

§. XXXI.

Tubicinii VII. quædam præparatoria jam ſiſtuntur, & quæ antecedunt ſeculi conſummationē, inter quæ præeminet multis ſeculis præoptata Eccleſiæ reformatio. Id quod præfigurat alius *Angelus fortis de cœlo deſcendens*, nube amictus, & iride ornatus circa caput, Libellum Evangelii apertum Johanni, h. e. ſucceſſoribus ejus, fidelibus Eccleſiæ miniſtris & Doctoribus exhibens, & repetitam per Orbem terræ ejus prædicationem præcipiens, cujus auſpicia dulcia & læta, ſed eventus amarus atque aſper prædicitur futurus: imminente adhuc, ni fallor, magnâ orthodoxias perſecutione, de quâ inferius, §. CXV. *C. X. Tub. VII. Reform. Eccl.*

§. XXXII.

Duratio Seculi. Præterea revelat quoque hic Angelus ceſſationem Temporis ſeu DVRATIONEM SECVLI & momentum CONSVMMATIONIS MYSTERII. Equidem ὁ λόγος altera Divinitatis & SS. Trinitatis perſona, quæ per ſeptem voces & tonitrua innuitur, (inter alias cauſas, quod Septenarius numerus eſt radix & fundamentum Hebdomadum, per quas hoc Tempus revelandum, computatur) elocuta fuiſſe videtur S. Johanni tempus Conſummationis clarè, ſed hunc modum jubetur obſignare & retinere Evangeliſta, tanquam revelationem perſonæ ſuæ ſingulariter factam. At Angelus cœlitus miſſus aliâ & myſticâ ratione circumſcribit ὡς ἐν τύπῳ tempus & durationem hujus ſeculi, JVREJVRANDO interpoſito, ſicut & Angelus apud Danielem *c. XII. 7.* qui locus parallelus cum hoc conjungendus & alter ex altero explicandus eſt: eò enim ſe refert Angelus *comm. 7.* ſicut evangeliſavit ſervis ſuis Prophetis. *conf. Ezech. XXXIX. 17.* Hoc quidem loco non leguntur eadem verba, quæ apud Danielem, habentur tamen *cap. XII. 14.* Hic verò dicit: ὅτι χρόνος οὐκ ἔσται ἔτι, TEMPVS NON FORE AMPLIVS: SED IN DIEBVS vocis tubæ SEPTIMI ANGELI, QVVM μέλλῃ σαλπίζειν, tubâ canturus eſt, ſeu cecinerit, Wenn der VII. Engel poſaunen wird/ unter währender VII. Poſaune / ita rectè translatio Germanica, magis quàm Latina: *cum cœperit tubâ canere,* ſed in ipſis diebus ſeptimi Tubicinii, ut modò dicebat, adeoque jam tum poſtea quàm cœpit canere, CONSVMMANDVM ESSE MYSTERIVM DEI. h. e. adimplendum vaticinium de Arcanis Eccleſiæ militantis Fatis: de antichriſto coërcendo: de regno à Sanctis occupan-

cupando: & extremo judicio. Temporis itaque determinationem ita revelat, ut terminum ad quem, ſeptimum Tubicinium edicat, ſed ſpatium ipſum durationis ſubticeat: eo ipſo tamen, quod ſe refert ad veteres Prophetas, & imprimis ad Danielis vaticinium, ubi duratio ita terminatur: IN TEMPVS ET TEMPORA ET DIMIDIVM TEMPORIS. *conf. Dan. VII.25.* eâque ipsâ formulâ Johannes utitur *d. c. XII.* in determinandâ Eccleſiæ militantis & peregrinantis duratione: eo ipſo, inquam, Spiritus S. revelator diligenti ſcrutatori durationis ſpatium innuere voluit.

§. XXXIII.

Quod ut intelligamus, videndum, quid per TEMPVS denotetur: id verò Angelus apud Danielem *c. XI.35. & 36.* his innuit: VSQVE AD TEMPVS PRÆFINITVM, QVIA ADHVC ALIVD TEMPVS ERIT. *Duo Tempora* hîc ſunt & allegantur: primum appellat Angelus TEMPVS PRÆFINITVM, ſcilicet usque ad Meſſiæ adventum in carnem, cujus initium ſumitur juxta *Danielem IX.25.* ab exitu Sermonis ſeu Edicti Regii de reparandis Hieroſolymis, ſeu à prima Hebdomade. Eſt ſcilicet hoc primum TEMPVS & ejus ſpatium idem cum *LXX. Hebdomadibus*, à reditu ex Captivitate Babylonica usque ad Nativitatem CHRISTI: h. e. periodus annorum CCCCXC. $\frac{70}{7}$ quæ communiter numero ro- *Tempus dicitur ſpatium.* *LXX. hebd.*

490

tundo elata, vocatur Periodus Eccleſiaſtica, quingentorum ſc. annorum. *500. ann. Period. Eccleſ.*

§. XXXIV.

Ait Daniel: ADHVC ALIVD TEMPVS ERIT. finito ſcilicet illo LXX hebdomadum, & nato *Menſura Temporis N.T.*

Chriſto, incipere ALIVD TEMPVS, Novi Teſtamenti usque ad Judicium Extremum: priori parallelum ſuo modo: prioris finis *adventus* Chriſti primus; poſterioris ſecundus. In priori adverſarius Eccleſiæ Antiochus, in poſteriori *Antichriſtus*. prius igitur eſt *typus* poſterioris, velut *antitypi*. Quare ex duratione temporis prioris typici, colligere licet, ſecundum ductum Angelicum, durationem temporis alterius antitypici, quum typicum & antitypicum proportione ſint æqualia. Angelus enim ſpatium alterius illius temporis, cujus *C. XI, 35.* meminit, ſcil. Novi Teſtamenti, definiturus *c. XII. 7.* ut & *c. VII. 25.* pro norma ſumit tempus illud prius, veluti menſuram alterius illius, & ait illud duraturum PER TEMPVS. quæ eſt menſura prioris temporis, ut diximus, LXX. hebdomadum ſive 490. annorum. pergit: PER TEMPORA. quæ pluralis elocutio duorum numero continetur, ut in ſimili Vlpianus, ni fallor, loquitur, *l. 12. de teſtib.* inſtar Dualis numeri. Scilicet menſura prior jam duplicata ſumenda 490 × 2 = 980. Denique: ET DIMIDIVM TEMPORIS. videlicet ejusdem menſuræ dimidium eſt 245. hæc adde, & habebis ſpatium durationis Temporis illius alterius N. T.

490
980
245.
1715. ab anno nativitatis Chriſti. Quibus tamen non modò addendi videntur anni Chriſti XXXII. vel XXXIV. usque ad paſſionem ac mortem Ejus, quæ in ultima hebdomade prioris temporis contigit, atque in ejus principio, ſed etiam integra *hebdomas ultima* prioris

prioris temporis, h. e. ſeptem anni poſt Reſurrectionem DOMINI; Neque enim alterum tempus poteſt incipere, niſi primum illud ante finitum ſit. Etſi porrò variè ſupputatio ab Eruditis collocatur, videtur tamen probabilisſima hæc, ut ultima hebdomas ultra *ſeptimum annum*, à morte Chriſti non extendatur, qvum certũ ſit, Salvatorem in ultima hebdomade myſterium paſſionis & redemtionis conſummaſſe, *Dan. IX. 24.* Quamobrem conſummatio poſterioris temporis inciderit in A.C. 1756. præter propter. Nicolaus de Cuſa Cardinalis ſcripſit Conjecturam de Noviſſimis diebus, atque ferè in hanc ſententiam quoque arbitratur, licet ex aliâ hypotheſi: Quod in iis, quæ Chriſtus egit, & circa Chriſtum acta ſunt, poſt vigeſimum nonum annum usque in diem reſurrectionis à morte, annum unum Domini in jubileum (50. uſuales) extendendo: poterit quisque veriſimilius quid futurum ſit in Eccleſia prævidere: ut ſic in XXIV. jubileo à reſurrectione Chriſti, reſurrectionem Eccleſiæ depulſo Antichriſto, DEI pietate ſperet victorioſè glorioſam. Et hoc fuerit poſt annum nativitatis Domini 1700. ante annum 1734. Poſt illud tempus autem adſcenſionem Eccleſiæ futuram eſſe, Chriſto Sponſo adveniente ad judicium, ſed quando venerit, neminem ſciturum.

§. XXXV.

Porrò hæc collatio Temporis primi & ſecundi, à Daniele revelati, & ab Angelo Apocalyptico petiti, etiam clavem ſuppeditat, qua & particularia tempora, ſive periodos aut ætates Eccleſiæ N. T. ex collatione & proportione typici & antitypici temporis, conſtituere poſſimus; id quod mox ex collatione *XLII. menſium*, quibus Civitas ſancta ab Antiocho profanata jacuit, *1. Macc. 1. & IV. Cal-* *Parallelismus hebdom. ante & poſt N.C.*

 viſ.

viſ. anno ante N. C. 163. & totidem menſium, ſed angelicorum, quibus Civitas ſancta à gentibus conculcata dicitur à Joh. *C. XI. 2.* oſtendemus.

§. XXXVI.

C. XI. Poſtquam & finem ſeculi Spiritus S. prædixit, & præ-
Chriſtianiſmus verus cedentem *Evangelii repetitionem*, rationem hujus innuens & cauſam, repræſentat ſtatum Chriſtianiſmi & cultûs interni in Eccleſia imminutum, atque redactum ad parvum Eccleſiæ ſpatium numerumque eorum, qui in fide & veritate DEUM Chriſtum adorant: Itaque jubet Johannem METIRI TEMPLUM DEI, & ALTARE, & ADORANTES in eo. *Menſura* denotat rei numero exiſtentis ve-
reſtaurandus. ritatem. Ita Noſter *Cap. XXI.* refert, Angelum metitum Civitatem cœleſtem. Sic Zacharias *cap. 2.* de Jeruſalem h. e. Eccleſia N. T. videt, angelum voluiſſe eam metiri, ſed prohibitum, eò, quòd nullam menſuram, nullas muros, nullosque fines Eccleſia N. T. interna habitura ſit. Per *Templum* autem hic intelligitur non illud ante Thronum, de quo *Cap. VII. 15.* in quo Altare aureum *c. VIII. 3. c. IX. 3.* i. e. Eccleſia triumphans, ſed militans Eccleſia externa per univerſum orbem collecta & repetitâ prædicatione refocillanda. Altare verò ſignificat cultum divinum verum ac purum vivumque.

§. XXXVII.

Atrium interius. Sacerdotium Sed τὴν αὐλὴν τὴν ἔσωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξω· καὶ μὴ αὐτὴν μετρήσῃς. *Atrium interius templi ejice foràs, & ne metiare.* (ex vitioſa repetitione vocabuli ἔξω quidam codices habent ἔξωθεν:) Atrii interioris in templo Hieroſolymitano Salomonis mentio fit *3. Reg. VI. 36.* quod
conculcatum. atrium *Sacerdotum* dici videtur *2. Par. IV. 9.* itemque in templo Ezechielis *c. LX. 23. ſq.* in quo holocauſta lavan-

vantur & Sacerdotes morantur. De vltimô templô refert Joſephus: Secundus ambitus aut media templi pars à prima & infima paucis gradibus ſcanſilis, quem ſub pœna capitali nemo Alienigena ingrediebatur; interiora verò ejus ingredi Mulieribus illicitum: Tertiam ædium ſacrarum partem, quæ propriè dicebatur Templum, ſive Sanctum Sanctorum, Sanctuarium & Altare, non niſi Sacerdotibus ingredi fas fuit. *Luc. 1.10. Calviſ. ad ann. ante N.C.17.* Itaq; intelligi videtur per *Atrium* hoc Sacerdotii & ordinis clericalis ſtatus planè corruptus & ſuperſtitionibus & idololatriis gentiliſmum ſapientibus refertus, quo ipſo & Eccleſia conculcata, Sancta Civitas. Sic & alibi uſurpatur hæc formula CALCARE regionem, *1. Macc. XIV. 31. Et voluerunt inimici eorum calcare Sancta, & atterere regionem ipſorum, & extendere manus in ſancta, c. XV. 40. & 3. Macc. Ne exultent in ſuperbia linguæ, dicentes: Nos calcavimus domum Sanctificationis, ſicut calcantur domus abominationum. conf. Eſ. 1.12. Ez. XXXIV. 18.*

§. XIII.

Determinatur porrò hoc tempus calcationis: *Quoniam datum eſt gentibus, & Civitatem Sanctam calcabunt Menſibus quadraginta duobus.* Hic ex parallelo reſpicitur tempus, quo Civitas ſancta atque Templum ab *Antiocho* conculcatum jacuit: triennium ſcilicet integrum & menſes ſex. *1. Macc. 1. & IV. Calviſ. anno 163. ante N.C.* Nam triennium continet menſes triginta ſex, quibus additi ſex conficiunt quadraginta duos. Ut autem menſes typici naturales ſunt, ita hi antitypici intelliguntur Angelici, XXX. annos ſinguli complentes. Multiplicati igi- *Menſes 42.*

tur

tur menſes hi, $\frac{30}{42}$ conficiunt dies angelicos, ſeu annos

1260

humanos 1260. quot annis etiam Mulier exulare dicitur in deſerto, de quo infrà. Ceterùm *Daniel* prædixit, Civitatem Sanctam & Sanctuarium deſertum iri usque ad finem pugnæ ſeu Eccleſiæ militantis cum Antichriſto. *c. IX.* h.e. uſque ad conſummationem Temporis alterius, de quo antea. Quodſi itaque terminum à quo calcatio cœpta, h.e. cultus imaginum & ſanctorum introductus in Atrium interius & ſanctam civitatem, quod ſeculo ſe-„xto contigiſſe §. XXVI. diximus, ita figimus; redibit „terminus conculcati Chriſtianiſmi & initium reſtaura-„tionis in ſeculum decimum octavum.

§. XII.

C. XI. 3. Etſi verò per tantum temporis ſpatium verus Chriſtianiſmus conculcatus in atrio interiori cernetur: perſtiantiſmus conculcatus in atrio interiori cernetur: permanebunt tamen interea nihilominus teſtes veritatis ſufficientes in templo ad altare adorantes. Hinc deſcri-

Teſtes verit. Evang. bitur, in conſolationem Fidelium, *Conſervatio Evangelicæ doctrinæ* per iſtos 1260. annos adverſus hoſtes Chriſtianiſmi, Gentes ſanctam Civitatem calcantes, itemque adverſus Beſtiam ex abyſſo adſcendentem. Quo ipſo Regnum Chriſti ſpirituale depingitur, idque ex *Zachar. IV. 6.* neque enim in exercitu aliquo belli ſacri cruciato, atque in robore corporali, ſed in ſpiritu meo, dicit DOMINVS Exercituum, conſiſtit hoc regnum, quod hìc in *Prophetando* collocatur. Quod ipſum denotat teſtimonium atque confeſſionem publicam Veritatis Evangelicæ ab utroque ſtatu, Sacro & Civili; itaque TESTES vocantur ſcilicet Veritatis, quorum Catalogum aliquem viri pii & eruditi collegerunt. DVO enim dicuntur,

ci-

non quòd non plures, ſed quòd in numero binario ſufficientia teſtimonii *Joh. IIX. 17. 2. Corinth. XIII. 1. Hebr. X. 28.* & ut *duplex*, ut dixi, *ſtatus* Eccleſiaſticus & Politicus ſubinnueretur. AMICTI SACCIS, contra quàm *Zach. III.* ubi viles veſtes commutantur pretioſis. Videlicet Status Eccleſiæ Evangelicæ vilis ferè fuit, quoties cum conculcantium ſplendore comparatur: Eccleſiis, Baſilicis & Bonis ſacris ei demtis. Annorum 1260. initium, ut ſupra jam monitum, non in hoc tubicinio demum, ſed retro collocandum, finis autem horum teſtium incidit in hanc periodum VI. tubæ.

§. XL.

Comparantur hi veritatis Evangelicæ teſtes tam *Oliva*
Doctores, quàm Principes & Impp. ex eodem *Zachar. IV.* *Candel.*
duabus OLIVIS & CANDELABRIS, quæ conſtituta in conſpectu DEI TERRÆ. *Oleum* ſplendorem & pacem Evangelii notat: Sicut & *Candelabra* lucem Evangelii. *Zach. IV. 12. Apoc. 2. 5.* Poteſtas eorundem tacitè comparatur Poteſtati Miraculoſæ Eliæ atque Moſis. *Eliæ* quidem, quòd IGNIS Verbi Divini exeat & occidat inimicos ſuos, ſicut tempore Eliæ corporaliter contigit. *2. Reg. 1.* id quod ſpiritualiter hìc intelligendum, & coincidit cum Phiala IV. *c. XVI. 8.* Item in eo, quod COELVM CLAVDERE poſſint, ut de Elia *1. Reg. XVII.* unde Siccitas, quæ eſt plaga Phialæ VI. *c. XVI. 12.* *Moſis* porrò ad exemplum dicuntur TERRAM PLAGIS PERCVTERE, ad inſtar Ægyptiacarum *v. 8. b.* Quæ itidem non κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda, ſed de poteſtate extraordinaria prædicandi Evangelium & convincere hoſtes ejus, invito Antichriſto. Atque videntur omninò hi ipſi teſtes coincidere cum Angelis & eorum plagis: Nam

& hi dicuntur CRVCIARE HABITANTES SVPER TERRAM, de quibus *cap. XVI.*

§. XLI.

Occiſio teſtium. perſecutio magna. ET CVM FINIERINT TESTIMONIVM SVVM per tempus à DEO definitum, quod incidit in Tubicinium ſeu periodum VI. Eccleſiæ, & ſub Phiala VI. *Cap. XVI. 12.* BESTIA, QVÆ ADSCENDIT DE ABYSSO *cap. XVII. 8.* Antichriſtus de quo inferius peculiaris ſequitur repræſentatio, FACIET ADVERSVS EOS BELLVM, ad quod Spiritus ranarum tres congregant reges terræ ſub dicta phiala. *Cap. XVI. 14.* ET VINCET EOS ET OCCIDET, abrogato publico cultu Evangelico. Quod jam agitur in Italia, Hiſpania, Portugallia, Gallia, Hungaria, Bohemia, Sileſia, Auſtria, Polonia, ut de oriente nihil dicamus. ET CORPORA EORVM JACEBVNT IN PLATEIS CIVITATIS MAGNÆ, quæ vocatur SPIRITVALITER SODOMA, propter ſcelera huic & Sodomæ communia, & ÆGYPTVS, in qua Eccleſia Chriſtiana Catholica captiva tenetur ac ſerva, ſub Antichriſtiano jugo ſuppreſſa, VBI ET DOMINVS NOSTER CRVCIFIXVS EST. h. e. Hieroſolyma ſpiritualiter, perſecutrix Chriſtianorum, ſuper quam omnis ſanguis juſtus: *Matth. XXIII. 35.* Ex quibus facile patet, non aliam hic intelligi Civitatem, quàm de qua *cap. XVII. 18. c. XIIX. fi.* quam plerique omnes veteres & moderni ROMAM fatentur. atque denotari præſenti deſcriptione ultimam Eccleſiæ illius ſeceſſionem ab Eccleſia vera, ad inſtar Judaicæ. Per hujus igitur Sedis plateas h. e. regiones & provincias Teſtes Veritatis ac Fideles jacebunt mortui publicè, in conſpectu omnium gentium, qui-

quibus imperat civitas. *cap. XVII. 15.* quippe in quibus omnibus ultima hæc inſtans magna perſecutio vigebit. Jacebunt INSEPVLTI. innuitur extremus inhumanitatis gradus, & exterminatio à communione & ſocietate hominum.

§. XLII.

At non diutiùs durabit id, quàm per TRES DIES & DIMIDIVM, quibus elapſis RESVRGENT Teſtes veritatis, Regi ſuo hactenus ſimiles, quod per triduum mortui, ſed ultra triduum, dies dimidius adjectus: quæ tamen *mors* non præcisè naturalis, ſed *civilis* eſt, qua orthodoxi doctores & Magiſtratus poteſtate ſacra & civili interdicti pro civiliter mortuis jacebunt, cultu orthodoxo per triduum cum dimidio publicè abrogato; Sicuti tempore Antiochi, *ſupra* §. *35.* cultus Hieroſolymitanus per triennium cum dimidio. Analogia hic obſervatu digna Temporis, Temporum & dimidii Temporis: Triennii & dimidii anni, ſive XLII. menſium: atque tridui atque dimidii diei, h. e. anni. *Reſurrect.*

§. XLIII.

Reviviſcentes *ASCENDERVNT IN COELVM IN NVBE* in conſpectu inimicorum. Alluditur hic tum ad *Eliæ*, tum ad ipſius *CHRISTI* adſcenſionem in cœlum. Sed nec hic Adſcenſio corporalis intelligitur, nec reſurrectio illa prima, de qua *cap. XX. 4. 5.* quippe, quæ poſt Civitatis demum deſtructionem & Beſtiæ apprehenſionem futura, *cap. XIX. fi.* Hæc verò Adſcenſio præcedit, ruinam urbis, & fit in conſpectu inimicorum adhuc præſentium, & poſt eam demum decima pars civitatis cadet, & magna pars Antichriſtianorum reſipiſcet. Quare intelligi videtur *Reſurrectio Spiritualis* & talis, qua tenuò *Adſcenſio in cælum.* *Reſtauratio Chriſtianiſmi veri.*

Fideles hactenus ſuppreſſi emergent, & cœlum h. e. Eccleſiam Viſibilem occupabunt, & cultum publicum inſtituent, & Evangelium prædicabunt, & in illa hora, eodemque tempore *TERRÆ MOTVS* magnus continget, diſſidium Eccleſiæ heterodoxæ & *DECIMA PARS* iſtius, fortè unus ex decē cornibus ſeu Regibus Beſtiæ atq; 7000. hominum, h. e. multa millia bello inteſtino, religioſo cadent, *RELIQVI TERRITI DEDERVNT GLORIAM DEO COELI*, reſipiſcentes & ad Eccleſiam veram accedentes receptâ veteri orthodoxiâ atque diſciplina, abrogatis abuſibus, iſtâque de ſacris belligerandi libidine conversâ in praxin veri & non ſimulati Chriſtianiſmi.

§. XLIV.

C. XI. 14. Aſſeruerat Angelus *cap. X. 7.* jurejurando, conſum-
ſq. mandum fore Myſterium *DEI.* & ſeculum hoc arcanis
Tub. VII. *DEI* conſiliis hactenus gubernatum ſub cantu Tubicinii ſeptimi, ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν: Itaque nunc porrò id confirmatur, atque hoc ipſo *VÆ TERTIVM* venire dicitur, addito ταχὺ, *CITO*. Nempe conſummatio myſterii de Antichriſtiano regno exſcindendo, nō in fine ſeptimæ periodi, nec in medio, ſed in principio veniet. Ceteroquin periodus hæc ampli videtur ſpatii, quippe quo exſcindetur Vrbs & Beſtia & Pſeudo-Propheta delebuntur, annisque mille h. e. multis Eccleſia Sancta florebit, ſed & Gog & Magog tandem periturus eſt, & ita ſeculum conſummandum. Itaque cum in hoc tempus extremum primò incidat excidium Vrbis, & Beſtiæ, ſeu Regni Antichriſtiani, inſtituitur per capita ſequentia recapitulatio partim, partim plenior *deſcriptio totius Status Eccleſiæ Chriſtianæ & regni antichriſtiani* ab initio usque ad hunc rerum omnium finem.

§. XLV.

§. XLV.

Præmittuntur tamen tria, primò duo Ἐπινίκια tum promiſcuæ turbæ Electorum *verſ. 15.* tum XXIV. Patriarcharum V. & N. T. *v. 16.* Deinde *TEMPLI APERTIO*, & *ARCÆ FOEDERIS* Apparitio, una cum tempeſtate magna. Apertura Templi repetitur *cap. XV. 5.* exituris jamjam VII. Angelis cum phialis, & effusâ ultimâ phialâ etiam tempeſtas illa memoratur *cap. XVI. fi.* quemadmodum & antea *cap. VIII. 5.* antequam VII. Tubicinia cantarentur. Porro *Templum* hoc cum cœlo atque terra tranſibit & in Nova Hieruſalem nullum apparebit, *cap. XXI. 22.* Notatur itaque per hanc apertionem, ni fallor, Revelatio & adimpletio Arcanorum Oraculorum in hoc libro propoſitorum, quæ jam in fine ſeculi adimpleta conſpicientur. *Arca* enim in Templo fuit locus, unde Oracula divina fiebant ſecretiſſimus, quæ Oracula denotantur per Tonitrua, quemadmodum *Terræ motus & grando* innuere videntur pœnas & plagas ultimas, adeoque objectum hujus ulterioris revelationis. *Templum* *Arca*

§. XLVI.

Poſtquam recenſuit itaque Spiritus S. ſeptem ætates ac Tubicinia Eccleſiæ N. T. nunc orditur novam viſionem ac deſcriptionem ſpecialiorem, ſerie temporis à priori non dependentem, ſed omnes Eccleſiæ periodos comprehendentem. *Signum* hoc magni momenti & longi temporis apparrere dicitur in COELO; Quod TERRÆ & MARI opponitur in hoc capite paſſim; Eoque notatur *Eccleſia*, per *Terram* verò & *Mare* Regna & Reſp. terrenæ, cujus rei ratio paulo inferius exponetur. Objectum igitur hujus Viſionis eſt Eccleſiæ ſtatus maximè *Internus* qui & potior *Matth. XXIV. 23.* ſub jugo anti- *C. XII.* *Nova viſio.* *Eccleſia ſub Antichriſto.*

chriſti, adeoque ſimul Regnum antichriſti, tam quoad originem, quam progreſſum & excidium ejus ſedis, graphicè exponitur. *Ejus Origo* Origo verò regni antichriſti & vis ac poteſtas quùm à Dracone h. e. Satana & Summo Chriſti adverſario dependeat, atque hic ipſe jamtum ab incunabulis Eccleſiæ Chriſtianæ aliquod Imperium ac tyrannidem contra Eccleſiam adfectaverit, etiam cum nondum natus eſſet Salvator Mundi; Igitur rem ab ovo cœpit Spiritus S. enarrans conſilia, motus, ſpes, machinationes ac res geſtas Satanæ in Eccleſiam orthodoxam ejusque ſtatum potiſſimè internum.

§. XLVII.

Mulier. Quam Eccleſiam ſiſtit figura MVLIERIS, more Prophetis ſolenni quod vel infinita dicta de Sponſa Chriſti, ſed & in contrarium Ahalibæ & Ahalibamæ nomina oſtendunt, & pariter Eccleſia Antichriſtiana inferius mulieris meretricis forma præſentatur. Fingitur AMICTA SOLE. h.e. illuminata verbo DEI, ET LVNA SVB PEDIBVS EIVS. i.e. populus fidelis, qui inſtar Lunæ à ſole Lumen recipit, Eccleſiæ autem miniſterio verbi ſubjectus & obediens. ET IN CAPITE EJVS CORONA STELLARVM XII. i.e. XII. Patriarcharum atque inde ortarum totidem tribuum, ſymboli & typi XII. Apoſtolorum N.T. Hæc GRAVIDA ſpe promiſſi Meſſiæ jamtum in Paradiſo concepta CLAMAT PARTVRIENS tot infinitis deſideriis, votis ac ſupplicationibus pro naſcente Mesſia à Fidelibus V.T. fuſis, ET CRVCIATVR tandem preſſa ab Antiochis & Herodibus, VT PARIAT, & tandem Schiloh veniat. *confer. Joh. XVI. 20. 21.*

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Juxta hanc Mulierem apparuit alterum ſignum eodem in cœlo ſ. Eccleſia, in qua locum invenerat Satanas tum per ſuperſtitiones & traditiones Judaicas, tum per Impp. Romanorum Perſecutiones & Idololatriæ propagationẽ, ET ECCE, DRACO MAGNVS, RVFFVS, h.e. ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit terrarum orbem, ut ipſe Spiritus S. mox *v. 9.* explicat. HABENS CAPITA SEPTEM & in his DIADEMATA totidem, quibus poteſtas ac principatus Satanæ univerſalis tam ratione temporis quàm loci in mundum & ejus regna notatur; Quemadmodum contrario modo CHRISTI regnum univerſale in Eccleſia, per ſeptem ſtellas in manu dextera & ſeptem candelabra deſcribitur *c. I. 16. 20. conf. Zach. III. 9. IV. 10.* Porro & CORNVA DECEM i. poteſtatem in ultima Monarchia mundi, cui itidem decem cornua ſunt, quæ vim perſequendi à Dracone accepiſſe dicuntur, *c. XIII. 2.* ET CAVDA EJVS. h. e. vis ac facultas, quæ in cauda Draconis ſive Behemot maximè reſidet, *Job. XL. 10.* quò hîc alluditur. TRAHIT TERTIAM PARTEM STELLARVM COELI. h. e. Doctorum Eccleſiæ *Dan. IIX. 10. 25.* ET MISIT EAS IN TERRAS, quod Daniel effert; *Et conculcavit eas.* Angelus exponit: *Et interficiet populum Sanctorum. Dan. 8.* ET DRACO STETIT ANTE MVLIEREM JAM JAM PARITVRAM eâ ſpe ac machinatione, ut cùm peperiſſet FILIVM, Meſſiam, promiſſum ſemini illius, DEVORARET. Quas inſidias per Herodem infanticidam non obſcurè perpetraverat.

Draco.

Behemot.

§. XLIX.

§. XLIX.

v.5. ET MULIER impleto tandem tempore PEPERIT per Mariam Virginem FILIUM MASCULUM, qui recturus erat omnes gentes virgâ ferreâ. *Pſ.2.* quibus verbis Meſſias dilucidè ſignificatur. ET fruſtratâ Satanæ ſpe, quam in paſſione ac Morte Meſſiæ immane quantum auxerat, RAPTUS eſt reſurrectione & adſcenſione FILIUS AD DEUM ET AD THRONUM EJUS. ET MULIER Eccleſia N.T. FUGIT IN SOLITUDINEM ſeu deſertum. *Eſ. XXXV. 1. Hoſ. 11. 14.* deſerta & deſolata univerſali Judæorum apoſtaſia & communi cum Gentilibus perſecutione, ubi habet LOCUM PARATUM A DEO, UT IBI PASCANT EAM ANGELI ad inſtar Eliæ, cujus tempore itidem apoſtaſia ejusmodi apparebat. *Vid. 1. Reg. XVII. 3. 4. c. XIX. 4. 5. 14.* DIEBUS MILLE DUCENTIS SEXAGINTA, quæ duratio eadem videri poſſit eſſe, quæ mox *v. 14.* effertur, PER TEMPUS ET TEMPORA ET DIMIDIUM TEMPORIS, A FACIE conſpectu & infeſtatione Satanæ tutam. Verum hoc *v. XIV.* haud quaquam ταυτολόγως repetitur, aut absque myſterio. Etſi enim hoc, quod ante narrationẽ prælii mentio fugæ fit, videri poſſit factum eſſe per Prolepſin & anticipationem, quemadmodum in enarranda fuga Abiatharis eadem ſermonis figura uſurpatur *1. Sam. XXIII. 6.* & alia plura exempla in Sacris notari poſſint. *V. Flac. Clav. P. 2. Tr. IV. t. de anticipat. & narrat. p. 401. ſeqq.* Tamen & alia recondita magis ratio reddi poſſe videtur, quod & ante prælium, & poſt illud hæc fuga refertur, ita tamen quaſi ejusdem mulieris eadem fuga eſſet; ut & revera eſt una & eadem Eccleſia orthodoxa, & eadem latentia ac inviſibilitas à facie mundi, at *ſubjectis* in diverſis: ante præ-

prælium Eccleſia pura diſparuit in *Judæis*, à quibus tamen ea cœperat, & propagata ad gentes fuerat univerſas: poſt prælium, in *Helleniſtis* etiam, ut loquebantur in Eccleſia primæva. Eadem equidem duratio annorum 1260. aſſignata videtur, qvia eadem Eccleſia, & quia prælium hoc cum ipſo exordio Eccleſiæ N. T. imò cum Chriſti Meſſiæ nativitate cœptum videtur: penitius tamen conſideranti videtur diverſitas inter temporis durationem 1260. annorum, & temporis, temporum ac dimidii temporis, ut poſtea videbimus: quare nihilominus nil impedit, quò minus etiam finis annorum, quantum ad Judæos, ci- *Judaor.* terior intelligatur; maximè ſi, ut probabile ſit, termi- *converſ.* nus à quo horum annorum quoad Eccleſiam Hebræorum Chriſtianorum figatur, ubi ea penitus ceſſavit quoad externum regimen, & ſeparatum.

§. L.

Conſtat enim ab initio Eccleſiam N. T. fuiſſe in *Eccleſia* duas quaſi partes diviſam, in Eccleſiam τῆς περιτομῆς, deinde *olim* in Eccleſiam τῶν ἐθνῶν, ut loquitur Paulus *ad Galat. 2, 9.* *duplex* ſive Hebræorum & Helleniſtarum, ut Lucas *Act. VI. 1.* *Hebr. &* Ad hos, Hebræos, epiſtolam ſcripſit Paulus, tangens ipſo- *Gentil.* rum ἔθος, morem ac inſtitutum τοῦ ἐγκαταλείπειν τὴν συναγωγὴν ἑαυτῶν, deſerendi communes conventus ſacros & liturgias, & inſtituendi ſeparatim Eccleſiam, *cap. X. 25. conf. Jo. Muſæ. de Eccleſ. D. 2. P. 1. th. 88. ſeqq.* Ceſſaſſe autem hæc Hebræorum Eccleſia videtur tum, quum A. C. CXXIII. Hadrianus Imp. Judæos omnes Hieroſolymæ ſive Aeliæ aditu arceret, & Epiſcopus primus ex gentibus converſis, Marcus nomine, conſtitueretur. Usque eò enim Eccleſia Hebræorum Hieroſolymitana non niſi ex circumciſione habuerat Epiſcopum, & pæne

omnes *CHRISTUM DEUM* ſub Legis Obſervatione crediderant, teſte *Severo Sulpitio p. 381.* Itaque poſito calculo finis annorum 1260. incidit in A. C. 1383.

123
1260
1383.

Atque conſtat, A. C. 1384. Judæos valde vexari cœptum. A. C. 1392. Edicto Imperatoris ex tota Germania, & mox A. C. 1395. Edicto Regio ex Gallia pulſos fuiſſe. Qua occaſione non parva copia ad Chriſtianam Religionem converſa: quomodo jamtum A. C. 614. quum in Hiſpania Seſebutus Rex ediceret, ut intra annum omnes Judæi religionem Chriſtianam diſcerent, aut ex Hiſpania amiſſis bonis pellerentur, converſi fuerunt ad 90000. *Menoch. 2. Arbitrar. 421, 100.* Et circa eadem tempora ſimili Edicto, quingentos Aruerni in Gallia converſos teſtatur *Gregor. Turon. Lib. V. cap. XI.* Si cui tamen hæc ratio ſubtilior videatur, præferat ſimpliciorem, ita, ut ejusdem mulieris fuga ejusdem durationis bis annotata propterea intelligatur, quod etſi per Conſtantinum M. mulier ex deſerto reducta dici poſſit; breviſſimum tamen illud tempus non attendi, quum mox per Arianam hæreſin in deſertum denuo retruſa fuerit poſt prælium, adeoque fuga continuata potiùs. Et quamvis vis hæreſeos illius ceſſavit, perpetuò tamen impedimentis aliis Mulier in deſerto retenta, corruptis Chriſtianorum moribus, de quibus Salvianum conquerentem antea audivimus: mox & dogmatibus atque abuſibus ſuperſtitioſis.

§. LI.

Victoria de Dracone. *ET FACTUM EST PRÆLIUM* πόλεμος bellum, pluribus præliis conſtans ac conflictibus, jam inde à Nativitate Salvatoris, Michaëlis, *JESU CHRISTI,*

ſicut

ſicut & ipſe ad diſcipulos ad docendum emiſſos dixerat: *Videbam Satanam, ſicut fulgur, de cœlo cadentem, Luc. X 18.* ſed vires ſubinde collegerat adverſarius, & bellum continuarat per Paſſionem ac Mortem Salvatoris, & usque ad ultimam perſecutionem Diocletiani, *IN COELO*, Eccleſia. *MICHAEL* contra, Eques coronatus, Victor, *c. VI. 2.* qui domum Judæ poſuit quaſi equum gloriæ ſuæ in bello, *Zach. X. 3. ET ANGELI EJUS*, Apoſtoli, Diſcipuli, Doctores, Martyres & Fideles, *Eph. VI. 12.* & omnes filii Sion, quos extendit ille ſibi quaſi arcum, & ſuſcitavit ſuper filios tuos, Schola Satanæ, & poſuit, quaſi gladium fortium, & ſunt inſtar Heroum, conculcantes lutum viarum in prælio & bellantes, quia DOMINUS cum eis, ſicut prædictum à Propheta *Zach. IX. 13. X. 5. PRÆLIABANTUR* ſpiritualiter, prædicatione Verbi, & editis miraculis, *CUM DRACONE*, Diabolo & Gentilium Idololatria, *ET DRACO PRÆLIABATUR* viciſſim & *ANGELI EJUS*, quorum non poſtremus machinatione Julianus Imp. apoſtata. *ET NON PRÆVALUERUNT*, victi ſunt, *NEQUE LOCUS EORUM*, quem hactenus ſuperſtitione Gentilium obtinuerunt per univerſum terræ orbem, *INVENTUS AMPLIUS IN COELO*, ſtatu Eccleſiæ externo, præſertim cum A. C. CCCXXXIII *Conſtantinus* Imperator Idola & Templa Gentilium celeberrima everti juſſiſſet, opesque ac reditus detrahi: Contrà *Hieroſolymitana* Eccleſia excitata iterum; Baſilicæ ibi & alibi paſſim erectæ. Atque ita *PROJECTUS EST ACCUSATOR* κατήγορος fratrum noſtrorum in hoc ſeculo, inquiſitor Chriſtianorum ad martyria, *QUI ACCUSABAT ILLOS DIE AC NOCTE*, tùm per ſe coram *DEO* ut *Jobi I. & Zach. III.* tum verò per inquiſitores gentiles & martyrum cruciatores.

§. LII.

§.LII.

v.9.ſqq. *VÆ HABITATORIBVS TERRÆ ET MARIS*, regnorum mundanorum & *Monarchiæ* imprimis *Romanæ*, cujus Principes tantum detrimentum regno Satanæ intulerant. Ex *Mari* enim IV. Monarchiarum originem ſtatui, ex Daniele conſtat. *QVIA DESCENDIT DIABOLUS*, Draco, ejectus quoad profeſſionem gentilismi ex *Eccleſia* & Rep. Chriſtiana: AD VOS gubernatores Rerump. moturus bella & excitaturus motus varios in Rebusp. & Imperio Rom. *ET* poſtquam vidit *DRACO*, quod *EJECTUS* eſſet *IN TERRAM*, ejecta idololatria ex Rep. Chriſtiana & Eccleſia cum Republica unita, *PERSECUTUS* eſt *MULIEREM*, Eccleſiam à Conſtantino M. vix, ac ne vix quidem ex deſerto reductam, perſecutus primò per hæreſin Arianam, longè lateque diffuſam, mox corrumpendo mores, denique & doctrinam Chriſtianorum multis abuſibus refertam, tollendo puros & veros Chriſtianos & Confeſſores, corruptosque & heterodoxos Eccleſiæ intrudendo. *ET DATÆ SUNT MULIERI*, Eccleſiæ puræ, *DUÆ ALÆ AQUILINÆ*, Fides, Charitasque & Patientia Sanctorum *conf. Exod. XIX. 4.* quibus evolavit *IN DESERTVM*, in ſtatum inviſibilem, Deo ſoli cognitum, qui ſuos novit *IN LOCVM* ſtatumve *SVVM*, à Deo ipſi ordinatum ac præviſum, *VBI* nihilominus puritate doctrinæ, vitæque ſanctitate in membris ſuis inviſibiliter & ſub Eccleſiæ externo ſtatu corrupto, *ALITVR* internâ Spiritus S. operatione, ſed & publica & privatâ Doctorum nonnullorum prædicatione, teſtium illorum veritatis, de quibus antea, atque praxi veri ac vivi Chriſtianiſmi, poſthabitis externæ religionis abuſibus & ſuperſtitionibus.

Eccleſiæ internæ conſervatio.

De-

§. LIII.

Determinatur Duratio hujus Statûs in deſerto per *TEMPVS, TEMPORA ET DIMIDIVM TEMPORIS*; & convenit cum Daniele Johannes. *Cap. VII. 25. & XII. 7.* h. e. usque ad conſummationem myſterii durabit hic ſtatus veræ Eccleſiæ, deſertus, & ut ab initio repræſentabatur, cadaveroſus. Sed hoc ſingulare apud Danielem *d. cap. XII.* quòd præter hanc durationem Eccleſiæ militantis peculiaris terminus dierum 1290. & mox 1335. adſignatur, diverſus à 1260. annis, de quibus ſupra, & diverſus quoque à tempore, temporibus & dimidio temporis. Incipere autem hi anni 1290. dicuntur ſtatim ab excidio templi & ſacrificii jugis abrogatione, h. e. A. C. 70. finis ergò incidet in A. C. 1360. quo deſiit ἀκμὴ & augmentum tyrannidis ſpiritualis & in devergium redire cœpit; Contrà Reformatio Eccleſiæ gravius urgeri. Beatum igitur prædicat Daniel ſeculum XV. dum ait: *Beatus, qui attingit 1335. dies.* Denique ſiquis dies 1260. addiderit 300. à quibus Draco ejici cœpit exibunt 1560. anni, poſt natum Chriſtum, circa quod tempus *pax religioſa* ſtabilita fuit. Nihilominus tamen permanet Mulier in deſerto. Enimverò reformatione Eccleſiæ quoad doctrinam tandem aliquando recuperata, de *primæva charitate* nihil receptum, vel parum admodum, ad inſtar Eccleſiæ Epheſinæ, *c. II. 4.* Tempus dixi confecti prælii commodè poſſe poni ad finem ſeculi tertii, quippe cum quo tergum vertit, Eccleſia primæva, pura doctrinâ & moribus, ac ſe in deſerto abſcondidit. Teſtis graviſſimus αὐτόπτης Sulpicius Severus, qui Hiſtoriam Sacram ita concludit: *Ac inter noſtros perpetuum diſcordiarum bellum exarſerat: quod jam per quindecim annos fœdis diſſenſionibus agitatum,*

Dan. XII. 7. dies 1290. & 1335.

tatum, nullo modo ſopiri poterat. Et nunc, cum maximè diſcordiis Epiſcoporum turbari aut miſceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratiâ, metu, inconſtantia, invidia, factione, libidine, avaritia, arrogantia, deſidia, eſſent depravata; poſtremò plures adverſum paucos, benè conſulentes, inſanis conſiliis & pertinacibus ſtudiis certabant: inter hæc plebs DEI, & optimus quiſque, probro atque ludibrio habebatur.

§. LIV.

Hereſis Arii. Perſecutionem draconis adverſus mulierem, de qua generatim dictum verſ. 13. exponit porrò ſpeciatim. Atque vidit Draco Mulierem, h. e. Eccleſiam internam, etiam ſub externo Doctrinâ & Diſciplinâ corrupto ſtatu effugere velle, acceptis alis, perſecutionem ſuam, putà infantes, ſimplicem plebem, & doctores orthodoxos latitantes, neque doctrinâ neque moribus corrumpi, ſed horum magnum numerum ut membra Eccleſiæ vera ac viva conſervari, licet in abſcondito: Igitur tali potiſſimum medio uti hic dicitur, quo & his nocere poſſet. *EJECIT* ſerpens, draco *EX ORE SUO*, fonte falſæ doctrinæ, *Gen. 2. POST MULIEREM* etiam effugientem, h. e. poſt incorruptos illos & innocentes ſalvandos, *AQUAM INSTAR FLUMINIS*, doctrinam falſam, hæreſin præcipitem & violentam, ut eam faceret ποταμοφόρητον, ut innocentes etiam infantes ex Eccleſia pura & orthodoxa raperet, ac Scholæ Satanicæ membra faceret mortua. Hoc flumen eſt doctrina illa peſtilens *Arii*, ſtatim effuſa poſt ſtabilitum Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum externum à Conſtantino M. Quum enim Ariani etiam Sacramentum Initiationis SS. Baptiſma ita corrumperent, ut rebaptiſari neceſſe eſſet, certe in iſtorum

rum Eccleſia etiam infantibus aditus non minus fuit præcluſus ad ſalutem, ac Mahummedanorum. Quæ tam præceps acta fuit, ut intra breve ſpatium tantâ vi obruit Eccleſias tam Orientales quàm Occidentales, ut totus orbis miraretur, ſe tam ſubito factum Arianum. Sulpitius Severus *Lib. 2. Hiſt. Sacr.* ait: *His per Helenam geſtis, Principe Chriſtiano libertatem atque exemplum fidei mundus acceperat: Sed longè atrocius periculum cunctis Eccleſiis illâ pace generatum. Namque tum hæreſis Arii proruпit, totumque Orbem invecto errore turpaverat.* Et paulo poſt: *Ex conſenſione multorum, inexpugnabiles erant. Nam omnes ferè duarum Pannoniarum Epiſcopi, multique Orientalium, ac tota Aſia, in perfidia eorum conjuraverunt.*

§. LV.

Sed *ADJVVIT TERRA* Principes terrarum Impp. *MVLIEREM*, & aperuit terra *OS SVVM*, Principum Edicta, Conciliorum canones, & *ABSORBVIT FLVMEN*, interdictâ & eradicatâ Hæreſi Ariana. *ET IRATVS EST DRACO* adverſarius Mulieris, & relicta Eccleſia innocentum infantiū, *ABIIT* aliam ingreſſus viam, & nova iniens conſilia, *VT GERERET BELLVM*, cujus arma ſunt Excommunicationes, Ignis & Tormenta, *CVM RELIQVIS SEMINIS EJVS*, h. e. orthodoxis puræ doctrinæ, vitæ ſanctitati operam dantibus, *QVI CVSTODIVNT MANDATA DEI, ET HABENT TESTAMENTVM JESV CHRISTI.* Et obſerves hîc præponi vitæ ſanctitatem puræ doctrinæ, utramque tamen requiri ad hoc, ut quis ſit membrum verum Eccleſiæ, extra quam non eſt Salus. *HI RELIQVI* ſunt, qui detrectant

Apparatus ad novum bell.

ctant acceptare corruptelas morum ac doctrinæ, *Apoc. XIII.16.17. c. XIV. 1.* easque reprehendunt, quæ quando invectæ in Eccleſiam fuerint §. XVI. dictum.

§. LVI.

C. XIII. Origo Antichriſti. Novam itaque Draconis rationem infeſtandi Eccleſiam, ejusvè reliquias, repræſentaturus Spiritus S. rem iterũ ab ovo orditur. Porrò ratio iſta conſiſtit in excitatione *Antichriſti,* h.e. Apoſtaſia Cleri, à ſanctitate & orthodoxia in alterutrum, ſuperſtitionẽ idololatricam aut ἀσωτίαν & atheiſmum. Hunc finem aſſequi intendit Draco *Tentatione illa triplici*, quâ & ipſum Chriſtum *Matth. IV.* aggreſſus, vitæ hujus voluptatibus, inani honore & opibus atque potentia. Id quod gradatim ita erat inſtruendũ, ut poteſtas Eccleſiæ univerſæ externa Epiſcoporum primò ad τοὺς ὀλίγους bonâ intentione à Conciliis redacta, (h.e. *Patriarchas quinque*) ad monarchiam & dominatum ſacrum viam faciliorem pararet. Deinde ut *ſedes Imperii Romani transferretur* in Orientem. Porrò Imperium *Occidentis debilitaretur*, aut ab Impp. C. Politanis deſereretur. Status enim Imperii Romani vetus, erat ὁ κατέχων ἄρτι, ætate S. Pauli. *2. Theſſ. 2, 6.* hic ergò ante omnia erat removendus: quo remoto transferendum erat Imperium Rom. Occidentale in Francos & Germanos, ſic tamen ut mox ſive revocaretur ſive poteſtas illo eminentior erigeretur, atque ita Monarchia Romana occuparetur, Patriarcharum primario.

§. LVII.

Monarchia Rom. Hanc occupationem ut luculentius deſcriberet Spiritus S. depingit primò ipſam *Monarchiam quartam*, Romanorum, ſub imagine BESTIÆ, quomodo jam tum in Viſione Danielis *cap. VII, 3.* fuerat revelata, & proinutrum-

utrumque caput alterum ex altero, imprimis verò ex *cap. XVII. infra,* interpretandum. Equidem in hoc videtur inter Viſionem Danielis & Johannis *diſcrimen* intercede- re, quod in illa Monarchiarum & *Rerumpubl.* ſtatus & mutationes explicentur, in hac *Eccleſiæ* fata: ut exinde etiam etiam ea, quæ Daniel de *Cornu parvo* vidit, apud Johannem non legantur, itaque per cornu illud *Turca* ſignificari videtur Annio Viterbienſi, quem plures ſe- quuntur. Ceterùm poteſt cornu illud paruum commo- dè de *Antichriſto*, Antiochi Antitypo, intelligi: Namque & eadem temporis duratio adſcribitur *Dan. VII. 25.* & eſt Cornu *parvulum origine*, ſi primævas Eccleſiarum opes conſideramus, mox tamen occupatâ Monarchiâ majus fuit cæteris regibus omnibus. Congruit tandem & hoc, quod cornu hoc cum beſtia igne comburendum, *Daniel. VII. 11. Apoc. XVII. 16.*

Dan. & Apocal. confertur.

§. LVIII.

Sic & ultima Danielis Viſio *Cap. X. XI. XII.* omninò congruit cum Apocalypſi, niſi quod & typum & anittypum referat, h. e. Antiochum & Antichriſtum, adeoque fata & Judaicæ & Chriſtianæ Eccleſiæ. Convenit & Revela- tor apud *Dan. X.* Sub ſpecie Filii hominis; veſte, Zona, & corporis habitudine idem, qui in *Apocal. I. 13.* Conve- nit Tempus, quod Daniel *c. X. 14.* in dies, ſive in noviſſi- mis diebus dicit. Nam cùm *c. XI. usque ad v. 36.* expo- ſuiſſet Statum Eccleſiæ Judaicæ usque ad Chriſtum na- tum, aſſerit, adhuc aliud tempus fore, puta Novi Teſta- menti. Et quando in narratione videatur pergere eâ- dem, quaſi de uno & eodem vaſtatore Eccleſiæ loquere- tur, quæ res inducit impios, ut non intelligant, porrò docti intelligent *c. XII. 1.* Tamen ex ipſo rerum argu-

Item.

mento facile apparet, quod ut de alio tempore, ita etiam de alio vaſtatore Eccleſiæ, eoque Antiochi antitypo, intelligi ſe velit: De quo etiam prædicata mirè congruunt: Elevatur adverſus omnem Deum, *Dan. XI. 26. Apoc. XIII. 6.* Deum Maozim coli faciet. *Dan. XI. 38.* qui eſt Statua illa Apocalyptica. *c. XIII. 14. h. e.* Superſtitio & Idolomania in Eccleſiam introducta. Saluabuntur Edom, Moab & primitiæ Ammon, *Dan. XI. 41. Apoc. XIV. 4.* Ruina ejus ab oriente, *Dan. XI. 44. Apoc. XVI. 12.* Tabernaculum ejus Apadno. *Dan. XI. 45.* Armageddon *Apoc. XVI. 16.* Juratum denique utrobique de duratione rerum harum. *Dan. XI. 7. Apoc. X. 6.*

§. LIX.

Imp. Rom. *ET STETI SUPER ARENAM MARIS* mediterranei, *ET VIDI, DE MARI*, ſic & *Dan. VII. 3.* quatuor Imperia univerſalia è mari aut Oceano dicuntur originē trahere potius, quàm de Terra, ad denotandam earum latitudinem, vaſtitatem & eminentiam. Mare enim naturâ ſuâ terrā transcendit. *BESTIAM* illam quartam Danielis *ADSCENDENTEM, HABENTEM CAPITA SEPTEM*, quæ apud Danielem non exprimuntur, cæterùm & Draco totidem *cap. XII. 3.* Sed hic coronata, beſtia ſecus: Sunt tamen hæc Capita Reges, *cap. XVII. 9.* h. e. Facies, Status, Formæ Imperii & Reip. Rom. ſibi ſuccedentes, *cap. XVII. 10.* dixi, *Romani Imp.* Capita enim hæc ſeptem ſimul *MONTES SEPTEM* denotant, *c. XIIX. 9.* Septicollem Romam. *ET CORNUA DECEM*, quæ & Daniel viderat, *cap. VII. 7.* h. e. Decem Reges, Regna & Provinciæ, *Apoc. XVII. 21.* Imperio Rom. ſubjectæ: Hi enim Reges tempore hujus Viſionis, regnum nondum acceperant, ſed in formis Provinciarum à Præſidibus Ro-

manis

manis gubernabantur: Poteſtatem tamen Regiam accipient μίαν ὥραν, eàdem horâ, eodem tempore. *Apoc. XVIII. 8. 10.* cum beſtia, *Apoc. XVII. 12.* h. e. cum Beſtiæ ſive Monarchiæ Rom. Statu ultimo, qui rex octavus dicitur, *cap. XVII.* 11. hinc ſuper cornua ejus *DECEM DIADEMATA*, ſigna Majeſtatis Regiæ, Monarchiæ tamen ſacræ ſubmiſſæ. Quippe quæ cum illa ſuccreveverunt, & unum conſilium habuerunt, intentionem ſcilicet dandi poteſtatem ſuam ſummam beſtiæ ſeu Monarchiæ Rom. *cap. XVII. 13. & 17.*

§. LX.

Et ſuper *CAPITA EJUS* nomen *BLASPHEMIÆ*, *Blaſphemia* eſt abnegatio & adverſatio contra *DEUM CHRISTUM* & puram religionem. Ita Paulus confitetur pœnitens, ſe ante converſionem ſuam compuliſſe fideles blasphemare, *Act. XXVI. 11.* Sed & Blaſphemia eſt, ſe dicere Catholicum, qvum ſit de Synagoga Satanæ, *Apoc. II. 11.* Ait *CAPITA*, quia non una Imperii Rom. Facies Statusve Eccleſiæ *DEI* fuit adverſaria, etiam in V. T. quod vel *Pompeji* & *Craſſi* ſpolia oſtendunt. Vide inſignem locum *Ciceronis pro Flacco* de auro Judaico, de quo nos alibi. *conf. Peucer Chron. Libr. 3. p. m. 209. Calviſ. Anno ante N. C. 156.* C. quoque Taciti narratio docet, quo loco habita fuerit Religio Judaica Romanis. Vnde & ipſe Imp. *Nero* pro typo *Antichriſti* aut ipſi Antichriſtus rediturus habitus in Eccleſia Veteri. *Sulpit. Sev. Dial. 2, 16. p. 562. & ibi G. Hornius.* Neque blaſphemià caruit, quòd Impp. à Diis originem ſe trahere hominibus perſuadere voluerint, aut *Apotheoſi* inter Deos atque numina ſeſe referri, ac divino honore affici, paſſi fuerint: cujus

Blaſphemia.

impietatis reliquias nec *Impp. Chriſtiani* planè defugere potuerunt. *Vid. J. Goth. præf. C. Theod c. 2. 9.*

§. LXI.

3. Alii obſervarunt & blasphemias in capite ſeu ſtatu ultimo Monarchiæhierarchico. Blaſphemia eſt apoſtaſia à fœdere *DEI*, ad opes humanas. *Hoſ. VII. fi. conf. Jerem. XIIX. Nehem. IX. 18. 26.* Sed fuerunt inter Pontifices Rom. juxta vaticinium S. Pauli *2. Theſſ. 2, 4.* qui ſe DEO O. M. æquari paſſi, immò ſeſe ipſimet æquare non veriti. Teſtes hujus rei non tantum ſunt ſcriptores Pontificii, ſed & ipſum jus Canonicum ejusque Gloſſa. Editum eſt Romæ Anno 1604. & Clementi VIII. Papæ dicatum opus *Adoardi Gualandi* Epiſcopi Cæſenatis *de Morali & Civili facultate:* In cujus operis *Lib. 14. c. 3.* hæc verba loqvuntur: *Merito igitur (Papa) Sanctiſſimus ac beatiſſimus appellatur, & ab omnibus Chriſtianam religionem profitentibus quaſi quidam DEUS adoratur & colitur.* Gloſſa *ad Extravag. Joannis XXII. Tit. XIV. cap. IV. cum inter.* ſcribit: *Credere autem Dominum DEUM noſtrum Papam, conditorem hujus Decretalis non potuiſſe ſtatuere prout ſtatuit, hæreticum cenſeretur.* Ac ne quis excipiat, hæc vel privati tantùm eſſe auctoris, vel Gloſſæ duntaxat, non verò in ipſo Pontificum textu haberi, inſpiciatur quæſo textus ipſe Decreti *Diſtinct. XCVI. c. VII. Satis evidenter oſtenditur à ſeculari poteſtate nec ligari prorſus nec ſolvi poſſe Pontificem, quem conſtat à Conſtantino DEUM appellatum, cum nec poſſe DEUM ab hominibus judicari manifeſtum ſit.* Pius quidem V. Papa Anno 1572. quædam ſuperlativa Titulorum & poteſtatis, per *Indicem Expurgatorium* juſſerat deleri ex Gloſſis Juris Can. Verùm Gregorius XIII. omnia reſtituit, ac Indicem Expurgato-

gatorium anteceſſoris pii iterum purgavit, uti patet ex Corpore Canonico juſſu ejus Anno C. 1591. edito, ac aliis ſequentium temporum editionibus. Præter titulos ea quoque ſibi arrogarunt Pontifices Rom. quæ non niſi DEO competunt, uti multarum inductione rerum oſtendi poſſet. E.G. *articulos fidei facere.* Quod expreſsè affirmat *ad Extravag. cum inter* Joh. XXII. *de V. S. Tit. XIV.* Gloſſa *ad* §. *declaramus.* Item: *Ex inferno animas damnatas liberare.* quam poteſtatem ne DEUS quidem ipſe ſibi vindicare voluit; at in *Revelationibus Brigittæ* Papæ Gregorio tribuitur, eum liberaſſe *Trajanum* Imp. annis ante ſua tempora quingentis defunctum, ex inferno. quæ Revelationes hodièque à plerisque Pontificiis approbantur, nec in Indice Expurgatorio reperiuntur. Alphonſus etiam Ciaconius apologiam pro illis ſcripſit. Huc etiam pertinet, quod ipſis *Angelis præcipere* non erubuerit Papa. Nam hodieque Viennæ, Linconis, Pictavii in privilegiorum ſcriniis plumbata ſervatur Bulla Clementis Papæ, qua præcepit Angelis de cœlo, ut animam peregrinantis Romam pro indulgentiis, & decedentis à purgatorio abſolutam ad gaudia perpetua introducant. *Vid. C. Agripp. de vanit. ſcient. c. 92. ubi de Jure Canonico. Lehm. Chron. Spir. Lib. V. c. XXXIII. p. 451.* & cumprimis *D. Blondell. de la primauté en l'Egliſe.*

§. LXII.

Ut eo luculentior ſit deſcriptio IV. Monarchiæ, poſt dogmata etiam de potentia additur, ex quibus partibus coalita ſit, ET BESTIA, QVAM VIDI, SIMILIS ERAT PARDO, h. e. Monarchiæ tertiæ Græcorum *Dan. VII. 6.* Græcia enim & pars fuit Romani Imperii, & ex ea LL. & inſtituta ad Romanos translata. ET PEDES EJUS SIC- *Potentia.*

UT PEDES URSI, Monarchiæ ſecundæ Medorum *Dan. VII.5.* pedes denotant progreſſus & facinora. ET OS EJUS SICUT OS LEONIS, Monarchiæ primæ. *Dan. VII. 4.* reſpici verò videtur ad Locum *Daniel. IV. 27.* & *Eſaiæ XXXVII. 4.* ET DEDIT ILLI DRACO VIRTVTEM SUAM facultatem à DEO indultam perſequendi Eccleſiam & ſupprimendi, ET SEDEM SUAM dedit ei, cujus mentio & ſupra de Eccleſia Pergamenſi, ubi tamen ſedes tantum particularis, hic verò univerſalis ac ſuprema intelligitur, *Vicariatus Antichriſti* ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Θεὸν καθίσαι, *2. Theſſ. 2, 4.* ET POTESTATEM MAGNAM. Synonymia emphatica, magnitudinem rei indicat, & tyrannidem ſacram: Participat enim hæc Monarchia à tribus anterioribus omnibus, & potentia & malitia.

§. LXIII.

Septem facies. ET VIDI UNUM DE CAPITIBUS EJUS QVASI OCCISUM IN MORTEM, unum de capitibus, unum ſtatum Monarchiæ Rom. ſive Monarchiam Romanam in uno ſtatu & periodo ſuâ peſſundatam ferè; ſtatus autem ille quis ſit, exponit infra Angelus *cap. XVII.10.* qui ſcilicet tum temporis præſens erat Status Imperii Romani. ET PLAGA MORTIS EJUS CURATA EST per Octavum Statum, quo Monarchia Rom. inſtaurata: & ADMIRATIO veneratio ſedis Romanæ fuit in univerſa terra poſt beſtiam. ET DATA EST EI POTESTAS FACIENDI MENSES QVADRAGINTA DUOS: hi ſunt anni 1260. atque idem tempus, ut videtur, de quo ſupra §. *XLVIII. vid. c. XI. 2. & 3. c. XII. 6.*

§. LXIV.

ET BESTIA APERVIT OS SVVM non cla-

elapſis 42. menſibus demum, ſed & ab initio, & poſtea, unde hoc poſt revelationem durationis refertur. *conf. cap. XIV. 8. IN CONVITIA AD DEVM, VT CONVITIIS AFFICERET NOMEN EJVS* ſe conſtituendo *DEVM* in terris *Dan. XI. 26. 2. Theſ. ET TABERNACVLVM EJVS* Eccleſiam Chriſtianam perſecutionibus, *ET IN EOS, QVI IN COELO HAbitant* Angelos atque Sanctos defunctos, eorum cultum & invocationem ipſis invitis, *Apoc. XXII. 9.* introducens & ſub anathemate præcipiens.

§. LXV.

ET DATVM EST EI, BELLVM FACERE CVM SANCTIS, de quo & *cap. ſuper. v. 17.* Eccleſiam Sanctam & Apoſtolicam aut apertè perſequi, aut ſub ſpecie regiminis ſacri ſupprimere, & puritatem fidei ac morum ſanctitatem tollere, atque abuſus & heterodoxias ſub anathemate obtrudere. ET ſuppreſſâ ita Eccleſiæ Catholicæ libertate, DATA EST EI POTESTAS IN OMNEN TRIBVM, LINGVAM ET GENTEM. Extenſa enim fuit non modò Gentilium Impp. ſed & ſacra Pontificum Rom. poteſtas in omnis generis & nationis homines, per Orientem quoque, & imprimis occupato Regno Hieroſolymitano, in Africa item & denique in Orbe quoque Novo & utraque India. ET ADORABVNT EAM OMNES INHABITANTES TERRAM. QVORVM NONINA NON SVNT SCRIPTA IN LIBRO VITÆ AGNI, qui occiſus eſt ab origine Mundi per ſacrificiorum typos. Eccleſiæ enim omniumferè nationum, Græca, Latina, Moſchovitica, Maronitarum, Abyſſinorum & Slavorum participarunt de abuſibus, ſuperſtitionibus & malis moribus Eccleſiæ quæ *Regni Hildebrandini ἀκμὴ.*

Mo-

Monarchiam occuparat: exceptis paucis Electis, quæ Eccleſiam internam & regnum Chriſti in his terris conſervarunt, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ Agni.

§. LXVI.

Fata Imp Germ. Magnum & hoc eſt, quod ſequitur, unde attentionem excitat Spiritus S. SI QVIS HABET AVREM; AVDIAT. QVI IN CAPTIVITATEM DVCIT, Si quis Princeps, qui ſummam poteſtatem habet belli gerendi, & jure belli alios in captivitatem ducendi, quique libertatem Eccleſiarum defendere anniſurus eſt, is IN CAPTIVITATEM VADIT, fruſtra arma capiet adverſus libertatis ſacræ oppreſſores, ſed capietur ipſe, excommunicabitur, Regno ipſo atque imperio ſpoliabitur. Hujusmodi præludia cœpta cum *Ludovico* Pio Imp. res confecta in *Heinrico IV.* Imp. & continuata adverſus *Fridericos* eorumque totam ſtirpem. QVI GLADIO OCCIDIT, Jure Gladii atque Imperii gaudet, OPORTET fatis ita dantibus EVM GLADIO OCCIDI, belli confici. Quid quod & ipſum gladii jus in Imp. Pontifices prætenderunt? *Vid. lib IV. de Lib. Eccl. Germ.* HIC EST PATIENTIA ET FIDES SANCTORVM neceſſaria, ne offendiculum patiantur, quod multis tum futurum Salvator ipſe prædixit, *Matt. XXIV. 10.* Qui autem perſeveraverit usque ad finem, hic ſalvus erit.

§. LXVII.

Clerus corruptus ſtabilimentum adverſitatū. *ET VIDI ALIAM BESTIAM* non de mari *ADSCENDENTEM* ſed *DE TERRA*, non enim eſt de Imperiis Vniverſalibus, nec tamen ad cœlum pertinet, ſicut Mulieris ſignum in cœlo apparebat, ſed eſt de terra ac terrena ſapit. de qua *Zach. IX. 16.* vaticinatus

ſub

ſub figura Paſtoris ſtulti : *Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti, quia ecce ſuſcitabo Paſtorem IN TERRA, qui derelicta non viſitabit, &c.* qvales & Scribas atque Phariſæos ſuo tempore depinxit Salvator *Matth. XXIII. 15.* *ET HABEBAT CORNVA DVO SIMILIA AGNI* *Apocal. V. 6.* præterquam quod Agnus ſeptem habet, beſtia hæc duo tantum; neque enim tanta eſt potentia cleri adverſarii, quanta Chriſti. *ET LOQVEBATVR SICVT DRACO.* Cornua ſive *poteſtas* hujus beſtiæ ſimilis eſt poteſtati Chriſti in Eccleſiam ſive *Eccleſiaſtica*, uſurpatio ſc. clavium & jus in conſcientias, *Doctrina* autem Draconis *Diaboli* reverà eſt, qui ſeducit totum terrarum orbem, *Apoc. XII. 9.* hinc *in cap. ſeqq.* clarius hæc beſtia vocatur etiam *Pſeudopropheta cap. XVI. 13. XIX. 20.* *Vid. Lehm. Chron. Spir. 2. 32.* *ET FACIT POTESTATEM PRIORIS BESTIÆ* Hierotyrannidem à Reformatoribus Statibus in Conciliis atque Comitiis labefactatam inſtaurat. *OMNEM IN CONSPECTV EJVS* ejus voluntate & beneplacito ipſius. *ET FACIT TERRAM ET INHABITATORES EJVS ADORARE BESTIAM PRIMAM* conſiliis, dogmatibus & omni ope ſuperſtitiones & abuſus ſtabiliens & allaborans univerſam terram ad obedientiam perducere; id quod etiam in Indiis jam præſtitum.

§. LXIIX.

ET FACIT hac altera beſtia ſive Pſeudo propheta SIGNA MAGNA, qualia & Spiritus beſtiæ *Cap. XVI. 13.* VT ETIAM IGNEM ~~*mij*~~ FACERET DE COELO DESCENDERE. Comparatio eſt inter miracula hujus beſtiæ ſive facinora, & inter talia quale *Miracula falſa.*

eſt Ignem de cælo mittere, quod verus Propheta Elias præſtitit. *conf. Matth. VII. 22.* Scilicet poteſtatem illam extraordinariam, quam Elias aliique Prophetæ divinitus afflati, in conſtituendis puniendisque Regibus, eorumque miniſtris, quandoque exercuerunt, eandem & quidam Romanæ Sedis occupatores proprio auſu ſibi arrogarunt, ET SEDVCIT HABITANTES IN TERRA, PROPTER SIGNA, QVÆ DATA SVNT ILLI VT FACERET IN CONSPECTV BESTIÆ, DICENS perſuadens HABITANTIBVS IN TERRA, Regibus, Principibus, VT FACIANT IMAGINEM ſtatuam in honorem & cultum BESTIÆ, QVÆ HABET PLAGAM GLADII, ET VIXIT, reconvaluit curata, *v. 3. h. cap.* h. e. in honorem octavi capitis beſtiæ per quod plaga iſta curata ſupra dicitur. Transſumta hæc videntur à typo hiſtorico *Statuæ Aureæ*, quam Rex Babylonius ad inſtar ejus, quam in ſomnio viderat, & IV. Monarchias repræſentarat, fecit erigi & adorari *Dan. 3.* ritu gentilium idololatrico. Ad eundem enim modum Clerus corruptus fecit erigi Statuam ad ſimilitudinem Beſtiæ vulneratæ, & per hanc conſecrationem Statuæ iterum curatæ, h. eſt ad ſimilitudinem Status Imperii Rom. adhuc gentilitii, poſtea à Conſtantino M. magna ex parte ſuppreſſi & aboliti, novo Statu Reip. Chriſtianæ introducto: Sed apparet Romam imperio unà cum Eccleſia occupato, formaviſſe Statum Reip. Chriſtianæ ad priſtinum ſtatum Gentilitiæ ſuperſtitionis, ex quo τὴν πολυθεότητα repræſentat Multitudo Sanctorum & Sanctarum, horumque invocatio: Apotheoſin Canoniſatio: Supplicationes Deorum, Proceſſiones: Sacrificia, Miſſæ. *conf. H. Stephani Apologiam pro Herodoto gallicè editam. Petri Johannis Olivi,*

Religio corrupta Gentiliſmi.

Olivi, qui circa tempora Ludovici Bavari in Apocalypſin commentatus ait: *Cum autem apoſtatatrix beſtia de terra religioſorum aſcendet in altum cum duobus cornibus pſeudo-religioſorum & pſeudo-prophetarum falsò ſimilibus veris cornibus agni, tunc erit validisſima tentatio myſtici Antichriſti. Surgent enim tunc pſeudo-Chriſti & pſeudo prophetæ, qui facient ab omnibus adorari cupiditatem & carnalitatem ſeu carnalem gloriam beſtiæ ſecularis, dabuntque ad hæc ſigna magna, primò ſcilicet ſuæ eccleſiaſticæ auctoritatis, cui contradicere videbitur inobedientia & contumacia & rebellio ſchiſmatica, ſecundò univerſalis ſcientiæ omnium Magiſtrorum & Doctorum ſuorum & totius multitudinis ſeu opinionis omnium, cui contradicere videbitur ſtultum & inſanum & hæreticum. Tertiò dabunt ſigna rationum & ſcripturarum falsò intortarum, & etiam ſigna alicujus ſuperficialis ac vetuſtæ & multiformis religionis per longam ſucceſſionem ab antiquo firmatæ & ſolemniſatæ, ita ut cum his ſignis ignem dominicæ iræ ſuper contradictores videantur facere deſcendere, & è contrà, quaſi ignem ſancti & apoſtolici zeli videantur ipſi de cælo in ſuos diſcipulos facere deſcendere. Statuent etiam ut qui non obedierit, anathematizetur & de ſynagoga ejiciatur, & ſi oportuerit, brachio ſeculari beſtiæ prioris tradatur. Facient etiam ut imago beſtiæ primæ, id eſt, Pſeudo-Papa, à Rege beſtiæ primæ ſublimatus adoretur, id eſt, ut ſibi pluſquam Chriſto & ejus evangelio credatur, & ut adulatoriè quaſi Deus hujus ſeculi honoretur.* Quibus examinatores Papales nihil ſolidi potuerunt reponere, *Vid. St. Baluzii lib. I. Miſcell. p. 253.*

§. LXIX.

ET DATUM EST ILLI beſtiæ alteri, pſeudopro- *Inquiſitio*

res bar. prav. phetæ, clero corrupto, *VT DARET SPIRITVM* vitam, durationem & operationes, *IMAGINI BESTIÆ*, ſtatuæ & cultui ac religioni idololatricæ, cujus quippe clerus iſte autor ac ſator eſt. In hoc enim differt Statua hæc à Nobochodonoſoris ſtatua, quòd hæc vivat, h. e. duret per longum tempus & aliquot ſecula: & quum ſit ipſe Status ac regimen Eccleſiæ Idololatricum, itaque LOQVI dicitur & imperare. Hæc ſtatua in vaticinio Danielis *c. XI.* Maozim; à Zacharia *c. XI. 16. 17.* Idolum ejusque paſtor, *paſtor ſtultus*, videtur dici. Et porrò datum eſt eidem Pſeudoprophetæ, *VT LOQVATUR IMAGO BESTIÆ*, imperet gubernet, Leges ferat Canonicas. Et denique eidem datum eſt, *UT FACIAT* pſeudopropheta, cauſa principalis Imaginis ſeu Statuæ & ſuperſtitionis *UT QUICUNQUE NON ADORAVERINT IMAGINEM BESTIÆ* non amplexi fuerint cultum Sanctorum, & reliquas ſpecies Idololatriæ novæ, *OCCIDANTUR*, tanquam hæretici: quod etiam Nebucadnezar inſtituerat. *Dan. III. 6.*

§. LXX.

ET FACIT tandem *OMNES, PUSILLOS ET MAGNOS, ET DIVITES ET PAUPERES, ET LIBEROS ET SERVOS, ACCIPERE CHARACTEREM IN MANU SUA DEXTRA, AUT IN FRONTIBUS SUIS*, χάραγμα, *Character Beſtiæ.* æmulando Salvatorem Chriſtum σφραγίζοντα ſuos in frontibus *cap. VII. 3. Ezech. IX. 4.* teſtimonio & confesſione orthodoxa, *Apoc XII. 17.* Character enim eſt teſtimonium. teſtimonium porrò Spiritûs S. dona, *c. XIX. 10.* Character itaque ſignum, ſymbolumque quo dignoſcitur antichriſtianus à chriſtiano, eſtque aut in *frontibus*, h. e. Confeſſio externa, vel in *manu* ac diſſimulata. Neque enim ad regnum antichriſti tantùm hi pertinent, qui

qui nomen beſtiæ aut numerum expreſsâ devotione præferunt. ſed illi quoque, qui externè regno antichriſtiano non ſubjecti, characterem tamen & qualitates antichriſtianas fovent. Vnde Johannes alibi ait; *plures eſſe antichriſtos.* Etenim characterem hunc omnes illi gerunt, quicunque opera antichriſtiana facere conſueverunt, h. e aut doctrinam aut vitam Chriſti Doctrinæ & vitæ contrariam fovent. Generatim itaque *character antichriſti eſt,* prævalentia ac dominatus veteris hominis carnalis: ut *character Chriſti* eſt prævalentia novi hominis & ſpiritus. Atque latius patet *regnum antichriſti,* quàm *beſtiæ,* ſed & antiquius eſt, & longius durat. *cap.XX. 10.* itaque etiam in eas Eccleſias, quæ externè Reformatas ſe profitentur, regnum antichriſtianum ſuos extendit fines. *c.2,13.*

§. LXXI.

ET facit, *NE QVIS* commodè ac liberè *EMERE VENDERE POSSIT*, commercio & ſocietate civili veluti hoſtes *1. Macc. XII.36 c. XIII.49.* aut peregrinos, *Ariſt. lib. VI. Polit. c. IX.* à jure civitatis extorres, excludit per *Excommunicationem QVI NON HABENT,* i. habere nolunt, detrectant, *Flac. Clav. P. 2. Tr. 4. p.337 de Verbis, quæ per Infin. CHARACTEREM* aut *NOMEN BESTIÆ,* confeſſionem externam, idololatricam, *AVT NVMERVM NOMINIS BESTIÆ,* qui eſt *SEXCENTI SEXAGINTA SEX. Hic ſapientia eſt!* exclamat Johannes. *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ numerus enim* non angelicus ſed *hominis* ac civilis *eſt.* Patres eccleſiæ Veteres imprimis *Clemens Alexandrinus*, invenerunt numerum beſtiæ in Nomine LATINI, h. e. Romani. Non intelli-

Nomen & Numerus nominis.

telligentes aliquod individuum, ejusve nomen, ſed univerſitatem, atque *Eccleſiam*; quomodo Eccleſia Romana tempore ſuæ ἀκμῆς vocari conſuevit, contradiſtincta tum Eccleſiæ Græcæ, ut conſtat vel ex Innocentii III. Epiſtolis.

Λ	30		R	ר	200
Α	1	*Eadem ratio eſt nominis Hebræi, quo Romana exprimitur Eccleſia:*	O	ו	6
Τ	300		M	מ	40
Ε	5		A	י	10
Ι	10		N	י	10
Ν	50		A	ת	400
Ο	70				666.
Σ	200				
	666.				

Ac appoſitè convenit cum Hebræa voce, quòd Daniel ait: ויית רוכם: *Vejith Romem, Et efferet ſeipſum, c. XI. 36. 2. Theſſ. II. Apoc. XVIII. 7. Conf. S. Schardii JC. Hypomnema de Fide Pontificum Roman. erga Impp. German.* Eſt etiam, qui à Papatu Gregorii VII. *æram Papalem* in hoc numero figit, eamque ita terminat in Anno Chriſti 1716. regno Pontificio fatali futuro. Denique etſi *Character* beſtiæ, & *nomen* beſtiæ, & *numerus nominis* ejus eodem recidunt, ac poteſtatem atque imperium hierotyrannicum deſignant, poterunt tamen ſubtili ratione, quoad modum ſubjectionis diſtingui, veluti inferius *ad cap. XV. 2.* explicabitur.

§. LXXII.

Ad interdict. illud comerciorum & omnis humanitatis referunt, quod A. C. 1163. Alex III. Antipapa *in Conc. Turon. contra Waldenſes* §. 4. decrevit. *Contra eos, Epiſc. & Dnn. Sacerdotes omnes in illis partib. commorantes vigilare præcipimus*

mus; & ſub interminatione Anathematis prohibere, ut ubi cogniti fuerint illius hæreſis ſectatores, ne receptaculum quisquam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertire præſumat. Sed nec in VENDITIONE aut EMTIONE aliqua cum eis omninò commercium habeatur; ut ſolatio ſaltem humanitatis amiſſo, ab errore viæ ſuæ reſipiſcere compellantur. Quisquis autem contra hæc venire tentaverit: tanquam princeps iniquitatis eorum, anathemate feriatur.

§. LXXIII.

Novam ac ſingularem perſequendi ac ſupprimendi Eccleſiam Chriſti, rationem à Dracone inventam, excitato in ipſa Eccleſia Tyranno, hactenus graphicè atque ab ejus incunabulis depinxit Spiritus Sanctus: ut porrò demonſtret, quo effectu tandem hi Draconis conatus atque niſus gaudeant, repræſentat hoc *Capite XIV.* Eccleſiæ Chriſti ſtatum florentem atque victorioſum ſub ipſo hierotyrannidis jugo, Duce Chriſto Salvatore, qui ſub figura AGNI apparet, ſuper montem SION, ubi civitas David & Hieroſolyma & Arca DEI. *1. Par. XI. 5. 2. Sam. VI. 16.* quo denotatur Eccleſia inviſibilis, ubi veræ religionis miniſterium habetur, & regnum Chriſti, quod intrinſecus venit. *Pſal. II, 6. conf. Joël c. III.* ET CVM EO CENTUM QVATUOR MILLIA, quorum & antea *cap. VII.* mentio fuit, pro charactere HABENTIA NOMEN PATRIS EJUS SCRIPTUM IN FRONTIBUS, *cap. VII. 3. Ezech. IX. 4.* & facultatem addiſcendi Canticum cœleſte, *v. 3.* in ſtatum cœleſtis libertatis REDEMTA ex hominibus de terra: VIRGINES, mente caſtâ, ſequentes Agnum *Joh. X. 4. Mulieribus*, h. e. doctrinis falſis & idololatricis & corruptelis antichriſtianis non coinquinata: *conf. Zachar IX. 4. Primitiæ DEO* & Agno ſub perſecutione antichriſtiana oblatæ,

Cap. XIV. Eccleſia preſſa victrix.

latæ, quas mox integra *Meſſis* ſequitur, *verſ.* 15. ſine dolo & culpa ante thronum DEI inuentæ, *verſ.* 4, 5. contra quàm in judicio antichriſtiano, ubi ut hæretici ad ignem & tormenta condemnatæ. Opponitur hic *Character* & *Nomen DEI* atque Chriſti, characteri & nomini Beſtiæ & Antichriſti, de quo *cap. anteced.* ita ut non obſtante tyrannide ſacra, tamen Regnum Chriſti ſub ipſo jugo, permanſurum ſit, & Mulier in deſerto paſcenda & conſervanda. Characteriſmum hunc Spiritûs S. & Electionis in S. Baptiſmate impreſſum & quotidianâ renovatione conſervatum Paulus *Epheſ. I, 13. 14.* indigitat, & *cap. IV. 30. 2. Cor. I, 22.*

§ LXXIV.

Arma Verbum Lex & Evangel.

Porrò voci ac blaſphemiis, quibus regnum beſtiæ fundatur, opponitur in Eccleſia *VOX* duplex : una inſtar *aquarum* multarum, & *tonitrui* magni, quæ *LEGIS* nomine venit. *Epiſt. XIX. 16.* Altera, citharœdorum, & *canticum novum*, quod nemo niſi Electi illi ante ſedem & IV. Animalia & Seniores cantant, h. e. Evangelium ſub mediis Eccleſiæ & tenebris prædicatum atque agnitum. *conf. Pſ. XCV. & CII.* coram IV. animalibus, quod Salvator dicit à IV. ventis colligi Electos, *Matth. XXIV. 31.* & ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Auſtro venire, qui accumberent in Regno *DEI Luc. XIII. 29. conf. Zach. IV. & ult. verſ. 4.* Inter Cimmerias igitur tenebras ex omnibus IV. Orbis plagis collecta manſit Chriſto Eccleſia, & prædicatio atque agnitio Evangelii, cæteroquin abſconditi à Sapientibus & prudentibus hujus ſeculi, *Matth. XI. 25. Luc. X. 21. Joh. VII. 17. 1. Cor. XVIII. 19. 2. Cor. IV. 4. conf. Apoc. XV. 2. 3.* Illi vocantur à Daniele *c. XI. EDOM, MOAB* & *PRIMITIÆ* filiorum Ammon. h. e. Rufini ſive *Martyres*, Paterni ſive Patris nomen habentes ſeu *Confeſſores*, & in-

& infantes, ac pueri innocentes, ac verè *Virgines*; à Sophonia *cap. ult. verſ. 13.* Reliquiæ Iſraëlis apoſtatæ: *Zachar. XI. 11.* Pauperes Gregis ſive miſeræ oves, quantum ad ſtatum externum in hoc ſeculo, quò alludit denominatio *Pauperum Lugdunenſium.*

§. LXXV.

Hæc de primo eventu, qui Draconis erectionem Hierotyrannidis & Statuæ Idololatricæ ſecutus eſt, florente ipſâ & ἐν ἀκμῇ conſiſtente, quo ipſo verò non potuit efficere, quin multa millia hominum à charactere beſtiæ immunia regni Chriſti cives perſiſterent. Sequitur jam alter & ipſe exitus Hierotyrannidis unà cum exſcidio Sedis Beſtiæ. Cum enim hactenus Beſtia & Pſeudopropheta Eccleſiam Chriſti miſerrimè tractaſſent, deformaſſent, & omnem reformationem cohibuiſſent, ecce Angelum cœlitus miſſum & *VOLANTEM PER MEDIUM COELI* ſive eccleſiæ externæ, corruptæ ac reformandæ, ut omnes Eccleſiæ particulares vocem ejus eò clarius perciperent, ſed & per meditullium Eccleſiæ Occidentalis, & quidem Germanicæ *HABENTEM* & prædicantem *EVANGELIUM ÆTERMUM,* Evangelium Regni Chriſti. *Matth. XXVI. 14.* in æternum durantis, *2. Petr. 1, 11. UT* rejectis Indulgentiis Papalibus, pſeudoëvangelicis, & rejecta atque damnata doctrina de Operibus Legis Papiſtica, *EVANGELISARET HABITANTIBUS SUPER TERRAM ET OMNI GENTI, ET TRIBUI, ET POPULO.* Id quod impletum fuit per ineffabilem *DEI O. M.* gratiam ſuperiore ſeculo, quum Confeſſio Evangelica, publicis in Comitiis Imperii exhibita per omnes linguas atque nationes penetravit. Fatetur Bellarminus *Tom. 1. Controv. Præf. §. atque utinam.* ait:

Reformatio Eccleſ.

C. A. 1530.

ait: *Quis ignorat peſtem* (ita vocat peſtis Evangelium æternum, loquens ore Draconis blaſphemo) *Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam, mox Germaniam penè totam occupaſſe; Indè ad Aquilonem & Orientem profectam, Daniam, Norwegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam abſumiſſe; tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentiſſima quondam Regna, brevi populatam tempore, ad extremum Alpes transſcendiſſe, & in Italiam usque penetrâſſe.* Et *Tom. IV. Præf.* §. *Pectus lorica* ſcribit: *Nam non contenta Occiduis & Aquilonaribus regnis, ad Orientem quoque & Meridiem, ad Græcos, ad Indos, ad ipſum Novum Orbem navigare auſa eſt.* Adeò vera ſunt quæ in Præf. F. C. Status Evangelici aſſerunt: *Confeſſio in Comitiis Aug. A. 1530. Imp. Carol. V. excell. mem. à pientiſſimis Majoribus noſtris, Germanico & Latino Idiomate oblata, & Ordinibus Imperii propoſita, denique publicè ad omnes homines Chriſtianam doctrinam profitentes, adeoque in totum terrarum orbem ſparſa ubique percrebuit, & in ore & ſermone omnium eſſe cœpit.* Prædixerat hoc jam tum Salvator O.M. ante Paſſionem. *Matth. XXIV. 14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: Et tunc veniet conſummatio.* Nec temerarius ſive interpres ſive vates fuit *Petrus Johann. Olivi*, qui ad Apocalypſin commentatus aſſeruit, *Ordinem quendam Evangelicum* fore, qui ſubjecturus ſibi regna paganorum & omnem terram. *Vid. St. Baluzii lib. 1. Miſcell. p. 220.*

§. LXXVI.

Reformationis Porro Reformationis tres ſunt poſitiones, quos totidem Angelos appellat Johannes, quo rei certitudo inten-

tentius denotatur. Primus Angelus eſt præco doctrinæ Evangelicæ repurgatæ à cultu novo idololatrico, inculcans veram ſolius DEI adorationem, rejecto cultu Sanctorum. *Timete DEVM, & date Illi honorem,* non hominibus, non mortuis, *quia venit hora judicii ejus : & adorate* non creaturas, ſed *Eum, qui fecit cœlum,* & qui in eo ſunt, *& terram,* & qui in ea imperant, *& mare & fontes aquarum.* Fundamentum enim religionis Pontificiæ, quo DEVS & Evangelium Ejus maximè omnium fuit offenſus, eſt Adoratio Sanctorum, & Conſtitutio Mediatorum præter Chriſtum. Alter Angelus eſt præco ruinæ jamjam imminentis: *Cecidit, cecidit Babylon civitas illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potavit omnes gentes. conf. cap. XIIX.*

Partes 1. Doctrina.

2. Oppugnatio.

§. LXXVII.

Tertia denique Reformationis pars eſt, ſeceſſio atque interdictio communionis cum Eccleſia apoſtatica. Indulſerat hactenus DEVS clementiſſimus verè Chriſtianis ac Fidelibus, idololatrias iſtas abominantibus, ut ſacris his impuris externè communicarent, quum non ſuppeteret aliàs Eccleſia pura & non infecta. At recepto jam Evangelio, purôque cultu per plurimas Eccleſias publicè conſtituto, interdixit Salvator Communioni, & præcepit ſeceſſionem ab Eccleſia iſta: *Si quis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſuâ aut in manu ſuâ, & hic bibet de vino iræ DEI, &c.* Quod phialis plenis propinatur *cap. ſeq. XVI.* Quæ omnia repetuntur & latius deducuntur *cap. XIIX. Exite de illa populus meus, ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus ne accipiatis. &c.* Quamobrem temerè *Schiſmatica* appellatur Eccleſia Evangelica, quippe

3. Separatio.

quæ *juſtam*, omni divino & humano jure, fecerit *Seceſſionem* ab apoſtatica ſede.

§. LXXIIX.

Renitentia beſtiæ & perſecutio. Inquiſit. Hiſp. Bell.Relig.

Nihilominus tamen futurum eſſe, & hic innuitur, & *cap. XVI. 13.14.* plenius revelatur, uti Draco, beſtia & Pſeudopropheta omnes vires colligant adverſus ſecedentes Eccleſias orthodoxas, & Evangelium amplexas, quò ad obedientiam eas reducant. Vnde porrò fore ut multi à vera doctrina ad fucatam mox recidant, apoſtatæ aulici, *Syncretiſtæ*, Adiaphoriſtæ, & ejuſmodi homines arundinei. Hinc gravis hæc interminatio, ne quis ſeſe reddat ſive minis ſive blanditiis beſtiæ, ſed patientia & firmâ conſtantiq; fide perſeveret. Vnde Salvator de hoc tempore: *Qui autem perſeveraverit ad finem, hic ſalvus erit. Matth. XXIV. 13.* Non cavent ſibi ab his hodiè, quæ beſtiæ characterem recipiunt ob commoditates temporales. Itaque prædicuntur hoc loco κόποι, labores, injuriæ, moleſtiæ, vexationes, perſecutiones & preſſuræ his, qui Evangelicæ doctrinæ & ſanctæ vitæ operam dantes characterem beſtiæ deteſtantur.

§ LXXIX.

verſ. 13.

Dubium videri poteſt, de voce præcipiente Johanni: *SCRIBE, BEATI MORTVI QVI IN DOMINO MORIVNTVR* ἀπάρτι. Ναὶ λέγει τὸ Πνεῦμα, ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν, τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν. Cur enim *nunc* demum *mors Sanctorum beata* prædicanda, quum ab origine mundi beata fuerit, & quidem ex ipſa hic aſſignata cauſa, quod quieſcant à laboribus ſuis, & expectent præmia ſua. Verùm hæc non ſimpliciter, ſed *comparatè* videntur intelligenda, quoniam poſt reductam Evangelii lucem non tantùm formula beatè mori-

moriendi clariùs propoſita fuit, ſed etiam, αἱ κόποι Sanctorum in temporibus ultimis longè vehementiſſimi & graviſſimi futuri, eò quòd non tantum dies hi erunt ſimiles diebus Noæ. *Matth. XXIV. 37. 38.* h. e. quoad univerſalem apoſtaſiam à vera Fide, contra ea vita impuriſſima & in omni ſtatu ſcandala publica: Sed quia in his tam magna erit afflictio piorum, qualis non fuit ab initio mundi. *Matth. XXIV. 21.* Vt igitur Elias ſimili rerum ſtatu in Eccleſia Iſraëlitica, mortem præoptabat, ita & hîc Fideles eandem deſiderabunt, & venientem lætiſſimi amplectentur: adde quod & hoc præcipuum habent hi, quoniam præmia & majora exſpectabunt, & ea citius, quippe propinquius adventante redunitione corporis & animæ.

§. LXXX.

Cœptam ita Reformationem Eccleſiæ Chriſtianæ & reſtitutam Religionis orthodoxæ libertatem, ringente licet beſtiâ & pſeudoprophetâ, ſequitur læta Eccleſiarum *Meſſis*, & multarum animarum acquiſitio, à jugo & baratro antichriſtiano ereptarum: nec non viciſſim cruenta *vindemia* atque vindicta de antichriſtianis. De Meſſe *conf. Matth. XIII. 39. Joël III. 13.* De Vindemia *Pſ. LXVII. 13. Jer. XLIX. 9. XXV. 30. Thren. I, 22.* Incipit Meſſis unà cum ipſa Evangelii prædicatione, *d. Matth. XI. 1.* continuatur usque ad conſummationem ſeculi, ubi finis atque complementum Meſſis, tempore extremi judicii, quod hic *Sedens ſuper nubem candidam* exercere dicitur *Similis Filio hominis*: h. e. Salvator O. M. *conf. Matth. XXIV. 31.* admonitus prius ab Angelo, exeunte de Templo cœleſti, *v. 15. & 17.* de Tempore judicii à DEO ſecretè determinati, *Matth. XXIV. 36.* *Meſſis Succeſſus Reformat.*

Vindemia punitio Antichriſt.

§. LXXXI.

Vindemia i. e. pœnarum & in hoc & in futuro ſeculo irrogatio ad ANGELVM, non immediatè ad Salvatorem refertur, ait: ET ALIVS EXIVIT ANGELVS &c. eadem temporis conſummatione, ut clarè hoc exponit Chriſtus *Matth. XIII. 40, 41.* idque futurum per Angelos Meſſores ad juſſum Angeli increati, qui h. l. dicitur habere ἐξουσίαν ἐπὶ τοῦ πυρὸς, *poteſtatem ignis,* non tantum Altaris, *Apoc. IIX. 5.* ſed & infernalis. *Matth. XIII. 41.* *VINEA ET BOTRI TERRÆ* ſunt; Beſtia, Pſeudopropheta, Reges terræ & omnes à verâ Fide morumque ſanctitate alieni & extorres, *Apoc. XIX. 20. XX. 9. 10.* Vnde & TORCVLAR h. e. locus tormentorum extra CIVITATEM DEI, & veram Eccleſiam conſtitutus. Ceterùm quod hic breviter & allegoriâ vindemiali indigitatur, id ſequente Viſione ſpecialiori & imprimis *cap. XIX. 15. ſqq.* dilucidius exponitur & declarantur vindemiatores & calcatores torcularium, equites deſcribuntur, ad quorum frena ſanguis pertingere h. l. dicitur.

C. XV. Nova Viſio declaratoria prioris.

§. LXXXII.

Vti hactenus conſuevit Spiritus Sanctus à generali Viſione ad ſpecialem progredi, ita eâdem methodo pergit jam à deſcriptione totius Eccleſiæ Chriſtianæ Status, ab origine usque ad conſummationem ſeculi, ad ſpecialiſſimam revelationem poſtremi temporis & exſcidii Beſtiæ ac Pſeudoprophetæ: Vnde conſuetâ utitur formulâ Johannes: ET VIDI *ALIVD* SIGNVM IN COELO MAGNVM ET ADMIRABILE, eoque ipſo ſumitur deinde occaſio, clarius explicandi ea, quæ de Beſtia ſive Monarchia Romana ſuprà obſcurius dicta fuerunt. Vna autem & continua Viſio hæc eſt usque ad

finem, eo usque enim ſeptem Angeli munere ſuo funguntur, & patet ex *Cap. XXI. 9.* Cujus ſcopus atque objectum eſt, ut dixi, repræſentatio ſpecialior Status inclinantis Eccleſiæ Antichriſtianæ & ultimi tandem ejus exſcidii: contra victricis Eccleſiæ Chriſti de Antichriſto atque Gogo, & æternæ civitatis adumbratio.

§. LXXXIII.

Terminus ad quem, facile apparet, ſunt Ultima rerum & tubicinium ſeptimum, cujus deſcribendi gratiâ, ut ſupra diximus, hæc deductio rei ab initio fuit ſuſcepta: Terminus verò à quo judicari poteſt ex eô, quod hic præſentantur ſeptem plagæ *ultimæ, αἱ ἔσχαται*, quæ præſupponunt ſaltem aliquam priorem. Præceſſerunt porrò has & *tubicinia.* h. e. permiſſiones corruptelarum, quas plagas non agnoverunt tum homines, reverà tamen fuerunt. contra præceſſit quoque multiplex impetitio Tyrannidis quorundam Pontificum per Concilia Germanica *Conſtantienſe* & *Baſileenſe*, per heroicos item *Imperatorum* Germanicorum auſus, nec non per multorum piorum & eruditorum virorum *ſcripta* atque facta, usque dum denique ſequuta fuit magna ex parte abolitio tum tyrannidis iſtius ſacræ, tum Idolomaniæ, & ſeceſſio plurium Eccleſiarum & ſequetur plenior. Plagæ denique dicuntur Noviſſimæ, quod noviſſimo tempore ingruunt, itemque reſpectu iræ divinæ & plagarum generatim contra infideles ab origine inflictarum. quò facit, quòd *Dan. VIII. 18. 19.* dicitur: *In noviſſimo maledictionis ſive Iræ Divinæ.* *Terminus à quo*

§. LXXXIV.

Eodem igitur ſeculo & Evangelium reproductum & cœpta hæc inclinatio & ruinæ minitatio, ſequunturque ex ordine ſeptem plagæ; Quemadmodum in *Ægypto* adverſus *Plagæ phialæ vaſa iræ.*

verſus tyrannum Pharaonem decem plagas Deus miſerat, ut pœniteret, & populum Iſraëliticum dimitteret, ſed cùm per eas ad nullam reſipiſcentiam permotus eſſet, tandem exciſus fuit. *conf. c. XI. 8.* Septenarius plagarum numerus deſumtus videtur tum à numeri perfectione, tum ex *Levit. XXVI. 14. 33.* ubi quatuor gradus plagarum contra apoſtaticam Eccleſiam, & quilibet gradus ſeptuplicatus. Ceteroquin reſpicitur quoque ad typum Regni hujus Imperium *Babylonicum*, de quo Jeremias *c. L. 13. Qui per Babylonem tranſibit, ſtupebit & ſibilabit ſuper univerſis Plagis ejus.* & *verſ. 25. Aperuit Dominus theſaurum ſuum, & protulit VASA iræ ſuæ.* Ratio loquendi inter alia deſumta videtur ab occaſione profanatorum Vaſorum aureorum & argenteorum ex templo Hieroſolymitano Babylonem translatorum, de qua profanatione *Daniel. c. V. 2. & 23. Adverſum Dominatorem cœli elevatus es, & Vaſa domus ejus allata ſunt coram te, & tu & optimates tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibiſtis ex iis: deos quoque argenteos & aureos laudaſti.* Pariter & Babylon ſpiritualis fecerat coram ſe afferri vaſa domus Domini, CALICEM S. S. & ipſa cum ſuis biberant ex eo, & laudarant ſanctos ſuos, & profanarant Miſſam ſacram, & omne ſacramentum, ac Liturgiam univerſam; Bonis item Eccleſiaſticis cum concubinis ſuis abuſi fuerant: Hinc eis ita ut Babyloni fecit Deus, & Vaſa iræ ſuæ coram ſe fecit afferri, & in poculo, quod propinavit, infudit ipſi duplum. *c. XVIII. 6.*

Septem.

§. LXXXV.

Eccleſiæ Status felix.

Antequam effuſiones ſeptem plagarum referantur, in conſolationem Eccleſiæ Evangelium amplexæ, præſentatur ſtatus & conditio Fidelium interea temporis, eorum

ſcili-

ſcilicet, qui victoriam reportarunt *de beſtia & de imagine ejus, & de charactere ejus, & de numero nominis ejus.* Figura hæc eſt ſermonis, Prophetis & Johanni cumprimis uſitata, qua repetitio fit eorum, quæ idem ſignificant, ſed ſine tautologia, verùm cum emphaſi, & aut inculcationis ergo, aut explicationis cauſa, deducendo totum per partes. *Vid. Flac. Clav. SS. Script. P. 2. Tr. IV. de Repetitionibus.*

§. LXXXVI.

Atque tentari poſſe videtur, anne VINCERE BESTIAM ejusque robur, ſignificet *generatim* LIBERTATEM à poteſtate *hierotyrannidis:* quam, plurimi ſive μεγάλη φαντασία, ſive terrore victi, deſeruerunt apoſtatæ. Porro Vincere IMAGINEM, i. e. *cultum beſtiæ,* videtur idem eſſe, atque non cogi aut averti à vera Fide cum plurimis ad adorandam ſtatuam Babylonicam, ſed imitari Sadrachen & ſocios. *Dan. III.* quod tamen plures neglexerunt externo cultu & ritibus victi. Tandem Vincere CHARACTEREM beſtiæ eſt abominari, *intrinſecè* etiam Idolomaniam iſtam & impuras quasque religiones aut ſuperſtitiones. Hæc victorum ſpecies opponitur his, qui extrinſecus veram religionem *ſimulant,* intrinſecus falſam colunt aut nullam pſeudochriſtiani: Denique Vincere NUMERUM NOMINIS ejus, eſt nolle extrinſecus ſimulare falſam Religionem, nominetenus, ob metum exilii & bonorum confiſcationis, aut ob ſpem horum acquirendorum contra conſcientiam & internum teſtimonium veritatis. Opponuntur his nempe illi, qui falſitatem ſectarum agnoſcentes, & veritatem Evangelicam pervidentes, nomen tamen profitentur beſtiæ, quorum

Victores de Beſtia.

rum infinitus per Germaniam, Galliam, Hungariam, Bohemiam & ubique fere, numerus.

§. LXXXVII.

Character quid. Scilicet CHARACTER videtur dici qualitas intrinſeca, inclinatio & propenſio, aut etiam habitus ad agnoſcendam Veritatem vel Falſitatem. Si *Veritatis*, Chriſtianismus eſt, & acquiritur per Baptiſmum & Vnionem cum Spiritu S. Si *Falſitatis*, Antichriſtianiſmus eſt, ineſt partim pravæ naturæ, h. e. Carnalitati, qui vetus homo dicitur partim acquiritur inſtitutione heterodoxa, antichriſtiana, hæreticorum, & atheiſtarum: Hunc vincere eſt omnem carnalitatem exuere. *Numerus Nominis quid.* NVMERUS NOMINIS eſt ipſum nomen, *c. XIII. 17.* numero ſupra expreſſo indigitatum. Nomen hoc, ſive numerum hujus nominis indicem ſuſcipiunt plurimi ex cupiditate divitiarum, honorum & voluptatum, aut propter multitudinem & numerum nomen hoc adorantium, convicti in conſcientia de falſitate & inanitate ſuperſtitionis. *Vincere* itaque *Numerum nominis* beſtiæ eſt, vincere illecebras & tentationes ac irritationes ad amplectendum nomen v. g. Catholici Romani externâ confeſſione, etſi ex animo derideat inanias novarum ſuperſtitionum. Ad quam diſconvenientiam cordis atque vocis, & diſſimulationem doctrinæ Evangelicæ, maximè pertinet, quod poſt tam apertè retectam Evangelii lucem, *duplex ratio Doctrinæ Pontificiæ*, prognata animadvertitur, una *theorica*, in Concilio Tridentino anathematiſmis ſtabilita: altera *practica*, & ad orthodoxiam Evangelicam accedens propius, à conſcientiæ dictamine tandem expreſſa, quæ circa moribundos cumprimis cernitur, veluti ex Agendis Eccleſiarum Pontificiarum cernitur, & ab iis, qui religionum

num conciliationem tentarunt, pluribus fuit oſtenſum.

§. LXXXIIX.

Porrò Victores illi de beſtia ſiſtuntur ad MARE, quo alluditur ad typicam hiſtoriam Exitus Iſraëlitarum ex Ægypto, *conf. c. XI. 8.* quum ſtarent ad mare rubrum, cantantes canticum Moſis, *Exod. XV.* ſed hoc mare non eſt rubrum, *ſed cryſtallinum* aut vitreum ſimile cryſtallo, *c. IV. 6.* per quod notantur multitudines gentium, *Zach. X. 11.* limpidam doctrinam Chriſti accipientium. *Eſ. XLII. 10. c. LX. 5.* mixtum *igni* dicitur, per quod innuitur, baptiſma Spiritus S. *Matth. IV. 11. Jer. XX. 9. Pſ. LXXIX. 5.* Cantant canticum *Moſis*, & Canticum *Agni*, h.e. Legem & Evangelium, cujus tenor hic exprimitur, de converſione gentium, poſt factam reformationem, & de judicio de Antichriſto habito, ſententiaq; adverſus ipſum in toto orbe publicatâ. Per ſeculum jam & ultra cantatum fuit hoc canticum, & cantabitur porrò. ***ad Mare*** ***Canticum***

§. LXXXIX.

Nunc ad revelationem pœnarum regno antichriſtiano infligendarum, & executionis adverſus Meretricem, æmulam Mulieris in deſerto, & perſecutricem, progrediens Johannes, ejus auctoritatem reique magnitudinem repræſentat iterum, ut *cap. XI.* per Aperturam *Templi Tabernaculi Teſtimonii in Cœlo.* Innuuntur hic Divina *Secreta* per Templum tabernaculi teſtimonii in Cœlo; ex his porrò promulgantur *Decreta* divina ſeptem per horum ſeptem Executores *Angelos*, cinctos *Zonis aureis* & *lino candido*, quibus Decretorum & Executorum ſanctitas ac puritas denotatur. Decreta ſunt de pœnis ac plagis ſeptẽ noviſſimis, per *phialas* ſive vaſa iræ divinæ ſignificatis ***Revelationis auctoritas. Cap. XV. 5.***

 catis

catis. *Ira divina* adverſ9 antichriſtianum regnum innuitur per *fumum* in Templo DEI, cujus tanta vehementia, ut nemo eo durante, h. e. donec conſummarentur VII. plagæ, Templum inire poſſit. *Templum* hic non poteſt adſignari novæ Hieroſolymæ, quia in ea nullum futurum, *cap. XXI. 22.* quare circumſcribendæ causâ magnitudinis iræ divinæ hoc adjectum videtur.

Ingreſſus in templum prohibitus

§. XC.

Vnum ex IV. animal.

Et illud profundi ſenſus eſt, quod ſeptem illis executoribus ſingulæ phialæ diſtribuuntur ab VNO IV. ANIMALIVM, h. e. ab una IV. Mundi plagarum ſive partium, non ab omnibus, nec â nullis; Scilicet DEVS. O. M. non immediatè angelis dat poteſtatem exequendi plagas, ſed mediante uno ex IV. animalibus, h. e. hominibus in uno IV. Mundi partium in veram Chriſti *Eccleſ.* congregatis. Mediante itaque Eccleſia vera & orthodoxa, eâque vix alia, quàm *Europæa.* Porrò angeli executores intelliguntur & Eccleſiæ miniſtri & Tutores Principes. *Miniſtri,* ut in Plaga prima, quarta, quinta. *Principes,* ut in ſecunda, tertia, quinta item, ſexta & ſeptima. Quemadmodum etiam in Ægypto plagarum Executores & Dux Moſes & Aaron Sacerdos erant. Hi ſunt etiam duo Teſtes, quibus cruciare datum eſt homines in terra, ſive extra veram Eccleſiam. *c. XI.* h. e Pii Principes & Dd. Eccleſiæ. Ceterùm per unum angelum non unus Dux aut Doctor Eccleſiæ intelligi venit, ſed plures unius *periodi* aut plagæ aliquamdiu durantis: quamquam certum tempus cuiq; plagæ aſſignari nequeat, præſertim quum ut ex *v. XI.* hujus capitis apparet, illæ invicem *concurrant,* & non præciſè una poſt alteram finitam ſuccedat, niſi quoad princi-

pium

pium & originem, ſecus quoad durationem & finem, ut ita pœnæ exaſperentur cumulo.

§. XCI.

Igitur ad juſſum VOCIS MAGNÆ DE TEMPLO, *Cap. XVI.* h. e. Diuinæ, PRIMVS angelus effundit phialam ſuam *I. Plaga.* IN TERRAM, h. e. Reges terræ, ut vocantur *C. XVII. v. 2. ult.* Scortatores Babylonis, inebriatos de vino ejus, divites de virtute deliciarum ejus, Mercatores terræ. *c. XVIII.* ex cujus *comm. 23.* intelligitur, Reges & Mercatores terræ eosdem eſſe, h. e. non decem Cornua, aut Reges, qui Meretricem non lugent, ſed vaſtant, *c. XVII. 16.* verùm *Clericos*, regiæ q. dignitatis, qui τὴν εὐσέβειαν πορισμὸν arbitrati, & veneficiis ſuæ doctrinæ ſeduxerunt populos, deque divitiis ſacris participarunt. Hi ambulant ut ini- *Clericorum.* mici Crucis Chriſti, quorum finis Perditio eſt, qui TERRESTRIA curant, *Phil. III. 19.* Hi ex perpetua omnium ſeculorum contradictione, in conſcientia ſuâ de abuſibus & cultu idololatrico convicti, reformandi poteſtatem ſibi vindicantes, intermiſerunt eandem exercere; His terræ *conſcientia cauteriata.* filiis prima infligitur plaga VULNVS in conſcientia, aut VLCVS MALVM AC NOXIVM. Quæ dictionis figura translata eſt à Plaga Ægyptiaca *Ex. IX. 8. 9.* qua ulcera germinantia turgentia in hominibus & jumentis facta ſunt. Hæc corporeæ plagæ ratio transfertur hic ad plagas conſcientiarum læſarum: quomodo & Eſaias loquitur *c. I. 6. Vulnus & livor, & plaga tumens ſeu ſanioſa.* Ac Paulus inter hæc ipſa tempora extrema ſimiliter refert Apoſtatas ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, qui habent vulnus in conſcientia cauterio notatum, ſtigmatiſatum, ſeu notati publicè ſtigmate, quod læſam gerant conſcientiam. *Cauterium* enim

enim dictum eſt inſtrumentum, quo nota & ſtigma frontibus inuſtum infamibus & perditis homuncionibus, ut ab omnibus agnoſcerentur & evitarentur. Quare qui mente corrupti, reprobi circa fidem, reſiſtunt veritati, ſicut Jannes & Jambres, qui Moſi & Aaroni plagas ſuper Ægyptum inducentibus *Ex. VII. 11.* reſtiterunt; peculiari hâc plagâ notantur, quâ, ſicut Paulus *2. Tim. 3, 8, 9.* deſcribit, ἡ ἄνοια ipſorum publica fiat omnibus, ejusmodi vulnere cauteriato impreſſo.

§. XCII.

cedit invicta Evangelio. Plagâ Vulneris ſeu ulceris in Ægypto inflictâ, non poterant malefici, Jannes & Jambres, Moſi amplius reſiſtere, propter ulcera, quæ in iſtis erant, *Ex. IX. 11.* Sic nec poterat amplius reſiſti prædicationi Evangelicæ & Reformationi Divinæ ingratiis ipſorum ſuſceptæ, & per divinam gratiam ad ſtatum præſentem perductæ ac conſervatæ, per Paſſavienſem Transactionem & Pacem Oſnabrugenſem. *Pacis religioſa tuitio.* Obſervamus denique hic morem Spiritus Prophetici, qui ſcapham dicit ſcapham, *Reges Eccleſiæ* & Principes DEI atque Cœli, dicit *Reges terræ.*

§. XCIII

II. Plaga Plebis ignorantia & plenaria apoſtaſia. Secundus angelus effundit phialam ſuam in MARE, h. e. multitudinem. Prior plaga attigit Proceres, hæc *populum* ac plebem. In hac ſi qua adhuc fuit *anima vivens* ſpiritualiter, deteſtans animo abuſus, ſuperſtitionesque, aut quæ ita diſpoſita erat, ut poſſet eos agnoſcere & rejicere, atque adeò ſalvare ſeſe, hâc plagâ & ipſa *moritur*, morte ſpirituali. Hæc plaga, αἷμα ὡς νεκροῦ, cruor, ſanguis hominis mortui ſpiritualiter, ſignificat vitam & doctrinâ & moribus perditam, apoſtaſiam & mortem ſpiritualem poſt ſe trahentem. *conf. Eſ. 1, 15. c. LIX. 3. c. IV. 4.*

Hoſ.

Hoſ.IV.2. Ezech.III. 18. XXXIII. 6. Act.XX. 26. Multitudo igitur contemnens Evangelii puritatem, & fidei carbonariæ ſecurè immoriens, punietur retractione Verbi Divini, deſertione Spiritus S. & prono lapſu in omnia ſcelera & univerſalem apoſtaſiam in fine mundi futuram *Conf. Judæ Epiſt. 18. 1. Tim. IV. 1. 2. Tim. III. 2. 2. Petr. III. 3.* Econtrario Torrens Evangelicæ doctrinæ in Mare Eccleſiæ veræ ac repurgatæ profluit, & omne animal ibi vivificat, præter paludes & exitus aquarum, *Ezech. XLVII. 8. 9.*

§. XCIV.

III. Plaga Bonorum Eccleſiaſt. direptio

Tertia plaga immutabit FLVMINA & fontes aquarum in SANGVINEM, *conf. c. XI. 6.* quô alluditur ad corporalem plagam Ægypti, *Ex. VII. 20.* Flumina autem h. l. & alias non tantùm *Dogmata* notant, ut flumen Draconis *cap. XII.* ſed & *Bona* docentibus dicata, *Eccleſiaſtica* quæ vocantur, *conf. Pſ. CVII. 33. XXXVI. 9. LXV. 10.* Itaque hoc innuitur, & Dogmata & Bona Eccleſiæ undique acquiſita ſanguine multo commutanda fore. Quod impleri cœptum, & Bona Eccleſiaſtica magna ex parte amiſſa, multo ſangvine Chriſtiano temerè effuſo. Approbat hanc vindictæ divinæ ſpeciem atque adjuvant & *Angelus Aquarum* & Angelus *Altaris*, h. e. Principes populorum & Doctores Eccleſiæ, ſive, Civilis & Eccleſiaſticus ſtatus Religionis Evangelicæ.

§. XCV.

IV. Plaga. Æſtuatio Scriptorum contra Evangelium.

Quarta plaga originem trahit è SOLE, fonte ignis, ardoris atque æſtûs, ſed non à corporeo, ſed ab illo, quo amicta eſt mulier *C. XII.* h. e. Verbo DEI & ejus ſplendore atque fervore, qui IGNIS h. l. dicitur, *conf. C. XI. 5. Jer. V. 14. XXIII. 29.* Ab iſto ſole DATVM eſt Angelo quarto excitare tantum æſtum ac fervorem, ut eo HOMI-

NES

NES Doctores regni antichriſtiani καυμαλισωνlαι, urantur, *Luc. XII. 49.* igne examinentur quoad doctrinam ſuam, *1. Cor. III. 13. Pſ. XII. 7. XVII. 3.* Atque quum opus eorum igne hoc exuſtum fuerit, tantum abeſt, ut pœnitentiâ actâ revocarint errores, & veram religionem agnoverint, ut contra eò magis perrecturi ſint BLASPHEMARE NOMEN DEI, qui poteſtatem habet ſuper has plagas, easque immittit; Itaque occœcati inſtar Pharaonis jamjã perituri. Huc pertinent Scripta & *Polemica* & *Practica* contra Veritatem Evangelicam æſtuante conſcientia, nec absque multis blaſphemiis & ſcandalis publicis edita.

§. XCVI.

V. Plaga Odium adverſus S. R. Quinta plaga afficit Potentiam axternam ſacræ Monarchiæ & ejus amplitudinem eamque imminuit & affectatam Majeſtatem obfuſcat, hanc enim THRONVS BESTIÆ denotat, quâ imminutâ multis Regibus & Provinciis jugum ſacrum excutientibus, Regnum ejus amiſit priſtinum ſplendorem & factum eſt tenebroſum. Quod & *Zacharias* vaticinatus *Cap. XI. 17. Oculus dexter ejus, Paſtoris ſtulti ac Idoli, tenebraſcens obſcurabitũr.* Impleri cœpit hæc prophetia non tantum ſeceſſione Regum, Principum ac Statuum Evangelicorum, ſed & eò, quòd * inter reliquos Chriſtianos Principes *Excommunicationis* fulgur ceſſavit, & Bullarum iniquarum auctoritas contemni cœpit: *conf. Seldi Conſilium ap. Goldaſt.* in Reichs Handl. Majeſtas contrà Principum ac Regum crevit. Cujus rei inſigne argumentum fuit ſuperioribus annis *Pyramis* Romæ erecta in honorem atque ad reconciliandum animum *Regis Franciæ.* Quid verò ad hæc defenſores beſtiæ? LINGVAS COMMANDVCANT PRÆ DOLORE: i. inſtrumenta blaſphemicæ

do-

doctrinæ, quibus eam hactenus propagarunt, & per canones novos & decreta terrorem mortalibus incuſſerunt, præ dolore, quòd effectu ſuo deſtituantur, manducant, quod eſt ſignum iræ ſine viribus. Ut *dentibus frendere Pſ. XXXV. 16.* nec tamen revocant, ſed augent blaſphemias ſuas & idololatricam doctrinam. Hinc incipit Odium adverſus Meretricem, de quo *C. XVII. 16.*

§. XCVII.

Sexta plaga circa *Euphratem* occupatur. Euphrates, cujus mentio fit etiam ſub Tubicinio VI. *c. IX. 14.* eſt flumen inter Babyloniam & Palæſtinam ſeu Terram Judæorum. Plutarchus de Fluminibus: Εὐφράτης ποταμός ἐστι τῆς Παρθίας, κατὰ Βαβυλῶνα πόλιν. Benjamin Tudelenſis in Itinerario: *Trium dierum itinere diſtat à Tigride & adjacente urbe Bagdad, antiqua illa Babel, jam devaſtata, quæ plateis ſuis ad XXX. milliaria extendebatur.* Vt autem aliàs Babylon ſedem Antichriſtianam & Palæſtina Eccleſiam Chriſti denotat: ita & hìc per Euphratem intelligitur fluvius, qui ἐν παραλλήλῳ reſpondet, & interjacet inter Italiam & Eccleſias Evangelicas, qui ſeceſſerunt ex captivitate Babylonica, qualis eſt Iſter ſive Danubius. Porro nec fluvius naturalis hìc innui videtur, ſed Populus antemuralis Regni iſtius, qualis fuit Illyrica natio. Hic ardore Solis Evangelici SICCATVS erit & averſus à meretrice. Sicut & olim à Zacharia prædictum. *c. X. n. XI. fi. Brachium paſtoris ſtulti ac Idoli ariditate ſiccabitur.* Quo etiam pertinet poteſtas teſtium duorum claudendi cœlum ne pluat, *c. XI. 6.* h. e. exſiccandi populum hactenus ſubditum. *conf. Eſ. XIX. 5. ſq. c. L. 38.* cujus exſiccationis & ſeceſſionis à Sedis hujus jugo, finis eſt, VT PRÆPARARETVR VIA REGVM AB OR-

VI. Plaga. Nova ſeceſſio. Regum Orientis irruptio.

TV SOLIS, qui neſcio an ſint illi IV. Angeli ad Euphratem ſoluti. *c. IX. 14. 15. conf. Eſa. XI. 15. 16. c. XLI. 15.* Sed illi ad priora Eccleſiæ ſecula pertinent, ut antea oſtendimus. Hi verò Reges venire intelliguntur, ut vaſtent meretricem, eamque diripiant, & igne comburant, *c. XVII. 16.* itaque videntur fore illi ipſi, qui antea poteſtatem ſuam beſtiæ tradiderant, ſed amore jam nunc in odium converſo, facient τὴν γνώμην Θεοῦ; quapropter etiam vocari videntur Reges ab ortu Solis, oppoſiti Regibus terræ, *c. XIIX.* In vaticinio Danielis hæc res ita effertur: *Et fama turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone, c. XI. 44.* ubi notanter Aquilo additur, cum X. Reges illi non omnes ad Orientem degant, nec forte omnes Evangelicæ Religioni addicti fuerint. Pariter & d. l. *Eſa. XLI. 25.* Aquilo & Ortus conjunguntur.

§. XCVIII.

Auſtriaci. Fallor? an ſpeciatim hic innuuntur Reges Germaniæ & Hungariæ ad Ortum Solis, qui & nomen abinde ferunt? *Auſtria* enim ſequiori ævo pro plaga Orientali uſurpata, & Auſter pro Vento Orientali, apud Latin. interpretem *Ezech. XXVII. 26.* Scilicet à Germanico vocabulo Oſten / Oſtenreich / Regnum Orientale, i. Auſtria, ita *Thuringia Auſtralis* dicta pro Orientali ex Germanico Oſterland. Nec nomen tantum, ſed ſunt qui & *Odium Auſtriacorum* adverſus Sedem hanc notarunt. Illud jam tum cœpiſſe quum iſta vellet Imperatoribus Auſtriacis nudum Imperatoris nomen relictum Jura Imperii ſibi arrogans: creviſſe ſubinde, ut & Maximilianus I. Imp. Sedis Romanæ occupandæ conſilium agitarit. De Pio V. vide Seldii conſilium *apud Goldaſt.*

De L. E. G. c. 1. L. VII.

ℜ.ℌ.qui verò hoc generatim obſervat, Papas rarò à Francis diſſenſiſſe, rarò cum Imperatoribus, poſt Henricum IV. feciſſe. Eodem referunt, quod Paulus IV. controverſiam Ferdinando movebat, quod Carolus V. imperium in manus Papæ non reſignâſſet. Vrbanum IIX. ad exemplum Bonifacii IIX. promiſiſſe Gallo Imperatoriam dignitatem à Germanis eò tranſlatum iri. Indigitant & conſilia, quæ nupero bello Francico frigidam ſuffudiſſe feruntur. Auctor tractatus *de Antichriſt.* (*qui Auguſtin.* tribuitur, cum Rupertus Tuitienſis eum *Rabanum Maurum*, Archiep. Moguntinum imperante Lothario I. fuiſſe doceat;) tradit: *Quidam Doctores noſtri dicunt, quod VNVS EX REGIBVS FRANCORVM ROMANVM IMPERIVM EX INTEGRO TENEBIT, qui in NOVISSIMO tempore erit; & ipſe erit MAXIMVS, & omnium Regum ultimus; qui poſtquam regnum ſuum feliciter gubernaverit, ad extremum Hieroſolymam veniet, & in monte Oliueti ſceptrum & coronam ſuam deponet; Hic erit finis & conſummatio Romanorum Chriſtianorumque imperii; ſtatimq́; ſecundùm prædictam ſententiam Apoſtoli Pauli, Antichriſtum dicunt futurum.* Qvod hìc de *Francorum* Rege aſſeritur, illud de *Auſtriacis* interpretatur Chifflet. *ad Vindic. Hiſpan. Lum. Prærog. ult. pag.* 425. ſed hæc definire, noſtrum non eſt.

§. XCIX.

Hujus Plagæ hic eſt effectus, ut non tantùm, ſicut in præcedentibus, nulla ſequatur converſio, ſed etiam contra adventantes Reges ab Ortu Beſtia omnes tandem vires recolligat, & ultimum atque decretorium *prælium* incat. *Bellum ſacrum ultimum.*

eat. Quod & apud Danielem prædictum *cap. XI. 44. Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone: & veniet cum indignatione vel multitudine magna, ut conterat & interficiat plurimos.* Fama autem illa præter prædicationem Evangelii per univerſum orbem, *Matth. XXIV. 27.* erit, ni fallor, *fama* exſiccati Euphratis, πόλεμον vocat Spiritus S. magni illius diei DEI omnipotentis, cujus belli exitus deſcribitur *cap. XIX. 19.* Πόλεμος *primus* draconis & beſtiæ gentilis poſt natum Chriſtum adverſus Michaëlem deſcribitur *c. XII. 7.* qui per prima tria ſecula duravit. *Alter* πόλεμος ejusdem draconis & beſtiæ hujus adverſus mulieris reliquias, quem draco minatur *cap. XII. 17.* exequitur *c. XIII. 7.* Reliquus eſt *tertius*, atque ultimus beſtiæ hujusdem πόλεμος, quem in proximè præcedente Viſione ſubobſcurè innuerat Spiritus *cap. XIV. 9. 12.*

§. C.

Porrò prælium hoc decretorium apparatur per *TRES IMMUNDOS SPIRITUS DÆMONUM SIMILES RANIS. Exod. IIX. 7. EX ORE* trium Chriſti adverſariorum, Draconis, beſtiæ & pſeudoprophetæ, prodeuntes. Spiritus iſti ſignificant & Dogmatum & Hierarchiæ contumacem propugnationem, hinc & verbis & gladio res geretur. Verbalis contumacia per Ranarum vociferationes & coaxationes: Realis per congregationem ad prælium & coactionem. Ranacei hi ſpiritus etiam σημεῖα facient, h. e. opera magna præſtabunt, dogmata pomposè propugnando, Regum atque Procerum animos ad apoſtaſiam ſollicitando, orthodoxos perſequendo, & partem eorum effaſcinando. Hinc ſeria interſeritur adhortatio ad Fidei conſtantiam: *Ecce venio*

Rana.

ſicut

ſicut fur ex improviſo, & cum ſecuri fuerint homines, & tentabo eos perſecutione magna: *Beatus, qui vigilat*, & à temulento calice Babylonico abſtinet, *cap. XIV. 8. 9.* atque ſobrius *cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus* ac verà Fide orbatus *ambulet, & videant turpitudinem ejus*, in conſpectu angelorum & Agni, *cap. XIV. 10. Matth. XXII. 13.*

§. CI.

Etſi verò initia horum dolorum gravia futura orthodoxis atque periculoſa, conſtantiâ tamen ac perſeverantiâ obtinebitur lætus exitus. Equidem fœdus antichriſtianum conficietur & copias confœderatorum congregabunt ſpiritus ill, & quidem in locum, qui vocatur Hebraicè *Armageddon*. Apud *Dan. XI. fi.* dicitur Antichriſtus figere tentoria ſua inter duo maria, ad montem ſanctum, qui eſt Sion, *Apoc. XIV. 1.* Latinus: *Et figet tabertnaculum ſuum Apadno, inter duo maria, ſupermonem inclytum.* Sed illud eò pertinet, quòd quousque ſe extendet Eccleſia Chriſtiana, eò usque etiam regnum antichriſtianum propagari. Nam & Chriſtus abuno mari usq; ad alterum dicitur gubernare, *Zach. IX. 10.* Ceterùm *Ma-geddo* eſt urbs & campus magnus inter ipſam & urbem Esdrelon, vocatur etiam Planities Galileæ. *Judith. l. 8. c. IV. 5.* 1. *Macc. XII. 49.* 2. *Par. XXXV. 22. Zach. XII. 11. XIV. 10.* Igitur *Har-Mageddo* eſt mons Megiddonis, ex quo fluvius oritur, ad quem Siſſera cum Chananæis prælio victus & ad unum omnes interfecti, *Judic. V. 19.* Idem itaque exitus hujus ultimi belli innuitur hìc, qüem ſequitur civitatis Babylonicæ exſcidium, cujus jam prolixa ſequitur deſcriptio.

Harma-geddon.

§.CII.

VII.Plaga Igitur ultima plaga continet TERRÆ MOTVM planè inuſitatum, & qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper Terram: itemque GRANDINEM. Præmittitur vox magna de templo Cœli à THRONO ipſius DEI O. M. cujus ſolius eſt, ſcire horum temporum definitionem. Γέγονε, FACTVM EST, ſcilicet effatum placitumque DEI, ἡ γνώμη, τὸ ῥῆμα de Babylonis atque beſtiæ ruina & interitu, *cap. XVII. 17.* eadem vox auditur *c. XXI.6.* de conſummatione totius ſeculi & veteris mundi hujus, in cujus creatione eodem verbo uſus Creator O. M. *Gen. 1.* Plagæ ipſius pars eſt TERRÆ MOTVS, qualis etiam initio ſeptem tubiciniorum contigit, *cap. VIII. 5.* & quum duo Prophætæ in cœlum adſcenderent, *cap. XI. 13.* itemque ſub ſigillo *VI. c. VI. 12.* atque typus horum omnium Babylon iſta vetuſta, quum exſcinderetur, cœlum turbatum dicitur, & terra mota de loco ſuo, propter indignationem Domini Exercituum, *Eſa. XIII. 13.* Sed hic terræ motus eſt ſine exemplo magnus.

Terræ motus. Quemadmodum porro Terra in hac Revelatione divina denotat Regnum Eccleſiæ internæ adverſum, nomine Sacrum & Cœleſte, reverà verò Terreſtre, non quale Chriſti: *vide quæ de plaga prima diximus.* Ita Terræ motus ſignificat regni iſtius concuſſionem inteſtinam atque ruinam ultimam, quâ gravior non fuit. Etſi enim *cap. XI. 13.* ſub Tubicinio VI. etiam magnus terræ motus civitatem hanc concuſſit; eo tamen tantùm *decima pars* civitatis cecidit, & ſeptem millia hominum cecidiſſe dicuntur: Hic autem Civitas iſta dicitur in *tres partes* dirupta, ſicuti Hieroſolyma ἀποστάτις, imminente ultimo

exſci-

exſcidio, in tres factiones inteſtinas diviſa fuit. An gradus ad hanc ſciſſionem jactos dicamus jam tum poſt Ludovici Bavari tempora, ab A.C. 1378. ubi *in tres factiones* abiit Eccleſia & quælibet natio, Italica cum Germanica, Gallica & Hiſpanica ſibi conſtituerat Pontificem per XL. fere annos? At dudum deſiit hic ſchiſmatum fomes. Quid vero? quod hodieque tres factiones, in novellorum Pontificum electionibus conſpicuæ: Gallicana, Hiſpanica, & Italica, ſive quæ Neutrius partes tenet, quæ & *Suadroniſtarum* dicitur? ſed iſta hactenus fulcra ſunt ſuſtinendæ ſacræ Monarchiæ. An ſaltem ex hiſce ſeminibus oriundus tandem terræ motus hic grandis, ac ruina Babylonis ſpiritualis, quæ ſecum trahet etiam alias CIVITATES GENTIUM? Θεῷ ἐν γόνασι. Cæterum ad hunc terræ motum videntur etiam pertinere quæ *Zacharias* habet *cap. XIV. 4. ſq.*

de L. E.G. lib. cap.

§. CIII.

Altera plagæ ultimæ pars eſt GRANDO, non illa igni & ſanguine commixta Tubicinii primi *c. IIX. 7.* ſed MAGNA ſicut TALENTUM, quod Hebræis maximi ponderis eſt ſpecies, unde recte Germ. Verſio: Zentner/ perperam Gallica, ſecuta codd. corruptos: *miche de pain.* Pœna hæc non affligit agros atq; fruges, ut in Ægypto, ſed deſcendit de cœlo IN HOMINES h. e. ſubditos regni Antichriſtiani, pertinaces in *BLASPHEMIIS* ſuæ ſuperſtitionis, & impatientes hujus plagæ, quippe grandioris & inuſitatæ. Scilicet intelligitur vis extrema Regum ab ortu ſolis, percuſſio, vaſtatio & abrogatio ſuperſtitionis, & Idolomaniæ Romanæ, ſubrutis fanis ac delubris. Deſcendit de COELO, h. e. ab Ortu Solis, & à Regibus illis ex X. cornibus Imperii Romani. *conf. Eſa. XXX. 30. Ez. XXXIIX. 22.*

Grando.

§. XIV.

§. CIV.

C. XVII. Quoniam plaga ultima ſententiam definitivam ejusque exſecutionem adverſus Civitatem magnam, Meretricem Babylonicam, ſedem antichriſtianam, infert, igitur ut ne ignorarent poſteri, quæ illa ſit, quæ cavenda venit, clarius illam depingit, quam *cap.* XIII. adumbrat. Oſtenditur Johanni MULIER IN DESERTO, quæ etiam cognominatur Meretrix Babylonica Spiritualis, Civitas magna, quæ habet Imperium ſuper Reges. ROMAM intelligi, facilè quivis affectibus non præoccupatus, judicare poteſt. Ita judicarunt jamtum olim priſci Patres. Tertullianus *lib. adv. Judæos. Lib. 3. contra Marcion.* Hieronym. *præf. in lib. Didymi de Spirit. S. & Epiſt. X. XVII. XIIX. L.* ut alios prætereamus. Atque Nicol. de Clemangis *lib. de Corr. Eccleſ. ſtatu Cap. XXVI.* Eccleſiam Romanam compellans, ait: *ſed fac eorum* (Prophetarum V. T.) *vaticinia aliò ſpectare, quid de TUA PROPHETIA, de Joan. ſcil. in Apocalypſi, cenſes? Annon illam ſaltem ad te aliqua ex parte pertinere putas? num pudorem ita cum ſenſu perdidiſti, ut hæc neges? Illam ergo intuere, & lege damnationem magnæ meretricis ſuper aquas multas ſedentis, illicque tua facta præclara contemplare, & tuos futuros caſus.* Recentiores quoque Eccleſiæ Rom. Scriptores hoc coguntur claritate textus confiteri, Baron. *ad A. C. 44, 16.* Bellarm. *App. ad Lib. de Pont. Rom. c. VI.* Quanquam verò hi cum ſociis rem ad Romam veterem gentilismo adhuc addictam malint reſtringere; &, quum nec ſic elabi ſe poſſe videant, de neſcio cujus antichriſti perſecutione in fine mundi futura, tandem interpretari: interpretationis tamen hujus inconvenientiam & textus ipſe atque

Babylon ſpirit.

ſeries

ſeries rerum legenti ſtatim aperit, & pluribus demonſtravit M. Ant. de Dominis *Lib. IV. de Rep. Eccleſ. c. III.* §. *XXVI. ſqq.*

§. CV.

IN DESERTO apparebat etiam Mulier Θεοτόκος *In Deſerto* *cap. XII.* ſed aliâ ratione Babylon in deſerto conſpicitur hic, eâ videlicet, quâ typus ac Babylon vetus, Decus illud Regnorum & Gloria Majeſtatis Chaldæorum redacta dicitur in ſolitudinem & deſertum, *Eſ. XIII. 9. 19. Hoſ. 2, 3. 12. conf. Apoc. XVIII. 2. & hoc cap. verſ. 16.* itemque quomodo Ægyptus & Idumæa, *Joel. ult. 19.* SEDERE dicitur SVPER BESTIAM. h. e. ut *verſ. fin.* ipſe Angelus interpretatur, imperare Regibus terræ occupato Imperio Romano & Monarchiâ Romanâ. VESTITVS eſt planè regius, CALIX ſive Poculum ſignificat doctrinam, *1. Cor. X. 21.* Nomen ejus triplex MYSTERIVM, ſcilicet iniquitatis, cujus & Paulus meminit *2. Theſ. 2. 7. conf. Matth. XXIII. 28.* BABYLON MAGNA, SPIRITVALIS, antitypus veteris, Civilis, quæ primam Monarchiam occupaverat, in qua Petrus docuit. *1. Petr. ult.* quanquam Hieronymus & alii & ibi Romam intelligant. *Vid. Marc. Anton. de Domin. IV. 3. MATER SCORTATIONVM* tam corporalium, ſtabilito voto Cœlibatus religioſorum, quàm ſpiritualium, introducto cultu idololatrico & adoratione Imaginum. Facinora porrò mulieris ſunt, perſecutio ac *cædes* ſanctorum *Martyrum*, quorum ſepulcra quidem ædificat & ornat, ſed inſtar Phariſæorum & Scribarum, filia ſancticidarum, & ipſa implet menſuram patrum ſuorum. *Matth. XXIII. 32.*

§. CVI.

Sed auſcultemus angelo pandenti Myſterium hoc *Beſtia*

Mulieris & Beſtiæ, quæ portat eam. *BESTIA QVAM VIDISTI, FVIT;* quinque enim ejus capita ſeu facies ac Metamorphoſes Reip. Rom. jam tum ceciderant tempore hujus revelationis, ut mox ſequitur, ET NON dum EST, tempore factæ revelationis, eâ ſcilicet facie, formâ ratione, titulo ac qualitate, quâ hic ejus portatio mulieris deſcribitur; *conſ. 2. Theſ. 2. 7.* eatenus porrò ADSCENSVRA eſt de ABYSSO, *Apoc. IX. 7.* h. e. ex inferno, *c. IX. 1. 2. XX. 1. Luc. VIII. 13.* Obſerves hic quæſo, diſtingui ab Angelo revelatore *Imperium Rom.* quà tale, ab Imperio Rom. ab injuſto poſſeſſore uſurpato & inſeſſo, & diverſa origo huic & illi adſignatur; Imperii enim Romani per ſe & ut à Romanis ad Francos & Germanos fuit translatum, Origo atque auctor DEVS O. M. eſt, ut cæterarum Monarchiarum civilium, etiam veteris Babylonicæ, *Jer. XXVII. 6. Dan. III. 38.* *ET IN INTERITVM IBIT,* meretrice deturbatâ ex ſede & interfectâ, *C. XIX. 9.* Dicitur itaque elegantiſſimè Beſtia ſeu Monarchia Romana *Fuiſſe* ante Viſionem hanc, ut quarta Monarchia, & *Non eſſe,* utpote à clero nondum occupata, & tamen *Eſſe,* etiam tum, ut Monarchia, & quam occupare & pro vicario ſuo uſurpare autor ejus jam tum intenderat, docente Paulo *2. Theſſ. 2. 7. & Johanne Ep. I. c. IV. 3.*

§. CVII.

Septem montes

Hic adeſto mens, quæ fovet ſapientiam! SEPTEM CAPITA ſunt SEPTEM MONTES, propriè ita dicti, SVPER QVOS MVLIER SEDET ſepticollis *Romæ*: non nova, h. e. CPolis, ſed *vetus*, ſedes Curiæ Romanæ. Illam quidem eſt qui mallet: Sed cetera non concordant, nec ſeptem facies reip. illa habuit, ſed unicam illam

Iam ſeptimam. Ait: *Combien de Royaumes n' a pas aſſujetti la Ville à ſept collines, & qui domine ſur les eaux; Il n'y en a point au monde, à qui ces paroles ſe puiſſent mieux appliquer, qu' à Conſtantinople. Elle a ſept collines, ſur chacune des qvelles il y a une Moſquée Royale, où il ſe profere tous les jours des blaſphemes contre Jeſus Chriſt. Et à prendre même la choſe à la lettre, elle domine ſur les eaux, étant la chef de l' archipel de la mer blanche, & du Pont-Euxin. Je ne nie pas que ce la ne ſe puiſſe auſſi attribuer aux Empereurs Romains, qui ont longtemps perſecutè l' Egliſe naiſſante, jusq'u à ce qu'elle eut ſurmonté toutes ſes trauerſes, & que le diable fut enchâiné pour mille ans. Ce terme expiré il eſt ſorti à la faveur des terribles armées des Ottomans, qui depuis trois cens ans, c' eſt à dire, enuiron mille ans après les derniers abois du Paganiſme, s'accrurent prodigieuſement & occouperent une grande partie de l' Aſie &c.* Verum vel de Roma gentili hæc poſſe intelligi, Angelus vetat, qui non quinque priores, nec ſextum tum præſentem ſtatum gentilis ſuperſtitionis hic intendit, neque ſeptimum, h. e. Romam Chriſtianam, ſed octavam, h. e. Hildebrandinam.

§. CVIII.

Enimverò *SEPTEM CAPITA ET REGES SEPTEM SVNT*, h. e. facies ac formæ Reip. ac regiminis Statusque publici Romani. *QVINQVE CECIDERVNT:* Status Regius, deinde Conſularis merè; Tertiò Tribunitiæ poteſtatis merè; quartò mixtus ex Conſulari & Tribunitia poteſtate; & denique quintò Triumuiratus. VNVS EST, Status Monarchicus Imperatorum Rom. ab Auguſto ſtabilitus gentilitiæ ſuperſtitionis. *ET ALIVS* *VII. Reges ſive Status.*

NONDVM VENIT, Monarchicus Chriſtianæ Religionis orthodoxæ, *ET CVM VENERIT* cum Conſtantino M. Imp. *OPORTET ILLVM* fatali translatione Sedis Imperatoriæ *BREVE TEMPVS MANERE* Romæ, transferetur que Conſtantinopolin, Româ interim Barbaris ad tempus expoſitâ, *conf. c. XIII. 3.* usque dum BESTIA QVÆ ERAT, ET NON EST, h. e. Status Imperii Romani Occidentalis ab Hildebrando occupatus & inſeſſus fuerit. ET IPSE hic ſtatus OCTAVUS EST Rex, novam regiminis faciem caputque fingens, per dictatus Hildebrandinos, in Regna & Provincias totius Chriſtianitatis, ET DE SEPTEM EST, de ſeptem ſtatibus ac regiminibus Vrbis Romæ. Septimum enim eſt Monarchia Chriſtiana, atque de hoc eſt Monarchia Hildebrandina, ſed ipſa non pura ac mera, habens quidem μόρφωσιν εὐσεβείας, ſed δύναμιν ejus abnegans, *2. Tim. 3. 5.* Propter quam impuritatis conditionem & antichriſtianitatis notam IN INTERITVM VADIT, & in abyſſum, unde orta eſt, finis enim ejus ἀπώλεια, perditio, *Phil. 3, 19.* Facit huc locus *Mich. V. Suſcitabimus ſuper Aſſyriam ſeptem paſtores, & Octo Principes, & paſcent terram Aſſur in gladio.* qui intelligi poſſe videtur, de Monarchia univerſali, quæ tum erat Aſſyriorum, aliquando à Romanis occupanda.

§. CIX.

X. Reges ſ. Provinciæ Et DECEM CORNVA quæ vidiſti DECEM REGES SVNT, Provinciæ Imperio Rom. ſubditæ, QVI tempore hujus Revelationis REGNVM regnandique poteſtatem NONDVM ACCEPERVNT, verùm adhuc ut Provinciæ per Præſides gubernabantur; SED POTESTATEM tamen regnandi TANQVAM REGES ACCIPI-

CIPIENT EADEM HORA eodemque tempore CVM BESTIA illa, qui rex octavus dicebatur. Itaque quæ Provinciæ olim fuerunt Imperii Rom. poſtea Regna evaſerunt ſummam Pontificis Romani poteſtatem agnoſcentes, veluti Italia, Hiſpania, Gallia, Britannnia, Germania, Dacia, Illyricum, Sicilia, Dalmatia, Regnum Arelatenſe ſeu Lotharingia, & Burgundia. HI VNVM CONSILIVM HABENT, ET VIM AC POTESTATEM SVAM, primo quidem circa ſacra, mox & ſupremam in Civilibus BESTIÆ, Monarchiæ Hildebrandinæ TRADENS, ut poſſit in eos Beſtia cognoſcere, ſententiam ferre, & excommunicando deponere. Hi aliquamdiu ſeducti, CVM AGNO, Chriſto ejusque Eccleſia, PVGNABVNT, religionem veram perſequendo, ET AGNVS VINCET ILLOS, Evangelio ſuo, reducto, & per Pacem Religioſam ſtabilito, ac Regno tandem plenè cum ſanctis occupando.

§. CX.

Declarata eſt beſtia: AQVÆ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, POPVLI ſunt, & turbæ, & gentes & linguæ. Nam multi populi, qui non potuerunt à Romanis in provinciam redigi, veluti Germania magna, Dania, Norvvegia, Suecia, Pruſſia, Lithuania, Polonia, Bohemia, paruerunt tandem octavo Regi. Paruit aliquamdiu & Græcia, Regnum item Hieroſolymitanum, paruit & India Orientalis & Occidentalis. Simile eſt, quod de Babylone corporali, typo ſpiritualis, ait Jeremias *cap. LI. 13. Quæ habitas ſuper aquas multas, locuples in theſauris, venit finis tuus, modus avaritiæ tuæ.* *Aquæ multæ.*

§. CXI.

Sequitur jam excutionis deſcriptio, quam exercebit DEVS vindex in Meretricem per amicos Reges. ET DECEM CORNVA, QVÆ VIDISTI IN BESTIA, Reges ſupra dicti ODIO HABERE incipient MERETRICEM, civitatem magnam, ET DESOLATAM deſertam FACIENT ILLAM ET NUDAM reditibus, præbendis, ET CARNES EJVS accumulatas opes, ac bona Eccleſiaſtica, Patrimonium quod S. Petro vindicant, COMEDENT occupabunt, ET IPSAM VRBEM, IGNE COMBVRENT, ut typo ejus Babyloni & Ninivæ olim contigit. *Neh. III. 4. conf. Habac. 2.* Ratio, quæ Reges eò impellet, eſt fatalis inclinatio, confœderatio & conſenſio, *DEVS ENIM DEDIT IN CORDA EORVM, VT FACIANT* tandem & exſequantur ultimum hoc exſcidium, *QVOD PLACITVM EST ILLI.* Quemadmodum idem DEUS antea permiſerat, *VT VNAM FACERENT VOLVNTATEM* conſentientes in hoc *VT DARENT REGNVM SVVM BESTIÆ DONEC CONSVMMARENTVR VERBA DEI,* atque fata hæc revelata. Expoſuit Angelus, & quæ Mulier ſit, & quæ Beſtia, itemque mulieris interitum. Epiphonematis loco adjicit, ex quo adhuc apertius intelligitur, non poſſe aliam intelligi civitatem, quàm Romam, quia nulla alia tum dicebatur ἡ πόλις ἡ μεγάλη, quæ tum haberet imperium in Reges atque Principes τῆς οἰκουμένης & univerſi orbis terrarum. Adeò magni momenti res viſa Angelo revelatori, noſſe Chriſtianos, quæ ſit illa, civitas unde omnis Eccleſiarum pernicies, ut ab ea ſecedamus.

§. CXII.

Deſcriptâ graphicè civitate, de qua ſuſcepta fuit revelatio: Sequitur nunc expoſitio τ̃ κρίματ☉ & exſcidii illius. In cujus executione apparet primò *Angelus* peculiaris, qui cum poteſtate magna de cœlo in terram deſcendit, eamque gloria & ſplendore ſuo illuminat. Intelligi quidem poteſt hîc Illuſtris propagatio Evangelii, & reformatio Eccleſiæ etiam quoad mores, atque diſciplinam: Sed ἐμφαλικώτερα ſunt vocabula ἐξουσία & δόξα, *Poteſtas* & *Majeſtas*, quàm ut de ſolis Doctoribus Eccleſiæ accipiantur, idcircò Angelus hic videtur eſſe ipſe *primarius executor* judicii hujus horrendi, divinitus ad hoc facinus excitandus, ex Regibus ab Ortu Solis. Conſequitur hunc VOX alia de cœlo, quæ evocat electos ex Babylone: *conf. Eſa. LII. 11. Zach. 1. 7. 8. 2. Cor. VI. 17.* ac mox totum exſcidium plenius enarrat, *leſſum* quòque regum terræ & mercatorum, h. e. cleri recitat.

CAP. XVIII Angelus Executor.

Evocatio fidelium.

§. CXIII.

Denique VNVS ſive prior ille ANGELVS cum magna poteſtate atque majeſtate tollit *lapidem quaſi molarem,* & magno cum impetu eum projicit in mare, præfigurans, ita projectum iri Babylonem in abyſſum, ut nullum ejus veſtigium adpareat amplius. Terribilis hujus ſupplicii cauſa ad finem capitis adjecta hæc eſt: *Sanguis Prophetarum & Sanctorum, & omnium fidelium, qui interfecti ſunt in terra inuentus ac* vindicatus *eſt in ea.* Paria dicuntur de *Hieroſolymis* apoſtaticis *Matth. XXIII. 35.* Scilicet una catervua eſt inimicorum Chriſti & Eccleſiæ, à Caino Abelis adverſario usque ad finem mundi: Horum dux & auctor in orbe antediluviano fuit *Cain;* in poſt-

Excidii cauſa

poſtdiluviano usque ad fundatam N. T. Eccleſiam ſunt Judæi apoſtatæ atque Hieroſolyma *Matth. XXIII. 35. Pſ. CX. Act. 2, 35. 36.* In novo denique Teſtamento usque ad conſummationem ſeculi eſt Clerus atque Civitas hîc deſcripta. Vtraque igitur viam Caini ingreſſa, pœnam quoque Cainiticam ſuſtinet, *Vid. Judæ Epiſt. v. XI. ſqq. 1. Joh. III. 12.*

§. CXIV.

C. XIX. Nuptiæ Agni. Sequuntur exſcidium cœleſtia ἐπινίκια, utriusq; Eccleſiæ triumphantis & militantis per univerſum orbem, & apparatus Eccleſiæ, ſponſæ CHRISTI ad celebrandas nuptias cum AGNO, ſponſo ſuo. Eccleſia *fidelium conjunctim* ſanctorum eſt Sponſa: invitantur ad nuptias *ſinguli*. Atque ſingulare quid eſt, quod hic annotavit Apoſtolus, jubente Angelo: *ET DICIT MIHI: SCRIBE; BEATI, QVI AD COENAM NVPTIARVM AGNI VOCATI SVNT.* Qua de re quùm dubitari poſſit exinde, quod Salvator quidem ipſe de his nuptiis ſermocinans, *Matth. XXII.* & *Luc. XIV.* teſtatur, multos eſſe vocatos, ex quibus tamen pauci electi atque ad cœnam nuptialem admiſſi ſint. Idcirco magna cum emphaſi additur à Johanne: *ET DICIT MIHI: HÆC VERBA DEI VERA SVNT.* Videlicet, celebravit ſponſus humani generis ſponſalia atque nuptias ab omnibus mundi ſeculis, & invitavit primò univerſum orbem antediluvianum, poſtea novà apoſtaſià ortâ, vocavit Iſraëlitas ac Judæos, denique gentes univerſas, & tamen ex his plurimi haud beati prædicandi, partim enim exciſi, partim in tenebras exteriores ejecti: At, qui ad τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου, atque ad DOMVDVCTIONEM hi, inſtantem vocati ſunt, beati verè prædicantur, nec huc niſi Electi invitantur. *Nuptiæ* ſolebant fieri in

ſponſæ

ſponſæ Parentum ædibus *Jud. XIV. 10.* unde occurrebant ſponſo adventanti virgines, *Matth. XXV.* Deductio *in domum* ad ſponſum maritumue, *Matth. I. 24. Pſ. XLV. 11. conf. 1. Theſſ. IV. pen.*

§. CXV.

Verùm enim verò antequam ſponſa deducatur, depugnandum plenè eſt cum ſuperſtite adhuc Beſtia ac Sociis. Nam exciſâ licet Vrbe, hi ſunt etiamnum congregati in loco Armageddo *C. XVI. 16. XIX. 19.* Viciſſim exciſuri ſponſam Agni, poſtquam amaſia eorum exciſa. Quare *COELO ADAPERTO* ſuccurrit ſponſus cœleſtis, ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, & majori quidem ſplendore Majeſtatis, quàm eques ſub ſigilli primi apertura: major quippe victoria hæc, quàm iſta. Ac vaticinatus de hac videtur jam tum *Eſa. XXX. 25. cap. ult. verſ. 15.* & Zacharias Propheta *cap. ult.* Neſcio verò an Salvator ipſe hunc adventum & expeditionem ultimam adverſus beſtiam innuat? quum ait: *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cælo. Matth. XXIV. 80.* Et Paulus an milites hujus prælii ex parte Chriſti deſcribat occurrentes ipſi in Cœlo, *1. Theſſ. IV. 15. & 2. Theſſ. 2, 8.* Dominus Iniquum, Exlegem, τὸν Ἄνομον abolebit claritate Adventus ſui, quo ipſo tempore vix reperturus eſt Fidem in terra, *Luc. XIIX. 8.* quam Ipſe tum reſtaurabit, *d. c. ult Eſa. verſ. 18. 19.*

Expeditio Agni adv. Beſtiam.

§. CXVI.

Ex altera parte pugnat Beſtia, h. e. Pſeudopropheta, & Reges terræ & exercitus eorum. Pugna ipſa non deſcribitur. Si idem genus futurum, quod hactenus conſuevit, *dogmatibus* & *gladio* videtur pugnatum iri. Sunt qui doctrinam ex omnibus mixtam & confuſam, quam

Qualis pugna.

Syncretiſmus. *Syncretiſticam* dixeris, obtruſum iri autumant, Quò facit, quod qui *Hiſtoriam Plagæ Regiæ* ſcripſit, ait: *Pacis Publicæ, adeoque Chriſtianæ moderationis paulo frequentiorem hic mentionem fore, quæ, inquit, neſcio de quo politico atheiſmo, latenteq́; aliqua periculoſa hæreſi ſuſcepta, & ſceleratæ proditionis rea habetur.* p.216.6.

§. CXVII.

Victi Beſtia & Pſ. Proph. Victoria erit partim de Beſtia ipſa & Clero, partim de copiis eorum. Beſtia & falſus propheta vivus capitur & non in terram, quò jam tum Draco victus detruſus, *Apoc. XII.9.* Sed in ignem infernalem mittitur, cæteri verò occiduntur, nec ſepeliuntur, idque jure talionis, quandoquidem nec teſtes veritatis monumentis condiderunt. *Apoc. XI.9.* Ais: Ergone illi, qui antichriſto militant, & characterem ejus receperunt, Infernum evadent? Nequaquam: ſed moriuntur prius, cæde corporali, & *quoad animam* infernum occupant cum ducibus ſuis: At *quoad corpus* non reviviſcunt, donec conſummentur mille anni *cap. XX.5.* quibus peractis reſurgunt, & conjiciuntur in eundem infernum. *C. XX.12.* Cum hac pericope jungendum eſt *cap. XIV.* de Meſſe & Vindemia] cujus & *h. cap. verſ. 15.* expreſſa mentio fit. Invitatio avium magnitudinem cladis innuit, *conf. Ez. XXXIX. & tot cap. ult. Joëlis.*

§. CXIIX.

c. XX. Ioniin. Hæc de excidio Sedis atque Beſtiæ & falſi prophetæ. Necdum regnum antichriſtianum plenè deſiit; quia iſta tantum organa ceſſarunt, non ceſſavit, qui iis uſus hactenus, *Draco* atque Satanas. De hujus igitur *coërcitione* eâque primò *temporaria*, mox *æterna*, ſequitur profunda

da revelatio, quæ necdum ſatis intelligi poteſt. Vnam porrò ejusdem viſionis *continuationem* eſſe, ut & antea attigimus, demonſtrat *cap. ſeq. XXI. 9.* ipſaque verborum rerumque ſeries & contextus. Quare & ratio *temporis* ita habenda, ut *poſt interitum* beſtiæ & prophetæ ejus, hæc, quæ ſequitur, revelatio, futura intelligatur. Quod & confirmat mox comma X. hujus capitis, ubi clarè aperitur, jamtum cruciatam fuiſſe beſtiam & pſeudoprophetam in ſtagno ignis, quum Satanas eodem dejiceretur. Ceterum primò hic de dracone refertur ejus captivatio, deinde captivitatis duratio millenaria, tertio occupatio regni atque imperii univerſalis Fidelium, per eosdem mille annos, tandem exacto illo tempore, Satanæ liberatio & nova per Gogum & Magogum perſecutio Fidelium. Denique & hujus totalis coerctio & ſupplicium æternum. Mox ſequitur Extremum Judicium & univerſalis ad illud mortalium Reſurrectio, atque delineatio Status vitæ æternæ.

§. CXIX.

1. Captivatio Draconis.

De Captivitate Draconis ait S. Revelator: *Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clavem abyſſi,* carceris, *& catenam magnam in manu ſua,* poteſtatem divinitus conceſſam; *Et apprehendit Draconem, ſerpentem antiquum,* ſeducentem primò in paradiſo parentes, *qui eſt Diabolus,* calumniator Fidelium & Satanas atque juratus adverſarius Chriſti, *& ligavit eum, & miſit eum in abyſſum,* carcerem, *& clauſit & obſignavit illum, ut non ſeducat amplius gentes.* Vaticinatus hac de re quoque olim Eſaias *cap. XXIV.* ubi univerſalem totius terræ orbis deſolationem poſtquam deſcripſit, *v. 21.* ait:

Et erit, in die illa viſitabit Dominus militiam cœli in excelſo & reges terræ, qui ſunt ſuper terram. Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in locum, & claudentur ibi in carcere: Et poſt multos dies viſitabuntur. Reges terræ, qui ſunt ſuper terram, ſunt, quos Paulus vocat κοσμοκράτορας & Principes, quibus aëris eſt poteſtas, *Eph. II,2. c. VI,12.*

§. CXX.

2. *Duratio.* Durare hanc incarcerationem Satanæ per *ANNOS MILLE*, ait & c *DONEC CONSUMMENTUR MILLE ANNI.* Hanc annorum chiliada initium ſumere *poſt univerſæ carnis reſurrectionem*, antiquiſſima eſt traditio, cujus auctorem *Papiam* refert Euſebius & reprobat. Et quum approbatores multos inveniret hujus dogmatis,

Chiliaſtæ. quos *Chiliaſtas* & *Millenarios* vocant, Eccleſia Catholi-

Papias ca eos ut heterodoxos rejecit. Fuit Papias, ut habet Irenæus, Johannis auditor, Polycarpi ſodalis. Id quod non de Johanne Evangeliſta, ſed de Johanne Presbytero intelligit Euſebius, *cap. ult. lib. 3. H. E. qui cap. XXXVI.* Hieropolitanum Epiſcopum Polycarpo coœvum nominat Papiam, hoc adjecto elogio. ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων. Quod tamen H. Valeſius ab imperito Scholiaſte adjectum arbitratur. Scripſerat Papias libros quinque λογίων Κυριακῶν ἐξηγήσεως, ſive de Interpretatione Sermonum Dominicorum. Nam ut ex iis ipſis Euſebius recitat Papiæ verba, ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα, *ea quæ quondam à Presbyteris ſeu Senioribus ſtudioſè didicerit, ac memoriæ mandaverit, iis libris inſeruit. Quod ſi quis, inquit, interdum mihi occurrebat, qui cum Senioribus verſatus fuiſſet, ex eo curioſè ſciſcitabar, quænam*

eſſent

eſſent Seniorum dicta: Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Johannes (Evangeliſta & Apoſtolus) *quid Matthæus, quid ceteri Domini diſcipuli dicere ſoliti eſſent: quidnam Ariſtion, & Johannes Presbyter, diſcipuli Domini prædicarent, Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere poſſe, exiſtimabam, quantam ex hominum adhuc ſuperſtitum viva voce.*

§. CXXI.

De his mille annis porrò quid tradiderit Papias, ita refert Euſebius: *Idem præterea Scriptor alia nonnulla, nudæ vocis traditione ad ſe perveniſſe teſtatur, ξένας novas quasdam ſcilicet Servatoris parabolas ac didaſcalias, aliaque, μυθικώτερα, fabulis propiora. Inter quæ & χιλιάδα τινὰ mille annorum ſpatium μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, poſt corporum reſurrectionem fore dicit, quo Regnum Chriſti corporaliter σωματικῶς ſtet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus eſſe videtur Papias ex malè intellectis Apoſtolorum narrationibus, quum ea, quæ arcano quodam ſenſu μυστικῶς & exempli cauſa ἐν ὑποδείγματι ab illis dicebantur, non ſatis pervidiſſet. Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex ſcriptis illius conjicere licet. Pleriſque tamen poſt ipſum Eccleſiaſticis Scriptoribus ejusdem erroris occaſionem præbuit, hominis vetuſtate ſententiam ſuam tuentibus; puta Irenæo, & ſi quis alius ejusdem opinionis fautor extitit. Conf. Lactant. lib. VII. c. XIV. & XXIII. Hieron in Jerem. XIX. 10.* Et plurimi hodieque huic hæreſi ſunt addicti. Fundamentum ſuæ opinionis hauſere ex *comm. V. hujus capitis*, ubi dicitur Fideles reſurrecturos, mille annis cum Chriſto regnaturos eſſe. Vnde collegerunt, hanc chiliada initium ſumere poſt

Ejus ſententia reprobata.

 Reſur-

Reſurrectionem mortuorum: quam hypotheſin mox ſuo loco videbimus.

§. CXXII.

Alia item atq; alia. Communis ſententia initium horum mille annorum figit ab Imperio Conſtantini M. usque ad Ottomannum, veluti Gogum. Verùm nec interea temporis quievit Satanas, ſatis adhuc ſolutus, & gentes barbaras jamtum ante Ottomannum, imprimis Gothos, Saracenos, Hunnos, Mauros & aliorum barbarorum ac gentilium irruptiones in Reſp. Chriſtianas excitavit, & Eccleſiam miſerrime afflixit. Vt taceam, tempus hoc non convenire textui & ſeriei narrationis: nec enim adeò interrumpitur ſeries temporum in hac Revelatione. Alii igitur ad *Conſummationem ſeculi* terminum ad quem figentes, retro computant hos mille annos, atque verum eſt, ultra non poſſe hanc chiliadem computari, quoniam tum tempus non amplius futurum, docente Angelo, *cap. X. 6. 7.* Verùm ante ſeculi conſummationem ſive Judicium extremum futura ſolutio Satanæ Gogique excitatio eſt. Conſequens igitur eſt, terminum chiliados hujus cum fine ſeu conſummatione mundi non coincidere.

Veriſimilior. Reliqua itaque videtur ea interpretatio, quâ terminus à quo horum annorum ponitur ſecundum ſeriem contextus & enarrationis *poſt internecionem beſtiæ* & falſi prophetæ. Tunc enim futura dicitur detruſio Satanæ in carcerem: antea enim non potuit ligatus eſſe Satanas, quamdiu per iſta ſua organa mulierem in deſerto perſecutus eſt.

§. CXXIII.

3. Reſurrect. Quod uti per ſe difficultate caret, ita verſimilius redditur, ſi intellexerimus ea, quæ de *Reſurrectione* mox ſe-

ſequuntur, quæ tertio loco conſideranda veniunt. Niſi per omnia fallor, videtur omninò hæc particula explicanda ex *cap. Ezech. XXXVII. & ſeq.* in quorum priore de Reſurrectione aliqua & reductione Iſraëlis in terram ſuam & ad Imperium ſuum agitur: in altero, de Gogo atque ſocio. Paria & hic inveniuntur, primò agitur de Reſurrectione quæ prima vocatur, & reductione Fidelium ad imperium Chriſti ſingulare atque mille annis duraturum iſto regnandi modo: ipſum enim Salvatoris O. M. imperium alioquin in ſeſe eſt æternum. Porrò hoc temporis ſpatio elapſo, pariter de Gogo & Magogo prædicitur. Igitur veriſimile fit, utrobique eundem ſenſum eſſe, cæteris paribus. Namque locus Ezechielis primò de reductione ex Babylone corporali intelligitur, ſecundò quoque de ejus hoc antitypo. Porro & hoc controverſia jam credo caret, & expreſſis dicitur verbis, Gogi ortum & exſcidium futurum poſt millenarium hoc finitum.

§. CXXIV.

Ex his ita præſuppoſitis ita colligimus: Qua ratione reductio populi Judaici ex Babylone corporali dicitur Reſurrectio apud Ezechielem: eâdem etiam liberatio plenaria ex Babylone Spirituali extincta beſtia & pſeudopropheta, dicitur hic apud Johannem *Reſurrectio* eaque ἡ πρώτη & peculiaris, quam deinde univerſalis illa ſequitur, cum extremo judicio, *verſ. XII. confer. 1. Cor. XV. 13. 24.* Incidit hæc Reſurrectio atque Inſtauratio Libertatis plenaria Eccleſiæ Chriſtianæ, tam quoad doctrinæ puritatem, quam morum ſanctitatem, in dies Tubicinii ſeptimi, in quibus conſummandum eſt *Myſterium* divinum, *Prophetis priſcis*, Ezechieli & Danieli revelatum,

Libertatis Eccleſiæ plenaria reſtitutio.

tum, *Apoc. X. 7.* Hoc eſt, ni fallor, *Templum Ezechielis* & partitio nova Terræ promiſſæ, *Ezech. ult.* Regnum DEI, quod conculcabit omnia Imperia Vniverſalia, *Dan. 2. & Obad. ult.* Neque enim Regnum hactenus Chriſti Monarchiam Romanam ſuſtulerat. Igitur alia Regni Chriſti forma, magisque exterius eminens intelligitur, cujus initium à ruina Imperiorum Vniverſalium & ultimi imprimis Romani: & quo ſurrecturus Michaël Princeps magnus, ſalvandusque omnis populus, qui ſcriptus in libro *Dan. XII. 1.* Et tunc apparebit ſignum Filii hominis in cœlo, *Matth. XXIV. 30.* & videbunt Eum venientem in nube cum poteſtate & gloria magna, *Luc. XXI. 27.* Et mittet angelos, & congregabunt electos ejus, à quatuor ventis, *Matth 24. 31.* & ſedebunt ſuper thronos, & *Judicium* dabitur illis. *Apoc. XX. 4.* & regnabunt cum Chriſto mille annis. *Conf.* §. *CXV.* De quo & cæteri Prophetæ. Hoſea *cap. III. fi.* ibi. *Revertentur in noviſſimo dierum.* Et Michas *cap. 2, 12.* *Congregatione congregabo Jacob totum te, in unum conducam reliquias Iſraël. Tum ablatum erit judicium* (perſecutio ſuppreſſio) *Iſraëlis, & inimici ejus & Rex Iſraël Dominus in medio ejus, ut non timeat Iſraël malum ultra, Sophon. ult. 15.* Eodemque pertinere videtur profundiſſimi ſenſûs vaticinium Zach. *cap. ult. verſ. 3. ſqq.* Denique vel hoc quoque in tempus vel paulo antè videtur incidere *Myſterium* illud, de quo Paulus agit *ad Rom. XI. 25.* ut, poſtquam plenitudo gentium introiverit, excœcatio Iſraelis deſitura ſit. *conf. 2. Cor. III. 16. 1. Theſſ. 2. 16. Matth XXIII. fi. Hoſ. III. 5.* Verùm nec hic quicquam temerè definio, ſed Eccleſiæ Orthodoxæ judicio hæc omnia ſubmitto.

§. CXXV.

§. CXXV.

Neſcio an huc trahendum notabile illud vaticinium *Leonis* Imp. cognomento *Philoſophi* de Imperii Conſtantinopolitani exſcidio & nova inſtauratione. Suſcepit ille Imperium A. C. 886. expugnata fuit CPolis à Mahummede A. C. 1453. Scripſit Imperator vaticinium triennio ante ſuſceptum Imperium h. e. A. C. 883. exactè prædixit tempus exſcidii CPolitani, annorum ſexcentorum minus viginti: Vnde quæ de ejusdem urbis reſtauratione vaticinatus, eadem certitudine niti videntur. Recitat id Jo. Opſopæus inter Oracula vetera Oraculis Sibyllinis adjecta, edita Pariſiis 1599. *Vaticin. Leonis Phil. Imp.*

Λέοντος τοῦ σοφωτάτου Βασιλέως, περὶ ἀναστάσεως τῆς Κωνσταντίνου πόλεως.

Βύζαντος αὐλὴ, ἑστία Κωνσταντίνου,
Ῥώμη, Βαβυλὼν, καὶ Σιὼν ἄλλη νέα,
Τρεῖς τρεῖς ἐκαλὸν καὶ σὺ συνάρξεις κράτος
Μιᾶς ἐν αὐτοῖς ὑστερούσης εἰκάδος.
Ὡς χοῦν ἀνθροίσεις τῶν ἐθνῶν τὸ χρυσίον
Καὶ πάσας ἄρξεις τὰς περὶξ φυλαρχίας.
Ἀλλά σε πυρίσαντον καὶ ξανθὸν γένος.
Πᾶσαν νεφρώσει, καὶ τὸ σὸν λύσει κράτος.
Ἐσῃ πάλιν γὰρ, ὥσπερ οὐδ' ἀρξαμένη.
Ἕως θεοῦ δάκτυλος ὀφθεὶς ἐξ ἕω,
Χειρὸς ῥηθείσης δακτύλους πλήσει δύο,
Αἰχμὰς φέροντας, αὔρας ὡς ἐκ καμίνου.
Αἷς τὸν παρῷον ἐκδικήσουσι μόρον.
Ἥξουσι δ' αὖθις κυκλόθεν τὰ σὰ τέκνα

poſtdiluviano usque ad fundatam N. T. Eccleſiam ſunt Judæi apoſtatæ atque Hieroſolyma *Matth. XXIII, 35. Pſ. CX. Act. 2, 35. 36.* In novo denique Teſtamento usque ad conſummationem ſeculi eſt Clerus atque Civitas hîc deſcripta. Vtraque igitur viam Caini ingreſſa, pœnam quoque Cainiticam ſuſtinet, *Vid. Judæ Epiſt. v. XI. ſqq. 1. Joh. III, 12.*

§. CXIV.

C. XIX. Nuptiæ Agni.

Sequuntur exſcidium cœleſtia ἐπινίκια, utriusq; Eccleſiæ triumphantis & militantis per univerſum orbem, & apparatus Eccleſiæ, ſponſæ CHRISTI ad celebrandas nuptias cum AGNO, ſponſo ſuo. Eccleſia *fidelium conjunctim,* ſanctorum eſt Sponſa: invitantur ad nuptias *ſinguli.* Atque ſingulare quid eſt, quod hic annotavit Apoſtolus, jubente Angelo: *ET DICIT MIHI: SCRIBE; BEATI, QVI AD COENAM NVPTIARVM AGNI VOCATI SVNT.* Qua de re quùm dubitari poſſit exinde, quod Salvator quidem ipſe de his nuptiis ſermocinans, *Matth. XXII.* & *Luc. XIV.* teſtatur, multos eſſe vocatos, ex quibus tamen pauci electi atque ad cœnam nuptialem admiſſi ſint. Idcirco magna cum emphaſi additur à Johanne: *ET DICIT MIHI: HÆC VERBA DEI VERA SVNT.* Videlicet, celebravit ſponſus humani generis ſponſalia atque nuptias ab omnibus mundi ſeculis, & invitavit primò univerſum orbem antediluvianum, poſtea novâ apoſtaſiâ ortâ, vocavit Iſraëlitas ac Judæos, denique gentes univerſas, & tamen ex his plurimi haud beati prædicandi, partim enim exciſi, partim in tenebras exteriores ejecti: At, qui ad τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου, atque ad DOMVDVCTIONEM hi, inſtantem vocati ſunt, beati verè prædicantur, nec huc niſi Electi invitantur. *Nuptiæ* ſolebant fieri in

ſponſæ

ſponſæ Parentum ædibus *Jud. XIV. 10.* unde occurrebant ſponſo adventanti virgines, *Matth. XXV.* Deductio *in domum* ad ſponſum maritumue, *Matth. I. 24. Pſ. XLV. 11. conf. 1. Theſſ. IV. pen.*

§. CXV.

Verùm enim verò antequam ſponſa deducatur, depugnandum plenè eſt cum ſuperſtite adhuc Beſtia ac Sociis. Nam exciſâ licet Vrbe, hi ſunt etiamnum congregati in loco Armageddo *C. XVI. 16. XIX. 19.* Viciſſim exciſuri ſponſam Agni, poſtquam amaſia eorum exciſa. Quare *COELO ADAPERTO* ſuccurrit ſponſus cœleſtis, ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, & majori quidem ſplendore Majeſtatis, quàm eques ſub ſigilli primi apertura: major quippe victoria hæc, quàm iſta. Ac vaticinatus de hac videtur jam tum *Eſa. XXX. 25. cap. ult. verſ. 15.* & Zacharias Propheta *cap. ult.* Neſcio verò an Salvator ipſe hunc adventum & expeditionem ultimam adverſus beſtiam innuat? quum ait: *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cœlo. Matth. XXIV. 80.* Et Paulus an milites hujus prælii ex parte Chriſti deſcribat occurrentes ipſi in Cœlo, *1. Theſſ. IV. 15. & 2. Theſſ. 2, 8.* Dominus Iniquum, Exlegem, τὸν Ἄνομον abolebit claritate Adventus ſui, quo ipſo tempore vix reperturus eſt Fidem in terra, *Luc. XIIX. 8.* quam Ipſe tum reſtaurabit. *d. c. ult Eſa. verſ. 18. 19.*

Expeditio Agni adv. Beſtiam.

§. CXVI.

Ex altera parte pugnat Beſtia, h. e. Pſeudopropheta, & Reges terræ & exercitus eorum. Pugna ipſa non deſcribitur. Si idem genus futurum, quod hactenus conſuevit, *dogmatibus* & *gladio* videtur pugnatum iri. Sunt qui doctrinam ex omnibus mixtam & confuſam, quam

Qualis pugna.

Syncretiſmus. *Syncretiſticam* dixeris, obtruſum iri autumant, Quò facit, quod qui *Hiſtoriam Plagæ Regiæ* ſcripſit, ait: *Pacis Publicæ, adeoque Chriſtianæ moderationis paulo frequentiorem hic mentionem fore, quæ, inquit, neſcio de quo politico atheiſmo, latenteq; aliqua periculoſa hæreſi ſuſcepta, & ſceleratæ proditionis rea habetur.* *p. 216. 6.*

§. CXVII.

Victi Beſtia & pſ. Proph. Victoria erit partim de Beſtia ipſa & Clero, partim de copiis eorum. Beſtia & falſus propheta vivus capitur & non in terram, quò jam tum Draco victus detruſus, *Apoc. XII. 9.* Sed in ignem infernalem mittitur, cæteri verò occiduntur, nec ſepeliuntur, idque jure talionis, quandoquidem nec teſtes veritatis monumentis condiderunt. *Apoc. XI. 9.* Ais: Ergone illi, qui antichriſto militant, & characterem ejus receperunt, Infernum evadent? Nequaquam: ſed moriuntur prius, cæde corporali, & *quoad animam* infernum occupant cum ducibus ſuis: *Ac quoad corpus* non reviviſcunt, donec conſummentur mille anni *cap. XX. 5.* quibus peractis reſurgunt, & conjiciuntur in eundem infernum. *C. XX. 12.* Cum hac pericope jungendum eſt *cap. XIV.* de Meſſe & Vindemia] cujus & *h. cap. verſ. 15.* expreſſa mentio fit. Invitatio avium magnitudinem cladis innuit, *conf. Ez. XXXIX. & tot cap. ult. Joëlis.*

§. CXIIX.

C. XX. Iontin. Hæc de excidio Sedis atque Beſtiæ & falſi prophetæ. Necdum regnum antichriſtianum plenè deſiit; quia iſta tantùm organa ceſſarunt, non ceſſavit, qui iis uſus hactenus, *Draco* atque Satanas. De hujus igitur *coërcitione*, eâque primò *temporaria*, mox *æterna*, ſequitur profunda

da revelatio, quæ necdum ſatis intelligi poteſt. Vnam porrò ejusdem viſionis *continuationem* eſſe, ut & antea attigimus, demonſtrat *cap. ſeq. XXI. 9.* ipſaque verborum rerumque ſeries & contextus. Quare & ratio *temporis* ita habenda, ut *poſt interitum* beſtiæ & prophetæ ejus, hæc, quæ ſequitur, revelatio, futura intelligatur. Quod & confirmat mox comma X. hujus capitis, ubi clarè aperitur, jamtum cruciatam fuiſſe beſtiam & pſeudoprophetam in ſtagno ignis, quum Satanas eodem dejiceretur. Ceterum primò hic de dracone refertur ejus captivatio, deinde captivitatis duratio milleniaria, tertio occupatio regni atque imperii univerſalis Fidelium, per eosdem mille annos, tandem exacto illo tempore, Satanæ liberatio & nova per Gogum & Magogum perſecutio Fidelium. Denique & hujus totalis coerctio & ſupplicium æternum. Mox ſequitur Extremum Judicium & univerſalis ad illud mortalium Reſurrectio, atque delineatio Status vitæ æternæ. 2. Duratio.

§. CXIX.

De Captivitate Draconis ait S. Revelator: *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi,* carceris, *& catenam magnam in manu ſua,* poteſtatem divinitus conceſſam; *Et apprehendit Draconem, ſerpentem antiquum,* ſeducentem primò in paradiſo parentes, *qui eſt Diabolus,* calumniator Fidelium & Satanas atque juratus adverſarius Chriſti, *& ligavit eum, & miſit eum in abyſſum,* carcerem, *& clauſit & obſignavit illum, ut non ſeducat amplius gentes.* Vaticinatus hac de re quoque olim Eſaias *cap. XXIV.* ubi univerſalem totius terræ orbis deſolationem poſtquam deſcripſit, *v. 21.* ait: 1. Captivatio Draconis.

Et erit, in die illa viſitabit Dominus militiam cœli in excelſo & reges terræ, qui ſunt ſuper terram. Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in locum, & claudentur ibi in carcere: Et poſt multos dies viſitabuntur. Reges terræ, qui ſunt ſuper terram, ſunt, quos Paulus vocat κοσμοκράτορας & Principes, quibus aëris eſt poteſtas, *Eph. II, 2. c. VI, 12.*

§. CXX.

3. *Duratio.* Durare hanc incarcerationem Satanæ per *ANNOS MILLE*, ait & *DONEC CONSUMMENTUR MILLE ANNI.* Hanc annorum chiliada initium ſumere *poſt univerſæ carnis reſurrectionem*, antiquiſſima eſt traditio, cujus auctorem *Papiam* refert Euſebius & reprobat. Et quum approbatores multos inveniret hujus dogmatis,
Chiliaſtæ. quos *Chiliaſtas* & *Millenarios* vocant, Eccleſia Catholi-
Papias ca eos ut heterodoxos rejecit. Fuit Papias, ut habet Irenæus, Johannis auditor, Polycarpi ſodalis. Id quod non de Johanne Evangeliſta, ſed de Johanne Presbytero intelligit Euſebius, *cap. ult. lib. 3. H. E. qui cap. XXXVI.* Hieropolitanum Epiſcopum Polycarpo coævum nominat Papiam, hoc adjecto elogio. ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων. Quod tamen H. Valeſius ab imperito Scholiaſte adjectum arbitratur. Scripſerat Papias libros quinque λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως, ſive de Interpretatione Sermonum Dominicorum. Nam ut ex iis ipſis Euſebius recitat Papiæ verba, ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα, *ea quæ quondam à Presbyteris ſeu Senioribus ſtudioſè didicerit, ac memoriæ mandaverit, iis libris inſeruit. Quod ſi quis, inquit, interdum mihi occurrebat, qui cum Senioribus verſatus fuiſſet, ex eo curioſè ſciſcitabar, quænam eſſent*

eſſent Seniorum dicta: Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Johannes (Evangeliſta & Apoſtolus) *quid Matthæus, quid ceteri Domini diſcipuli dicere ſoliti eſſent: quidnam Ariſtion, & Johannes Presbyter, diſcipuli Domini prædicarent. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere poſſe, exiſtimabam, quantam ex hominum adhuc ſuperſtitum viva voce.*

§. CXXI.

De his mille annis porrò quid tradiderit Papias, ita refert Euſebius: *Idem præterea Scriptor alia nonnulla nuda vocis traditione ad ſe perveniſſe teſtatur, ξένας novas quasdam ſcilicet Servatoris parabolas ac didaſcalias, aliaque, μυθικώτερα, fabulis propiora. Inter quæ & χιλιάδα τινὰ mille annorum ſpatium μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, poſt corporum reſurrectionem fore dicit, quo Regnum Chriſti corporaliter σωματικῶς ſtet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus eſſe videtur Papias ex malè intellectis Apoſtolorum narrationibus, quum ea, quæ arcano quodam ſenſu μυστικῶς & exempli cauſa ἐν ὑποδείγματι ab illis dicebantur, non ſatis pervidiſſet. Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex ſcriptis illius conjicere licet. Plerisque tamen poſt ipſum Eccleſiaſticis Scriptoribus ejusdem erroris occaſionem præbuit, hominis vetuſtate ſententiam ſuam tuentibus; puta Irenæo, & ſi quis alius ejusdem opinionis fautor extitit. Conf. Lactant. lib. VII. c. XIV. & XXIII. Hieron in Jerem. XIX. 10.* Et plurimi hodieque huic hæreſi ſunt addicti. Fundamentum ſuæ opinionis hauſere ex *comm. V. hujus capitis*, ubi dicitur Fideles reſurrecturos, mille annis cum Chriſto regnaturos eſſe. Vnde collegerunt, hanc chiliada initium ſumere poſt

ejus ſententia reprobata.

Reſurrectionem mortuorum: quam hypotheſin mox ſuo loco videbimus.

§. CXXII.

Alia item atque alia. Communis ſententia initium horum mille annorum figit ab Imperio Conſtantini M. usque ad Ottomannum, veluti Gogum. Verùm nec interea temporis quievit Satanas, ſatis adhuc ſolutus, & gentes barbaras jam tum ante Ottomannum, imprimis Gothos, Saracenos, Hunnos, Mauros & aliorum barbarorum ac gentilium irruptiones in Reſp. Chriſtianas excitavit, & Eccleſiam miſerrime afflixit. Vt taceam, tempus hoc non convenire textui & ſeriei narrationis: nec enim adeò interrumpitur ſeries temporum in hac Revelatione. Alii igitur ad *Conſummationem ſeculi* terminum ad quem figentes, retro computant hos mille annos, atque verum eſt, ultra non poſſe hanc chiliadem computari, quoniam tum tempus non amplius futurum, docente Angelo, *cap. X. 6. 7.* Verùm ante ſeculi conſummationem ſive Judicium extremum futura ſolutio Satanæ Gogique excitatio eſt. Conſequens igitur eſt, terminum chiliados hujus cum fine ſeu conſummatione mundi non coincidere. *Veriſimilior.* Reliqua itaque videtur ea interpretatio, quâ terminus à quo horum annorum ponitur ſecundum ſeriem contextus & enarrationis *poſt internecionem beſtiæ* & falſi prophetæ. Tunc enim futura dicitur detruſio Satanæ in carcerem: antea enim non potuit ligatus eſſe Satanas, quamdiu per iſta ſua organa mulierem in deſerto perſecutus eſt.

§. CXXIII.

3. Reſurrect. Quod uti per ſe difficultate caret, ita verſimilius redditur, ſi intellexerimus ea, quæ de *Reſurrectione* mox ſe-

ſequuntur, quæ tertio loco conſideranda veniunt. Niſi per omnia fallor, videtur omninò hæc particula explicanda ex *cap. Ezech. XXXVII. & ſeq.* in quorum priore de Reſurrectione aliqua & reductione Iſraëlis in terram ſuam & ad Imperium ſuum agitur: in altero, de Gogo atque ſocio. Paria & hic inveniuntur, primò agitur de Reſurrectione quæ prima vocatur, & reductione Fidelium ad imperium Chriſti ſingulare atque mille annis duraturum iſto regnandi modo: ipſum enim Salvatoris O. M. imperium alioquin in ſeſe eſt æternum. Porrò hoc temporis ſpatio elapſo, pariter de Gogo & Magogo prædicitur. Igitur veriſimile fit, utrobique eundem ſenſum eſſe, cæteris paribus. Namque locus Ezechielis primò de reductione ex Babylone corporali intelligitur, ſecundò quoque de ejus hoc antitypo. Porro & hoc controverſia jam credo caret, & expreſſis dicitur verbis, Gogi ortum & exſcidium futurum poſt millenarium hoc finitum.

§. CXXIV.

Ex his ita præſuppoſitis ita colligimus: Qua ratione reductio populi Judaici ex Babylone corporali dicitur Reſurrectio apud Ezechielem: eâdem etiam liberatio plenaria ex Babylone Spirituali extincta beſtia & pſeudoprophetâ, dicitur hic apud Johannem *Reſurrectio* eaque ἡ πρώτη & peculiaris, quam deinde univerſalis illa ſequitur, cum extremo judicio, *verſ. XII. confer. 1. Cor. XV. 13. 24.* Incidit hæc Reſurrectio atque Inſtauratio Libertatis plenaria Eccleſiæ Chriſtianæ, tam quoad doctrinæ puritatem, quam morum ſanctitatem, in dies Tubicinii ſeptimi, in quibus conſummandum eſt *Myſterium* divinum, *Prophetis priſcis*, Ezechieli & Danieli revela- *Libertatis Eccleſiæ plenaria reſtitutio.*

tum,

§. CXXV.

Neſcio an huc trahendum notabile illud vaticinium *Leonis* Imp. cognomento *Philoſophi* de Imperii Conſtantinopolitani exſcidio & nova inſtauratione. Suſcepit ille Imperium A. C. 886. expugnata fuit CPolis à Mahummede A. C. 1453. Scripſit Imperator vaticinium triennio ante ſuſceptum Imperium h. e. A. C. 883. exactè prædixit tempus exſcidii CPolitani, annorum ſexcentorum minus viginti: Vnde quæ de ejusdem urbis reſtauratione vaticinatus, eadem certitudine niti videntur. Recitat id Jo. Opſopæus inter Oracula vetera Oraculis Sibyllinis adjecta, edita Pariſiis 1599. *Vaticin. Leonis Phil. Imp.*

Λέοντος τοῦ σοφωτάτου Βασιλέως, περὶ ἀναστάσεως τῆς Κωνσταντίνου πόλεως.

Βύζαντος αὐλή, ἑστία Κωνσταντίνου,
Ρώμη, Βαβυλὼν, καὶ Σιὼν ἄλλη νεά,
Τρὶς τρεῖς ἑκατὸν καὶ σὺ συνάρξεις κράτος
Μιᾶς ἐν αὐτοῖς ὑστερούσης εἰκάδος.
Ως χοῦν ἀνθροίσεις τῶν ἐθνῶν τὸ χρυσίον
Καὶ πάσας ἄρξεις τὰς περὶ ξ φυλαρχίας.
Αλλά σε πυρίσαντον καὶ ξανθὸν γένος.
Πᾶσαν νεφρώσεται, καὶ τὸ σὸν λύσεται κράτος.
Εση πάλιν γὰρ, ὥσπερ οὐδ' ἀρξαμένη.
Εως θεοῦ δάκτυλος ὀφθεὶς ἐξ ἕω,
Χειρὸς ῥηείσης δακτύλους πλήσει δύο,
Αιχμὰς φέροντας, αὖρας ὡς ἐκ καμίνου.
Αἷς τὸν πατρῷον ἐκδικήσουσι μόρον.
Ηξουσι δ' αὖθις κυκλόθεν τὰ σὰ τέκνα

Ευθείας, ὥσπερ ἐκ κύκλου πρὸς κεντρεὸν,
Εφ' οἷς δικαίοις ἐκβιβάσει τὴν δίκην.
Καινὴ τὸ λοιπὸν ἡ καινὴ πάλιν ἔσῃ,
Καὶ κρεῖττον ἄρξεις τῶν ἐθνῶν, εἴπερ πάλαι.
Δόξης γδ οἶκος σὺ θεοῦ χρηματίσεις,
Τοῖς ἴχνεσί σου προσπεσόντων τῶν πέλας.

Leonis Imp. Philoſophi

De

RESTITVTIONE CPOLEOS.

BYzantis aula, pii Conſtantini Domus,
Roma atque Babylon, & Sion quædam nova,
Regno ter & ter centenis tibi fas frui,
Saltim vicenis annis deficientibus.
Ceu pulverem aurum collectura es gentium,
Simul vicinis imperatura omnibus.
Sed te peruſtum ab igne; te flavum genus
Totam incinerabit, & regnum evertet tuum.
Eris quaſi non unquam fuiſſes antea.
Donec ab Oriente conſpectus digitus DEI
Digitos manus jam perditæ implebit duos,
Haſtas gerentes, è camino auras velut,
Fatum quibus paternum ulturi ſunt grave.
Tunc liberi venturi ſunt tui undique,
Recta velut ad centrum de circuli ambitu,
Jus exſequeris per quos juſtos, ceu decet.
Adeoque tunc rurſum futura tu nova es,
Meliusque nationes rectura, ac prius,
Nam gloriæ DEI domus vocaberis,
Ubi ſe ad pedes tuos vicini abjecerint.

§.CXXIV

§. CXXVI.

Certè hoc in univerſum apparet, forè Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum hoc annorum ſpatio, quod Spiritus S. millenario, ut numero rotundo, comprehendit, florentiſſitiſſimum ac glorioſum, & ab omni impetu adverſarii immunem. Jus regni, ac Sacerdotii tribuitur his, participes ſtatus hujus erunt, ac poteſtas item Judicium habendi, ita ut Resp. Chriſtiana tum in ſummo flore, ac felicitate & in ſtatu quodam integritatis verſatura ſit, à ceteris gentibus apoſtatis, Mahummedanis idololatricis ſemota ac ſecura; donec finitus his annis, & liberatio Satanæ ex carcere, gentes univerſæ, illius auſpicio, ductu Gogi & Magogi, Eccleſiam Chriſtianam denuo infeſtabunt. At DEVS O. M. Rex Regum ac Tutanus Eccleſiæ ſuæ & hos hoſtes igne de cœlo perdet, (quod & Ezechiel latius vaticinatus fuit) & Satanam non ad carceres, ſed in ſtagnum ignis atque ſulphuris, ad beſtiam ac pſeudoprophetam, æterno ſupplicio, condemnabit.

Status Eccleſiæ.

Gog & Magog.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX.

Agni nuptiæ. §. 114. expeditio agni adverſus beſtiam. §. 115. qualis pugna. §. 116. victoria. §. 117.
Animalia IV. §. 13. & 90.
AntiChriſti Origo. §. 56.
Apoſtatarum ſtatus. §. 20.
Aquæ multæ. §. 90.
Arca. §. 45.
Arii hæreſis. §. 54.
Arius Tuba I. §. 24.
Atrium interius. §. 37.
Auſter pro vento Orientali Ezech. 27, 26. §. 93.

Babylon in deſerto. §. 105. ſpiritualis. §. 104.
Barbaries in doctrina & Moribus, Tuba IV. §. 27.
Beatorum ſtatus. §. 19.
Behemot. §. 48.
Bellum Religioſ. §. 79. Bellum Sacrum ultimum. §. 99.
Beſtia bicornis. §. 67. character beſtiæ. §. 70. nomen & numerus nominis. §. 71. beſtiæ renitentia & perſecutio. §. 78. victores de beſtia, de charactere, de numero nominis ejus. §. 86.
Beſtia ſepticeps. §. 106.
Bonorum Eccleſiaſtic. direptio, §. 3. Plaga. §. 44.

Canticum ad mare. §. 88.
Character quid? §. 87.
Chiliaſtæ. §. 120. Papiæ ſententia reprobata. §. 120. & 121. alia item atque alia, §. 72. veriſimilior. ibid.
Chriſtianiſmus verus reſtaurandus. §. 36.
Clericorum conſcientia cauteriata, 1. Plaga. §. 91.
Clerus corruptus ſtabilimentum hierotyrannidis. §. 67.

Daniel & Apocalypſis conferuntur. §. 57. & 58.
Deſertum. §. 53.
Domum ductio Agni. §. 114.
Draco. §. 48. victoria de Dracone. §. 51. apparatus ejus ad novum bellum. §. 55.

Dra-

Draconis captivatio. §. 99. duratio. §. 120.

Eccleſiæ ſtatus externus. §. 5. notæ Eccleſiæ puræ. §. 6. ſtatus Eccleſiæ internus. §. 13. Eccleſiæ & Imperii victorioſus ſtatus, ab Oriente. §. 15. turbulentus ab Occidente. §. 16. famelicus ad Meridiem. §. 17. cadaveroſus ad ſeptentrionem. §. 18. ſtatus cadaveroſus per partes deſcribitur. §. 22. Eccleſia ſub Anti-Chriſto, ejus origo. §. 46. Eccleſia primitiva duplex ex Hebræis & Gentilibus collecta. §. 50. Eccleſiæ internæ conſervatio. §. 52. Eccleſia preſſa, victrix. §. 73. Arma: Lex & Evangelium. §. 74. Eccleſiæ ſtatus felix. §. 85. glorioſus. §. ult.

Epheſina Eccleſia. §. 5. ejus ſtatus hodiernus. §. 6. comparatio ejus cum Smyrnenſi. §. 12.

Excidium urbis. §. 111. Angelus executor. §. 112. Excidii cauſa. §. 113.

Exciſio urbis, beſtiæ, & pſeudoprophetæ, Gogi & Magogi, periodus ultima, Tub. VII. §. 44.

Fidelium evocatio. §. 112. Fidelium obſignatio. §. 20.

Grando, vaſtatio Idolomaniæ. §. 113.

Gregorius II. Tuba II. §. 25.

Harmageddon. §. 101.

Hebdomadum parallelíſmus ante & poſt C. N. §. 35.

Hildebrandini dictatus Tuba væ. 1. §. 28. & §. 29. Regni Hildebrandini ἀκμή. §. 65.

Imaginum cultus. §. 26.

Impp. Germ. fata. §. 66.

Imperium Rom. §. 59.

Indulgentiarum abuſus. §. 27.

Inquiſitores hæreticæ pravitatis. §. 69.

Judæorum acceſſio. §. 21. converſio. §. 49.

Laodicena Eccleſia. §. 12.

Libertatis Eccleſiæ plenaria reſtitutio. §. 124.

Mare chryſtallinum. §. 13.

Menſes 42. §. 58.

INDEX.

Meſſis Eccleſiæ. §. 80.
Militia Cruciata. §. 29.
Miracula falſa. §. 68.
Monarchiæ affectatio. §. 25.
Monarchia Romana. §. 57. Potentia illius. §. 62. & ſeptem facies. §. 63.
Montes ſeptem Romæ. §. 107.
Mulier prægnans. §. 47. parturiens. §. 49.

Numerus nominis quid? §. 87
Nuptiæ Agni. §. 114.

Odium adverſus S.R.F. plaga §. 96.

Pacis Religioſæ tuitio. §. 12.
Papias. §. 120. ejus ſententia reprobata. 121.
Pergamenſis Eccleſia. §. 9.
Periodus Eccleſiaſtica 1500. annor. §. 33.
Perſecutio magna. §. 41.
Perſecutorum ſtatus. §. 20.
Phialæ, pœnæ Eccleſiarum. §. 22.
Philadelphienſis Eccleſia. §. 11.
Plagæ ſeptem. §. 84.
Plebis ignorantia & plenaria apoſtaſia. 2. Plaga. 93.
Preces ſanctorum. §. 23.

Quatuor animalia. §. 13.

Ranæ. 100.
Reformatio Eccleſiæ. §. 31. & §. 75. Reformationis partes. §. 76. §. 77. Succeſſus reformationis. §. 80.
Reges decem ſ. Provinciæ. §. 109.
Reges ſeptem ſ. ſtatus Imperii Rom. §. 108.
Regnum Chriſti. §. 21.
Regum orientis irruptio. §. 97.
Religio corrupta gentiliſmi. §. 68.
Reſurrectio Ezech. 37. §. 123.
Revelationis S. Johanni factæ ſcopus. §. 3. Ejus auctoritas §. 89.

Sacerdotium conculcatum. §. 37.
Sanctorum cultus, Tuba III. §. 26.
Sardinenſis Eccleſia. §. 11.
Scriptorum contra Evangelium æſtuatio IV. Plaga. §. 95.
Seceſſio nova. VI. Plaga. §. 97.
Seculi duratio. §. 32.
Sigillum I. §. 15. Sigill. II. §. 16. Sigill. III. §. 17. Sigill. IV. §. 18. Sigill. V. §. 19. Sigill. VI. §. 20. Sigill. VII. §. 22.

Signum

Signum filii hominis. §. 115.

Smyrnenſis Eccleſia. §. 7. comparatio ejus cum Epheſina §. 8.

Syncretiſmus. §. 116. Syncretiſmus Gothicus. §. 12.

Templum. §. 13. & §. 45. Templi menſura. §. 36. ingreſſus in Templum prohibitus. §. 89.

Tempus: Tempora: & dimidium Temporis. §. 32. Tempus dicitur ſpatium 70. Hebdomadum. §. 32. Menſura temporis N. T. §. 34.

Terræ motus. VII. Plaga. §. 102

Teſtes duo Veritatis Evangelicæ, utriusque ſtatus Eccleſiaſtici & Civilis. 39. duabus olivis & candelabris comparantur. §. 40. occiſio teſtium. §. 41. reſurrectio eorum. §. 42. aſcenſio in cœlum §. 43.

Thuribulum. §. 23.

Thyatirenſis Eccleſia. §. 10.

Tribus Iſraelis N. T. §. 21.

Tubæ claſſica bellorum Eccleſiaſticorum §. 22. Differentia inter Tubas & Phialas. ibid.

Turcicum Imperium, Tuba VI. §. 30. ejus periodus. ib.

Vaſa ira. §. 84.

Vaticinia vetuſta. §. 98.

Vaticinium Leonis Philoſophi Imperat. §. 125.

Vindemia Eccleſiæ, punitio Antichriſti. §. 81.

INDEX CAPIT. APOCAL.

CAP. II. §. V.
CAP. III. §. XI.
CAP. IV. s. XIII.
CAP. V. §. XIV.
CAP. VI. s. XV.
CAP. VII. §. XX.
CAP. VIII. s. XXII.
CAP. IX. §. XXIIX.
CAP. X. ſ. XXXI.
CAP. XI. §. XXXVI.
CAP. XI, 3. §. XIL.
CAP. XI, 14. §. XLIV.
CAP. XII. §. XLVI.
CAP. XIII. s. LVI.
CAP. XIV. §. LXXIII.
CAP. XV. s. LXXXII.
CAP. XVI. §. XCI.
CAP. XVII. ſ. CIV.
CAP. XIIX. ſ. CXII.
CAP. XIX. ſ. CXIV.
CAP. XX. s. CXIIX.

FINIS.